Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/ethicachristiana02patu

P. F. JOANNIS VINCENTII
PATUZZI
ORD. PRÆDICATORUM

IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA
SIVE

THEOLOGIA MORALIS
Ex purioribus Sacræ Scripturæ divinæque traditionis fontibus derivata, &

S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINA

CONTINENTER ILLUSTRATA.

EDITIO NOVISSIMA

IN SEPTEM VOLUMINA DISTRIBUTA:

Addito nunc primum ejuſdem Auctoris Tractatu de Indulgentiis.

TOMUS SECUNDUS
CONTINENS

Tractatum de Officiis Hominum, ſive de humanis actionibus bonis, ac malis.



BASSANI, MDCCXC.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ALMA COLLEGE LIBRARY
239.02
P278
Alma, California

31733

INDEX

Tractatuum, Diſſertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo II. continentur.

TRACTATUS TERTIUS

DE OFFICIIS HOMINUM, SIVE DE HUMANIS ACTIONIBUS BONIS, AC MALIS.

DISSERTATIO PRIMA.

De principiis & condictionibus Generalibus actuum humanorum.

CAPUT PRIMUM.

Prælibantur ea, quæ tradit S. Thomas de ultimo fine hominis, & beatitudine.

DOCTRINA.

I. *PRoprium hominis eſt agere propter finem.* pag. 2.
II. *Ex hoc fine ſpeciem bonitatis, ac malitiæ recipiunt actus humani.* ibid.
III. *Ultimus aliquis finis humanæ vitæ admittendus; iſque unicus tantum ſit oportet.* 3.
IV. *Omnia, quæ homo appetit, appetit propter ultimum finem, ſive propter bonum.* ibid.
V. *Finis ultimus peccantis lethaliter eſt creatura, ſive bonum creatum.* 4.
VI. *Quædam notantur pro ſolutione difficultatum, quæ fieri contra poſſunt.* ibid.
VII. *Creatura, quam pro fine ultimo habet peccator, preſſe loquendo, ipſe peccator eſt, bono aliquo commutabili, quod ſibi maxime vult, perfectus.* ibid.
VIII. *Juſtus venialiter peccans, & peccator opus aliquod bonum peragens non reſpiciunt in his finem ultimum particularem, ſed generalem duntaxat, ſive communem boni rationem.* 5.
IX. *De vero ultimo fine, ſeu vera hominis beatitudine miræ inter antiquos Gentiles Philoſophos diſſenſio.* ibid.
X. *Quid ſit beatitudo? Hæc conſiſtere nequit in ullo exteriore creato bono.* ibid.
XI. *Sed neque conſiſtere poteſt in aliquo bono interiore animi, ſive in ſcientiis intellectualibus, aut virtutibus moralibus.* 6.
XII. *Doctrina S. Thomæ, qua probat, & explicat, hominem invenire nullatenus poſſe beatitudinem in ſemetipſo.* ibid.
XIII. *Solus Deus clare viſus creaturam intellectualem felicem efficere valet, atque beatam.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DIverſo modo homo agit propter finem, ac cæteræ creaturæ: nec homo ipſe ſemper* ut homo *in omnibus ſuis actibus operatur.* 7.
II. *Actiones humanæ a fine generatim recipiunt, quod morales ſint; ſpeciem vero peculiarem ab objecto, quod idem eſt, ac finis proximus, deſumunt.* ibid.
III. *Non eodem modo loqui oportet de fine operis, ac de fine operantis.* ibid.
IV. *Idem numero actus in eſſe phyſico multiplex eſſe poteſt in eſſe morali, & e converſo.* ib.
V. *Hinc eadem volitio phyſica infici poteſt pluribus ſpeciebus malitiæ.* ibid.
VI. *Quælibet actio humana ſemper ab aliquo fine ſpeciem depromit ſive operis, ſive etiam operantis.* 8.
VII. *Quamvis non omnes homines in unam, eamdemque rem determinatam tendant, tendunt tamen ſemper in ultimum finem beatitudinis.* ib.
VIII. *Etſi unius, ejuſdemque hominis plures ultimi fines eſſe nequeant, plura tamen bona ſimul juncta præſtituere ſibi poteſt velut ultimum finem.* ibid.
IX. *Rationalis creatura in hac vita determinata eſt ad beatitudinem in univerſali, non autem in particulari.* ibid.
X. *Cum de fine ultimo abſolute ſermo eſt, tum finis, quem vocant* cujus gratia, *tum quem appellant* quo, *intelligi debet.* ibid.
XI. *Errant turpiſſime tum Epicurei, tum Muhamedani, beatitudinem hominis in voluptatibus ſenſilibus conſtituentes.* ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT III.

De Officiis, ſive Actibus hominum voluntariis.

DOCTRINA.

I. *PRæloquium S. Thomæ.* 9.
II. *Voluntarii definitio, & explicatio.* 10.
III. *Voluntarii diviſio.* ibid.

 IV.

IV. Quædam circa voluntarium tacitum adnotantur. ibid.
V. Voluntarii indirecti exactior diſcuſſio. 11.
VI. Declaratur exemplis, haud ſemper effectus, qui ex aliqua cauſa conſequuntur, eſſe indirecte voluntarios. ibid.
VII. Exempla aliqua indirecte voluntarii proponuntur. 12.
VIII. Regulæ quædam traduntur pro voluntario indirecte dignoſcendo. Regula prima: Expendere oportet, quam frequenter effectus ex cauſa ſequatur. 13.
IX. Regula ſecunda: Quo pernicioſior effectus eſt, eo minus frequenter ex cauſa ſequatur oportet. ib.
X. Regula tertia: Qualitas motivi ponendi cauſam, ſive actionem conſideranda eſt, ut cognoſcatur, num effectus indirecte ſit voluntarius. ibid.
XI. Regula quarta: Neceſſe eſt, ut cauſa non ponendi actionem juſta ſit. ibid.
XII. Regula quinta: Cauſa debet eſſe juſta comparative ad effectum. ibid.
XIII. Regula ſexta: Modus, quo cauſa in effectum influit, attendendus. 14.
XIV. Regula ſeptima: Quædam S. Thomæ doctrina cum debita cautione accipienda. ibid.
XV. Regula octava: Etiam effectus mali, qui ex ignorantia, aut infirmitate hominum conſequuntur, præcavendi ſunt. ibid.
XVI. Regula nona: Non idem ſentiendum de malis effectibus, qui ſequuntur ex mera hominum malitia. ibid.
XVII. Regula decima: Etiam tamen in iſtis cauſa aliqua rationabilis ponendi actionem requiritur. ibid.
XVIII. Regula undecima: Ne malus effectus indirecte voluntarius ſit, adeoque culpabilis, neceſſe eſt, ut cauſa juſta, quæ ſubeſt, ad actionem ponendam, hic & nunc voluntatem ad agendum inducat. 15.

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. Voluntarium preſſe dictum in brutis non invenitur. 15.
II. Voluntarium cum libero confundi minime debet. 16.
III. Ad omiſſionem voluntariam exigitur aliquis actus, ſaltem qui cauſa ſit, aut occaſio illius. Textus S. Thomæ proponitur. ibid.
IV. Diſtinguenda eſt omiſſio voluntaria a culpabili: ſicut etiam omiſſio ab omiſſionis effectu. ibid.
V. Præpoſtera conſecutio ab aliquibus illata ex quadam S. Thomæ doctrina. 17.
VI. Cujuſdam Authoris ſententia veluti plus æquo rigidior repudiata. ibid.
VII. Circa concupiſcentiæ motus impediendi obligationem, diſcernere oportet inter cauſas, & cauſas eorumdem. ibid.
VIII. Voluntarii indirecte reputandi ſunt, dum cauſas illorum ponimus abſque juſto, & rationabili motivo. ibid.
IX. Indirecte voluntaria cenſeri Medico, aut Chirurgo debet mors infirmi ſibi commiſſi, dum contingit ex illorum negligentia in eo curando. ibid.
X. Idem aſſerendum de damnis clienti obvenientibus ignorantia Advocati, vel Judicis. ib.
XI. Idem quoque de relapſu in priora peccata, qui contingit pœnitenti, ſe ſubjicere renuenti remediis a prudenti Confeſſario præſcriptis. ib.
XII. Peccatum mortale vult indirecte, qui illud committendi proximæ ſe occaſioni committit. 18.
XIII. Prægnantes mulieres ſpeciali obligatione tenentur ad ea præcavenda, ob quæ abortus periculum impendet. ibid.
XIV. Aliena ebrietas ſæpe tamquam indirecte voluntaria Cauponibus imputatur. ibid.
XV. Falſa exiſtimanda eſt quorumdam opinio haud majorem malitiam effectui indirecte volito tribuentium, quam quæ convenit cauſæ. ibid.
XVI. Ad actum virtutis voluntarium indirectum minime ſufficit. ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT V.

De Cauſis Involuntarii.

Doctrina.

I. Quædam de involuntario præmittuntur. 20.
II. De prima involuntarii cauſa, ſcilicet violentia. Voluntas non in actibus a ſe elicitis, ſed imperatis duntaxat violentiam pati poteſt. ibid.
III. Violentia ſimpliciter, & abſolute talis involuntarium cauſat. ibid.
IV. De altera involuntarii cauſa, nempe metu. Diſtinctio metus expoſita. ibid.
V. Quæ fiunt ex metu, mixta ſunt ex voluntario, & involuntario. Doctrinæ explicatio. 21.
VI. In iis, quæ ſuapte natura prava ſunt, nullus metus excuſat. ibid.
VII. Validi ſunt contractus ex metu initi, ſolo naturæ jure ſpectato. ibid.
VIII. Contractus metu extorti, ac juramento firmati ſervandi ſunt. 22.
IX. Etiam jure poſitivo validi ſunt contractus ex metu celebrati, iis exceptis, quos jus idem irritos ſtatuit, aut declaravit. ibid.
X. Contractus per metum gravem injuſte incuſſum extorti, juramento non firmati, reſcindi probabiliter poſſunt in foro conſcientiæ. ibid.
XI. Contractus nonniſi ex levi metu celebrati validi ſunt tum attento jure naturali, tum etiam poſitivo. 23.
XII. De tertia cauſa involuntarii, ſcilicet concupiſcentia. Quid hic concupiſcentiæ nomine intelligendum veniat. ibid.
XIII. Duplicem concupiſcentiam diſtinguere oportet, antecedentem, & conſequentem. De hac quæſtio nulla. ibid.
XIV. Concupiſcentia potius facit voluntarium, quam cauſet involuntarium. ibid.
XV. In hoc, de quo agimus, argumento voluntarium cum libero confundendum non eſt. ib.
XVI. Concupiſcentia antecedens culpæ rationem diminuit: conſequens autem potius aggravat. 24.

XVII. De quarta involuntarii cauſa, ſcilicet ignorantia. Qua ratione involuntarium cauſet. Triplicis ignorantiæ diviſio recolenda. ibid.
XVIII. Ignorantia conſequens, quæcunque ea ſit, nunquam excuſat involuntarium. ibid.
XIX. Iſtud duntaxat cauſatur ab ignorantia antecedente. ibid.
XX. Ignorantia eo modo, quo cauſat, vel non cauſat involuntarium, cauſat etiam, vel non cauſat peccatum. Doctrina S. Thomæ propoſita. 25.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. Deus, dum voluntatem ad aliquid inclinat, numquam ipſi violentiam infert. 26.
II. Duplex modus, quo Deus voluntatem hominis inclinat, & movet citra ullam violentiam. ib.
III. Potentiæ, aut facultates humanæ a voluntate diſtinctæ violentiam patiuntur, quoties contra ipſius voluntatis inclinationem agere compelluntur. ibid.
IV. Perperam Chriſtianus Thomaſius communem improbat Theologorum doctrinam, voluntatem pati coactionem non poſſe quoad actus a ſe elicitos. ibid.
V. In actibus mere violentis non invenitur nec meritum, nec demeritum. 27.
VI. Violentia illata debet eſſe talis ſimpliciter, & abſolute, ne ad culpam adſcribantur actus peccaminoſi ex violentia provenientes. ibid.
VII. Falſa, & omnino repudianda eſt circa hoc Cornelii a Lapide, aliorumque Theologorum doctrina. ibid.
VIII. Qui per vim abſolutam ad Baptiſmum recipiendum cogitur, invalide baptizatus eſt. ib.
IX. Non idem dicendum de iis, qui terroribus, aut ſuppliciis ad ſuſcipiendum Baptiſma permoventur. ibid.
X. Diſcrimen eorum, quæ aguntur per metum, & per vim. ibid.
XI. Non eodem modo metus, & violentia involuntarium cauſant. ibid.
XII. Quæ ex metu fiunt, quomodo voluntaria, & involuntaria ſint. 28.
XIII. Hinc dolor peccatorum etiam ex gehennæ metu conceptus ſatis ſe ſolo non eſt ad ſinceram peccatoris converſionem. ibid.
XIV. Peccata ex gravi metu commiſſa minus gravia reputanda ſunt. ibid.
XV. Concupiſcentiæ motus ordinarie voluntarii ſunt, ac peccata. De his S. Thomæ doctrina. ib.
XVI. Quæ diſtinguenda ſint in hiſce motibus, ut dignoſcamus, quinam involuntarii, quinam autem voluntarii, & culpabiles ex eodem S. Doctore. ibid.
XVII. Ejuſdem Angelicæ Doctrinæ explicatio. 29.
XVIII. Concupiſcentia, ſive paſſio nunquam voluntatem ad peccandum pertrahit, quin ſit error aliquis, aut inconſideratio in intellectu. ib.
XIX. Qui ex voluntario amore carnali in inſaniam incidunt, non excuſantur a peccato. ibid.
XX. Præſumendum communiter eſt peccare lethaliter, qui ex impetu paſſionis ad aliquem externum actum graviter peccaminoſum procedit. ib.
XXI. Quæ de cauſalitate ignorantiæ relate ad voluntarium, & peccatum docet S. Thomas, attente conſideranda ſunt. 30.
XXII. Ignorantia voluntaria nedum ratione actus, ſed etiam omiſſionis diligentiæ debitæ peccatum eſt. ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT VII.

De Libertate Voluntatis Humanæ, actuumque noſtrorum œconomia.

DOCTRINA.

I. Hominem libero eſſe arbitrio præditum vel ſolo intimo cujuſque ſenſu invicte demonſtratur. 31.
II. Humanæ libertatis proxima radix in judicio intellectus non ad unum determinato, ſed ad multa indifferente conſiſtit. 32.
III. Humana libertas non in ſola immunitate a coactione, verum etiam a quacunque neceſſitate ponenda, dum homo viator eſt. ibid.
IV. Nullum huic libertati præjudicium infert Deus efficaci ſua motione. ibid.
V. In harmonia humanorum actuum prior eſt ſimplex cognitio finis, cui ſimplex finis volitio reſpondet. 33.
VI. Simplicem volitionem pone ſequitur efficax intentio finis, quæ ipſum reſpicit ut per media aſſequendum. ibid.
VII. Huic ſuccedit Conſilium, quo media inquiruntur ad finem conſequendum idonea, de eorumque convenientia judicatur. ibid.
VIII. Conſilii inquiſitioni, atque judicio accedit conſenſus voluntatis, quo propoſita media approbantur, & acceptantur. 34.
IX. Conſenſui proxima eſt electio mediorum, qua voluntas unum præ alio acceptat in ordine ad aſſequendum finem magis idoneum. ibid.
X. Electionis comes eſt imperium, quod mediorum executionem efficaciter imperat. ibid.
XI. Uſus activus voluntatis præterea admittendus eſt, qui media reſpicit ut præſentia, & ad executionem per alias potentias deducenda. ib.
XII. Œconomiam demum humanorum actuum concludit, ac perficit aſſecutio, ſive fruitio finis, quæ vel imperfecta eſt, & inchoata, vel perfecta, & conſummata. ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. Qui libertatem humani arbitrii negant, tamquam exitioſiſſimi totius Religionis, ac Politiæ hoſtes habendi. 35.
II. Fidei Chriſtianæ repugnat ſententia, quæ tradit, humani arbitrii libertatem quoad bonum, & malum extinctam fuiſſe in Adamo peccante. ibid.
III. Non minus reprobanda eſt tertia illa inter quinque propoſitiones Janſenio tributas. Ad
me-

merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. 36.

IV. *Neque tamen propterea talis in homine admittenda libertas eſt, ut poſſit ſine gratia quidpiam agere ſalutare in ordine ad vitam æternam.* ib.

V. *Nullus datur actus voluntatis ſine aliquo actu intellectus. Quorumdam Myſticorum legitimus ſenſus exponitur.* ibid.

VI. *Intentio finis non ideo in Scripturis denominatur* oculus, *quia ad intellectum pertineat, ſed quia cognitionem præſupponit.* ibid.

VII. *In mediorum electione maxime effulget voluntatis libertas.* ibid.

VIII. *Electio non eſt, niſi eorum, quæ per nos aguntur, & finem reſpiciunt.* ibid.

IX. *Voluntas inefficax, ſive* velleitas *poteſt eſſe nedum poſſibilium, verum etiam impoſſibilium. Sed* electio *nonniſi poſſibilium eſt.* 37.

X. *Homo non eligit ex neceſſitate, ſed libere; libertate tum quoad* exercitium, *tum etiam quoad* ſpecificationem. ibid.

XI. *Serio advertere debent homines, quid proprie ſit voluntatis* conſenſus, *& in quo conſiſtat.* ib.

XII. *Ut conſenſus ad culpam imputetur, neceſſe non eſt, ut ſit* expreſſus, *ſed ſufficit* implicitus. ib.

XIII. *Solo creato bono* uti *licet, non autem increato.* 38.

XIV. *Quibus bonis creatis uti poteſt voluntas, declaratur.* ibid.

XV. *Voluntas tum intellectui, tum propriis actibus imperare valet, atque etiam actibus ſentientis appetitus, ſed non eodem modo.* ibid.

XVI. *Quemadmodum* uti *non debemus niſi bonis creatis, ita* frui *non licet niſi bono increato, quod Deus eſt.* ibid.

Reflexio. ibid.

CAPUT IX.

De bonitate, & malitia actuum humanorum, ſive moralium in genere.

Doctrina.

I. *Moralitas neque in voluntario, & libero, neque in imputabilitate ſtatuenda eſt, ſed in ſubjectione actuum humanorum ad morum regulas.* 40.

II. *Specifica humanorum actuum moralitas ab objecto deſumitur.* ibid.

III. *De circumſtantiis agitur actuum humanorum. Hæ a Theologis maximopere conſiderandæ.* ib.

IV. *Circumſtantiæ deſcribuntur, earumque ſenſus legitimus explicatur.* ib.

V. *Harum ordo, ac præeminentia notatur.* 42.

VI. *Ex iis ſumitur peculiaris bonitas, aut malitia actionum humanarum.* ibid.

VII. *Quædam ſpecialiter obſervantur de circumſtantia* finis, *quæ inter cæteras præcipua eſt.* ib.

VIII. *Numquam actio, quantumvis ex objecto bona, talis revera eſt, ſi ex circumſtantia aliqua, ac præſertim ex fine operantis mala fuerit.* ib.

IX. *Dantur actus ſecundum ſpeciem ſuam nec boni, nec mali, ſed indifferentes.* 43.

X. *Nullus tamen humanus actus in individuo, ut ajunt, indifferens eſt, ſed aut bonus, aut malus.* ibid.

XI. *Celebris in primis ad hoc probandum affertur authoritas Chriſti Domini de* verbo otioſo, *de quo reddendam a nobis rationem eſſe admonet.* ibid.

XII. *Genuina interpretatio* verbi otioſi *adverſus aliquos Neotericos aſſeritur, & vindicatur authoritate Sanctorum Patrum.* ibid.

XIII. *Ratio S. Thomæ poſitam aſſertionem confirmat.* ibid.

XIV. *Eadem evidenter colligitur ex duabus propoſitionibus ab Eccleſia in hac materia damnatis.* 44.

XV. *Præceptum referendi actus noſtros in finem honeſtum naturale eſt, ſive in principiis naturæ fundatum.* ibid.

XVI. *Quæſtio alia tractanda ſumitur, num obligatio ſit referendi actiones noſtras in finem ultimum Deum. Sententia affirmans ad Apoſtolicam Sedem delata cenſura omni immunis evaſit.* ib.

XVII. *Eamdem alii viri eximii, & celeberrimi Epiſcopi tradiderunt, damnaruntque, qui ipſi erroris notam inurere auſi ſunt.* 45.

XVIII. *Hæc ſententia explicatur juxta doctrinam S. Thomæ.* ibid.

XIX. *Obligatio referendi actiones omnes deliberatas in Deum conformior eſt Scripturæ locutionibus, maximeque Apoſtoli ſententiæ:* Sive manducatis &c. omnia in gloriam Dei facite. ibid.

XX. *Interpretatio hujus textus SS. Patrum traditione firmata.* 46.

XXI. *Alius Apoſtoli textus in eamdem rem allatus, & Patrum teſtimonio roboratus.* ibid.

XXII. *S. Thomæ doctrina huic ſententiæ plane conformis latius expoſita: ex qua firma ratio colligitur in ejus confirmationem.* 47.

XXIII. *Altera ratio deducta ex ordine ſupernaturali, ad quem homo provectus eſt.* ibid.

XXIV. *Diluitur objectio, qua Adverſarii hanc ſententiam Bajaniſmi fuligine conantur adſpergere.* ibid.

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa eſt Puffendorfii ſententia moralitatem actuum humanorum in* imputativitate *conſtituentis.* 49.

II. *Non minus falluntur ii Theologi, qui moralitatem ponunt in arbitrii libertate ad agendum, aut non agendum.* ibid.

III. *Hæretica eſt opinio Lutheri, atque Calvini putantium, omnia etiam juſtorum opera peccata eſſe in ſeipſis conſiderata.* ibid.

IV. *Nullius ponderis ſunt ab iis producta ex ſacris Litteris authoritates.* ibid.

V. *Perfecta circumſtantiarum cognitio Confeſſariis maxime neceſſaria.* ibid.

VI. *Circumſtantiæ, ut bonitatem actionibus, aut malitiam tribuant, ordinem ad humanam rationem habere debent.* ibid.

VII. *Circumſtantiæ malitiam actui non tribuunt, niſi*

niſi eidem adeſſe, vel ab eo abeſſe debuerint. 50.
VIII. Aliquando circumſtantiæ in ſpecie boni, vel mali actionem conſtituunt. ibid.
IX. Non inducunt peccatorum diverſitatem ſpecificam, niſi objectum ſpecie diverſum reſpiciant. ib.
X. Licet finis actionis bonus ſit, ſi objectum, aut alia circumſtantia ſit mala, tota actio mala eſt. ibid.
XI. Hinc a via veritatis longe abeunt Eſcobarius, Hurtado, aliique, qui actiones ex ſe malas honeſtant intentione boni finis. ibid.
XII. Solido fundamento caret eorum ſententia, qui eamdem actionem ſimul bonam, & malam eſſe poſſe contendunt. ibid.
XIII. Plura in divino judicio tamquam otioſa, & culpabilia damnabuntur, quæ interdum etiam laude digna apud homines judicantur. 51.
XIV. Rejiciendi ſunt nonnulli moderni Theologi, qui aliam ab ea, quam Patres tradidere, verborum, & operum otioſorum notionem ingerere moliuntur. ibid.
XV. Expreſſe damnata cenſenda eſt doctrina quorumdam maxime ex Societate Scriptorum, qui omni peccati labe purgant actiones plures ob ſolam voluptatem elicitas eo motivo, quod naturalis appetitus licite ſuis actibus frui poſſit. ib.
XVI. Propoſitionum ab Eccleſia de hac re damnatarum ſenſum legitimum pervertit potius, quam explicet P. Dominicus Viva. 52.
XVII. Non minus erronea reputanda eſt exceptio ab eodem Authore facta quorumdam actuum, quamquam ob ſolam voluptatem exerceantur. ibid.
XVIII. Quare generatim, & abſolute dicendum eſt in Decreto condemnationis virtualiter, & implicite contineri damnationem ſententiæ admittentis actus in individuo indifferentes. ibid.
XIX. Nedum immoderatus, ſed etiam moderatus voluptatis, aut delectationis amor propter ſe quæſitæ illicitus eſt. ibid.
XX. Idcirco admittenda non ſunt ut veritati, & rectitudini conſentanea omnia illa motiva, quibus permulti ex recentioribus omni culpa etiam veniali purgant legitimi matrimonii uſum. 53.
XXI. Peculiari vigilantia opus eſt in electione rerum delectabilium. ibid.
XXII. Nedum quærere minime licet propter ſe voluptatem, aut delectationem, ſed nec etiam alium finem ab honeſto diverſum. ibid.
XXIII. Homo Chriſtianus opera ſua efficere debet propter finem Chriſtiano homine dignum, ſive ad honorem, & gloriam Dei. ibid.
XXIV. Nonniſi temeritate ſumma quidam Authores damnare audent hanc doctrinam veluti erroneam, & ab Eccleſia proſcriptam. ibid.
XXV. Inſtruendi Fideles ſunt, & efficaciter hortandi, ut quotidie opera ſua in Dei gloriam referant. ibid.
XXVI. Hæc autem in Deum referibilia eſſe neceſſum eſt. 54.
XXVII. Ex tradita doctrina nemo colligere debet gravari nimium, & ſcrupulis implicari fidelium conſcientias. ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT XI.

De bonitate, & malitia in particulari actuum voluntatis tum interiorum, tum exteriorum.

DOCTRINA.

I. Duplex complacentia ſimplex, aut delectatio diſtinguitur. 56.
II. Non omnis complacentia, aut delectatio etiam ſentientis appetitus mala dicenda eſt. ibid.
III. In appetitu ſentiente nulla poteſt eſſe delectatio prava, niſi dependenter a voluntate. 57.
IV. Delectatio moroſa pravi objecti proprie in ratione eſt. ibid.
V. Lethale peccatum eſt, poſita materiæ gravitate. 58.
VI. Dum imminet probabile conſentiendi periculum in pravam delectationem, non poteſt quis negative ſe habere, quin graviter peccet. ibid.
VII. Graviter etiam peccat, qui motum, aut delectationem graviter illicitam repellere negligit. 59.
VIII. Præſens delectatio de re, aut actione modo illicita prava eſt, quamvis aut licita quandoque fuerit, aut futura ſit. ibid.
IX. Quodlibet, etiam inefficax, deſiderium rei graviter malæ grave ſemper peccatum eſt. ibid.
X. Deſiderium conditionatum rei, aut actionis pravæ nonnumquam malitia caret, ſæpius tamen peccatum eſt. 60.
XI. Si conditio appoſita deſiderio inefficaci rei vetitæ ejuſdem malitiam auferat, illud de ſe non eſt mortale: ſecus, ſi non auferat. ibid.
XII. Peccatum lethale eſt delectari de opere natura ſua malo, quamvis abſque peccato commiſſum ſit. ibid.
XIII. Quoties intentio finis antecedenter ſe habet, bonitas voluntatis in iis, quæ ſunt ad finem, ex ipſa intentione dependet. 61.
XIV. Minime vero, ſi conſequenter ſe habeat. ib.
XV. Finis operantis haud ſemper eſt circumſtantia operis. ibid.
XVI. Non eadem ratio habenda eſt de intentione boni, ac mali, quoad meritum, & demeritum. ib.
XVII. Si actus exterior, & interior ſimul jungantur, eadem eſt tum ſpecie, tum numero bonitas, aut malitia. 62.
XVIII. Actus exterior nihil addit ad bonitatem, vel malitiam interioris, quoties eam deſumit ex fine operantis. ibid.
XIX. Abſolute loquendo exterior actus nullam addit bonitatem, aut malitiam interiori, quoties voluntas perfecta omnino eſt, & efficax. ibid.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. Motus, aut penitus indeliberatæ delectationes concupiſcentiæ peccata proprie dicenda non ſunt. 64.
II. Hæc veritas certa fide tenenda eſt nedum adverſus nuperos hæreticos, ſed etiam adverſus quoſcumque alios, qui aliter ſenſerunt. ibid.

III. *Gravis, aut levis inordinatio moroſæ delectationis ex gravitate, aut levitate objecti attendenda.* ibid.

IV. *Complacentia, ſeu delectatio deliberata nedum de rebus venereis, ſed etiam de aliis objectis prohibitis, lethale peccatum eſt.* ibid.

V. *Caute ſe gerere quiſque debet in delectationibus de ſola cogitatione rei pravæ.* ibid.

VI. *Delectatio eadem malitia polluitur, qua ſordet objectum.* ibid.

VII. *Ad eamdem peccati ſpeciem reducitur delectatio, aut ſimplex complacentia, ad quam pertinet ipſum opus.* ibid.

VIII. *Non idem aſſerendum de delectatione eorum, quæ ſolo jure poſitivo prohibita ſunt, ac de prohibitis jure naturali.* 65.

IX. *Species mali, de qua quiſque delectatus eſt, in Confeſſione eſt aperienda.* ib.

X. *In delectationibus, & deſideriis inefficacibus rei malæ quædam S. Thomæ doctrina ſerio ab omnibus attendenda.* ibid.

XI. *Quænam ex tradita doctrina conſequantur.* ib.

XII. *Rejicienda propterea ſententia Buſembaum, aliorumque, quos laudat, quoad deſideria inefficacia.* ibid.

XIII. *Quædam de his propoſitiones jure meritoque ab Eccleſia damnatæ.* 66.

XIV. *P. Lacroixii ſententia rejecta.* ibid.

XV. *Increpandæ mulierculæ ſæpe in deſideria inefficacia rei malæ prorumpentes.* ibid.

XVI. *Alia quædam propoſitio quorumdam Caſuiſtarum ab Eccleſia meritiſſime proſcripta.* ibid.

XVII. *Ex hac proſcriptione ſequitur falſitas, & improbabilitas alterius univerſalioris doctrinæ.* ibid.

XVIII. *Improbanda quoque eſt alia a Tamburino aſſerta propoſitio.* 67.

Reflexio. ibid.

DISSERTATIO SECUNDA.

De virtutibus moralibus, vitiiſque oppoſitis.

CAPUT PRIMUM.

De virtutibus in genere quædam prælibantur.

DOCTRINA.

I. *Definitio virtutis ex SS. Thoma, & Auguſtino.* 68.

II. *Plures virtutis diviſiones aſſignantur, & exponuntur.* 69.

III. *Quid ſit virtus heroica, & in quo conſiſtat.* 70.

IV. *De origine moralium virtutum. Harum inchoatio quædam in homine eſt attenta natura tum* ſpeciei, *tum* individui. ib.

V. *At in ratione* virtutis *non comparantur niſi operum aſſuetudine, labore, ſtudio, & induſtria.* 71.

VI. *De ſubjecto virtutum. Tres in animo noſtro partes diſtinguuntur; ſuprema, media, & infima.* ibid.

VII. *Quæ tribus hiſce partibus virtutes conveniant, explicatur.* ibid.

VIII. *Hiſce omnibus partibus ſuæ tribuuntur virtutes, quibus inſident.* 72.

IX. *Appoſita S. Thomæ obſervatio.* ib.

X. *De medio, in quo virtus conſiſtit. Multiplex medium diſtinguitur.* ibid.

XI. *Medium per ſe non habent Theologicæ virtutes.* 73.

XII. *Ex parte tamen noſtra regula, & menſura etiam his virtutibus præfigitur; &* per accidens *medium habent.* ibid.

XIII. *De mutua virtutum connexione, & harmonia. Hac procul omni dubio prærogativa gaudent virtutes ſupernaturales.* 74.

XIV. *Obvia quædam objectio ex verbis S. Thomæ ſoluta.* ibid.

XV. *Virtutes quoque morales acquiſitæ in ſtatu perfecto conſideratæ connexæ invicem ſunt.* ib.

XVI. *De virtutum perfectione, quæ haberi in hac vita poteſt. Elegans S. Thomæ doctrina præmiſſa.* ibid.

XVII. *Pelagianorum error de hac perfectione a S. Hieronymo confutatus.* 75.

XVIII. *Confutavit eumdem etiam S. Auguſtinus.* ib.

XIX. *Tria Decreta ab Eccleſia in Concilio Africano edita adverſus hujuſmodi errores.* ibid.

XX. *Præcipuum Catholici dogmatis fundamentum ab Auguſtino propoſitum, & a S. Thoma illuſtratum.* 76.

XXI. *Alia de eodem argumento Sancti Thomæ doctrina.* ibid.

XXII. *Cujus generis, & conditionis dicenda ſit impoſſibilitas non peccandi homini conveniens in hac vita mortali.* 77.

XXIII. *Pauca quædam attinguntur de Donis Spiritus Sancti.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quo ſenſu accipiendæ ſint ſententiæ S. Auguſtini virtutem per amorem definientis.* 78.

II. *Proprium virtutis ſubjectum mens eſt, ſive ratio.* ibid.

III. *Diverſa plane ſunt virtutum ſemina, quæ ab Eccleſiæ Patribus admittuntur in homine, ab iis, quæ admiſſa fuerunt a Caſſiano, & Semipelagianis.* ibid.

IV. *Egregia S. Thomæ doctrina, qua difficultates diluuntur ad virtutum moralium connexionem pertinentes.* ibid.

V. *Virtutes acquiſitæ non ſunt ſimpliciter, & abſolute virtutes, ſi cum charitate non jungantur, eas ad Deum ultimum finem ordinante.* 79.

VI. *Veroſimilior, & omnino tenenda ſententia eſt, quæ præter fidem, ſpem, & charitatem, alias virtutes infuſas agnoſcit.* ibid.

VII. *Virtutum connexio non exigit, ut ſancti viri in omnibus virtutibus æque præfulgeant.* ibid.

VIII. *Quam merito ab Eccleſia damnatæ ſint plures propoſitiones Michaelis de Molinos, quoad virtutum perfectionem ab ipſo invectam.* ibid.

IX. *Jure quoque, ac merito aliæ proſcriptæ ſunt*

de eodem argumento Franciſci de Fenelon propoſitiones. 80.

X. *Homini in hac vita degenti tribuenda nunquam eſt* apathia, *& impeccantia.* ibid.

XI. *Quantalibet perfectione donetur homo, ſemper tamen indiget oratione, jejunio, carniſque, ac paſſionum mortificatione.* ibid.

XII. *Licet nec in tota vita, nec aliquo diuturno tempore peccatum omne leve, ac veniale præcaveri queat; pro aliquo ſaltem brevi tempore ab illo abſtinere poſſumus.* ibid.

XIII. *Hæc immunitas ab omni etiam levi peccato per totam vitam privilegium ſpecialiſſimum eſt Deiparæ Virgini a Deo conceſſum.* 81.

Reflexio. ibid.

CAPUT III.

De Prudentia.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit prudentia?* 82.

II. *Officia, ſive actus prudentiæ.* 83.

III. *Fines, ad quos prudentia dirigit, alii generales, alii particulares.* ibid.

IV. *De partibus prudentiæ integralibus. Prima eſt* præteritorum memoria. ibid.

V. *Secunda* intelligentia, *ſive intellectus. Tertia* providentia. ibid.

VI. *Quarta* docilitas. *Quinta* ſolertia. ibid.

VII. *Sexta* ratio. *Septima* circumſpectio. ibid.

VIII. *Octava demum* cautio, *ſive conſideratio malorum, & impedimentorum, quæ occurrere poſſunt.* 84.

IX. *De partibus prudentiæ ſubjectivis; ac primum de prudentia* regnativa. ibid.

X. *De prudentia* politica. ibid.

XI. *De prudentia* œconomica, *&* militari. ib.

XII. *De vitiis, quæ prudentiæ opponuntur.* ib.

XIII. *De aſtutia.* 85.

XIV. *De dolo & fraude.* ibid.

XV. *De nimia rerum temporalium ſollicitudine.* ib.

XVI. *De immoderata ſollicitudine futurorum.* 86.

CAPUT IV.

CONSECTARIA.

I. *Prudentia recte comparatur ad ſynderesim, ſive habitum primorum principiorum practicorum, ſicut ſcientia ad intellectum principiorum ſpeculabilium.* 86.

II. *Providentia inter omnes prudentiæ partes integrales principatum obtinet.* 87.

III. *Quum impoſſibile ſit homini in hac vita mortali conſtituto præcavere omnia mala, quæ contingunt, ad hoc homo non tenetur ex virtute, ac præcepto.* ibid.

IV. *Prudentiæ proprium eſt, cavere nedum a vitiis, & a peccati occaſionibus, ſed etiam ab hominibus, quorum probitas non eſt perfecta.* ibid.

V. *Ad prudentiam maxime pertinet cavere a falſis Magiſtris, & conſcientiæ Directoribus laxas doctrinas tradentibus.* ibid.

VI. *Virtus* regnativa *convenientius ponitur prudentia, quam juſtitia.* ibid.

VII. *Quamquam multi peccatores, & impii providi ſint in gubernatione propriæ familiæ, non eſt tamen in eis admittenda illa prudentia, quæ dicitur* œconomica. 87.

VIII. *Prudentia carnis, fraus, dolus &c. ex avaritia potiſſimum originem trahunt.* ibid.

Reflexio. ibid.

CAPUT V.

De virtute Juſtitiæ.

DOCTRINA.

I. *Definitio juſtitiæ tum univerſim, tum ſpecialiter conſideratæ.* 89.

II. *Expoſitio juris, quod eſt objectum juſtitiæ, & a quo nomen deſumit.* ibid.

III. *Non uno, eodemque modo tria expoſita jura juſtitia reſpicit.* ibid.

IV. *Aliæ diviſiones juris, quas juſtitia intactas cuſtodit.* ibid.

V. *Ex his bonitas traditæ definitionis eniteſcit.* 90.

VI. *Species, ſive partes juſtitiæ aſſignantur, & explicantur; ac primum quid ſit juſtitia* legalis. ibid.

VII. *Quid juſtitia* diſtributiva, *&* commutativa. ibid.

VIII. *Ex his facile conſtat, quid ſit* injuſtitia, *quæ juſtitiæ opponitur.* 91.

IX. *Varii modi, quibus injuſtum committi poteſt.* ib.

X. *Nullus patitur injuſtum volens. Quo ſenſu hoc intelligendum veniat.* ibid.

CAPUT VI.

CONSECTARIA.

I. *Quo ſenſu S. Auguſtinus juſtitiam vocat* amorem Deo ſervientem. 92.

II. *Nedum primarius, ſed etiam ſecundarius juſtitiæ actus in ipſius definitione comprehenditur.* ibid.

III. *Neceſſe eſt juſtitiam ſemper eſſe* ad alterum. ib.

IV. *Juſtitia* legalis *veram habet, ac propriam juſtitiæ rationem.* ibid.

V. *Juſtitia* legalis, *quæ reperitur in Principe, ejuſdem ſpeciei eſt, ac ea, quæ reperitur in ſubditis.* ibid.

VI. *Juſtitia particularis, ſive* diſtributiva *ſit, ſive* commutativa, *propriam habet, ac peculiarem materiam in actionibus exterioribus poſitam.* 93.

VII. *Hinc juſtitia per ſe, & primario non verſatur circa paſſiones.* ibid.

VIII. *Juſtitiæ medium non eſt* rationis, *ſed* rei. ibid.

IX. *Juſtitia nedum* legalis, *ſed etiam particularis præeminent cæteris virtutibus moralibus, quæ ſedem habent in appetitu ſentiente.* ibid.

X. *Speciale peccatum contra juſtitiam* legalem *non eſt quidquid vitioſum agitur, niſi fiat ex contemptu boni communis, vel intentione illud violandi.* ibid.

XI. *Unde injuſtitia illegalis ſpeciale quidem peccatum eſt ſecundum eſſentiam: generale vero ſecundum intentionem operantis.* ibid.
XII. *Quamvis non improbabile ſit Virgini injuriam non inferri, dum ſciens ac volens in ſtuprum conſentit: oppoſita tamen ſententia probabilior eſt.* 94.
XIII. *Injuriam patitur tum qui nummos uſurario ſolvit, tum qui pecuniam latroni mortem comminanti tribuit; licet uterque libere hoc faciat.* ibid.
XIV. *Injuſtitia ex genere ſuo lethale peccatum eſt; & ſolum ex parvitate materiæ veniale.* ibid.

CAPUT VII.

De judicio, prout actus juſtitiæ eſt.

DOCTRINA.

I. *JUdicii, quo de agitur, definitio.* 94.
II. *De conditionibus, quæ ad juſtum judicium requiruntur.* ibid.
III. *An lethaliter peccet Judex in peccato mortali ſententiam pronuncians. Doctrina S. Thomæ.* 95.
IV. *Quænam ex data doctrina colligantur.* ibid.
V. *De judicio ex ſuſpicione profecto. Quid ſit ſuſpicio: quinam ejus gradus.* 96.
VI. *Suſpicio quo ſenſu peccatum lethale ſæpe ſit.* ib.
VII. *Quid de hoc reapſe ſenſerit S. Thomas, oſtenditur.* ibid.
VIII. *Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt.* 97.
IX. *Hujus doctrinæ amplior explicatio.* ibid.
X. *In judicio publico ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico juxta leges ſcriptas judicandum eſt.* ibid.
XI. *Sententia judicis injuſta valorem non habet in foro conſcientiæ.* 98.
XII. *De judicio perverſo propter judiciariæ authoritatis uſurpationem.* ibid.
XIII. *Dirimitur controverſia de legibus, ac judiciis Tyrannorum, ſive in* regimine, *ſive in* titulo *ejuſmodi ſint.* 99.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA.

I. *QUoties in judicando violatur juſtitia, ſive æqualitas, judicium injuſtum eſt, nullumque jus alteri tribuit.* 99.
II. *Dum in judicio ſervatur æqualitas, nunquam peccatur contra juſtitiam.* 100.
III. *Licet agere in judicio contra raptorem, quin Chriſti ſententiæ repugnemus.* ibid.
IV. *Error Wiclephi eſt aſſerere, ſententiam Judicis in peccato mortali exiſtentis nullius eſſe roboris, & authoritatis.* ibid.
V. *Suſpicio, & judicium temerarium peccata ſunt juſtitiæ oppoſita.* ibid.
VI. *Non obligant tamen ad reſtitutionem proprie acceptam.* ibid.
VII. *Quoties ſufficientes cauſæ ſuppetunt ſive ad ſuſpicandum, ſive ad judicandum, nullum judicium, aut ſuſpicio peccatum important. Quænam leves, quænam graves, ac ſufficientes cauſæ exiſtimandæ ſint.* ibid.
VIII. *Oportet attente diſtinguere cogitationes, quæ ſæpe in mentem incidunt de alterius malo, a ſuſpicione veri nominis.* 101.
IX. *Vir timoratæ conſcientiæ regulariter metuere non debet de conſenſu præſtito cogitationibus judicium de proximi probitate ſpectantibus.* ibid.
X. *Falſa dicenda eſt Cajetani ſententia, ſuſpicionem quantumvis temerariam nunquam eſſe mortale peccatum.* ibid.
XI. *Materia* gravis, *circa quam verſatur ſuſpicio, aut judicium temerarium, per ſe eſt peccatum mortale*: per accidens *autem eſt materia levis peccati.* ibid.
XII. *Interdum, attentis circumſtantiis, ipſum peccatum veniale objectum eſt judicii temerarii graviter mali.* ibid.
XIII. *Semper ſuppetit ſufficiens cauſa interpretandi dubia in meliorem partem.* 102.
XIV. *In cauſis eccleſiaſticis beneficiorum nulla ſententia injuſta vim habet in foro conſcientiæ.* ib.
XV. *Bona fides in omnibus cauſis non ſuffragatur in conſcientia, ſi injuſta ſit.* ibid.
XVI. *Hinc qui per injuſtam ſententiam re ſua ſpoliatus eſt, illam omni licito modo recuperare poteſt.* ibid.

CAPUT IX.

De Juſtitia Diſtributiva.

DOCTRINA.

I. *JUſtitiæ* diſtributivæ *notio prout diſtinguitur a commutativa.* 102.
II. *Agitur de præcipuo, quod juſtitiæ* diſtributivæ *opponitur, vitio; nimirum* acceptione perſonarum. *In quo hæc conſiſtat, declaratur.* 103.
III. *De perſonarum acceptione in bonis ſpiritualibus diſpenſandis. Dignior in foro conſcientiæ ſemper eligendus eſt.* 104.
IV. *In foro tamen exteriore ſufficit eligere dignum.* ibid.
V. *Caſus ab hac generali regula excipiendus.* ib.
VI. *Quænam neceſſaria ſint, ut prudens judicium formetur de idoneitate alicujus ad ſpiritualia recte adminiſtranda. Sive quid requiratur in perſonis eligendis. Primum, & ſecundum requiſitum eſt legitimus torus, & ætas legitima.* 105.
VII. 3. *Tonſura Clericalis.* 4. *Cœlibatus.* ibid.
VIII. 5. *Immunitas a cenſura, irregularitate, & hæreſi.* ibid.
IX. 6. *Morum probitas. Literatura ſufficiens.* 10 .
X. *Exactior diſcuſſio de obligatione eligendi digniorem ad beneficia.* ibid.
XI. *Caſus aliqui excepti referuntur.* 107.
XII. *Num qui promovet minus dignum, digniore prætermiſſo, ad aliquam reſtitutionem teneatur.* ibid.
XIII. *De perſonarum acceptione in officiis, & rebus ſæcularibus diſtribuendis.* 108.
XIV. *De perſonarum acceptione in exhibitione honoris, & reverentiæ.* ibid.

XV. *De acceptione perſonarum in ferendis judiciis.* ibid.

CAPUT X.

Consectaria.

I. *Juſtitia vindicativa, quæ eſt in Judice, non ad* diſtributivam, *ſed* commutativam *pertinet.* 109.
II. Perſonarum acceptio *locum non habet in iis, quæ gratis conferuntur.* ibid.
III. *Sapiens S. Thomæ animadverſio circa collationem beneficiorum factam conſanguineis.* ibid.
IV. *Diſpenſatio, quæ fit cum divitibus, ac potentibus, ut contrahant matrimonium in gradu prohibito, a vitio* acceptionis perſonarum *purgari poteſt.* 110.
V. *Etiam abſque hoc vitio eliguntur aliqui de gremio Eccleſiæ ad beneficia.* ibid.
VI. *Propoſitio merito ab Eccleſia damnata circa collationem beneficiorum parochialium factam minus dignis.* ibid.
VII. *Aliæ propoſitiones, quæ in damnata continentur.* ibid.
VIII. *Concilium Tridentinum præcipiens curata beneficia conferenda eſſe dignioribus, novum jus non condidit, ſed antiquum declaravit.* ibid.
IX. *Non eſt excuſandus a peccato minus dignus concurrens ad beneficium cum manifeſte digniore.* ibid.
X. *Quamvis exceſſus dignitatis unius præ alio levis appareat, digniori conferendum eſt beneficium.* 111.
XI. *Indignus nunquam eligendus. Caſus tamen occurrere poteſt, ut pro digno ſuffragium fere liceat.* ibid.
XII. *Leſſii, Malderi, aliorumque improbanda ſententia, qui digno etiam præ digniore reſignari poſſe beneficium docent.* ibid.
XIII. *Etiam Examinatores tenentur Epiſcopo digniorem proponere pro beneficio.* ibid.
XIV. *S. Thomæ doctrina circa injuſte impedientes aliquem a beneficio conſequendo.* ibid.
XV. *Magna cura adhibenda eſt ab iis, qui eligunt ad beneficia, ſive officia tum eccleſiaſtica, tum ſæcularia.* ibid.
XVI. *Quinam dignitatum, aut officiorum* ambitus *a Principe permitti, quinam tamquam illicitus, & perniciosus prohiberi poſſit, ac debeat.* 112.
XVII. *Falſæ, & abſonæ quorumdam Probabiliſtarum opiniones, quoad judicia de bonis temporalibus, quæ fieri poſſe concedunt.* ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT XI.

De Fortitudine, & adjunctis virtutibus, vitiiſque oppoſitis.

Doctrina.

I. *Fortitudinis definitio, ac materia.* 113.
II. *Actus fortitudinis duo; aggredi, & ſuſtinere.* ibid.
III. *Pericula, quæ fortitudo maxime reſpicit, ſunt pericula mortis.* 114.
IV. *Quænam ſint fortitudinis partes.* ibid.
V. *Inter omnes Chriſtianæ fortitudinis actus præſtantiſſimus eſt martyrium.* 115.
VI. *Aliæ quoque in martyrio virtutes emicant.* ib.
VII. *Quænam ad martyrium conditiones requirantur.* ibid.
VIII. *Plures martyrii gradus diſtinguere oportet, magis minuſve perfectos.* 116.
IX. *Non aggreſſione, ſed paſſionis tolerantia martyrium perficitur.* ibid.
X. *Vitia fortitudini oppoſita paucis exponuntur.* 117.
XI. *De quatuor virtutibus fortitudini adjunctis; ac primum de magnanimitate, & vitiis oppoſitis.* ibid.
XII. *De magnificentia, ac vitiis contrariis.* 118.
XIII. *De patientia. In quo proprie conſiſtat.* ibid.
XIV. *Pulcherrima S. Auguſtini* de patientia *doctrina.* 119.
XV. *Vitia patientiæ oppoſita.* ibid.
XVI. *De perſeverantia prout virtus eſt, & prout ſpeciale quoddam donum Dei.* ibid.
XVII. *De vitiis, quæ perſeverantiæ opponuntur.* 120.

CAPUT XII.

Consectaria.

I. *Omnia virtutum opera, prout quædam ſunt proteſtationes fidei, poſſunt eſſe martyrii cauſa.* 120.
II. *Martyres vocandi non ſunt, qui moriuntur in bello contra Infideles.* ibid.
III. *Non omnis tamen reſiſtentia, ſive contra pugnatio palmam martyrii eripit.* 121.
IV. *Martyria charitatis, caſtitatis, mortificationis, compaſſionis &c. minus proprie hoc nomine decorantur.* ibid.
V. *Hinc falſitatis convincitur ſententia Raynaudi, aliorumque aureolam martyrii tribuentium iis, qui immoriuntur in ſerviendo peſtilentia afflatis.* ibid.
VI. *Licet laudabile abſolute non ſit honorem appetere, quibuſdam tamen in caſibus laudabile eſſe poteſt.* ibid.
VII. *Audiendi non ſunt aliqui Caſuiſtæ, qui ſicut propter voluptatem, ita & propter honorem, in eo ſiſtendo, nos agere poſſe exiſtimant.* ib.
VIII. *Magnanimitas nullatenus adverſatur humilitati.* ibid.
IX. *Perperam ab aliquibus magnanimitas cum præſumptione confunditur.* 122.
X. *Doctrina S. Thomæ ad veram* ambitionis *notionem habendam, prout magnanimitati opponitur.* ib.
XI. *Non quivis honoris contemptus laude dignus eſt; ſed ille, qui recta ratione regulatur.* ibid.
XII. *Non omnes, qui dura, & adverſa perferunt, Chriſtianæ patientiæ virtute potiuntur.* ib.
Reflexio. ibid.

CAPUT XIII.

De Temperantia, ac virtutibus adjunctis.

Doctrina.

I. *Definitio, & indoles temperantiæ.* 123.
II. *Temperantiæ objectum, officium, & regu-*

gula, quam in delectationibus tactus præſcribit. 124.
III. De partibus temperantiam integrantibus. 125.
IV. De virtutibus temperantiæ ſubjectis; ac primum de abſtinentia. ibid.
V. De jejunio, & variis ejus ſpeciebus. 126.
VI. De ſobrietate, ſive abſtinentia a potu immoderato. 127.
VII. Quid ſit caſtitas? Ejus excellentia, maximeque caſtitatis virginalis. ibid.
VIII. Nedum virginitas illicita non eſt; ſed etiam admodum laudabilem eſſe omnino tenendum. ibid.
IX. Quid ſit pudicitia, & in quo ea conſiſtat. 128.
X. De partibus temperantiæ, quas potentiales S. Thomas appellat; ſive de virtutibus, quæ ipſi adjunctæ ſunt: ac primum de continentia. ibid.
XI. De clementia. ibid.
XII. De manſuetudine. 129.
XIII. De modeſtia. ibid.
XIV. De taciturnitate. ibid.

CAPUT XIV.

De Vitiis oppoſitis Temperantiæ, ac virtutibus adnexis.

DOCTRINA.

I. DOctrina S. Thomæ præmiſſa de vitiis temperantiæ oppoſitis. 130.
II. Duo ſunt temperantiæ oppoſita vitia, inſenſibilitas, & intemperantia. ibid.
III. De vitio incontinentiæ, quod proprie conſiſtit in illicitis delectationibus tactus. ibid.
IV. De vitio curioſitatis, quod ſtudioſitati opponitur. In quo ſitum illud ſit. 131.
V. Quadrupliciter hoc vitium incurritur ex parte cognitionis intellectivæ. ibid.
VI. Duobus autem modis ex parte cognitionis ſenſitivæ. ibid.
VII. Vitium iſtud nonnunquam peccatum mortale eſt. 132.
VIII. De vitio modeſtiæ oppoſito, prout illa conſiſtit in actibus externis, ac primum de ludo. Quo pacto ludus accipiatur. ibid.
IX. Ludus moderatus licitus eſt, ac virtutis actus. S. Thomæ doctrina. ibid.
X. Vitium damnabile eſt, dum requiſitas conditiones non ſervat. Quænam hæ ſint, exponitur. ib.
XI. Doctoris Angelici doctrina, quoad exceſſum in ludo, obſervanda. 133.
XII. Mens S. Doctoris quoad hiſtriones, & artem hiſtrionatus, clara in luce collocatur. ibid.
XIII. Immunes a culpa non ſunt, qui principaliter ludunt propter lucrum. 134.
XIV. De vitio modeſtiæ oppoſito, prout hæc ſpectat exteriorem apparatum. Decens, & moderatus laudabilis eſt, ac actus virtutis. ib.
XV. Immoderatus ſemper eſt vitioſus. Ex duplici capite immoderatio procedit. ibid.
XVI. Etiam per defectum peccatur aliquando contra hanc modeſtiæ partem. 135.
XVII. De vano ac ſuperfluo mulierum ornatu. S. Thomæ doctrina de hoc argumento propoſita, & explicata. ibid.
XVIII. Quænam ex hac S. Præceptoris doctrina certo colligantur. ibid.
XIX. Si Scripturæ, ac Patres conſulantur, grave ſæpe peccatum eſſe vanum, & immoderatum mulierum ornatum, aſſerere neceſſum eſt. 136.
XX. Extrema in hac materia rigoris, & laxitatis devitanda. S. Antonini judicium. ibid.

CAPUT XV.

CONSECTARIA

Duorum præcedentium Capitum.

I. DElectationes ſenſibiles homini non conveniunt, niſi ſint juxta rationem. 137.
II. Cum homo ſuſtentare corpus debeat, non poteſt ab omnibus corporeis delectationibus abſtinere. ibid.
III. Neceſſitas humanæ vitæ, quæ regula temperantiæ eſt, dupliciter attenditur; ſimpliciter nempe, & moraliter. ibid.
IV. Graviter peccat adverſus temperantiam, qui delectatur vel comeſtione carnis humanæ, vel potu humani ſanguinis: nec iis uti licet etiam in caſu neceſſitatis. ibid.
V. Jejunium naturale non frangitur, niſi aliquid ſumatur, quod vel nutriat, vel nutrire queat. ibid.
VI. Interdum jejunium ob circumſtantias vitioſum efficitur. ibid.
VII. Præceptum naturale jejunii nonnumquam obligat præter tempus ab Eccleſia conſtitutum. 138.
VIII. Peccant aliquando mortaliter, qui inordinato affectu feruntur in ſtudium veritatum, etiam ad intellectualem cognitionem pertinentium. ibid.
IX. A peccato immunes ſæpe non ſunt joci, & ludi. ibid.
X. Ludere propter lucrum etiam moderatum non eſt ſine aliqua culpa. ibid.
XI. Licet exterior apparatus vilior, quam deceat, non ſit approbandus; ſuppetere tamen cauſæ poſſunt, cur laudabilis ſit. ibid.
XII. Muliebris ornatus, qui de ſe ad luxuriam provocat, ſemper eſt lethale peccatum. 139.
XIII. Etiam ob ſola gravia incommoda, quæ ſæpe familiæ affert muliebris ornatus, grave peccatum eſt. ibid.
XIV. Mulieres ſine peccato non utuntur fucis, ac pigmentis ad pulchritudinem ementiendam. ib.
XV. Quorumdam Caſuiſtarum de hac re rejicienda ſententia eſt. ibid.
XVI. Peccato non caret, quod vir muliebri, aut mulier virili veſte utatur. ibid.
XVII. Caute ſe gerere debet Confeſſarius in directione mulierum, vanis ac ſuperfluis ornamentis utentium. 140.
Reflexio. ibid.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

De Peccatis in Genere.

CAPUT PRIMUM.

De Peccati definitione, ac diviſione.

DOCTRINA.

I. P*Eccati definitio a SS. Auguſtino, & Thoma tradita explicatur, ac illuſtratur.* 142.
II. *Potius per oppoſitionem ad legem æternam, quam ad humanam rationem definiri peccatum debuit.* 143.
III. *Peccatum Deum offendit, eique injuriam irrogat: Ex quo potiſſimum capite hæc Dei offenſa proveniat.* ibid.
IV. *Alia plura capita, ex quibus offenſa Deo per peccatum illata adaugetur.* ibid.
V. *Plures peccatorum diviſiones deſcribuntur.* ib.
VI. *Quædam in diviſionem peccati ex* fragilitate, & malitia *animadverſiones. Peccatum ex fragilitate, ſive infirmitate idem eſt, ac ex paſſione.* 144.
VII. *In quo conſiſtat peccare* ex malitia. *Doctrina S. Thomæ de ejuſmodi peccato.* 145.
VIII. *Quicumque ex habitu peccat, peccat ex certa malitia. Alius S. Thomæ textus propoſitus, & explicatus.* ibid.
IX. *De præcipuis peccati effectibus. Primus peccati effectus* macula *eſt, quam in anima peccantis relinquit.* ibid.
X. *Quid ſit, aut in quo hæc macula conſiſtat, exponitur.* 146.
XI. *Effectus alter eſt reatus pœnæ, quam quiſque peccando promeretur.* ibid.
XII. *Pœna peccato mortali debita æterna eſt. Prima hujuſce Catholicæ veritatis probatio a S. Thoma propoſita.* 147.
XIII. *Altera probatio ejuſdem, qua æquitas æternæ pœnæ demonſtratur.* ibid.
XIV. *Illuſtratur hujus probationis efficacia.* ibid.
XV. *Eadem ratio alio modo proponitur.* 148.
XVI. *Tertia S. Thomæ ratio ad eamdem veritatem comprobandam.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. Q*Uodlibet peccatum mortale excludit quidem omnes virtutes infuſas; non tamen acquiſitas.* 149.
II. *Peccatum etiam conſideratum, prout rationi opponitur, eſt eſſentialiter offenſa Dei.* ibid.
III. *Rejicienda eſt ſingularis opinio P. Vaſquez, rationem offenſæ Dei preſſe dictæ peccato denegantis.* 150.
IV. *Formalis peccati ratio non in aliquo poſitivo, ſed in privatione conſiſtit.* ibid.
V. *Neque tamen colligere fas eſt, peccata ſpecie invicem non differre.* ibid.
VI. *Corporis infirmitas nullam præbet juſtam cauſam excuſandi peccata, quæ in ea committuntur.* 151.
VII. *Semper peccat ex malitia quicumque eligit, quod malum eſſe cognoſcit.* ibid.
VIII. *Peccatum Angeli, ſicut & Protoparentum noſtrorum, fuit ex malitia commiſſum.* ibid.
IX. *Pluribus modis aliquem ex malitia peccare contingit.* ibid.
X. *Idem non eſt peccatum ex malitia, & peccatum in Spiritum Sanctum.* ibid.
XI. *Nihili facienda eſt excuſatio illorum, qui peccata ſua extenuant, eo quod ea ex habitu commiſerint.* ibid.
XII. *Nec audiendi ſunt, quoties effutiunt, ſe de peccato dolere, quod committunt.* 152.
XIII. Macula *peccati non re, ſed nomine tantum a peccato habituali diſtinguitur.* ibid.
XIV. *Peccatum poteſt eſſe aliquando pœna alterius peccati.* ibid.
XV. *Peccatum veniale nec quoad culpam, nec quoad pœnam in hac vita remiſſum, ob conjunctionem cum peccato mortali, æterna pœna in inferno punitur.* ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT III.

De Peccato Originali.

DOCTRINA.

I. P*Eccati originalis notitia omnibus valde neceſſaria.* 153.
II. *Definitio peccati originalis, & explicatio ejuſdem.* 154.
III. *Quid proprie ſit hocce peccatum, luculentius exponitur ex S. Thoma.* ibid.
IV. *Dogma Fidei eſt, originale peccatum in omnes homines a primo parente Adam propagari. Hujus dogmatis definitiones Eccleſiæ.* 155.
V. *Errores ex his definitionibus reprobati.* ibid.
VI. *Chriſtus Dominus ab univerſali lege omnino excipiendus.* ibid.
VII. *An etiam ex ſpeciali privilegio excipienda ſit Beatiſſima Virgo Maria, ad fidem minime pertinet.* 156.
VIII. *Quid de hac inter Catholicos controverſia decreverint Summi Pontifices, proponitur.* ibid.
IX. *Diſſeritur de effectibus peccati originalis in genere. Conciliorum definitiones afferuntur.* ibid.
X. *S. Thomæ de his effectibus doctrina.* ibid.
XI. *Uberior ejuſdem doctrinæ expoſitio ex eodem S. Doctore.* 157.
XII. *De effectibus peccati originalis in ſpecie. Quatuor vulnera S. Thomas enumerat ab illo nobis inflicta.* ibid.
XIII. *De vulnere ignorantiæ.* ibid.
XIV. *De vulnere malitiæ. Quo ſenſu hic* malitia *ſumatur.* 158.
XV. *De vulnere infirmitatis. Quid hic* infirmitatis *nomine veniat, explicatur juxta S. Thomam, & S. Auguſtinum.* 159.
XVI. *De vulnere concupiſcentiæ. Quam grave illud ſit, quamque pernicioſum humano generi.* ibid.

CAPUT IV.

Conſectaria.

I. *A Fide Catholica aberrant Sociniani, qui peccatum originale non alio modo traduci in homines putant, niſi* per imitationem *peccati Adami.* 160.

II. *Nullus convenientior, quam a S. Thoma traditus modus eſt explicandi traductionem peccati Adami in poſteros.* ibid.

III. *Peccat lethaliter, qui non obſervat ea, quæ de Conceptione B. Mariæ decreverunt Summi Pontifices.* 161.

IV. *Parvulos ex hac vita decedentes cum peccato originali fide certum eſt cæleſti regno privari.* ibid.

V. *Veluti Fidei adverſa cenſenda eſt ſententia Card. Sfondrati, hos parvulos haud perire, vel damnari affirmantis.* ibid.

VI. *Explodenda quoque eſt eorum opinio, qui iiſdem locum poſt hanc vitam feliciorem tribuunt, quam in hac experimur.* ibid.

VII. *Multo minus P. Molinæ ſententia de hac re toleranda videtur.* ibid.

VIII. *Ex defectibus, quibus in hac vita obnoxii ſumus, valde probabile ſumitur argumentum exiſtentiæ originalis peccati, etiam fide ſepoſita.* ib.

IX. *Naturalis dici non poteſt inordinatio concupiſcentiæ, quæ in nobis eſt.* 162.

X. *Licet peccatum originale æque inficiat omnes, inordinatio tamen virium animæ magis in uno ſe prodere poteſt, quam in altero.* ibid.

XI. *Nullatenus audiendi ſunt, qui ita extenuant vulnera per peccatum originale inflicta, ut ferme ad nihilum redigant.* ibid.

XII. *Hinc inferre debemus, quidquid ex concupiſcentia fit, ſemper male fieri, malumque eſſe.* ibid.

XIII. *Plurimum ad praxim deſervit legitima cognitio vulnerum, quæ per peccatum originale contraximus.* 163.

XIV. *Eadem quatuor vulnera, quæ inflicta ſunt nobis a peccato originali, infliguntur etiam quadantenus a peccatis actualibus, quæ committimus.* ibid.

Reflexio. ibid.

CAPUT V.

De Peccato Philoſophico.

Doctrina.

I. *CUR diſputationi de peccato originali adnectatur ea, quæ eſt de peccato* philoſophico. 165.

II. *Peccatum duplicem mentis conſiderationem ſubire valet.* ibid.

III. *Error ab Eccleſia de peccato* philoſophico *damnatus in eo conſiſtit, quod utraque ratio* offenſæ Dei, & repugnantiæ cum ratione *reipſa ſejungatur.* ibid.

IV. *Ex damnata propoſitione infertur germana notio peccati* philoſophici. ibid.

V. *Qui admittunt ignorantiam Dei invincibilem, peccatum* philoſophicum *etiam admittere neceſſum eſt. Sententia P. Molinæ de hac ignorantia.* 166.

VI. *Eamdem ſententiam expreſſe tradit P. Arriaga.* ibid.

VII. *Poſt damnatam* peccati philoſophici *doctrinam, illud admittere debet, qui ad peccatum formale neceſſariam docent advertentiam actualem ad malitiam.* ibid.

VIII. *Aliquibus exemplis hoc declaratur. Doctrina P. Matthæi Stoxii proponitur.* 167.

IX. *Author iſte ſententiam damnatam peccati philoſophici apertiſſime tradit.* ibid.

X. *De ſententia inquiritur P. Claudii Lacroixii. Ponit iſte imprimis diſerte principia, unde fluit peccatum philoſophicum.* ibid.

XI. *Illud quoque poſt damnatam propoſitionem admittere pluribus evincitur.* 168.

XII. *Quædam ab ipſo poſitæ limitationes ad vitandam damnationem nullius momenti demonſtrantur.* ibid.

XIII. *Aliæ ad idem confirmandum animadverſiones.* 169.

CAPUT VI.

De Peccatorum ſpecifica diſtinctione, & inæqualitate.

Doctrina.

I. *QUædam prælibantur ad dignoſcendam peccatorum diſtinctionem. Variæ de ſpecifica Theologorum ſententiæ.* 171.

II. *Sententia S. Thomæ hac de re proponitur.* ib.

III. *Explicatur propoſita S. Doctoris ſententia.* ib.

IV. *Cur S. Thomas ex objecto potius, quam ex alio capite diſtinctionem peccatorum ſpecificam repetendam doceat.* 172.

V. *Objectum non inducit diſtinctionem ſpecificam in peccatis, niſi* formaliter *conſideratum.* ibid.

VI. *Juxta traditam doctrinam accipiuntur ea, quæ S. Thomas docet in aliis ejuſdem quæſtionis articulis.* ibid.

VII. *Regulæ quædam ex allata doctrina derivantur. Regula prima. Sola præceptorum diverſitas non inducit ſpecificam diſtinctionem.* ibid.

VIII. *Regula ſecunda. Hanc tamen diſtinctionem inducunt præcepta, ſi afferant ſpecialem cum ratione repugnantiam.* 173.

IX. *Regula tertia. Ex præceptis juris poſitivi aliquando ſumitur ſpecifica diſtinctio peccatorum.* ib.

X. *Regula quarta. Ad contrahendam malitiam ſpecie diſtinctam, ſufficit, quod voluntas in objectum feratur tali malitia pollutum.* ibid.

XI. *Regula quinta. Circumſtantia, quæ actum efficit repugnantem alicui virtuti, cui cæteroquin non opponitur, ſpeciem peccati mutat.* ibid.

XII. *Regula ſexta. Majus, & minus, intenſum, & remiſſum circumſtantiæ non ſunt, quæ de ſe mutent ſpeciem.* 174.

XIII. *Regula ſeptima. Ita quoque nec diuturnitas, aut frequentia peccati non eſt ex ſe circumſtantia, quæ novam ſpeciem addat peccato: ex accidenti tamen addere aliquando poteſt.* ib.

XIV. *Major, minorque gravitas* eſſentialis *peccatorum ſumitur ex objecto.* ibid.

XV. Accidentalis *autem ex circumſtantiis. De circumſtantia perſonæ, in quam peccatur, & quæ peccat.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA.

I. *PRobanda non eſt ſententia, quæ diſtinctionem peccatorum ſpecificam ex ſolo repetit prudentum ſenſu.* 175.

II. *Sicut neque, quæ circumſtantiam omnem notabiliter aggravantem novam peccato ſpeciem tribuere ſtatuit.* 176.

III. *Haud differt a ſententia a nobis conſtituta, quæ docet, ſpeciem peccatorum ſumi a virtutibus, quibus opponuntur.* ibid.

IV. *Etiam peccata omiſſionis ſpecificam diſtinctionem hauriunt ex objectis.* ibid.

V. *Finis operantis ſæpe tranſit in objectum, ex quo ſpecificatur peccatum.* ibid.

VI. *Peccata venialia ſpeciem ab objectis recipiunt, ſicut & mortalia.* ibid.

VII. *Exempla, quibus liquet, peccata ſpecie non diſtingui ex præceptis diverſis.* ibid.

VIII. *Religioſus Franciſcanus abſtinentiam violans die Veneris, duplex ſpecie diſtinctum peccatum incurrit.* 177.

IX. *Non ita tamen alii Religioſi, qui ſolum vovent obedientiam ſecundum regulam.* ibid.

X. *Duplex ſpecie peccatum committit Religioſus, qui ſpeciale præceptum ſui Superioris non obſervat.* ibid.

XI. *Ex exceſſu, & defectu ſæpe ſumitur peccatorum diſtinctio ſpecifica.* ibid.

XII. *Circumſtantia* Quis *aliquando novam ſpecie malitiam inducit, aliquando ſolum auget.* ib.

XIII. *Exempla diſtinctionis ſpecificæ peccati ex perſona, contra quam, vel cum qua peccatur.* ibid.

XIV. *Quænam ſpecie multiplicentur peccata ex circumſtantia* loci. ibid.

XV. *Quænam itidem ex circumſtantia* Quibus auxiliis. ibid.

XVI. *Ea, quæ de ſe mala ſunt, ex pravo fine operantis novam ſpecie diſtinctam malitiam contrahunt.* 178.

XVII. *Non ita vero dicendum, ſi finis operantis pravus non eſt, ſed vel bonus, vel indifferens.* ibid.

XVIII. *Peccata* ſpiritualia, *cæteris paribus, graviora ſunt peccatis* carnalibus. ibid.

XIX. *Graviora ſunt peccata Fidelium, quam Infidelium; & Eccleſiaſticorum, ac religioſorum, quam laicorum, & ſæcularium. Conſectarium* Reflexionis *loco propoſitum.* ibid.

CAPUT VIII.

De numerica diſtinctione peccatorum.

DOCTRINA.

I. *UNus idemque phyſicus actus plures habere poteſt in eſſe morali malitias numero diſtinctas.* 179.

II. *Peccata numero multiplicantur ex multiplicatione numerica objectorum totalium.* 180.

III. *Exemplis poſita regula declaratur.* ibid.

IV. *Falſa eſt quorumdam Authorum opinio, putantium, non multiplicari numer. objecta ex multiplicatione perſonarum unius, ejuſdemque familiæ.* ibid.

V. *Voluntas peccandi cum exteriore actu conjuncta unum numero peccatum efficit: diſtinctum vero, ſi ab eo opere ſejuncta ſit.* ibid.

VI. *Externæ actiones, licet numero diſtinctæ, plura numero peccata non ſunt, dum ad unum actum principalem ordinantur.* 181.

VII. *Peccata, quæ externa actione conſummantur, numero multiplicantur ex multiplicatione actus completi, ſi ad illum ordinantur.* ibid.

VIII. *Ex quacumque ceſſatione multiplicantur peccata, quæ conſummantur in mente.* ibid.

IX. *Moralis interruptio ſatis eſt ad multiplicanda numero etiam illa peccata, quæ conſummantur opere externo.* 182.

X. *Quibus modis pravi actus moraliter interrumpantur, exponitur.* ibid.

CAPUT IX.

CONSECTARIA.

I. *AUdiendi non ſunt, qui controverſiam de multiplicatione numerica peccatorum in ordine ad Confeſſionem haud neceſſariam putant.* 183.

II. *Abſona, & falſa eſt Caramuelis, aliorumque ſententia, quæ ab unitate actus voluntatis unitatem peccati repetendam docet.* ibid.

III. *Plura ſunt peccata, quoties plura ſunt objecta totalia, circa quæ tendit unus etiam, & idem voluntatis actus.* ibid.

IV. *Unum numero peccatum committit, qui ad furandum ex. gr. plures actiones exercet moraliter non interruptas.* ibid.

V. *Si qua tamen in ſerie illarum actionum peculiarem deformitatem afferret, explicanda foret in Confeſſione.* ibid.

VI. *Tot peccata committit, quot Confeſſiones audit Sacerdos, in peccato lethali ſuum miniſterium exercens.* ibid.

VII. *Salmanticenſium, aliorumque opinio quoad res alienas detinentem.* 184.

VIII. *Alia ſimiliter laxa eorumdem ſententia, quoad interruptionem moralem attinet pravorum actuum.* ibid.

IX. *Multo magis laxa exiſtimanda eſt opinio illorum, qui docent, nonniſi per actum contrarium interrumpi moraliter actum peccaminoſum.* ib.

X. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui diu in aliquo peccato perſeverantes, pravos actus ita multiplicant, ut eorum numerus iniri nequeat.* ibid.

Reflexio. ibid.

CAPUT X.

De Peccato Mortali, & Veniali, & utriuſque diſtinctione.

DOCTRINA.

I. *ADmittenda omnino ſunt peccata, quorum alia mortalia ſunt, alia autem venialia.* 185.
II. *Quæſtio de diſtinguendis peccatis mortalibus a venialibus ardua admodum viſa eſt S. Auguſtino, omnibuſque videri debet.* 186.
III. *Regulæ quædam ad hæc diſcernenda præfiniuntur. Regula prima ex locutionibus Sacræ Scripturæ, quibus utraque deſignantur.* ibid.
IV. *Regula ſecunda. Conſenſus Eccleſiæ Patrum, aut graviorum Theologorum.* 187.
V. *Regula tertia. Peccata, quæ repugnant charitati Dei, vel proximi, aut illam graviter lædunt, mortalia ſunt: quæ leviter, venialia.* ibid.
VI. *Regula quarta. In judicio de peccatorum gravitate, aut levitate non eſt attendenda hominum conſuetudo, aut opinio.* ibid.
VII. *Regula quinta. Ex parte agentis ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio.* 188.
VIII. *Regula ſexta. Materiæ parvitas, ubi ea admitti poteſt, excuſat a gravi culpa, etiam in peccatis ex genere ſuo mortalibus.* ibid.
IX. *Ex regulis conſtitutis colligitur, quibus modis peccata ex genere ſuo mortalia fieri poſſunt quandoque venialia.* 189.
X. *Peccatum veniale dupliciter ad mortale diſponit; directe ſcilicet, & indirecte.* ibid.
XI. *Plura venialia peccata nunquam ex ſe efficiunt unum mortale.* ibid.
XII. *Pluribus tamen modis, quod eſt de ſe veniale, fieri poteſt peccatum mortale; 1. ex errore conſcientiæ; 2. ratione finis, in quem dirigitur.* ibid.
XIII. 3. *Ratione affectus graviter inordinati.* 190.
XIV. 4. *Ob grave damnum, quod inde proximo ſequuturum prævidetur.* ibid.
XV. 5. *Propter Legis, aut Legislatoris contemptum.* ibid.
XVI. 6. *Ob probabile periculum incidendi in peccatum mortale.* ibid.

CAPUT XI.

CONSECTARIA.

I. *NOvatorum error negantium diſtinctionem peccati venialis, & mortalis repudiandus.* 190.
II. *Repudianda pariter eſt de hac diſtinctione opinio, quæ Gerſoni tribuitur.* 191.
III. *Inordinatio venialis peccati finem legis non evertet.* ibid.
IV. *Triplex peccati venialis differentia.* ibid.
V. *Quorumdam in determinandis levibus, graviбuſque peccatis nimia præfidentia merito damnanda.* ibid.
VI. *Doctrina S. Auguſtini quoad differentiam peccati mortalis, & venialis attendenda.* ibid.
VII. *Congrue admodum venialia peccata deſignantur ab Apoſtolo per* lignum, fœnum, & ſtipulam. 192.
VIII. *Quorumdam Caſuiſtarum opinio pro diſcernendis peccatis mortalibus, ac venialibus prorſus rejicienda eſt.* ibid.
IX. *Multa peccata venialia ex ſe nunquam efficiunt unum mortale.* ibid.
X. *Ad peccatum tamen mortale diſponunt.* ibid.
XI. *A peccato mortali excuſandus non eſſet, qui vellet peccata omnia venialia committere.* ib.
XII. *In magno verſantur æternæ damnationis periculo, qui nihil venialia curant, eaque emendare non ſatagunt.* ibid.
XIII. *Quinam propterea de ſua æterna ſalute metuere præſertim debeant.* 193.
XIV. *Quibus ſignis aliquem tentationi peccandi conſenſum præbuiſſe, vel non præbuiſſe conjicere poſſimus.* ibid.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO QUARTA.

De Peccatis Capitalibus.

CAPUT PRIMUM.

De Superbia, ejuſque vitiis.

DOCTRINA.

I. *SUperbiæ notio, & malitiæ gravitas.* 195.
II. *Superbiæ quatuor ſpecies, ſive modi exponuntur.* 156.
III. *Graphica ſuperbiæ deſcriptio ex S. Gregorio Magno.* ibid.
IV. *Quid ſit ambitio prima ſuperbiæ proles. Ejus inordinatio propoſita.* 197.
V. *Regula prima pro dignoſcenda gravitate peccati ambitionis.* ibid.
VI. *Regula ſecunda, & tertia.* ibid.
VII. *Aliæ regulæ ad idem afferuntur.* 198.
VIII. *De* præſumptione *prout eſt appetitus inordinatus ad aliquid ſupra vires aggrediendum.* ib.
IX. *De* vana gloria. *Quid ea ſit, & in quo ejus inordinatio conſiſtat.* ibid.
X. *Præclara S. Thomæ doctrina de vitio vanæ gloriæ.* 199.
XI. *Ex hac eruitur quibuſnam in caſibus ſit mortale peccatum.* ibid.
XII. *De filiabus vanæ gloriæ, ac primum de* inobedientia. 200.
XIII. *De* jactantia. *Ejus definitio: & quoties peccatum lethale ſit.* ibid.
XIV. *De* hypocriſi. *Hujus vitii deformitas ex doctrina S. Thomæ expoſita.* 201.
XV. *Quænam ex allata doctrina conſequuntur circa qualitatem hujus peccati.* ibid.
XVI. *De quarta inanis gloriæ filia, ſcilicet* de contentione. *Notio ejuſdem propoſita.* 202.
XVII. *Regulæ circa gravitatem, & levitatem peccati* contentionis *ex doctrina S. Thomæ deductæ.* ibid.
XVIII. *De* pertinacia. *Quid ea ſit, & quoties peccatum mortale.* 203.

XIX.

XIX. *De* Diſcordia. *Ejus definitio. Quandonam peccatum mortale ſit, quando veniale, ex doctrina S. Thomæ explicatur.* ibid.

XX. *Plura ex illa inferuntur ad praxim neceſſaria.* ibid.

XXI. *De poſtrema filia vanæ gloriæ, nempe* præſumptione novitatum. 204.

XXII. *De virtute ſuperbiæ oppoſita, ſcilicet humilitate. Quam neceſſaria hæc ſit ad ſalutem.* 205.

XXIII. *Primum humilitatis officium erga Deum exponitur.* ibid.

XXIV. *Alterum officium humilitatis erga proximum a S. Thoma mirifice declaratum.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. *SUperbia præ cæteris vitiis maximopere cavenda.* 206.

II. *In ſuperbiæ punitionem Deus ſæpe permittit homines ruere in peccata turpiſſima.* ibid.

III. *Quanta ignorantia teneantur* Chriſtianorum *plurimi, qui ſuperbiæ peccatum vel nihili, vel parvi pendunt.* 207.

IV. *Magna diligentia viri juſti cavere debent, ne in ſenſu ſuo, vel operibus ſuperbiæ tumor irrepat.* ib.

V. *In externis quidem humilitatis actibus ſervanda moderatio eſt, ſed in interno ſenſu, & affectu, quiſque ſe omnibus poſtponere debet.* ibid.

VI. *Sub ſpecioſo virtutis pallio ambitio ſæpe deliteſcit.* ibid.

VII. *Audiendi non ſunt aliqui Caſuiſtæ, qui a peccato abſolvunt eos, qui appetunt primarias dignitates, atque etiam ipſum Epiſcopatum.* ib.

VIII. *Sed neque fas eſt appetere, aut quærere alia beneficia curam animarum habentia.* 208.

IX. *Licet tamen aliquando quærere beneficium ſimplex.* ibid.

X. *Ambitionis, & vanæ gloriæ culpa non vacant Concionatores, qui nobiliores Eccleſiarum ſuggeſtus ſtudioſe exquirunt.* ibid.

XI. *Superiori officium aliquod imponenti, obedire minime debet ſubditus, aliquod in ſe impedimentum agnoſcens.* 209.

XII. *Lethalis ambitionis reus eſt, qui beneficium eccleſiaſticum retinet abſque titulo legitimo, aut dotibus neceſſariis.* ibid.

XIII. *Sicut etiam Epiſcopus, qui a minore Epiſcopatu ad majorem, celebrioremque transferri ſatagit.* ibid.

XIV. *Peccant lethaliter, qui de peccatis gloriam aucupari ſtudent.* ibid.

XV. *Haud raro contingit gloriæ vanæ appetitum eſſe lethaliter peccaminoſum.* ibid.

XVI. *Fraudes, & inſidiæ vanæ gloriæ magno ſtudio cavendæ.* 210.

XVII. *Lethalis hypocriſis rei ſunt, qui dum pietatem nihil curant, pios, ac virtuoſos videri appetunt.* ibid.

XVIII. *Quamplures ex Chriſtianis hypocritis merito accenſendi ſunt.* ibid.

XIX. *Qui falſam, ac temerariam ſententiam in re alicujus momenti pertinaciter defendit, peccat mortaliter.* ibid.

XX. *Poteſt interdum aliquis citra peccatum ab alterius opinione diſſentire.* ibid.

Reflexio. 211.

CAPUT III.

De Avaritia, ac vitiis, quæ ex ea prodeunt.

DOCTRINA.

I. *QUid ſit, & in quo conſiſtat* avaritia *ſecundum capitale peccatum.* 213.

II. *Avaritia duplici virtuti opponitur, juſtitiæ nempe, & liberalitati.* 214.

III. *Prout opponitur juſtitiæ, ex genere ſuó peccatum lethale eſt. Non autem prout opponitur liberalitati, licet lethale ſæpe fiat ex nimio divitiarum affectu.* ibid.

IV. *S. Thomæ doctrina de hoc immoderato divitiarum affectu pluribus confirmatur.* ibid.

V. *Quid ex hac doctrina conſequatur.* ibid.

VI. *Vitia, quæ ex avaritia prodeunt, recenſentur, & explicantur; ac primum de* proditione. 215.

VII. *Regulæ plures pro dignoſcenda gravitate* proditionis. ibid.

VIII. *Nedum amico, ſed etiam hoſti data fides ſervanda eſt.* ibid.

IX. *Quando nefas eſt arcana commiſſa revelare.* ib.

X. *Proditionis crimen incurrit, qui alienas litteras aperit, aut reſignat.* 216.

XI. *Exceptionis regulæ generales.* ibid.

XII. *De tribus aliis avaritiæ filiabus,* fraude, fallacia, & perjurio *definitiones.* ibid.

XIII. *De quinta avaritiæ ſobole, nempe* inquietudine, *ſeu nimia ſollicitudine rerum temporalium.* ibid.

XIV. *Sexta avaritiæ proles, ſcilicet* violentia *exponitur, & quando lethale peccatum ſit determinatur.* 217.

XV. *Plures alii caſus, in quibus non niſi cum gravi peccato fieri contingit.* ibid.

XVI. *Alii caſus* violentiæ *lethaliter culpabilis aſferuntur.* 218.

XVII. *Violentiæ lethalis rei ſunt parentes, qui filios, aut filias vel ab inſtituto religioſo ſuſcipiendo retrahunt, vel ad illud ſuſcipiendum cogunt.* 219.

XVIII. *De poſtrema avaritiæ prole, ſcilicet de* obduratione contra miſericordiam. ibid.

XIX. *Quoties hæc lethale peccatum ſit.* ibid.

XX. *De vitio avaritiæ ſimul, & liberalitati oppoſito, nimirum* prodigalitate. *Notio ejuſdem, & quoties ad lethalis peccati gravitatem pertingit.* 221.

CAPUT IV.

CONSECTARIA.

I. *VIrtutis liberalitatis, quæ avaritiæ opponitur, legitima notio.* 222.

II. *Quam periculoſum ſit vitium avaritiæ.* ib.

III. *Merito ab Apoſtolo avaritia idololatriæ comparata eſt.* ibid.

IV. *Peccatum mortale eſt* ex genere ſuo, *ſi ſuma-*

matur ut oppoſita juſtitiæ, non autem ut oppoſita liberalitati; ſæpe tamen etiam ita accepta peccatum eſt. ibid.
V. *Sufficit ſola inordinata divitiarum affectio, ut peccatum lethale ſæpiſſime ſit.* ibid.
VI. *Plures caſus, in quibus avaritia lethale peccatum eſt, ob prædominantem in avaro cupiditatem.* 223.
VII. *Nedum qui rapit aliena, ſed etiam qui nimium cupide ſervat ſua, nonnumquam reus eſt peccati mortalis. Pulchra S. Auguſtini ſententia.* ibid.
VIII. *Rei ſunt gravis culpæ, qui liberorum gratia nullum divitiis congregandis modum ſtatuunt. Alia de hac re S. Auguſtini præclara ſententia.* 224.
IX. *Avaritiæ culpa non vacant, qui ex cupiditate bonorum temporalium forenſes lites ſuſcipiunt.* ib.
X. *Maxime a litibus forenſibus ſuſcipiendis alieni debent eſſe viri Eccleſiaſtici, & Religioſi.* ib.
XI. *Exempla plurium, qui crimine proditionis peccant, aliena ſibi commiſſa revelando.* 225.
XII. *Interdum tamen arcana etiam jurata, non ſolum licite revelare poſſumus, ſed etiam tenemur.* ibid.
XIII. *Quomodo ſe gerere oporteat ſubditus, Prælato ſecreti revelationem præcipiente.* ibid.
XIV. *Dum ſigilli obſervantia illicita redditur, revelare ſecretum debemus, quamvis ſub ſigillo confeſſionis (extra tamen confeſſionem) creditum fuerit.* ibid.
XV. *Execrabile eſt tempore egeſtatis frumenta abſcondere, ut charius vendantur.* 226.
XVI. *Obdurationis contra miſericordiam rei ſunt, qui egenis tempore famis non ſubveniunt.* ib.
XVII. *Avaritiæ ſpiritualis peccati rei ſunt, qui in proximorum indigentiam ſublevandam talenta ſibi a Deo credita non impendunt.* ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT V.

De Luxuria, ac vitiis ex ea progenitis.

DOCTRINA.

I. *QUid ſit luxuria.* 228.
II. *Venerea voluptas in ſolo legitimo matrimonio licita eſt.* ibid.
III. *Luxuria eſt peccatum de ſe mortale.* 229.
IV. *Contingere tamen poteſt, ut veniale ſit. Quandonam id contingat.* ibid.
V. *Indicantur luxuriæ ſpecies.* ibid.
VI. *Vitium capitale luxuria eſt, ex quo alia vitia gignuntur.* 230.
VII. *Luxuriæ filiæ exponuntur.* ibid.
VIII. *De exterioribus luxuriæ actibus, ac primum de* locutione, *prout ad luxuriam refertur.* 231.
IX. *De* aſpectibus laſcivis. *Expoſitio ſententiæ Chriſti Domini:* Qui viderit mulierem *&c.* ibid.
X. *Aſpectus mulieris ſolius curioſitatis gratia non niſi veniale peccatum eſt.* 232.
XI. *Oſcula, amplexus &c. ſi conſiderentur ſecundum genus, aut ſpeciem ſuam, peccata non ſunt.* ib.
XII. *Sunt vero peccata mortalia, ſi libidinoſa ſint.* ibid.
XIII. *Quænam oſcula, ſive amplexus, aut tactus, libidinoſa dicenda ſunt.* ibid.
XIV. *Ad eam peccati ſpeciem reducuntur, ad quam pertinet actus conſummatus.* ibid.
XV. *Ejuſmodi oſcula, & amplexus aliquando etiam in uxoratis peccata mortalia ſunt.* 233.

CAPUT VI.

Regulæ quædam traduntur ad peccati luxuriæ qualitatem dignoſcendam idoneæ.

DOCTRINA.

I. *VOluptas venerea extra matrimonium quæſita, aut captata lethale peccatum eſt.* 233.
II. *Lethale quoque peccatum eſt etiam ſolus ejuſdem voluptatis deliberatus appetitus.* ibid.
III. *Materiæ parvitas admittenda non eſt in luxuria deliberate quæſita, aut volita.* 234.
IV. *Principia S. Thomæ, quibus nititur propoſita regula.* ibid.
V. *Lethale de ſe eſt peccatum tactus mamillarum mulieris abſque juſta cauſa peractus.* 235.
VI. *Amplexus, & oſcula honeſta juxta patriæ morem, aut amicitiæ cauſa mala ex ſe dicenda non ſunt.* ibid.
VII. *Iidem tactus honeſti facti ex mera vanitate, vel joco non ſunt de ſe niſi culpæ veniales.* 236.
VIII. *Inhoneſti vero, aut impudici etiam ex joco, aut vanitate peracti lethalis culpæ labe inquinantur.* ibid.
IX. *Liciti ſunt prædicti tactus ex rationabili cauſa, quin & illos pati nonnumquam mulieres ipſæ tenentur.* ibid.
X. *Diſtinguendæ ſunt delectationes, quæ oſculis, tactibus percipiuntur, aut percipi queunt.* 237.
XI. *Peccati lethalis rea efficitur mulier, quæ dum poteſt, non impedit tactus libidinoſos in ſe ab aliis exercitos.* ibid.
XII. *Aſpectus impudicus ex ſe peccatum lethale eſt.* 238.
XIII. *Turpiloquium ſæpe mortale eſt peccatum.* ib.
XIV. *Periculoſæ admodum ſunt ſuperfluæ, ac frequentes confabulationes virorum, & mulierum.* 239.
XV. *Peccant mortaliter loquentes, & ſcribentes de rebus turpibus, & obſcœnis.* ibid.
XVI. *Converſationes promiſcuæ, prout in conſuetudine ſunt, damnandæ, ac fugiendæ.* ibid.
XVII. *Choreæ inter mares, & fœminas, ſpectatis circumſtantiis, pravæ ſunt, & periculorum plenæ.* 240.
XVIII. *Quid de his ſentiant tum veteres, tum recentes Eccleſiæ Patres, piique ſcriptores.* ib.
XIX. *Concluſio ex iis omnibus deducta.* 241.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DAmnata ab Alexandro VII. propoſitio de oſculis &c. comprehendit alios tactus ob eumdem finem carnalis delectationis habitos.* 242.
II. *Si deſit cauſa honeſta, nunquam licet ponere actiones ad venerem provocantes.* ibid.

III.

III. *Laxa Thomæ Hurtadi propoſitio reprobanda*. ib.
IV. *Lethale peccatum ex ſe non eſt actionem ponere, tametſi venerea delectatio ſequutura prævideatur, ſublato conſenſus periculo* ibid.
V. *Nunquam ſine culpa gravi actio poni poteſt ob finem captandæ venereæ delectationis*. 243.
VI. *Periculo impendente conſenſus in rem turpem, etiam actio honeſta deſerenda. P. Gobati propoſitio rejecta*. ibid.
VII. *Alia ejuſdem doctrina deteſtanda*. ibid.
VIII. *Culpa lethali non carent oſcula libidinoſa habita inter Sponſos, & Sponſas*. ibid.
IX. *Conjux in abſentia alterius veneream delectationem de tactibus alias honeſtis captare nequit*. ib.
X. *Delectatio ſenſibilis vix a ſenſuali ſejungi valet in tactibus habitis inter perſonas ſexus diverſi*. ib.
XI. *Tactus impudici etiam facti ſupra veſtes in partibus verendis gravi culpa non vacant*. 244.
XII. *Nimia Defenſorum tactuum mamillarum temeritas damnanda*. ibid.
XIII. *Peccatum mortale eſt ponere actionem proxime, & per ſe influentem in veneream delectationem*. ibid.
XIV. *Peccant lethaliter, qui turpia loquuntur apta ad libidinem provocandam*. ibid.
XV. *Excuſari tamen quidam poſſunt a gravi culpa*. 245.
XVI. *Scribere de rebus obſcœnis ſæpe mortale peccatum eſt*. ibid.
XVII. *Locutio, auditus &c. rerum turpium ad eas peccati ſpecies referuntur, circa quas verſantur, adeoque id in Confeſſione exprimendum eſt*. ib.
XVIII. *Sermones habiti de pulchritudine hujus, aut illius mulieris plerumque ad luxuriam pertinent, & ex ea malitiam ſumunt*. ibid.
XIX. *Quinam mulierum aſpectus peccato vacare dicendi ſint*. ibid.
XX. *Ut plurimum lethaliter peccant, qui imagines obſcœnas retinent apud ſe, aut in eis ſtudioſe oculos defigunt*. ibid.
XXI. *Officio ſuo recte non funguntur Confeſſarii, admittentes ad Sacramenta mulieres hodiernas converſationes ſectantes*. 246.
XXII. *Caſus aliquando contingere poteſt, in quo choreis intereſſe liceat*. ibid.
XXIII. *Numquam tamen excuſatur a gravi culpa Eccleſiaſticus, aut Religioſus, ſi interſit eiſdem*. ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT VIII.

De Gula.

Doctrina.

I. *Gulæ definitio explicatur*. 249.
II. *Peccatum eſt: quandoque ſolum veniale; quandoque mortale: etiam prout ab ebrietate ſejuncta conſideratur*. ibid.
III. *Senſus quorumdam Scripturæ textuum de gula exponitur*. 250.
IV. *Quinque gulæ ſpecies, aut modi explicati*. ib.
V. *Quædam in has gulæ ſpecies animadverſiones*. ib.
VI. *Ex S. Antonino latius ejuſmodi gulæ ſpecies declarantur*. ibid.
VII. *Vitium capitale gula eſt, ex qua alia vitia oriuntur*. 151.
VIII. *De prima filia gulæ; ſcilicet* inepta lætitia. ibid.
IX. *De* ſcurrilitate; *altera gulæ filia*. 152.
X. *De tertia filia gulæ; nempe* immunditia. *Quid hic veniat hoc nomine*. ibid.
XI. *De* multiloquio; *quarta filia gulæ*. 153.
XII. *De poſtrema filia gulæ; nimirum* hebetudine mentis. ibid.
XIII. *De ebrietate ſpecialiter agitur. Quid ea proprie ſit, & quando peccatum ex S. Thoma*. ib.
XIV. *Nedum utcumque peccatum ebrietas eſt, ſed etiam ex ſe lethale*. 254.
XV. *Scripturarum, ac Patrum teſtimonia in confirmationem adducta*. ibid.
XVI. *Quandonam excuſetur, aut minuatur peccatum ebrietatis*. ibid.
XVII. *Quid de illa quæſtione, num aliquando licita ſit ebrietas ad valetudinem obtinendam. S. Thomæ doctrina propoſita*. ibid.

CAPUT IX.

Doctrinæ præcedentis.

Consectaria.

I. *Menſura cibi, & potus regulanda juxta cujuſque neceſſitatem, & conditionem*. 255.
II. *Magna cautio adhibenda in uſu ciborum, & potuum, ut peccata vitemus*. ibid.
III. *Dum finem in delectatione homo conſtituit, appetitus edendi, ac bibendi ſemper pravus eſt*. 256.
IV. *Lethale peccatum eſt ſe cibo, & potu ingurgitare uſque ad vomitum*. ibid.
V. *Nullum tamen, vel leve peccatum eſt, ſi vomitus alio ex capite contingat*. ibid.
VI. *Convivia quandoque facere licet ex honeſta cauſa*. ibid.
VII. *Sed neque vetitum eſt ſumere aliquando cibos delicatiores*. ibid.
VIII. *Studio ſingulari vitanda crapula eſt ab iis, quibus cura incumbit alios vel regendi, vel docendi*. ibid.
IX. *Scurrilitas verbis, aut ſententiis Scripturæ habita grave plerumque peccatum eſt*. 257.
X. *Vini uſus de ſe quidem licitus eſt, ſed per accidens fieri poteſt illicitus*. ibid.
XI. *Sobrietas in uſu vini quibuſdam præſertim valde neceſſaria*. ibid.
XII. *Vinolentia, & ebrietas Clericorum gravius peccatum eſt, graviorique pœna plectendum*. ib.
XIII. *Grave peccatum eſt certare de majori vini copia bibenda*. 258.
XIV. *A peccato excuſandus, qui alium non cogit, ſed amice tantum ad bibendum invitat*. ibid.
XV. *Peccant Tabernarii vinum miniſtrantes iis, quos prævident inebriandos*. ibid.
XVI. *Definitio ebrietatis a Buſembaum tradita nullatenus approbanda*. ibid.
XVII. *Rejicienda alia ejuſdem opinio; haud peccare, qui ad ebrietatem cogitur intento enſe*. 259.
XVIII. *Rejicienda etiam alia ejuſdem, & aliorum ſententia, poſſe aliquem inebriare alium ob grave motivum*. ibid.

XIX.

XIX. *Haud licet ſumere potus quantitatem inebriantem, etiamſi pharmaco impediri ebrietas poſſit.* ibid.

XX. *Signa perfectæ, & lethalis ebrietatis a quibuſdam Caſuiſtis tradita probanda non ſunt.* ib.

XXI. *Alia de hac re laxior P. Lacroixii explodenda ſententia.* 260.

XXII. *Regula certa exceſſus in bibendo mortalis præfiniri nequit.* ibid.

XXIII. *Quædam doctrina cavenda circa peccata, quæ ex ebrietate ſequuntur.* ibid.

XXIV. *Admodum cauti Confeſſarii ſint oportet in abſolvendis vino deditis.* ibid.

Reflexio. 261.

CAPUT X.

De quinto vitio capitali, ſcilicet Ira.

DOCTRINA.

I. *Quid ira ſit, & in quo ejus inordinatio conſiſtat.* 263.

II. *Egregia S. Gregorii Magni* iræ *expoſitio, prout appetitus vindictæ eſt, ſive ex parte objecti conſideratæ.* ibid.

III. *Licet ira ordinata ſit ex parte objecti, poteſt eſſe inordinata ex parte* modi iraſcendi. ib.

IV. *Ira peccatum eſt ex parte quidem objecti de ſe lethale; ex parte autem iraſcendi modi veniale.* 264.

V. *Explicantur tres iræ gradus a Chriſto in Evangelio commemorati.* ibid.

VI. *Expoſitio horum graduum facta a S. Thoma proponitur.* ibid.

VII. *De ira, prout* capitale vitium; *quænam iræ filiæ ſint.* 265.

VIII. *De tumore mentis ex ira prognato, quid ille ſit.* ibid.

IX. *De indignatione altera filia iræ: quodnam peccatum ſit. S. Gregorii Magni ſententia.* ibid.

X. *De clamore, prout ab ira proficiſcitur.* ibid.

XI. *De quarta filia iræ ſcilicet contumelia.* ibid.

XII. *De poſtrema filia iræ, nempe rixa.* 266.

CAPUT XI.

CONSECTARIA.

I. *Ira, prout paſſio, quæ ad rationem* antecedenter *ſe habet, ſemper mala eſt.* 266.

II. *Ira, quæ* conſequenter *ſe habet ad rationem, & dicitur* ira per zelum *haud rectitudinem rationis aufert: adeoque laudabilis eſſe poteſt.* ib.

III. *Illicitum ſemper eſt appetere vindictam propter malum ejus, qui puniendus eſt.* ibid.

IV. *Motus inordinatus iræ, cum aliqualiter ſemper ſit in poteſtate noſtra, aliquam peccati labem ſemper affert.* ibid.

V. *Motus iræ repentinus, vel deliberatus quidem, ſed cum appetitu vindictæ levis, nonniſi veniale peccatum eſt. S. Thomæ doctrina notanda.* 267.

VI. *Ira inveterata odium eſt, atque adeo graviſſimum peccatum.* ibid.

VII. *Quo pacto intelligendum, quod ira vehemens ex parte ſolius* modi iraſcendi *quandoque lethale peccatum ſit.* ibid.

VIII. *Gravius peccant, qui tardiores ſunt ad deponendam iram.* ibid.

IX. *Vindicta, aut vindictæ voluntas pro privatis injuriis vitioſa ſemper eſt, ac peccatum.* ib.

X. *Licita nihilominus eſt, ac etiam laudabilis ob correptionem peccantis, aut ob aliorum utilitatem. Pulchra S. Auguſtini ſententia.* 268.

XI. *Etiam ira* per zelum *aliquando peccatum eſt, ſi nempe ſit immoderata.* ibid.

XII. *Ira gravius peccatum eſt in Epiſcopis, & Eccleſiaſticis.* 269.

XIII. *Convicium interdum vel nullum, vel leve tantum peccatum eſt.* ibid.

XIV. *Contumelias contumeliis repellere nunquam licet.* ibid.

XV. *Laxa, & omnino rejicienda ſententia eſt P. Buſembaum, a gravi culpa excuſantis mulieres, pueros, & infimæ ſortis viros* conviciis ſeſe onerantes. ibid.

XVI. *Alia quoque ejuſdem, aliorumque Theologorum circa contumelias improbanda doctrina.* 270.

Reflexio. ibid.

CAPUT XII.

De Invidia ſexto vitio Capitali.

DOCTRINA.

I. *Invidiæ definitio, & natura ex D. Thoma explicata.* 271.

II. *Ad quos proprie invidia habeatur.* 272.

III. *Invidia ex natura ſua peccatum eſt. Quibus modis triſtitia de bono alterius nullum peccatum ſit, imo etiam laudabilis.* ibid.

IV. *Invidia proprie dicta peccatum eſt ex genere ſuo mortale.* ibid.

V. *Imo unum ex gravioribus, quæ proximi charitati adverſantur. Illuſtris de hoc S. Joannis Chryſoſtomi ſententia.* ibid.

VI. *Aliud de invidiæ malignitate S. Gregorii Magni teſtimonium.* 273.

VII. *Invidia unum ex vitiis capitalibus merito aſſeritur. Ejus filiæ plures. De quibuſdam remiſſive.* ibid.

VIII. *De* ſuſurratione *prima inter Invidiæ filias. Quid illa ſit, ejuſque gravis malitia juxta S. Thomam.* ibid.

IX. *Quid ex ratione a S. Thoma adducta conſequatur.* ibid.

X. *Gravius peccatum eſt ipſa detractione.* 274.

XI. *De altera invidiæ filia, ſcilicet* exultatione in proximi adverſis, & afflictione in proſperis. *Pulchra S. Gregorii Magni de hac re authoritas.* ibid.

XII. *Quid indoles Chriſtianæ Caritatis a nobis expoſcat in rebus proximi ſive proſperis, ſive adverſis. Alia ejuſdem S. Doctoris non minus pulchra ſententia.* ibid.

CA-

CAPUT XIII.

Consectaria.

I. *Bonum alterius non eſt invidiæ objectum, niſi quatenus apprehenditur diminuere propriam gloriam.* 275.
II. *Invidia magis, & directius opponitur miſericordiæ, & charitati, quam* nemeſi, *ſive triſtitiæ de bono indigne agentium.* ibid.
III. *Confundi non debet invidia cum aliis voluntatis motibus, qui illi ſimiles videntur.* ibid.
IV. *Plures indicantur, qui rei peccati invidiæ dicendi ſunt.* ibid.
V. *Reprobanda omnino eſt doctrina P. Thomæ Tamburini, qua licitum facit triſtari de proximi bono, prout ſibi malum eſt.* 276.
VI. *Ex ea doctrina liquido ſequitur, Tamburinum omne reapſe de medio tollere invidiæ peccatum.* ib.
VII. *Suſurratio computari debet inter graviora peccata, & quæ maxime ſunt contra Deum.* ibid.
VIII. *Suſurrationis peccati reus non eſt, qui aliquando malum proximi renunciat alteri ob bonum finem.* 277.
IX. *Veniale ſuſurratio peccatum eſt, ſi leve ſit, quod amico de altero renunciatur, aut quo graviter amicitia non læditur.* ibid.
X. *Suſurrationis peccatum ob circumſtantias alterum altero ſæpe gravius eſt.* ibid.
XI. *Qui occultis oblocutionibus amicos inter ſe disjunxit, abſolvendus non eſt, niſi invicem illos reconciliare conetur.* ibid.
XII. *Hinc cavere maxime oportet a renunciandis iis, quæ inimicitias ſerere, aut diſſidia fovere poſſunt.* ibid.
Reflexio. ibid.

CAPUT XIV.

De poſtremo peccato capitali, nempe Acedia.

Doctrina.

I. *Definitio* acediæ *propoſita, & explicata ex S. Thoma.* 280.
II. *Peccatum eſſe, & quomodo ſit, oſtenditur.* ib.
III. *Non eſt generale, ſed ſpeciale quoddam peccatum.* ibid.
IV. *Peccatum eſt ex genere ſuo mortale.* ibid.
V. *Acedia præcepto illi charitatis adverſatur, quo in Deo delectari debemus.* ibid.
VI. *Appoſita D. Thomæ obſervatio, qua pateſcit, quandonam acedia peccatum lethale ſit, & quando veniale.* 281.
VII. *De acedia, prout vitium capitale eſt. Acediæ filiæ.* ibid.
VIII. *Quid nomine* malitiæ, *quæ prima* acediæ filia *eſt, intelligatur.* ibid.
IX. *De* rancore *altera acediæ prole. Quid hoc nomine veniat.* ibid.
X. *De* puſillanimitate. *Quid ſit, & quænam ejus pravitas.* ibid.
XI. *De* deſperatione *quarta acediæ filia remiſſive.* 282.
XII. *Quid ſit* torpor, *& quam periculoſus.* ib.
XIII. *De* mentis evagatione *poſtrema acediæ filia. Quid ea ſit, & quid ex ea conſequatur.* ib.

CAPUT XV.

Consectaria.

I. *Acedia nunquam ex vera humilitate provenire poteſt.* 282.
II. *Acedia unum ex illis vitiis eſt, quæ non declinando, ſed ſtrenue reſiſtendo ſuperantur. Egregia animadverſio S. Thomæ.* 283.
III. *Quo ſenſu congrue dicatur, acediam opponi præcepto* ſanctificationis ſabbati, *prout morale eſt.* ib.
IV. *Acedia diverſimode eſt in Religioſis perfectis, & imperfectis.* ibid.
V. *Peccati mortalis reus eſt, qui deliberate faſtidit ſpiritualia, & divina bona, quibus inhærere tenetur.* ibid.
VI. *Faſtidium de bono ſpirituali propter laborem, aut moleſtiam, proprie accepta acedia non eſt.* ib.
VII. *Lethale peccatum eſt negligere propriam ſalutem, mediaque ad illam conſequendam neceſſaria.* ibid.
VIII. *Peccati ejuſdem rei ſunt, quicumque proficere negligunt in Chriſtiana, ſuique ſtatus propria perfectione.* ibid.
IX. *Quinam acediæ preſſe dictæ rei ſint, qui triſtantur de bonis vel cæleſtibus, vel ſpiritualibus.* ibid.
X. *Peccat mortaliter Religioſus, quem tædet vel de ſtatu, quem amplexus eſt, vel de votis emiſſis.* ibid.
XI. *Acediæ ſaltem late ſumptæ rei ſunt, qui diutius converſionem a via mala differunt.* ibid.
XII. *Acediæ culpam facile incurrunt Eccleſiaſtici, Religioſi, & Sanctimoniales, divinas laudes languide admodum perſolventes.* ibid.
XIII. *Quinam* rancoris *crimine ſe obſtringant.* 285.
XIV. *Quinam in* puſillanimitatis *peccatum etiam lethale incidant.* ibid.
XV. *Immoderatus ſomnus lethale quandoque peccatum eſt.* ibid.
XVI. *Otium iners, ac deſidioſum vitioſum eſt, ac ſæpe peccati mortalis occaſio.* ibid.
XVII. *Quinam rei peccati* evagationis mentis *merito dicendi ſint.* 286.
Reflexio. ibid.

APPENDIX.

De quibuſdam peccatorum generibus.

CAPUT PRIMUM.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

Doctrina.

I. *Gravitas peccati in Spiritum Sanctum.* 289.
II. *Notio ejuſdem juxta Eccleſiæ Patres, & D. Thomam, ex quo ejus definitio colligitur.* ib.
III. *Diviſio peccatorum in Spiritum Sanctum a S. Thoma illuſtrata.* 290.
IV. *De primo peccato in Spiritum Sanctum; ſcilicet* præſumptione de divina miſericordia. ibid.
V. *De altero peccato in Spiritum Sanctum; nimirum* deſperatione. ibid.

VI. *De tertio peccato in Spiritum Sanctum; nempe* impugnatione agnitæ veritatis. ibid.
VII. *De* fraternæ gratiæ invidentia, *quarto in Spiritum Sanctum peccato*. 291.
VIII. *De* impœnitentia, *quinto peccato in Spiritum Sanctum. Quid proprie hic eo nomine veniat*. ib.
IX. *De poſtremo peccato in Spiritum Sanctum; videlicet* obſtinatione. ibid.

CAPUT II.

De Peccatis omiſſionis.

Doctrina.

I. *Quid ſit peccatum omiſſionis.* 292.
II. *Quandonam peccatum omiſſionis imputetur. Prout externum eſt, illud incurritur, dum tempus eſt ponendi actum.* ibid.
III. *Sancti Thomæ doctrina ſacris Canonibus confirmata.* ibid.
IV. *Internum omiſſionis peccatum incurritur, ſtatim ac quis de omittendo deliberat, aut voluntarie ponit omiſſionis cauſam.* ibid.
V. *Cenſura tamen, ſiquæ adnexa ſit, non incurritur, niſi omiſſione ſecuta.* 293.
VI. *De peccatis omiſſionis, quæ in genere pertinent ad ſtatum cujuſque.* ibid.
VII. *Quid ſit hominum* ſtatus, officium, *&* gradus. ib.
VIII. *Neceſſaria eſt ſtatuum, & officiorum varietas in myſtico Eccleſiæ corpore. Pulchra S. Thomæ doctrina.* ibid.
IX. *Eadem eſt neceſſitas in corpore politico.* 294.
X. *Ex hac ſtatuum, & officiorum diverſitate plures, ac diverſæ obligationes in hominibus conſequuntur. Unde vocatio Dei ad quemcumque ſtatum requiritur.* ibid.
XI. *Non eadem tamen oportet vocatio ſit reſpectu ſtatuum omnium officiorum.* ibid.
XII. *Specialior vocatio neceſſaria eſt ad ſtatum, & officium Epiſcopi, & Parochi, quam ad ſtatum Religioſum.* ibid.
XIII. *Quid agere quiſque debeat, ut divinam ad aliquem ſtatum vocationem agnoſcat.* ibid.
XIV. *Specialis adhibenda pro ſuſcipiendis quibuſdam officiis cura.* 295.

CAPUT III.

De generalibus, & ſpecialibus quorumdam ſtatuum, & officiorum obligationibus.

Doctrina, et Consectaria ejusdem.

I. *Generalis omnium hominum obligatio eſt, otium fugere, & ad aliquid agendum ſive mente, ſive corpore animum applicare.* 295.
II. *Pluribus ejuſmodi obligatio confirmatur.* 296.
III. *Primum, quod ex hac obligatione Conſectarium fluit.* ibid.
IV. *Alterum Conſectarium. Periculum ſalutis, in quo permulti præſertim Nobiles, ac Divites idcirco verſantur.* ibid.
V. *Conſectarium tertium. In majori ſalutis periculo ſunt Eccleſiaſtici deſidioſam vitam agentes.* ib.
VI. *Quartum Conſectarium. Culpabiles coram Deo ſunt, qui, cum facile poſſint, in proximi bonum talenta ſua pro ſtatus ſui conditione non impendunt.* ibid.
VII. *De peculiaribus quorumdam obligationibus; ac primum eorum, qui in laboribus corporalibus ex ſtatu, & officio occupantur.* 297.
VIII. *Quinam peccent contra hujuſmodi obligationes.* ibid.
IX. *De obligationibus Magiſtrorum, ſive Doctorum.* 298.
X. *Peccant, qui docere audent ſcientias, aut liberales artes, quas non callent.* ibid.
XI. *Arctiſſima obligatione tenentur Theologiæ Magiſtri, ut ſanam doctrinam tradant, tum quæ dogmata, tum quæ mores ſpectat.* ibid.
XII. *Conſectarium de non docendo Probabiliſmo.* ib.
XIII. *De obligationibus Auditorum, ſive ſtudentium. S. Thomæ de hac re textus a quibuſdam Probabiliſtis corruptus.* ibid.
XIV. *Qui artibus liberalibus addiſcendis operam navant, inutilia, & noxia ſtudia devitare debent.* 299.
XV. *Quoties peccent, qui hiſce ſtudiis operam dant. Conſectaria.* ibid.

CAPUT IV.

De obligationibus Medicorum, aliorumque, qui ſanandorum corporum curam gerunt.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Præcipuæ dotes, quibus Medicus pollere debet.* 300.
II. *Inſignis locus V. C. Ludovici Vives de obligationibus, & peccatis Medicorum.* ibid.
III. *In Medico requiruntur ingenium, inſtitutio longa, probitas morum, ſedulitas, uſus.* ibid.
IV. *Quam periculoſe officium exerceat Medicus, ſi ſcientia ſufficienti deſtitutus ſit.* ibid.
V. *Peccant inexperti, qui medendi miniſterium aſſumunt.* ibid.
VI. *Peccant etiam, ſi ex livore, aut pertinacia in alienam ſententiam concedere abnuunt.* 301.
VII. *Rei quoque peccati ſunt, qui lucri aviditate morbos ſanare protrahunt.* ibid.
VIII. *Medicorum negligentia in inviſendis ægris, in perpendendis morborum qualitate, ac remediorum viribus, in peccato eſt, & quidem ſæpe mortali.* ibid.
IX. *Hippocratis jusjurandum, quod Medici omnes Chriſtiani obſervare debent.* ibid.
X. *Alia quædam a Medicis, & Chirurgis ſedulo animadvertenda.* ibid.
XI. *Pauperibus ægrotis vita periclitantibus gratis ſuccurrere tenentur.* 302.
XII. *Regulæ pro Medicorum inſtructione a Summo Pontifice Benedicto XIV. collectæ.* ibid.
XIII. *Aliæ ex eodem pro inſtructione Eccleſiaſticorum, qui artem Medicam, aut Chirurgicam exercent.* ibid.
XIV. *Quædam de obligationibus Pharmacopolæ.* 303.

CA-

CAPUT V.

De Judicum obligationibus, & eorum peccatis in ipſarum omiſſione.

Doctrina, et Consectaria.

I. *QUatuor dotes requiruntur in Judice: quarum prima*, authoritas *ſcilicet* judicandi, *declaratur ex S. Thoma.* 303.
II. *Quatuor modi, quibus aliquis judicio alterius ſubjectus ſit.* 304.
III. *Multipliciter ex hoc capite peccare Judex poteſt.* ibid.
IV. *Requiritur ſecundo in Judice* ſufficiens ſcientia *eorum, quæ ſuum ſpectant officium.* ibid.
V. *Quorum ſcientiam callere Judex debeat.* ibid.
VI. *Dum certo veritatem cognoſcere nequit, in cauſis* civilibus *probabiliorem partem ſequi tenetur: in* criminalibus *favere potius reo, quam actori.* ibid.
VII. *Quænam a Judice in examine cauſæ obſervanda ſint.* 305.
VIII. *De tertia Judicis dote, & obligatione;* reddendi *nimirum* unicuique, quod ſuum eſt, conſtanti voluntate. ibid.
IX. *Colligitur, quando Judex deſit ex hoc capite obligationi ſuæ.* ibid.
X. *Quandonam Judex poſſit, aut non poſſit relaxare pœnam delicto debitam. S. Thomæ doctrina.* 219.
XI. *Juxta poſitam doctrinam quædam argumenta diluit idem S. Doctor.* ibid.
XII. *De quarta dote in Judice requiſita, quod videlicet* venalitatem fugiat *in ſuo officio, & obligatione inde conſecuta.* 306.
XIII. *S. Thomæ doctrina propoſita. Quid ex ea ſequatur.* ibid.
XIV. *Colligitur, quando peccent Judices ex hoc capite.* ibid.
XV. *Laxæ plures adverſus obligationes Judicis conſtitutas Caſuiſtarum opiniones referuntur, ac reprobantur; ac primum Buſembaum.* ibid.
XVI. *Alia ejuſdem opinio in propoſitione damnata contenta.* 307.
XVII. *Laxa opinio P. Valentiæ, poſſe Judicem in cauſis æqualis probabilitatis in favorem amici ſui judicium ferre, aſſerentis.* ibid.
XVIII. *Laxior de re eadem, ac expreſſe damnata opinio PP. Dicaſtilli, Salas, Fagundez &c.* ib.
XIX. *Quid de eadem quæſtione ſentiat P. Thomas Sanchez Probabiliſtarum Princeps.* ibid.
XX. *Corruptior alia P. Tamburini ſententia, putantis licitum eſſe Judici* vendere ſententiam probabilem *propter extrinſecam Doctorum, quos refert, authoritatem.* 308.
XXI. *Hanc opinionem communem eſſe S. J. Doctoribus cenſet Eſcobarius.* ib.
XXII. *Teſtimonium* Apologiſtæ Caſuiſtarum, *laxam eamdem opinionem communem pariter eſſe aſſerentis.* ibid.
XXIII. *Juxta eumdem aliam quoque monſtroſam opinionem Caſuiſtæ docent; non teneri ſcilicet Judicem ad ea reſtituenda, quæ pro danda* injuſta *ſententia recepit. Verba P. Leſſii, qui alios laudat.* 309.
XXIV. *Quædam de obligatione Judicis in cauſis criminalibus. S. Thomæ doctrina expoſita.* ib.
XXV. *Conſectaria, quæ ex doctrina conſtituta deducuntur.* ibid.

CAPUT VI.

De Accuſatoris obligationibus.

Doctrina, et Consectaria.

I. *OBligatur homo alium accuſare, quoties agitur de crimine vergente in Reipublicæ, aut Communitatis detrimentum. S. Thomæ doctrina.* 310.
II. *Quid ex hac doctrina colligatur.* 311.
III. *Quædam ex reſponſionibus adhibitis a S. Thoma ad argumenta merito obſervata, quibus aliquæ difficultates expediuntur.* ibid.
IV. *Scripto fieri accuſatio debet, non divino quidem jure, ſed humano; idque ſaltem Notarii manu.* ibid.
V. *Tribus modis peccatur in accuſando, ſicut etiam in denunciando:* Calumnia *ſcilicet*, prævaricatione, & tergiverſatione. *Hoc exponitur ex D. Thomæ doctrina.* ibid.
VI. *Ex reſponſis ad argumenta hæc doctrina amplius illuſtratur.* 312.
VII. *Ordinate & abſque ullo vitio* tergiverſatio *in accuſatione fieri poteſt ex duplici capite.* ib.
VIII. *Accuſator injuſtus in probatione deficiens ad pœnam talionis tenetur ex jure humano antiquo.* ibid.
IX. *Quod tamen in deſuetudinem abiiſſe videtur.* ibid.

CAPUT VII.

De Reo, ejuſque obligationibus.

Doctrina, et Consectaria.

I. *TEnetur ſub mortali peccato reus a legitimo Judice interrogatus, ingenue fateri crimen a ſe commiſſum.* 313.
II. *Quid in doctrina tradita S. Thomas intenderit, & ex ea conſequatur.* ibid.
III. *Ex reſponſis S. Thomæ ad argumenta ſibi objecta magis doctrina ipſius illuſtratur.* ib.
IV. *Amplior ejuſdem doctrinæ confirmatio.* ib.
V. *Conſectarium ex hac doctrina deductum.* ib.
VI. *Si Judex non ſecundum ordinem juris interroget, poteſt reus aliquo licito modo judicium ejus ſubterfugere: nunquam tamen ipſi falſitatem dicere licet.* ibid.
VII. *Doctrina iſthæc magis exponitur.* 314.
VIII. *Quibus modis Judex non ſecundum ordinem juris interrogat.* ibid.
IX. *An, & quando reo liceat appellatio ad alium Judicem?* ibid.
X. *Adnotatio circa appellationes.* 315.
XI. *Juſte ad mortem, aliudve ſupplicium damnato haud licet ſeſe defendere contra Judicem, ac juſtitiæ miniſtros.* ibid.

XII. *Caſuiſtarum objectiones a S. Thoma enervatæ.* ibid.
XIII. *Conſectaria ex doctrina ejuſdem S. Thomæ derivata.* ibid.
XIV. *An liceat reo carcerem ad evadendum effringere?* 316.
XV. *Laxæ, & abſurdæ de rei obligationibus Caſuiſtarum contra ſententium opiniones referuntur, ac primum P. Thomæ Sanchez.* ibid.
XVI. *Buſembaum admittit* communiorem, & veriorem *eſſe ſententiam S. Thomæ. Et tamen modernos ſequutus oppoſitam* probabilem *judicat*, & in praxi tutam. ibid.
XVII. *Thomæ Tamburini, qui ſupra viginti Caſuiſtas allegat, textus plures afferuntur cum quibuſdam in eoſdem animadverſionibus.* ibid.
XVIII. *Laxitates aliæ Tamburini, aliorumque Juniorum de rei obligationibus.* ibid.
XIX. *Carolus Antonius Caſnedi eamdem de reo a Judice interrogato laxam opinationem tradit.* 318.
XX. *Laxa alia Caſuiſtarum opinamenta quoad illa, quæ reis licita faciunt, ut ſe vel a morte, vel ab aliquo gravi damno liberent.* ibid.

CAPUT VIII.

De Teſtium, & Advocatorum Obligationibus.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. T*Enetur homo aliquando ad teſtimonium ferendum. Elegans doctrina S. Thomæ, qua obligationem hanc declarat.* 319.
II. *Quo pacto Judex ſe gerere debeat in inquirendo Reo alicujus delicti publici.* ibid.
III. *De inquiſitione generali, & ſpeciali Rei a Judice præmittenda.* 320.
IV. *Ad habendam ſufficientem notitiam Rei, ac delicti ſufficit duorum, vel trium teſtimonium.* ib.
V. *Objectio quædam diluitur.* ibid.
VI. *Quid requiratur, ut duo, aut tres ad teſtificandum ſufficiant adverſus aliquem.* ibid.
VII. *Quandoque ſufficit vel unicus teſtis.* 321.
VIII. *Quænam perſonæ jure vel naturali, vel poſitivo humano ad teſtimonium ferendum non admittantur.* ibid.
IX. *Quædam Conſectaria derivantur.* ibid.
X. *Quinam Advocati, & Procuratoris nomine veniant; & quæ in ipſis dotes neceſſariæ ſint.* ibid.
XI. *De peritia Legum in Advocato, & Procuratore requiſita.* 322.
XII. *De fidelitate, quam ſervare Clientibus debent.* ibid.
XIII. *De juſtitia cauſæ, quam cognoſcere tenentur, antequam eam tuendam ſuſcipiant.* ibid.
XIV. *Illuſtratur hæc obligatio ex S. Thomæ doctrina.* ibid.
XV. *Quid agendum ſit Advocato, cum dubia eſt juſtitia cauſæ, aut ſolum probabilis.* ibid.
XVI. *De poſtrema Advocati dote; ſcilicet moderatione in exigendo pretio pro ſuo labore, ſive patrocinio.* 323.
XVII. *Advocatus tenetur pauperi gratis patrocinium impendere. Quando ad hoc charitatis officium teneatur.* ibid.
XVIII. *Colligitur, quoties in officio ſuo Advocati delinquant.* 324.
XIX. *Ex Benedicto XIV. indicatur, quænam perſonæ officium Advocati exercere poſſint.* ibid.
XX. *De obligationibus Notarii, ejuſque peculiaribus peccatis.* ibid.
Reflexio. 325.

CAPUT IX.

De occaſione Peccati.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. A*Nimadverſio S. Caroli Borromæi circa proximas peccandi occaſiones.* 326.
II. *Diviſio traditur* occaſionis *peccati.* ibid.
III. *Propoſitiones ab Eccleſia in hac materia anathemate confixæ.* ibid.
IV. *Notiones* occaſionis proximæ *a modernis Caſuiſtis traditæ.* 327.
V. *Confutatur ea, quæ inter ipſos frequentior eſt.* ib.
VI. *Vera ac legitima* proximæ occaſionis *notio propoſita.* 328.
VII. *Quid ex hac definitione ſequatur.* ibid.
VIII. *Alia Conſectaria ex eadem notione derivata.* ibid.
IX. *Quid agendum, dum remedia adhibita, ut occaſio proxima remota fiat, haud ſufficiunt.* 329.
X. *Falſa opinio plurium Probabiliſtarum, putantium, ad deſerendam occaſionem non teneri, dum quis tantum probabiliter novit ſe in illa lapſurum.* ibid.
XI. *Exploditur ſententia Laymani, aliorumque, negantium obligationem deſerendi proximam occaſionem, dum id ſine gravi incommodo fieri nequit.* 330.
XII. *Quemadmodum & Card. de Lugo plures alios laudantis.* ibid.
XIII. *P. Lacroixius licet affirmantem opinionem* veram *judicet; nihilominus vi ſyſtematis probabiliſtici negantem ut licitam permittit.* ib.
XIV. *Recenſitæ opiniones vel tamquam damnatæ ab Eccleſia, vel ut in damnatis contentæ rejiciendæ ſunt. Et efficaci argumento Caſuiſtarum ſententia refellitur.* ibid.
XV. *Corollaria plura peculiari obſervatione digniſſima ex doctrina conſtituta deducuntur.* 331.
XVI. *Occaſione argumenti ab Adverſariis ex S. Thomæ doctrina propoſiti, de ſumma in legendo S. Doctore oſcitantia convincuntur; veraque ſententia ejuſdem authoritate luculentiſſime confirmatur.* 332.
Reflexio. 333.

ETHI-

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS TERTIUS

DE OFFICIIS HOMINUM, SIVE DE HUMANIS ACTIONIBUS BONIS, AC MALIS.

SATIS *abunde, ut quidem mihi videtur, de Regulis morum,* Lege *ſcilicet, ac* Ratione humana *ſermonem habuimus. Accedamus nunc ad explicanda ea hominum officia, ſive humanas actiones, quæ ex conformitate, aut difformitate ad eas regulas bonæ, vel malæ ſunt. Quum vero hoc argumentum latiſſime pateat, immo totam ferme Ethicam Chriſtianam complectatur; idcirco de iis duntaxat hoc Tractatu tertio diſſeremus, quæ univerſalia principia ſpectant* bonitatis, *ac* pravitatis *officiorum hominis, ſive humanarum actionum. Quinque autem erunt hujuſce* Tractatus *Diſſertationes, in quarum prima de principiis agam generalibus, & conditionibus actuum humanorum: in altera de virtutibus moralibus: in tertia de vitiis, & peccatis in genere conſideratis: tum vero in quarta de peccatis capitalibus: in quinta demum de peculiaribus quibuſdam generibus peccatorum.*

DISSERTATIO I.

DE PRINCIPIIS ET CONDITIONIBUS GENERALIBUS ACTUUM HUMANORUM.

HÆc *Diſſertatio ea continet principia*, *&* *conditiones*, *de quibus Doctor Angelicus S. Thomas pertractat* in prima ſuæ ſecundæ partis, *agens de humanis actionibus*, *ad breviorem methodum redacta*, *illamque in aliquot capita de more tribuemus*.

CAPUT PRIMUM.

Prælibantur ea, *quæ tradit S. Thomas de ultimo fine hominis*, *&* *beatitudine*.

DOCTRINA.

Doctrinæ Synopſis.

I. *Proprium hominis eſt agere propter finem*.
II. *Ex hoc fine ſpeciem bonitatis*, *ac malitiæ recipiunt actus humani*.
III. *Ultimus aliquis finis humanæ vitæ admittendus*; *iſque unicus tantum ſit oportet*.
IV. *Omnia*, *quæ homo appetit*, *appetit propter ultimum finem*, *ſive propter bonum*.
V. *Finis ultimus peccantis lethaliter eſt creatura*, *ſive bonum creatum*.
VI. *Quædam notantur pro ſolutione difficultatum*, *quæ fieri contra poſſunt*.
VII. *Creatura*, *quam pro fine ultimo habet peccator*, *preſſe loquendo*, *ipſe peccator eſt*, *bono aliquo commutabili*, *quod ſibi maxime vult*, *perfectus*.
VIII. *Juſtus venialiter peccans*, *&* *peccator opus aliquod bonum peragens non reſpiciunt in his finem ultimum particularem*, *ſed generalem duntaxat*, *ſive communem boni rationem*.
IX. *De vero ultimo fine*, *ſeu vera hominis beatitudine mira inter antiquos Gentiles Philoſophos diſſenſio*.
X. *Quid ſit beatitudo*? *Hæc conſiſtere nequit in ullo exteriore creato bono*.
XI. *Sed neque conſiſtere poteſt in aliquo bono interiore animi*, *ſive in ſcientiis intellectualibus*, *aut virtutibus moralibus*.
XII. *Doctrina S. Thomæ*, *qua probat*, *&* *explicat*, *hominem invenire nullatenus poſſe beatitudinem in ſemetipſo*.
XIII. *Solus Deus clare viſus creaturam intellectualem felicem efficere valet*, *atque beatam*:

I. QUum a fine ultimo, quem ſibi præfigit homo, tota pendeat actuum ſuorum moralis bonitas, aut pravitas juxta illud a Philoſopho uſurpatum: *Sicut ſe habet primum principium in ſpeculabilibus*, *ita ultimus finis in operabilibus*; idcirco D. Thomas primam ſuæ ſecundæ partis, in qua de iis, quæ morum actiones ſpectant, differit, tractationem orditur ab ultimo fine hominis, primumque ſtatuit *artic.* 1., convenire homini agere propter finem, eo quod *actiones omnes*, *quæ procedunt ab aliqua potentia*, *cauſantur ab ea ſecundum rationem ſui objecti*: *objectum autem voluntatis eſt finis*, *&* *bonum*.

Porro quum S. Thomas hic potiſſimum agat de actionibus moralibus, duplex diſtinguit genus actionum, quæ ad hominem pertinent, quarum aliæ dicuntur *humanæ*, aliæ vero *hominis*. Actiones *humanæ* appellantur eæ, quæ propriæ ſunt hominis, prout homo eſt, quatenus ſcilicet operatur per rationem, & voluntatem, ſive per liberum arbitrium, quo ſe determinat ad aliquid agendum, vel non agendum: *Si quæ autem* (ſubdit) *aliæ actiones homini conveniunt*, quæ nempe a deliberata voluntate non proveniunt, *poſſunt quidem dici hominis actiones*; *ſed non proprie humanæ*, *cum non ſint hominis*, *in quantum eſt homo*, ſeu in quantum libero arbitrio pollet, ac differt a cæteris creaturis irrationalibus.

Hæc autem prærogativa, qua homo deliberate tendit in finem, ita convenit homini, ut nulli alii creaturæ, quæ rationalis non ſit, conveniat. Quapropter conſiderandum eſt ex eodem Angelico Doctore artic. 2. „ Quod aliquid ſua actione, „ vel motu tendit ad finem dupliciter: uno modo, ſicut ſe ipſum ad finem movens ut homo. „ Alio modo, ſicut ab alio motum in finem, „ ſicut ſagitta tendit ad determinatum finem ex „ hoc, quod movetur a ſagittante, qui ſuam „ actionem dirigit in finem. Illa ergo, quæ rationem habent, ſe ipſa movent ad finem: quia „ habent dominium ſuorum actuum per liberum „ arbitrium, quod eſt facultas voluntatis, & rationis. Illa vero, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quaſi ab alio mota, non autem a ſe „ ipſis, cum non cognoſcant rationem finis: & „ ideo nihil in finem ordinare poſſunt, ſed ſolum in finem ab alio ordinantur. Nam tota „ irrationalis natura comparatur ad Deum, ſicut „ inſtrumentum ad agens principale. Et ideo „ proprium eſt naturæ rationalis, ut tendat in „ finem, quaſi ſe agens, vel ducens in finem: „ naturæ vero irrationalis, quaſi ab alio acta, „ vel ducta, ſive in finem apprehenſum, ſicut bruta animalia, ſive in finem non apprehenſum, ſicut ea, quæ omnino cognitione carent “.

II. Ab hoc fine ſpeciem bonitatis, vel malitiæ recipere omnia officia humana, ſive moralia, prout ea modo conſiderantur, docent cum D. Thoma cæteri quique Theologi, docueruntque jam SS.

SS. Patres, ex quibus Magnus Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus expendens illud Chriſti Domini apud Matth. cap. 6.: *Si oculus tuus ſimplex fuerit*, *totum corpus tuum lucidum erit*, ſic habet lib. 2. *de Serm. Domini in Monte* cap. 53. : „ Oculum „ hic accipere debemus ipſam intentionem, qua „ quidquam facimus : quæ ſi munda fuerit, & „ recta, & illud aſpiciens, quod aſpiciendum eſt, „ omnia opera noſtra, quæ ſecundum eam opera- „ mur, neceſſe eſt bona ſint. Quæ omnia opera „ *totum corpus* (Chriſtus) appellavit " . Sicut ex oppoſito, ſi prava ſit finis intentio, & tenebroſa, etiam totum corpus actionum noſtrarum pravum, ac tenebroſum ſit, oportet. Quod clarius explicat idem Sanctus Doctor lib. *de moribus Manich.* cap. 3. inquiens : „ Quod „ non veſcimini carnibus, & vinum non bibi- „ tis, ſignaculum oris mirandum, & laudandum „ putatis. Sed quæro a vobis, quo fine facia- „ tis? Finis enim, quo referuntur ea, quæ fa- „ cimus, ideſt propter quem facimus, quidquid „ facimus, ſi non ſolum inculpabilis, ſed et- „ iam laudabilis fuerit, tunc demum facta noſtra „ laude aliqua digna ſunt. Sin ille jure merito „ culpatur, quem ſpectamus, & intuemur; cum „ in aliquo verſamur officio, id quoque officium „ nemo improbandum, vituperandumque dubita- „ verit. De Catilina memoriæ proditum eſt, „ quod frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hæc „ erant illi ſpurco, ſacrilegoque etiam cum Apo- „ ſtolis noſtris communia. Unde ergo diſcer- „ nitur parricida iſte ab Apoſtolis, niſi fine „ illo, quem diverſiſſimum ſequebantur? Nam- „ que illa iſta tolerabat, ut immoderatiſſimas, & „ immaniſſimas expleret cupiditates : illi e con- „ tra ut eas premerent, & dominanti rationi ſer- „ vire cogerent " .

Hanc Sancti Auguſtini, ac cæterorum Patrum doctrinam confirmat Angelicus Doctor *artic.* 3. hujus quæſtionis hac ratione : quia humanæ actiones ſpeciem bonitatis, vel malitiæ depromunt & a principio, & a termino earumdem. *Principium* autem extrinſecum humanæ actionis eſt finis, qui movet voluntatem, & ſimul, ſpectato executionis ordine, *terminus*, in quo voluntas quieſcit. *Et ideo*, concludit, *manifeſtum eſt*, *quod principium humanorum actuum*, *in quantum ſunt humani*, *eſt finis*, *& ſimiliter eſt terminus eorumdem*. *Nam id*, *ad quod terminatur actus humanus*, *eſt id*, *quod voluntas intendit tamquam finem* : adeoque a fine ſpeciem moralitatis actus humani, qui *idem ſunt ac morales*, ſortiuntur.

III. Hinc vero progrediens S. Thomas, poſtquam *art.* 4. oſtendit admittendum eſſe aliquem finem ultimum, humanæ vitæ, ſive humanarum actionum, quia in finibus per ſe intentis repugnat dari proceſſum in infinitum; probat *art.* 5. impoſſibile eſſe unius, & ejuſdem hominis voluntatem ſimul intendere plures *ultimos* fines; idque triplici ratione, quibus aliam præmittit in *Sed contra* ex Scripturæ textibus deſumptam: nimirum finis ultimus ille eſt, cui omnia, quæ ſunt in hominis poteſtate, ſubjiciuntur : ipſe vero affectui hominis omnino dominatur; unde de iis, qui gulæ ſerviunt, dicatur ad Philip. 3. ; *Quorum Deus venter eſt*, quia ſcilicet ventris voluptatem tamquam Deum, & ultimum finem habent, ad quam omnia referunt. Porro duo ſupremi eſſe non poſſunt voluntatis Domini, quibus prorſus ſubjiciantur omnes ipſius affectus : quia ſaltem amor unius amori alterius non dominabitur, alias uterque finis non eſſet ſupremus Dominus juxta illud apud Matth. 7. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*; *aut enim unum odio habebit*, *& alterum diliget &c.*

Ratio autem prima S. Thomæ in hoc ſita eſt, quod finis ſimpliciter ultimus ſatiare debet, & explere appetitum. Si enim appetitum plene non ſatiet, ac expleat, in eo ultimo non quieſcat voluntas, ſed ad ulteriorem ſuſpirabat, ut in eo conſummatum ſuam perfectionem inveniat. Voluntas autem non poteſt intendere duo bona perfecte ſatiativa ſui ipſius: bonum namque perfecte ſatiativum tale eſt, ut nihil extra ipſum appetendum relinquatur, quod utique non eſſet, ſi præter unum ex illis bonis aliud voluntas ad ſui perfectionem requireret. Igitur duos ultimos fines voluntas ſimul intendere nequit.

Ratio altera ita proponitur a S. Thoma: „ Quia „ ſicut in proceſſu rationis principium eſt id, „ quod naturaliter cognoſcitur; ita in proceſſu „ rationalis appetitus, qui eſt voluntas, oportet „ eſſe principium id, quod naturaliter deſidera- „ tur. Hoc autem oportet eſſe unum : quia na- „ tura non tendit, niſi ad unum. Principium „ autem rationalis appetitus eſt ultimus finis. „ Unde oportet id, quod tendit voluntas ſub ra- „ tione ultimi finis, eſſe unum ".

Tertia demum ratio in hoc conſiſtit, quod primum principium in quolibet genere eſt tantum *unum*: ſed ultimus finis eſt primum principium in genere appetibilium, quatenus in hoc genere eſt primum movens voluntatem; ergo ultimus finis eſt tantum unus. Id confirmari poteſt, quod ſicut ſe habet ultimus finis hominis relate ad totum humanum genus, ita ſe habet ultimus finis hujus hominis ad hunc hominem: totius autem humani generis non eſt niſi ultimus finis, ſicuti docet *artic.* 7.; igitur etiam unius hominis in particulari non poteſt eſſe niſi unus ultimus finis.

IV. Subinde *art.* 6. decernit S. Præceptor *neceſſe eſſe*, *quod omnia*, *quæ homo appetit*, *appetit propter ultimum finem*. Hoc autem, quemadmodum exponunt graviores Interpretes, intelligendum eſt de fine, non quidem *materialiter*, & in particulari apprehenſo, ſed formaliter, & in univerſali, ſive ſub communi notione ſummi boni, quod ſatiat, & explet appetitum. Id autem S. Thomas evincit duplici ratione, quarum prima eſt : quia quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni: quod quidem vel eſt bonum perfectum, adeoque finis ultimus, atque ita finem ultimum appetit : vel eſt imperfectum, atque adeo natura ſua ordinatum in bonum perfectum, ſicut omnis inchoatio perfectionis ex ſe, & ſuapte natura tendit in bonum perfectum, quod eſt ultimus finis, atque ita appetit illud propter ultimum finem. Alteram vero ita proponit: „ Ul-

 „ ti-

„ timus finis hoc modo ſe habet in movendo „ appetitum, ſicut ſe habet in aliis motionibus „ primum movens. Manifeſtum eſt autem, quod „ cauſæ ſecundæ moventes non movent, niſi ſe- „ cundum quod moventur a primo movente. „ Unde ſecunda appetibilia non movent appeti- „ tum, niſi in ordine ad primum appetibile, „ quod eſt ultimus finis “.

V. Ex his vero quæſtiones aliquæ ſuboriuntur, quæ plane elucidandæ, ac reſolvendæ ſunt, quum ad inſtitutum noſtrum maxime pertineant. Prima eſt, quinam ſit mortaliter peccantis finis ultimus, non quidem inſpectus ſub univerſali ratione boni, ſed ſub ratione peculiari, ſive re illa particulari, in qua lethaliter peccans finem ultimum ſuum conſtituit. Qua in quæſtione perpetua, & conſtans eſt S. Thomæ doctrina ex Sanctis Patribus deſumpta, peccantem mortaliter finem ultimum ſuum conſtituere in creatura, ſive in bono creato, aut commutabili, ſicut tradit pluribus in locis ſuorum Operum, quorum aliqua proferre præſtat. In hac prima ſecundæ partis q. 89. art. 1. ad 3. ait: *In peccato mortali anima per amorem contingit rem temporalem quaſi finem: & per hoc totaliter impeditur influxus ſplendoris gratiæ, qui provenit in eos, qui Deo adhærent ut ultimo fini per charitatem. Sed in peccato veniali non adhæret homo creaturæ tanquam fini ultimo &c.* Et 2. 2. q. 45. art. 1. ad 2. *Quicumque avertitur a fine debito*, qui Deus eſt, *neceſſe eſt, quod aliquem finem indebitum ſibi præſtituat: quia omne agens agit propter finem.* Paria luculentius docet lect. 2. in cap. 2. epiſt. ad Rom. dicens: *Quicunque mortaliter peccat, averſus ab incommutabili bono, finem conſtituit in bono commutabili.* Et in Diſp. q. 28. de Verit. art. 2. ad 10: *Quicumque in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipſo quantum ad affectum ſuum præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quam Creatorem: finis enim eſt, qui maxime diligitur.* Eademque habet *quæſt. 7. de malo artic. 1. ad 20.* & *lib. 1. ſentent. quæſt. 4. art. 1.*, & in aliis pluribus locis.

Solidum fundamentum habet hæc doctrina in Sacris Literis. Nam & in loco ſupra citato de gulæ deditis dicitur: *Quorum Deus venter eſt*, eo quod ultimum finem ſuum in deliciis ventris conſtituant: & de iis, qui in Chriſtum quidem crediderant, *ſed propter Phariſæos ipſum non confitebantur, ne a Synagoga ejicerentur*, legitur apud Joan. 12. quod *dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*. Et ſimiliter bona hujus Mundi, honores, divitias, voluptates magis diligunt, quam Deum, qui per peccatum mortale ab ipſo avertuntur: adeoque omnes mortaliter peccantes quidpiam a Deo diverſum diligunt plus quam Deum ipſum, quod eſt finem ultimum in creatura, ſive creato bono conſtituere. Et ſane quicunque mortaliter peccat, aliquem finem reſpicit; ſiquidem actiones omnes humanæ, aut deliberatæ fiunt propter aliquem ultimum finem. Cum igitur peccantis actio pro fine ultimo habere nequeat Deum, quem deſerit, rebuſque aliis poſtponit, oportet, quod finis ipſius ſit aliqua creatura.

VI. Ut autem ſolvantur objectiones, quæ fieri contra poſſunt, duo præ oculis habenda ſunt. Primum quod licet lethaliter peccans aliquando actu imperfecto, & inefficaci velit, aut velle videatur placere Deo; actu tamen perfecto, & efficaci creaturam Creatori præfert, quæcunque illa ſit, ob quam peccat, & idcirco virtualiter ſaltem, aut interpretative creaturam illam reſpicit velut ultimum finem. Alterum, contingere poſſe, ut quandoque qui lethale peccatum committit, Deum quidem amet, ſive amore aliquo erga ipſum afficiatur; at non amore charitatis, quo Deus ſincere diligitur ſuper omnia tanquam ultimus finis, ſed amore aliquo naturali, aliove imperfecto. Unde & concedendum videtur, peccantem mortaliter Deum amare pluſquam creaturam, ſi conſideremus Deum, prout eſt bonum quoddam univerſale, & commune omnium, & loquamur de amore mero naturali. Hoc enim amore naturali tum Angelos etiam malos, tum homines naturaliter diligere plus Deum, quam ſemetipſos docet S. Thomas p. 1. q. 60. art. 5.; ubi inter alia ad 5. ait: *Illi, qui non vident eſſentiam Dei, cognoſcunt eum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur. Et ſic hoc modo dicuntur odio habere Deum: cum tamen, in quantum eſt bonum commune omnium, unumquodque naturaliter diligat plus Deum, quam ſeipſum.*

VII. Hinc vero alia quæſtio ſubnaſcitur, quænam preſſe loquendo, ſit illa creatura, in qua peccator finem ſuum ultimum collocat? Qua in quæſtione Theologi in varias abeunt, atque inter ſe diſſidentes opinationes, juxta plura hujus mundi bona, divitias, voluptates, honores &c., quæ peccatores affectu ſuo proſequuntur. Sed niſi fallor ipſe, hæc opinionum diverſitas potius in verbis, quam in re ipſa conſiſtit. Unde mihi magis ea ſententia arridet, quæ etiam conformior videtur ſenſui Sanctorum Patrum, maximeque Sancti Auguſtini; nimirum creaturam, quam inordinate peccator diligit, habetque pro ultimo fine, ipſum eſſe peccatorem, non utcunque conſideratum, ſed ut eo creato bono perfectum, atque fruentem, quod ſibi maxime vult, atque appetit præ vero ultimo fine hominis, qui ſolus Deus eſt. Atque hoc ſenſu intelliguntur, ac intelligi debent frequentes illæ locutiones Patrum de duobus amoribus dominantibus, qui diſcernunt juſtos, ac peccatores. Sic Sanct. Auguſtin. *lib. 14. de Civit. Dei*. cujus textum refert, & approbat Sanctus Thomas eodem art. 5. ſcribit: *Fecerunt Civitates duas amores duo; terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad Dei contemptum: cæleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Hinc celebris illa in Sancto Auguſtino diſtinctio duplicis amoris, *charitatis* ſcilicet, & *cupiditatis*, quas ita definit lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 18, *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum: cupiditatem motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Quo nomine *fruitionis* Sanctus Pater, quemadmodum & Sanctus Thomas, intelligit quietem appetitus tamquam in ultimo fine. Igitur peccator alia quidem amat, honores, divitias, voluptates

lu-

luptates &c. ſed quia hæc omnia non refert ad Deum, ſed ad ſemetipſum, & propter ſui ipſius perfectionem quærit, ideo ſemetipſum reſpicit, habetque tamquam ultimum finem.

VIII. Sed alia hinc quæſtio oritur; quemnam ultimum finem reſpiciat ſive homo juſtus, qui habet Deum pro ultimo fine, dum venialia peccata committit; ſive peccator, qui pro fine ultimo habet ſeipſum, dum bonum aliquod opus peragit: præſertim quum D. Thomas diſerte doceat, omnia, quæ homo vult, velle propter ultimum finem, ut ſupra vidimus? Hæc quæſtio ex iis, quæ dicta ſunt, reſolvi debet. Admittendum quippe omnino eſt, & juſtum in aliquibus ſæpe venialiter delinquere, adeoque nec in iis reſpicere Deum velut ultimum finem: neque peccatorem peccare ſemper in operibus, quæ agit, ſed aliquando bona aliqua opera efficere, aut efficere poſſe honeſta ex officio, quibus proinde non reſpiciat ſeipſum tanquam finem ultimum: ſic etenim jam definitum ab Eccleſia eſt. Quemnam ergo in his finem ultimum uterque reſpicit? Reſpondemus juxta dicta, hominem in his nullum habere finem ultimum *particularem*, & veluti *materialem*, ſed *bonum ſub communi boni ratione*: neque enim neceſſe eſt, quod omnia, quæ vult homo etiam deliberate, ea velit vel propter Deum ſumme dilectum, vel propter ſeipſum inordinate amatum: ſed aliqua poteſt velle, quæ nec actu, nec habitu, nec virtute referat in finem ultimum particularem. Atque ita præter alios mentem S. Thomæ explicat P. Medina dicens: *Quando affirmat B. Thomas, hominem omnia velle propter finem ultimum, loquitur de fine ultimo formaliter, non materialiter. Senſus itaque eſt, quod homo in omnibus operibus ſuis hoc intendit, & cupit, ut bene ſe habeat, ut perfectionem ſuam acquirat, ſive veram, ſive apparentem, & ut deſideria ſua expleat.* Et in reſponſione ad 5. *Dicendum eſt concluſionem D. Thomæ (qua nimirum dixit, neceſſe eſſe, quod omnia, quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem) verum eſſe de fine ultimo in generali, non in particulari.*

Quoties igitur juſtus venialiter peccat, appetit quidem ultimum finem ſive bonum in communi, aut beatitudinem, vel aliquam ejus participationem, ſed non appetit finem ultimum *particularem*, ſcilicet Deum, cui tamen ſemper manet ſubordinatus. Unde non amat objectum peccati venialis propter Deum, ſed præter Deum, ſicuti ſæpe docet S. Thomas. Quare, ut recte obſervat S. Bonaventura, *in peccato veniali neque eſt uſus, nec fruitio, ſed abuſus. Uſus* namque tendit ad finem particularem, & *fruitio* in eo ſiſtit: *abuſus* vero eſt receſſus ab ultimo fine particulari citra contemptum illius.

Similiter non oportet, ut ea omnia, quæ ſive infidelis, ſive alius in peccato mortali exiſtens, opera facit, propter ſemetipſum tanquam finem ultimum faciat, adeoque peccata ſint. Nam in operibus bonis ex officio, puta eleemoſyna pauperi ex motivo miſericordiæ collata, in honore parentibus exhibito, Patriæ defenſione, aliiſque id genus operibus, non agit peccator propter ſuum ultimum finem particularem, ſed ex præciſo honeſtatis motivo agere poteſt. Finis vero ultimus harum actionum commune bonum eſt, ſive beatitudo, quam in actu omni indeſinenter quærimus. Qui finis, utpote naturaliter amatus, & ab honeſto, vel inhoneſto de ſe præſcindens, nullam in actum refundit bonitatem, aut malitiam.

IX. Præmiſſa quæſtione de ultimo fine progreditur D. Thomas ad inquirendum, ac determinandum, qua in re verus Creaturæ intellectualis finis ultimus, ac *hominis beatitudo* conſtituenda ſit. Multiplex enim extitit olim de hoc inter gentiles Philoſophos opinionum diverſitas, adeo ut Marcus Varro ducentas octuaginta ſententias recenſeat, uti refert S. Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei: *De finibus*, inquit, *bonorum, & malorum multa, & multipliciter inter ſe Philoſophi diſputarunt. Quam quæſtionem maxima intenſione verſantes invenire conati ſunt, quid efficiat hominem beatum? Illud enim eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cetera, ipſum autem propter ſeipſum . . . . . Fines itaque iſti ſunt ſummum bonum, & ſummum malum, de quibus inveniendis, atque in in hac vita ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo, multum laboraverunt, qui ſtudium ſapientiæ in hujus ſæculi vanitate profeſſi ſunt: nec tamen eos, quamvis diverſis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permiſit, ut alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent, & malorum. Ex qua tripartita veluti generalium diſtributione ſectarum Marcus Varro in lib. de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad* 288. *ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias facillime perveniret.*

X. Porro beatitudo definitur a S. Thoma *bonum totaliter quietans, & ſatians appetitum*. Quæ definitio in eam recidit, quam tradunt ſive Tullius, nempe *bonorum omnium, ſemotis malis omnibus, cumulata complexio*; ſive Boethius, *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; ſive demum S. Auguſtinus, *rerum omnium optandarum cumulata plenitudo*. In quo ergo ſita ſit hujuſmodi hominis felicitas, quærit Sanctus Præceptor *qu.* 2., ac primum, in quo ea neque conſiſtat, neque conſiſtere valeat, determinat, nimirum in nullo bono creato corporis, aut animi. Et quidem (ut ea, quæ fuſe verſat per plures articulos, compendio colligam) conſiſtere nequit in aliquo exteriore, ſive interiore corporis bono, nempe non in divitiis; quia ſi loquamur *de naturalibus, hujuſmodi divitiæ quæruntur ad ſuſtentandam naturam hominis, adeoque non poſſunt eſſe ultimus finis, ſed magis ordinantur ad hominem, ſicut ad finem*. Si vero *de artificialibus*, uti ſunt pecuniæ, *eæ non quæruntur, niſi propter naturales. Non enim quærerentur, niſi quia per eas emuntur res ad uſum vitæ neceſſariæ. Unde multo minus habent rationem ultimi finis*.

Non *in fama, & gloria* conſiſtere beatitudo valet: tum quia hæc bonitatem, vel excellentiam ſupponit; tum quia beatitudo eſt bonum conſtans, ac ſtabile; fama autem falſo rumore facillime amit-

titur, aut obſcuratur; tum etiam quia cognoſcere nobilius eſt, quam cognoſci: non enim cognoſcunt, niſi quæ in entibus nobiliora ſunt; cognoſcuntur autem etiam infima.

Sed neque in *poteſtate temporali* ſita beatitudo eſt, tum quia beatitudo eſt bonum poſſeſſum propter ſe, cum ſit omnium finis. Poteſtas autem ordinatur ad alios; tum quia beatitudo eſt bonum perfectum, & tranquillum. Poteſtas autem maxime imperfecta, & inquieta eſt: neque enim vitare poteſt ſollicitudines, & aculeos timorum; tum quia inſtabilis eſt, & obnoxia fortunæ viciſſitudini.

Demum neque eſt poſita in *voluptate*, ſive *delectatione*: tum quia ſi honeſta ſit, & ſpiritualis, conſequitur ex poſſeſſione boni convenientis. Si vero ſit terrena, aut corporea, non ſatisfacit præcipuæ hominis parti, animæ nempe rationali; tum quia beatitudo debet eſſe bonum hominis, ſive intellectualis creaturæ proprium; voluptas autem corporea communis eſt beſtiis, aut pecudibus, immo in his ſæpe perfectior eſt, quam in hominibus: tum demum quia beatitudo eſt ſupremum hominis bonum; adeoque conſiſtere nequit in conjunctione ipſius cum bonis ſibi inferioribus, ſcilicet bonis ſenſilibus corporis.

XI. Num vero, ſi in nullo exteriori bono creato beatitudo hominis poſita eſt, eam inveniet homo in aliquo bono animi ſui, puta in ſcientiis intellectus, aut in virtutibus voluntatis? Nequaquam; idque facile evincitur. Nam in primis ſi loquamur de ſcientiis intellectualibus, vera beatitudo talis ſit oportet, ut terminet hominis appetitum. In hac autem vita quo amplius homo intelligit, eo magis augetur ſciendi deſiderium, nec unquam ad hoc ſciendi deſiderium exhauriendum pervenit: quin immo ut Eccleſ. 1. dicitur, & experientia compertum eſt: *Qui addit ſcientiam, addit & laborem*; quia ex profundioris eruditionis copia majores dubitationes emergere ſolent: Si vero ſermo ſit de operationibus moralium virtutum, neque in his conſiſtere felicitatem hominis poſſe ſatis exploratum eſt; quia beatitudo eſt ultimus finis, qui ad ulteriorem non tendit: operationes autem virtutum ad aliud ordinantur; fortitudinis videlicet ad victoriam, & pacem, juſtitiæ ad Reipublicæ incolumitatem, atque ita de cæteris virtutibus, quæ omnes eo ſpectant, ut medium in internis affectionibus conſervetur, & decor in externis operationibus exurgat.

XII. Confirmatur generatim, & explicatur ex S. Thoma *quæſt.* 2. *art.* 7. dicente: „ Finis dupliciter dicitur: ſcilicet *ipſa res*, quam adipiſci deſideramus, & *uſus*, ſeu adeptio, vel poſſeſſio illius rei. Si ergo loquamur de ultimo fine hominis, *quantum ad ipſam rem*, quam appetimus, ſicut ultimum finem, impoſſibile eſt, quod ultimus finis hominis ſit ipſa anima, vel aliquid ejus: Ipſa enim anima in ſe conſiderata eſt ut in potentia .... Unde impoſſibile eſt, quod ipſa anima ſit ultimus finis ſui ipſius. Similiter etiam neque aliquid ejus, ſive ſit potentia, ſive actus, ſive habitus. Bonum enim, quod eſt ultimus finis, eſt bonum perfectum, complens boni appetitum: Appetitus autem humanus, qui eſt voluntas, eſt boni univerſalis. Quodlibet autem bonum inhærens ipſi animæ eſt bonum participatum, & per conſequens particulatum. Unde impoſſibile eſt, quod aliquid eorum ſit ultimus finis. Sed ſi loquamur de ultimo fine hominis, quantum ad ipſam adeptionem, vel poſſeſſionem, ſeu quemcunque uſum ipſius rei, quæ appetitur ut finis, ſic ad ultimum finem pertinet aliquid hominis ex parte animæ: quia homo per animam beatitudinem conſequitur. Res ergo ipſa, quæ appetitur ut finis, eſt id, in quo beatitudo conſiſtit, & quod beatum facit. Unde dicendum eſt, quod beatitudo eſt aliquid animæ: ſed id, in quo beatitudo conſiſtit, eſt aliquid extra animam “.

XIII. Quodnam igitur eſt bonum illud, in quo beatitudo hominis poſita eſt, noſque vere felices efficit, atque beatos? Non aliud profecto, niſi Deus, qui, cum bonum univerſale ſit, infinitum, & undequaque perfectum, ſolus explere valet appetitum humanum, ſolus conditiones habet, ob quarum carentiam felicitas in nullo creato bono reperitur. Supremum namque bonum eſt ad nullum aliud ordinatum: omne bonum, cætera omnia bona præcontinens: ſummum bonum, cujuſque defectus, & imperfectionis incapax, ſufficiens, & exuberans bonum, ſatians omne deſiderium: conſtans, & ſtabile bonum, utpote non temporarium, ſed æternum: denique connaturale hominis bonum, ad quod poſſidendum rationalis creatura naturaliter inclinatur, & cujus aſſecutione omnino perficitur. Unde S. Auguſtinus *de Spir. & lit.* c. 33. ait: *Illa cognitione, illa viſione, illa contemplatione ſatiabitur bonis animæ deſiderium: hoc enim ei ſolum ſat eſt: ultra non habet, quod appetat, quo inhiet, quod requirat*. Hoc autem ſummum, & perfectum bonum, cum in hac vita mortali plene poſſideri nequeat, reſtat, ut illud poſſidendum nobis ſit in vita futura immortali, in qua *videbimus Deum ſicuti eſt*, ejuſque viſione complebuntur omnia deſideria noſtra: ſi tamen per obſervantiam Divinæ legis, ſanctaque opera dignos nos effecerimus tam magna, & ineffabili felicitate.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diverſo modo homo agit propter finem, ac cæteræ creaturæ: nec homo ipſe ſemper* ut homo *in omnibus ſuis actibus operatur*.

II. *Actiones humanæ a fine generatim recipiunt, quod morales ſint; ſpeciem vero peculiarem ab objecto, quod idem eſt, ac finis proximus, deſumunt*.

III. *Non eodem modo loqui oportet de fine operis, ac de fine operantis*.

IV. *Idem numero actus in eſſe phyſico multiplex eſſe poteſt in eſſe morali, & e converſo*.

V. *Hinc eadem volitio phyſica infici poteſt pluribus ſpeciebus malitiæ*.

VI. *Quælibet actio humana ſemper ab aliquo fine ſpe-*

ſpeciem depromit ſive operis, ſive etiam operantis.

VII. *Quamvis non omnes homines in unam, eamdemque rem determinatam tendant, tendunt tamen ſemper in ultimum finem beatitudinis.*

VIII. *Etſi unius, ejuſdemque hominis plures ultimi fines eſſe nequeant, plura tamen bona ſimul juncta præſtituere ſibi poteſt velut ultimum finem.*

IX. *Rationalis creatura in hac vita determinata eſt ad beatitudinem in univerſali, non autem in particulari.*

X. *Cum de fine ultimo abſolute ſermo eſt, tum finis, quem vocant* cujus gratia, *tum quem appellant* quo, *intelligi debet.*

XI. *Errant turpiſſime tum Epicurei, tum Muhamedani, beatitudinem hominis in voluptatibus ſenſilibus conſtituentes.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUamquam univerſæ Creaturæ propter finem operentur, quatenus ab Authore Naturæ diriguntur in finem; in hoc homo a cæteris creaturis hujus mundi diſtinguitur, quod nedum agat propter finem, ſed etiam ſeipſum moveat, & dirigat in finem, & finem cum mediis, & media cum fine conferat. Equidem & homo ſe ipſe nonnumquam agit propter finem, quin ſemet in finem dirigat, cum nempe agit præter deliberationem, & conſenſum voluntatis, ſive præter rationem: ſed hujuſmodi actiones *hominis* quidem ſunt, non tamen *humanæ*, & *morales* proprie dicuntur, cum non eliciantur ab homine, prout homo eſt, ſeu per rationem operante. *Multa*, inquit S. Thomas hic art. 1. ad 3. *homo agit abſque deliberatione, de quibus etiam quandoque nihil cogitat: hujuſmodi autem actiones non ſunt proprie humanæ; quia non procedunt ex deliberatione rationis, quæ eſt proprium principium humanorum actuum: & ideo habent quaſi finem imaginatum, non autem per rationem præſtitutum:* adeoque neque ad ordinem actionum *moralium* pertinent.

Conſectarium Secundum.

II. Duplex finis alicujus actus diſtinguendus eſt, *proximus* ſcilicet, & *remotus*. Finis *proximus* idem eſt, ac *objectum*: & ab hoc ſpeciem particularem recipiunt humani actus. Finis autem *remotus* ſpeciem non tribuit actibus humanis, ſed ordo ad talem finem eſt circumſtantia ipſorum. Porro cum actuum humanorum alii ſint a voluntate eliciti, alii imperati; proprie loquendo finis objectum eſt actus eliciti, ſive interioris, & ab eo tamquam a proprio objecto talis actus ſpeciem depromit: actus vero exterioris a voluntate imperati objectum eſt materia, circa quam verſatur, & ab ea ſpeciem ille ſortitur, quatenus eſt exterior: quatenus vero *moralis* eſt, eumdem finem habet, atque adeo idem objectum, quod actus interior voluntatis; ideoque ſpeciem quoque ex fine recipit, quum moralis non ſit, niſi ex eo, quod a voluntatis deliberatione procedat, quemadmodum dicemus, cum de ſpecie humanorum actuum ſermo erit.

Conſectarium Tertium.

III. Ex his ſequitur, aliter loquendum eſſe de *Opere*, aliter de *Operibus*. Qui enim e. c. furatur, ut mœchetur, *magis mœchus eſt, quam fur*, ut docent Philoſophus, ac D. Thomas. Siquidem adulterium eſt primo intentum, magiſque mœchanti voluntarium, quam furtum: quandoquidem vult adulterium tamquam finem, quam ſibi præfigit, & propter quem eligit actionem furti. Verum eſſentialis, & primaria ſpecies operis, quod eſt furari, ut adulterium committatur, potius eſt in genere furti, quam adulterii, eaque ex fine, ſive objecto proximo deſumitur. Quemadmodum qui eleemoſynam tribuit, ut ſatisfaciat Deo pro peccatis ſuis, magis juſtus eſt, quam miſericors: nihilo tamen ſecius actio illa erogandi eleemoſynam eſt opus miſericordiæ potius, quam juſtitiæ.

Conſectarium Quartum.

Idem numero actus in eſſe phyſico multiplex eſſe poteſt in eſſe morali: ſicut e converſo. Ita docet S. Thomas *hic art. 3. ad 3.*, cuidam objectioni reſpondens his verbis: „ Idem actus numero, ſecundum quod ſemel egreditur ab agente, non ordinatur, niſi ad unum finem proximum, a quo habet ſpeciem: ſed poteſt ordinari ad plures fines remotos, quorum unus eſt finis alterius. Poſſibile tamen eſt, quod unus actus ſecundum ſpeciem naturæ (ſive in eſſe phyſico) ordinetur ad diverſos fines voluntatis: ſicut hoc ipſum, quod eſt occidere hominem, quod eſt idem ſecundum ſpeciem naturæ, poteſt ordinari ſicut in finem ad conſervationem juſtitiæ, & ad ſatisfaciendum iræ. Et ex hoc erunt diverſi actus ſecundum ſpeciem moris: quia uno modo erit actus virtutis, alio modo erit actus vitii. Non enim motus recipit ſpeciem ab eo, quod eſt terminus per accidens, ſed ſolum ab eo, quod eſt terminum per ſe. Fines autem morales accidunt rei naturali: & e converſo ratio naturalis finis accidit morali. Et ideo nihil prohibet, actus, qui ſunt iidem ſecundum ſpeciem naturæ, eſſe diverſos ſecundum ſpeciem moris, & e converſo". Hactenus D. Thomas, qua de re infra fortaſſe ſermo recurret.

Conſectarium Quintum.

V. Si quis animo deliberet occidere quemcumque hominem ſibi occurrentem, nulla facta perſonarum diſtinctione, nedum reus eſt *homicidii*, ſed etiam *ſacrilegii*: tametſi actio ipſius nullum determinatum finem reſpicere videatur. Nam in primis homicidium intendit tamquam finem, adeoque coram Deo homicida eſt. Deinde quia ejus volitio, licet phyſice una, virtute tamen multiplex eſt, ac fertur nedum ad laicos, ſed etiam ad Cle-

Clericos; idcirco non eſt ſolum homicida, verum etiam ſacrilegus; unde hoc in Confeſſione explicare tenetur, niſi forte ex circumſtantiis loci, ac temporis colligi jure poſſit, non alias reſpexiſſe perſonas, niſi ſæculares.

Conſectarium Sextum.

VI. Quælibet actio humana ſemper ab aliquo fine ſpeciem depromit vel *operis*, vel *operantis*. Et quidem ſpeciem primariam, & eſſentialem recipit tum in genere naturæ, tum in genere moris a fine *operis*, qui idem eſt, ac objectum. Finis autem *operantis*, ſi alius ſit a fine *operis*, tribuit actioni ſpeciem, quæ illi juxta primarium ſuum objectum conſideratæ accidentaria eſt.

Conſectarium Septimum.

VII. Etſi non omnes homines in unam, eamdemque rem determinatam tendant, quam pro fine ultimo ſibi proponant; omnes tamen tendunt in aliquem ultimum finem, ut minimum ſcilicet in beatitudinem ſub communi boni notione apprehenſam. Nam & qui divitias, & honores, & qui voluptates, aut alia hujuſce mundi bona depereunt, ea felicitatis cauſa expetunt, ex eiſque felices ſe futuros exiſtimant, quemadmodum notat ipſe Philoſophus *lib.* 1. *Eth. cap.* 7. adeoque tendunt omnes in felicitatem tamquam in ultimum finem.

Conſectarium Octavum.

VIII. Unius quidem, ejuſdemque hominis plures fines ultimi ſimul eſſe non poſſunt; nihil tamen obſtat, quominus ſibi quiſpiam plura bona conjuncta præſtituat velut integrantia unum ſummum bonum, ſeu unum ultimum finem. Unde cum S. Thomas *art.* 5. ſibi objeciſſet textum S. Auguſtini *lib.* 19. *de Civit. Dei* dicentis, *quoſdam ultimum hominis finem poſuiſſe in quatuor, ſcilicet in voluptate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute;* reſpondet: *Quod omnia illa plura accipiebantur in ratione unius boni perfecti ex his conſtituti ab his, qui in eis ultimum finem ponebant.* Quia videlicet exiſtimabant ea omnia neceſſaria eſſe ad conſtituendum unum bonum perfectum, quod expleret hominis appetitum.

Conſectarium Nonum.

IX. Rationalis omnis creatura felicitatem indeterminate, & in univerſali naturaliter appetit, ſicut & ea, quæ in ipſa felicitate includuntur, ut eſt cognitio veritatis, aliaque hujuſmodi, & circa hoc deficere nequit. Sed in particulari non eſt determinatus creatæ voluntatis motus ad quærendam felicitatem in hoc, vel illo bono: & ſic appetendo felicitatem aliquis peccare poteſt, ſi eam quærat non in Deo, in quo duntaxat reperitur, ſed in aliquo alio creato bono, ubi quærere non debet, ſicut qui eam quærit in voluptatibus. Hoc iiſdem ferme verbis ex D. Thoma *q.* 24. *de Verit. art.* 7. *ad* 6., & aliis in locis. Hinc, ut habet hic art. 7. ad 1. *Illi, qui peccant, avertuntur ab eo, in quo vere invenitur ratio ultimi finis*, ſcilicet Deo; *non autem ab ipſa ultimi finis intentione, quam falſo quærunt in aliis rebus.*

Conſectarium Decimum.

X. Quamvis diſtinctio finis communiter a Theologis tradita *in finem cujus*, qui eſt res illa, quam per media conſequi intendimus, & *finem quo*, qui eſt ipſa rei conſecutio, ſive adeptio, neceſſario admittenda ſit nedum ut vera, ſed etiam pluribus difficultatibus amovendis idonea; nihilominus cum loquimur de fine ultimo abſolute, utrumque finem complectimur, finem ſcilicet *cujus*, ſeu *cujus gratia*, & finem *quo*: neque enim duo ſunt ſimpliciter fines, ſed potius duæ quaſi partes totalem unum finem conſtituentes.

Conſectarium Undecimum.

XI. Ex doctrina tradita de Beatitudine conſtat turpiter erraſſe, ac errare Epicureos, qui in voluptatibus corporeis, ſive ſenſilibus ſupremam hominis felicitatem conſtituerunt, atque conſtituunt: ex quorum perſona Salomon dicebat Eccleſiaſt. 5.: *Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat* (homo), *& bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, & hæc eſt pars illius.* Simulque error excluditur Muhamedanorum, qui fabulantur in prædictis voluptatibus retributionem juſtorum poſitam eſſe.

REFLEXIO.

Si creaturæ omnes tendunt continenter in finem, quem ipſis ſupremus naturæ Author præſtituit: ſi nullus alius finis ultimus homini præſtitutus eſt præter Deum O. M.: ſi finem hunc non conſequitur homo, niſi Deum cognoſcendo, & amando, ſeque, & omnia ſua in illum referendo; nonne cæteris omnibus creaturis infelicior eſt homo, qui Deum cognoſcere, & amare, ſeque, & omnia in ipſum referre omni ſtudio, & diligentia non ſatagit, quin potius creaturis ſe inferioribus ſubjiciens in his finem ſuum conſtituit, & beatitudinem quærit? O rem plane deplorandam! Homo propter Deum conditus, ad æterna natus, tot eximiis prærogativis ornatus, rationis, intellectus, ac liberæ voluntatis particeps, dum rationis ductum non ſequitur, dum ad unicum finem Deum non aſpirat, infra brutorum conditionem deprimitur, *comparatus jumentis inſipientibus, ſimilis illis factus, & ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*, quo ad ſuperiora, ſuaque natura digna dirigatur. Hujuſmodi ſane homo, ſicut ait Regius Propheta, *in vanum accepit animam ſuam* tot præclaris dotibus præditam. *Vanum* ſiquidem *eſt*, ut ſcite animadvertit S. Thomas quæſt. 9. de malo artic. 1., *quod non conſequitur finem: ſicut in vanum ſumpſit medicinam, qui non eſt conſecutus ſanitatem.* Rationalis animus, quemadmodum non habet, nec habere poteſt pro vero ſuo ultimo fine,

fine, niſi Deum; ita ſi ab hoc ultimo fine divertat, & in rebus hujus mundi divagetur, in iiſque finem ſuum, ac felicitatem inquirat; jam nullum finem aſſequitur, cujus poſſeſſione tranquilla, ac beata vita fruatur: non Deum ſcilicet, in quo illum haud quærit; ſed neque creaturam, in qua fruſtra quærit. *Fieri* enim *non poteſt*, ut cum Auguſtino loquar in Pſal. 31. & lib. 3. Conf., *ut res deterior nobis meliores nos faciat*, atque felices, ut beatitudinem deſideria noſtra exſaturantem inveniamus, *dum fontem aquæ vivæ derelinquimus*, nobiſque *fodimus ciſternas diſſipatas*, *quæ continere non valent aquas*, quibus ſitis noſtra extinguatur: *Creaturæ* quippe *rationali*, cujus eſt immenſa capacitas, *ad beatam requiem non ſufficit*, *quidquid Deo minus eſt*.

Igitur, *Filii hominum*, clamare lubet cum Propheta, eodemque Auguſtino (in Comment), *uſquequo gravi corde*, ut ad hæc vobis inferiora deprimamini, in iiſque beatitudinem veſtram requiratis! *Ut quid diligitis vanitatem*, & *quæritis mendacium? Ut quid vultis beati eſſe de infimis?* Corda ſurſum, & appetitiones veſtra erigite. *Sola veritas facit beatos*, *ex qua vera ſunt omnia*. *Ut quid temporalium rerum amore detinemini*, *in quibus nonniſi vanitatem*, & *afflictionem ſpiritus invenietis? Quid tamquam prima extrema ſectamini*, *quod eſt vanitas*, & *mendacium? Vanitas*, & *mendacium* divitiæ ſunt, quibus acquirendis ſtudio, ac labore tam impenſo inhiatis. *Vanitas*, & *mendacium* humana potentia, gloria, honores, ac terrenæ voluptates, quas tam ardenti deſiderio perquiritis. *Vanitas*, inquam, & *vanitas vanitatum* hæc omnia inferiora bona, quæ *poſſeſſa onerant*, non levant appetitum, *amata inquinant*, non meliores efficiunt, *amiſſa cruciant*: temporaria namque ſunt, non æterna: quin nec bona reapſe dicenda ſunt, ſed vera mala, *ſpecioſa ſupplicia*, mera mendacia. Aſſurgite potius animis veſtris ad illud ſummum, ſempiternumque bonum, quod duntaxat verum, perfectumque bonum eſt, totam explens voluntatis veſtræ amplitudinem: ipſum unice quærite: in ipſo finem ultimum veſtrum, & amorem conſtanter collocate in hac vita, ut beatiſſima ejus poſſeſſione in futura vita æternum perfrui valeatis.

CAPUT TERTIUM.

De Officiis, *ſive Actibus hominum* voluntariis.

D O C T R I N A.

I. *Præloquium S. Thomæ*.
II. *Voluntarii definitio*, & *explicatio*.
III. *Voluntarii diviſio*.
IV. *Quædam circa voluntarium* tacitum *adnotantur*.
V. *Voluntarii* indirecti *exactior diſcuſſio*.
VI. *Declaratur exemplis*, *haud ſemper effectus*, *qui ex aliqua cauſa conſequuntur*, *eſſe* indirecte *voluntarios*.
VII. *Exempla aliqua* indirecte *voluntarii proponuntur*.
VIII. *Regulæ quædam traduntur pro voluntario* indirecte *dignoſcendo*. *Regula prima*: *Expendere oportet*, *quam frequenter effectus ex cauſa ſequatur*.
IX. *Regula ſecunda*: *Quo pernicioſior effectus eſt*, *eo minus frequenter ex cauſa ſequatur oportet*.
X. *Regula tertia*: *Qualitas motivi ponendi cauſam*, *ſive actionem conſideranda eſt*, *ut cognoſcatur*, *num effectus indirecte ſit voluntarius*.
XI. *Regula quarta*: *Neceſſe eſt*, *ut cauſa non ponendi actionem juſta ſit*.
XII. *Regula quinta*: *Cauſa debet eſſe juſta comparative ad effectum*.
XIII. *Regula ſexta*: *Modus*, *quo cauſa in effectum influit*, *attendendus*.
XIV. *Regula ſeptima*: *Quædam S. Thomæ doctrina cum debita cautione accipienda*.
XV. *Regula octava*: *Etiam effectus mali*, *qui ex ignorantia*, *aut infirmitate hominum conſequuntur*, *præcavendi ſunt*.
XVI. *Regula nona*: *Non idem ſentiendum de malis effectibus*, *qui ſequuntur ex mera hominum malitia*.
XVII. *Regula decima*: *Etiam tamen in iſtis cauſa aliqua rationabilis*, *ponendi actionem requiritur*.
XVIII. *Regula undecima*: *Ne malus effectus indirecte voluntarius ſit*, *adeoque culpabilis*, *neceſſe eſt*, *ut cauſa juſta*, *quæ ſubeſt*, *ad actionem ponendam*, *hic* & *nunc voluntatem ad agendum inducat*.

„ I. QUoniam ad beatitudinem (verba ſunt D. „ Thomæ 1. 2. *q.* 6., quibus officiorum, „ ſive actuum humanorum tractationi præ„ ludit) per actus aliquos neceſſe eſt pervenire; „ non equidem (ut oſtenderat quæſtionis præce„ dentis art. 7.) *propter inſufficientiam divinæ vir„ tutis beatificantis*, *ſed ut ſervetur ordo in rebus*: „ oportet conſequenter de humanis actibus conſi„ derare, ut ſciamus, quibus actibus perveniatur „ ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis „ via. Sed quia operationes, & actus circa ſin„ gularia ſunt; ideo omnis operativa ſcientia in „ particulari conſideratione perficitur. Moralis „ igitur conſideratio, quia eſt humanorum actuum, „ *primo* quidem tradenda eſt in univerſali: *ſecun„ do* vero in particulari .... Circa hoc duo con„ ſideranda occurrunt. Primo de conditione hu„ manorum actuum: ſecundo de diſtinctione eo„ rum actuum. Cum autem actus humani proprie „ dicantur, qui ſunt *voluntarii*, eo quod volun„ tas eſt rationalis appetitus, qui eſt proprius ho„ minis, oportet conſiderare de actibus, in quan„ tum ſunt voluntarii. Primo ergo conſiderandum „ eſt de voluntario, & involuntario in commu„ ni “.

§. I.

§. I.

Definitio voluntarii, ejuſque diviſio.

II. Licet plures tradi ſoleant *voluntarii* definitiones; quæ tamen colligitur ex Doctore Angelico hic *art.* 1. & 2. communior eſt, cæteriſque omnibus præferenda; nempe

Voluntarium eſt id, cujus principium eſt intra cum cognitione finis.

Hanc definitionem explicat S. Thomas hic *art.* 1., ſimulque probat, voluntarium preſſe dictum homini convenire, inquiens: „ Eorum, quæ a principio intrinſeco moventur, quædam movent ſe ipſa, quædam autem non. Cum enim omne agens, ſeu motum agat, ſeu moveatur propter finem; illa perfecte moventur a principio intrinſeco, in quibus eſt aliquod intrinſecum principium, non ſolum ut moveantur, ſed ut moveantur in finem. Ad hoc autem, quod fiat aliquid propter finem, requiritur cognitio finis aliqualis. Quodcumque igitur ſic agit, vel movetur a principio intrinſeco, quod habet aliquam notitiam finis, habet in ſe ipſo principium ſui actus, non ſolum ut agat, ſed etiam ut agat propter finem. Quod autem nullam notitiam finis habet, etſi in eo ſit principium actionis, vel motus, non tamen ejus, quod eſt agere, vel moveri propter finem, eſt principium in ipſo, ſed in alio, a quo ei imprimitur principium ſuæ motionis in finem. Unde hujuſmodi non dicuntur movere ſe ipſa, ſed ab aliis moveri. Quæ vero habent notitiam finis, dicuntur ſe ipſa movere, quia in eis eſt principium non ſolum ut agant, ſed etiam ut agant propter finem. Et ideo cum utrumque ſit ab intrinſeco principio, ſcilicet quod agunt, & quod propter finem agunt, horum motus, & actus dicuntur *voluntarii*. Hoc autem importat nomen *voluntarii*, quod motus, & actus ſit a propria inclinatione .... Unde cum homo maxime cognoſcat finem ſui operis, & moveat ſe ipſum, in ejus actibus maxime *voluntarium* invenitur ".

Duo itaque ad *voluntarium* neceſſaria ſunt: nempe quod proveniat a principio illi rei, quæ operatur, *intrinſeco*; & quod ex aliqua procedat *finis cognitione*, adeo ut res; quæ per principium ſibi intrinſecum operatur, finem aliqualiter cognoſcat, & ex ea cognitione operetur. Unde *voluntariæ* dicendæ non ſunt actiones illæ, ſive motiones, quæ fiunt per externum duntaxat principium: quemadmodum nec illæ, quæ ab interno quidem principio eliciuntur, ſed citra finis cognitionem: cujuſmodi ſunt motiones, & operationes omnes rerum ratione, ſenſuque carentium, quæ propterea voluntariæ non ſunt, quum potentia quidem agendi intranea ſit, non autem cognitio finis, ex qua ad agendum ſe moveant.

III. Dividitur voluntarium in *ſpontaneum*, & *liberum*. *Spontaneum* illud eſt, quod ex propria inclinatione procedit, etiamſi ex neceſſitate actio, aut motus voluntatis in illud feratur. Sic amor beatitudinis in communi neceſſarius nobis eſt, ſed ſpontaneus, cum ad illam ex propria naturali inclinatione rationalis animus pertrahatur. *Liberum* autem voluntarium eſt, quod quidem cum amore, & inclinatione fit; ſed cum facultate ad ſuſpenſionem actus, vel etiam ad actus oppoſitos. Priori opponitur neceſſarium ex *coactione*; alteri neceſſarium *ex naturali neceſſitate*.

Secundo dividitur in voluntarium *elicitum*, & *imperatum*. Priore modo voluntarii ſunt actus omnes, qui immediate ab ipſa voluntate eliciuntur. Alio modo actus illi, qui eliciuntur quidem ab aliis hominis potentiis, aut facultatibus, ſed ex imperio voluntatis, cui ſerviunt, & obſequuntur.

Tertia voluntarii diviſio eſt in *directum*, in quod directe voluntas tendit, & *indirectum*, quod in ſe quidem, & ſecundum ſe non eſt volitum, volitum tamen cenſetur in alio directe intento. De hac diviſione, quæ magni momenti eſt, ac permaxime advertenda, mox ſermo erit.

Quarta tandem diviſio voluntarii eſt in *expreſſum*, & *tacitum*. *Expreſſum* eſt, quod aut verbis exprimitur, aut alio ſigno conſenſum ex inſtituto ſignificantes. *Tacitum*, quod ſine hujuſmodi ſigno ex aliquo facto, vel facti omiſſione, ſpectatis circumſtantiis, merito colligitur.

§. II.

Quædam adnotantur circa voluntarium tacitum.

IV. Quoad poſtremum *voluntarii* genus, nempe *tacitum*, celebris circumfertur, & in ore omnium eſt Regula illa 43. in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*; quæ licet ſæpe vera ſit, ſemper tamen vera non eſt, ſed ſolum quum ex circumſtantiis, ac veriſimilibus conjecturis argumentum deſumitur conſenſus alicujus. Nam eodem loco ſequens alia traditur regula: *Is, qui tacet, non fatetur*; *ſed nec utique negare videtur*. Unde Theologi, & Canoniſtæ aliqua obſervanda præcipiunt, ut cum fundamento conſenſus alterius ex ſilentio inferri valeat.

Primo itaque *tacens conſentire præſumitur*, quoties agitur de favore, vel commodo ipſius; ut dum aliquis pro te fidejubet, vel quidpiam tibi donat; ſi taces, conſentire videris: ſecus autem, dum agitur de ipſius incommodo, aut detrimento; ut ſi quis puellam interroget, num conſentiat in nuptias ſuas, non ideo conſentire præſumitur ex eo, quod taceat, niſi ſigno aliquo, vel facto conſenſum exprimat.

Secundo: *tacens conſentire videtur*, dum negare, & contradicere deberet, ut ſi reus legitime interrogatus, ac reſpondere juſſus, tacet, fateri præſumitur, ut habetur Cap. *Si poſt* de Confeſſione in 6. Similiter Canonicus iniquæ electioni, vel conſtitutioni in Capitulo non reclamans relate ad peccatum, & pœnam conſentire cenſetur, ut habet Innocent. III. Cap. 1. *de his*, *quæ fiunt a majori parte Capit.* In re namque grave præjudicium Communitati afferente, ſilentium in illo, qui loqui tenetur, pro conſenſu judicatur.

Ter-

Tertio: Principis ſive temporalis, ſive Eccleſiaſtici ſcientia, & patientia præſertim diuturna conſenſus æſtimatur, dum facile & abſque ſcandali, aut alterius mali periculo aliquid a ſe dependens impedire valeat, nec tamen impediat: ſecus, ſi impedire facile nequeat, vel non expediat, niſi opportuno tempore, vel niſi res ad judicium ipſius deducatur. Quo ex capite non omnia, quæ Summi Pontifices ſciunt, ac tolerant, approbare præſumuntur. Quoniam, ut habetur C. *Cum jamdudum* de Præben.: *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint ad judicium, exigente juſtitia, non deberent tolerari*. Sunt etiam variæ conſuetudines Sacris Canonibus contrariæ, quas licet Pontifices tolerent, quia ob multitudinem delinquentium emendare non valent, non ideo cenſendi ſunt approbare. Qua de re aliqua alibi a me dicta ſunt.

Quarto tandem regula illa locum non habet, in quibus jura conſenſum expreſſum exigunt, ut notat Gloſſa in Cap. 15. *Qui tacet*. Itaque generatim loquendo taciturnitas, ſi adminiculis aliis ſuffulta non fuerit, neque conſenſum ſignificat, neque diſſenſum, ut conſtat ex allata regula 44. in 6. *Is qui tacet, non fatetur; ſed nec utique negare videtur*.

§. III.

Exactior voluntarii indirecti *diſcuſſio*.

V. Cum legitima voluntarii *indirecti* cognitio maxime neceſſaria ſit, ex eaque pendeat plurimarum difficultatum ſolutio, paulo operoſius tractanda res eſt, & nonnullæ regulæ ſtatuendæ, quibus veritas in aperta luce collocetur. Non deſunt plures Theologi ex Probabiliſtis præſertim, qui licet voce tenus non rejiciant diviſionem voluntarii in *directum*, & *indirectum*, reipſa tamen negant, nec aliud niſi primum admittunt, in quorum numero Thomas Sanchez, ſive *Theologorum Moralium*, ut vocant, facile *Princeps*, extitiſſe videtur, quem plures alii ſubinde ſecuti ſunt. At vere Princeps Theologorum S. Thomas eam diſertiſſime adſtruit pluribus in locis, & in hac etiam *q*. 6. *art*. 3., ubi ait: „ Voluntarium dicitur, quod eſt a voluntate. Ab aliquo autem „ dicitur eſſe aliquid dupliciter. Uno modo *directe*, quod ſcilicet procedit ab aliquo, in „ quantum eſt agens, ſicut calefactio a calore. „ Alio modo *indirecte*, ex hoc ipſo, quod non „ agit. Sicut ſubmerſio navis dicitur eſſe a gubernatore, in quantum deſiſtit a gubernando ". Deinde magis exponens, quomodo aliquid *indirecte* ſit voluntarium, ſubdit: „ Sciendum, quod „ non ſemper id, quod ſequitur ad defectum „ actionis, reducitur ſicut in cauſam in agens ex „ eo, quod non agit, ſed ſolum tunc, cum poteſt, & debet agere. Si enim gubernator non „ poſſet navem dirigere, vel non eſſet ei commiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio, quæ per abſentiam gubernatoris „ contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & „ agendo poteſt impedire hoc quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet, hoc, „ quod eſt non velle, & non agere imputatur ei „ quaſi ab ipſa exiſtens ".

Hinc cum ſibi tertio loco objeciſſet: *De ratione voluntarii eſt cognitio: Sed cognitio eſt per aliquem actum; ergo voluntarium non poteſt eſſe abſque omni actu;* reſpondet, *quod eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, ſicut & actus voluntatis, ut ſcilicet ſit in poteſtate alicujus conſiderare, & velle, & agere. Et tunc, ſicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, eſt voluntarium; ita etiam non conſiderare*.

Ex hac ſolidiſſima S. Thomæ doctrina, cui major, meliorque Theologorum pars ultro ſuffragatur, ſequitur tria requiri, ut effectus *indirecte* voluntarius cenſeatur, in cauſa ſcilicet ſive poſitiva, ſive negativa, ad quam conſequitur. Primum eſt, ut aliquis advertat, vel advertere queat talem effectum ex tali cauſa ſequuturum, vel frequentius ſequi.

Alterum: ut quis poſſit cauſam illam non ponere, vel poſitam removere. Si enim in alicujus poteſtate non ſit impedire cauſam, nec in ipſius quoque poteſtate eſt effectum ex ea ſequentem impedire; adeoque effectus ipſi moraliter non imputatur.

Tertium eſt, ut quis actionem illam omittere teneatur, ſive cauſam non ponere, aut poſitam removere: alioqui effectus permiſſive duntaxat voluntarius reputabitur. Neque enim effectus cenſetur *indirecte* voluntarius ex eo, quod quiſpiam cauſam illius non impediat, ſed ex eo, quod effectum non impedit, cum poſſit, & debeat, ut patet in exemplo allato a Sancto Thoma de Gubernatore, cui commiſſa non ſit navis gubernatio, & ad impediendum ſubmerſionis effectum ex officio ſuo, vel debito charitatis minime tenetur.

VI. Ut hoc amplius declaretur, hæc regula generalis magno adjumento eſſe poteſt: nimirum *dum juſta cauſa ſuppetit non impediendi effectum ex aliqua actione, aut omiſſione provenientem, effectus non cenſetur indirecte voluntarius, atque adeo nec imputabilis ad culpam*. Regula hæc tum ratione, tum exemplis pluribus comprobari valet.

V. Et quidem in primis S. Thomas 2. 2. *q*. 64. *art*. 7. ita docet: *Nihil prohibet unius actus eſſe duos effectus, quorum alter ſolum ſit in intentione, alius præter intentionem:* ideoque voluntariam minime cenſeri tradit occiſionem injuſti invaſoris propriæ vitæ, ſi contingat, non intendendo ipſius occiſionem, ſed propriæ ſolummodo vitæ defenſionem: *Quia*, ſubjicit, *non eſt neceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occiſionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ*. Illicitam tamen judicat intentionem occidendi hominem, ut etiam ſemetipſum defendat, niſi ei, qui publica gaudet authoritate. Igitur juxta S. Doctorem, quamquam occiſio injuſti vitæ invaſoris phyſice ſequatur ex propriæ vitæ defenſione, quia tamen invaſo juſta cauſa ſubeſt defenſionem ſuam non prætermittendi, occiſio illa non cenſetur ipſi moraliter voluntaria, ſi eam directe non intendat.

2. Ne-

2. Neque ipſi Deo voluntaria etiam *indirectè* cenſentur peccata, quæ committimus, eo quod cauſam ipſorum non impedit, voluntatem videlicet per gratiam efficacem adjuvando, ne peccet. Quamquam enim ea impedire valeat, juſtam tamen habet non impediendi cauſam ex ordine divinæ ſuæ providentiæ: ideoque illa ſolum permittit, quin voluntaria, *ne indirectè quidem*, ipſi efficiantur.

3. Medicus jure præſcribit ægroto potionem, ut ex infirmitate lethali convaleſcat, quin ægroti debilitatio, quæ ex ipſa potione conſequitur, ipſi voluntaria moraliter cenſeatur. Principi quoque juſtam cauſam habenti obſidendi civitatem, eamque bellicis tormentis oppugnanti, voluntaria ne indirectè quidem moraliter reputatur innocentis occiſio cum hoſtibus fortaſſe commixti.

4. Neque Medico, neque Chirurgo voluntarii moraliter dicendi ſunt concupiſcentiæ motus, ac pollutiones (ſi tamen conſenſus periculum abſit), qui exſurgunt ex aſpectu, vel tactu partium ſecretiorum mulierum, quas curant, quoniam juſta ſupponitur partes illas aſpiciendi, aut tangendi neceſſitas. Atque ita alia plura exempla in idem afferri poſſent. Hinc communis Doctorum ſententia eſt, quod licet memorati effectus indirectè voluntarii, adeoque peccaminoſi cenſeantur abſque juſta neceſſitate, aut utilitate non impediti; ſecus tamen eſt, ſi juſta cauſa, aut utilitas ſubſit. Quamvis enim homo inferiorem appetitum regere, ejuſque adverſus ſpiritum rebellionem compeſcere debeat; hæc tamen obligatio intra hos terminos continetur, ut inordinatis motibus conſenſum non præbeat, aut præbendi periculum non impendeat, eorumque cauſas inutiles, minimeque neceſſarias amoliatur. Nec quiſquam muneri ſuo deeſſe obſtringitur, aut a caſuum obſcœnorum ſtudio, ſive auditione Confeſſionum abſtinere, licet in ſe prædictos effectus experiatur, voluntate reluctante. *Plerumque fit*, inquit Sanctus Gregorius Magnus lib. 1. Regiſt. Epiſt. 24., *ut dum Rectoris animus tentamenta condeſcendendo recognoſcit, auditis tentationibus & ipſe pulſetur: quia & hæc eadem, per quam populi multitudo diluitur, aqua procul dubio lutis inquinatur. Nam dum ſordes diluentium ſuſcipit, quaſi ſua munditia ſerenitatem perdit. Sed hæc nequaquam Paſtori timenda ſunt: quia Deo ſubtiliter cuncta penſante, tanto facilius a ſua eripitur, quanto miſericordius ex aliena tentatione fatigatur.*

§. IV.

Nonnulla exempla aſſignantur ad voluntarium indirectum, *atque adeo ad peccatum, diſcernendum idonea.*

VII. Quum late pateat in Morali Theologia *indirecti voluntarii* materies, ſæpiuſque caſus occurrant illam ſpectantes, idcirco paulo diligentius diſcutienda eſt, ac nonnulla tum exempla, tum regulæ tradendæ, quas ad hanc illuſtrandam, caſuſque plurimos dirimendos opportuniores exiſtimo. Et quoad exempla quidem attinet, illud in primis præ oculis ſemper habendum eſt, quod nomine voluntarii *indirecti* illud accipitur, quod tametſi in ſe volitum non ſit, volitum tamen eſt vel tamquam effectus in cauſa, vel propter connexionem cum *directo* aut phyſice, aut moraliter ob circumſtantias occurrentes, vel demum, quia in prudenti hominum æſtimatione volitum cenſetur. Unde voluntarium *indirectum* tum *virtuale*, tum *interpretativum* voluntarium complectitur. Itaque

Hujuſce *voluntarii* exempla habemus in *homicidio*, quod *indirectè* voluntarium æſtimatur homini venatori ſagittam ejaculanti, aut ſclopum explodenti abſque debita diligentia præmiſſa, num fera ſit, vel homo illac pertranſiens, aut latens.

In *ſcandalo*, quod *indirectè* voluntarium fuit David ob adulterium cum Betſabea commiſſum, ac necem Uriæ ipſius conjugis. Quamquam enim ſcandalum iſtud directè non intenderit, illud tamen ipſi imputavit Propheta Natan, cum dixit: *Blaſphemare feciſti inimicos Domini*, ut habetur 2. *Reg. c.* 12. Quemadmodum & Apoſtolus *ad Rom.* 9., & 1. *ad Corinth.* 8. de ſcandalo arguit Chriſtianos cum infirmorum fratrum offendiculo legalia præcepta obſervantes, vel Idolothyta comedentes, etiamſi nihil minus intenderent, quam fratrum ſuorum ſcandalum, & offendiculum.

In *alienis erroribus*, aut *peccatis*, quæ *indirectè* voluntaria reputantur iis, qui non impediunt, cum poſſint, ac debeant. Ut enim dicitur Cap. *Error* diſtinct. 83. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cum minime defenditur* ab iis, quorum intereſt ex officio, *opprimitur*. Quam ob cauſam Confeſſarii, qui plus æquo indulgentius agunt cum pœnitentibus, *leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, peccatorum alienorum participes effici* dicuntur a Concilio Tridentino *ſeſſ*. 24. *Cap*. 8.

In *juramentis*, *blaſphemiis*, *imprecationibus &c.* quæ voluntaria cenſentur aſſuetis in ea prorumpere, dum ludo vacant, nec tamen a ludo abſtinent. Qua in re præſtat audire S. Franciſcum Saleſium *p*. 4. *Introd. Cap*. 6. ajentem, *quandoque nos peccati reos ſola tentatione conſtitui, eo quod eam ipſi nobis accerſiverimus; v. g. dum ſcio me luſu ad rabiem concitari, vel blaſphemiam, & novi ad iſta me ludendo tentari, toties pecco, quoties ludam: omniumque tentationum, quæ in luſu contingunt, reatu aggravor. Similiter ſi quam converſationem noverim parere mihi tentationem, & lapſum, nec tamen eam converſationem deſero, omnium tentationum, quibus in ea impetendus ſum, reus indubitanter efficior.*

In *quocumque peccato mortali*, cujus aliquis proximæ occaſioni ſe exponit, vel in ea perſiſtit, ſive illa fuerit occaſio *per ſe*, & ex ſua natura periculoſa, ſive *per accidens*, & ex conditione ſubjecti. Reputatur quippe toties peccatum illud *indirectè* velle, quoties eam frequentat, vel in ea voluntarie permanet. Atque alia exempla proferri poſſunt, quæ facile conſideranti pateſcunt.

§. V.

§. V.

Quædam regulæ traduntur pro voluntario indirecto *cognoſcendo valde neceſſariæ*.

VIII. Effectus aliqui ex noſtris ſive actionibus, ſive omiſſionibus triplici modo conſequi poſſunt: vel primo ſcilicet ex mera aliorum malitia abſque ullo noſtro concurſu; ut dum quis ſcandalum ſumit ex actione noſtra, quæ nullam ſcandali occaſionem præbet: ſecundo ex natura actionis, quæ nata de ſe eſt effectus illos inferre: tertio ex hominum fragilitate, aut ignorantia. Quo poſito ſit

Regula Prima.

Ut recte judicetur, quandonam effectus indirecte *voluntarius ſit in cauſa, expendere opus eſt, num, & quam frequenter ex hujuſmodi cauſa ſequatur*.

Hæc regula deſumi videtur ex hac S. Thomæ doctrina 1. 2. *q*. 20. art. 5. *Si eventus ſequens non eſt præcogitatus, nec per ſe ſequatur ex tali actu, & ut in pluribus, ſed per accidens, & ut in paucioribus; tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem, vel ad malitiam actus. Non enim datur judicium de re aliqua ſecundum illud, quod eſt per accidens; ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe*. Hinc ſi ex certo quodam accumbendi modo nec per ſe, nec ut in pluribus ſequantur motus valde turpes, ſi aliquando, & per accidens contingant, non ideo illi indirecte voluntarii cenſentur: quemadmodum nec ita voluntaria cenſetur pollutio nocturna aliquando conſecuta ex immoderato cibo, aut potu; quia per ſe, & ut in pluribus ea ex tali cauſa non ſequitur.

Regula Secunda.

Quo deterior, & pernicioſior eſt effectus, vel ſpeciali aliquo titulo a tali perſona præcavendus, eo minus neceſſe eſt, quod frequenter ex aliqua cauſa ſequatur, ut in ea cenſeatur indirecte *voluntarius*.

IX. Hæc regula a recta ipſa ratione ſatis præſcribi videtur. Quanto enim deterior effectus eſt, ac pernicioſior, tanto magis eſt cavendus; adeoque tanto magis ad illum cavendum cavenda eſt cauſa ipſius. Quare haud ſemper neceſſe eſt, ut effectus ex tali cauſa per ſe ſequatur, ſive ut in pluribus, aut majori veriſimilitudine, ut voluntarius *indirecte*, ſive *in cauſa* cenſeatur; ſed interdum ſufficit, ut ex ea etiam minus frequenter, vel raro conſequatur. Exemplum ſit tum in homicidio, tum in abortu fœtus animati, quorum iſte ſequitur ex comeſtione aliqua, aut potione, ſive nimio labore, aut defatigatione corporis: alterum vero ex ebrietate. Abortus quippe graviſſimis de cauſis magno ſtudio, ac ſollicitudine præcavendus eſt, cum fœtui mortem tum corporis, tum animæ adferat: & ideo cauſæ omnes de medio tollendæ, unde etiam haud frequenter, ſed tamen aliquando conſequitur. Similiter ab ebrietate voluntaria ſtudioſe cavendum eſt nedum propter ejus malitiam, ſed etiam propter periculum, licet raro contingens, homicidii: quoniam de re graviſſima agitur. Quare S. Thomas de hoc caſu verba faciens 3. C. Gen. C. 160. abſolute docuit, quod *Ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit*: quod præcipue de homine rixis dedito intelligere par eſt.

Regula Tertia.

Ex qualitate motivi ponendi actionem aliquam repetenda eſt ratio voluntarii indirecti *in pravo effectu inde conſequente*.

X. Si enim vel nulla, vel leviſſima cauſa ſit exercendi actionem aliquam, ex qua ſequi, licet raro, pravus effectus ſoleat, tunc ad culpam, tamquam *indirecte* volitus, imputatur: Ut ex. c. ſi quis ad ſolam oſtentationem audaciæ, ſive dexteritatis ſuæ ambularet ſuper aſſerem ex alto loco prominentem, unde præceps rueret, & occideretur. Non idem vero dicendum, ſi quis hanc, ſimilemque actionem exerceat vel ex officio ſuo, vel ob grave, ac rationabile motivum: ut ex ſequenti regula liquet. Sit itaque

Regula Quarta.

Juſta cauſa neceſſaria eſt ponendi, ſive non prætermittendi actionem aliquam, ut in ea voluntarius non cenſeatur effectus malus, qui inde conſequitur.

XI. Ratio eſt: quia unuſquiſque tenetur impedire, ne ex actione ſua malus effectus ſequatur: unde ſi non impediat, cum poſſit, & debeat, effectus ipſi imputatur: nec excuſari poteſt, niſi juſtam cauſam habeat, ob quam impedire minime teneatur.

Regula Quinta.

Cauſa ponendi actionem, ex qua ſequitur malus effectus, ad hunc comparetur oportet, ne voluntarius indirecte *æſtimetur*.

XII. Contingere namque poteſt, ut ſuppetat quidem cauſa alias juſta ponendi actionem, ex qua ſequitur malus effectus; ſed tamen comparative ad hunc juſta neutiquam ſit, ſpectata certitudine, aut veriſimilitudine futuritionis ipſius: tunc enim in hujuſmodi circumſtantiis ponens actionem in ea cenſebitur *interpretative* velle effectum. Quare, ut ratio ponendi actionem juſta ſit, ſatis non eſt, ut talis ſit comparative ad effectum minus malum, ſed talis debet eſſe comparative ad magis malum, qui ſecuturus timetur: cum tanto gravior eſſe debeat ratio ponendi cauſam, quanto effectus, qui ex illa ſequi poteſt, deterior eſt, certiuſque, aut veriſimilius conſe-

qui valet. Unde cæteris paribus gravior cauſa requiritur, ut ponatur actio, ex qua ſequi poſſit homicidium, vel abortus, quam ſolius nocturnæ pollutionis.

Regula Sexta.

Modus quoque, quo cauſa, ſive actio in effectum influit, attente expendendus eſt.

XIII. Si enim cauſa, vel actio ex ſe, & propinque nata ſit effectum producere, tanto gravius motivum illam ponendi exigitur, quanto propinquius inducit effectum, aut ad illam inducendum ſuapte natura tendit, & longe gravius illud motivum ſit, oportet, quam ſi ſolum *per accidens* illum inferret. Hæc regula maxime locum habet in moribus, & effectibus libidinoſis, qui aliquando ex cauſis *per ſe* in illos influentibus proveniunt: aliquando ex cauſis, aut actionibus in eoſdem influentibus tantummodo *per accidens*.

Regula Septima.

Cum debita cautione, atque limitatione accipienda eſt doctrina S. Thomæ ſupra tradita: Quando cauſa duos habet effectus unum bonum, & alterum malum, poni poteſt ex intentione ſolius effectus boni, ſolum permiſſive ſe habendo ad effectum malum.

XIV. Hæc, inquam, doctrina cum debita cautione, ſuiſque limitationibus circumſcripta intelligenda eſt, ne abuſibus, ac laxitatibus occaſionem præbeat. Limitanda igitur primo eſt, ut locum non habeat, dum cauſa ſive actio directe, & immediate inſpicit, aut inducit effectum malum, & nonniſi indirecte, & mediate, ſive mediante illo effectu infert bonum effectum. In hoc ſiquidem caſu eam actionem ponere nequaquam licet: quoniam *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, prout ex Apoſtolo habemus; v. gr. mentiri non licet ad ſalvandam vitam Patris, nec abortum procurare ad vitandam infamiam, aut necem puellæ gravidæ ex fornicatione.

Secundo: quamquam cauſa, vel actio æque directe, & immediate duplicem effectum habeat, alterum bonum, alterum malum; ſi tamen nulla ſit comparatio bonitatis unius effectus cum pravitate alterius effectus, hujuſmodi actionem ponere non licet, v. g. non licet ignem apponere loco, ubi æque directe exurendus eſt homo, ac lupus; ſumere potionem æque directe cauſaturam abortum, ac febris expulſionem &c.

Tertio: etiamſi cauſa, ſive actio illa æque directe habeat effectum tam bonum, quam malum, & bonitas unius effectus minor non ſit, immo major quam pravitas alterius, ſi tamen actio illa per ſe mala ſit, adeoque prohibita, licitum non eſt actionem illam ponere ex intentione effectus boni. Neque enim tibi privata auctoritate licita eſt projectio tui ipſius in ignem, vel puteum, unde emergere nequeas, ad baptizandum puerum; alias ſine baptiſmate moriturum, vel ad ſalvandum virginitatis florem. Cum enim projectio illa ſit tui ipſius occiſio a Deo vetita præcepto illo: *Non occides*, abſque divina authoritate nunquam licet. Unde a peccato excuſari nequeunt, nec excuſant Eccleſiæ Patres quaſdam ſanctas mulieres, quæ ut intactam pudicitiam ſuam conſervarent, ſeſe in ignem, aut flumen projecerunt, ut invaſores effugerent, niſi quia Divini Spiritus peculiari inſtinctu id peregiſſe crediderunt.

Regula Octava.

Non minus effectus, qui per ſe conſequuntur ex actione noſtra, quam qui ex ignorantia, vel infirmitate hominum derivantur, indirecte *voliti cenſentur, niſi caveantur.*

XV. Eadem quippe videtur eſſe ratio de effectibus *per ſe* ex actione conſequentibus, & conſequentibus ex hominum infirmitate, aut ignorantia, ſi veriſimiliter ſequi præſumantur. Hinc ſacra Eloquia vehementer inculcant, ut puſillorum ſcandalum præcaveamus, pœnaſque graviſſimas comminantur iis, per quos hujuſmodi ſcandalum venit: quemadmodum dicturi ſumus, cum de ſcandalo agemus. Hinc etiam ab Apoſtolo jubemur, ut alienis infirmitatibus compatiamur, & alter alterius onera portemus, quo Legem Chriſti adimpleamus.

Regula Nona.

Mali effectus, qui ſequuntur ex aliorum malitia, non cenſentur indirecte *voliti, ſi actionem ponendi ſubſit cauſa rationabilis.*

XVI. Scandalum hoc *phariſaicum* appellatur, quod contemnendum Dominus docet Matth. cap. 15. Quum enim Diſcipuli Chriſto dixiſſent: *Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt*, Divinus Magiſter reſpondit: *Sinite illos: cæci ſunt*; quaſi diceret, ejuſmodi ſcandalum pro nihilo habendum. Atque idem docet S. Thomas Patres ſecutus, ſicut in loco dicemus de hac, aliiſque id genus quæſtionibus.

Regula Decima.

Ne malus effectus, qui ex actione noſtra conſequitur, etiam ob alienam malitiam indirecte *voluntarius, adeoque culpabilis reputetur, requiritur cauſa rationabilis non prætermittendi actionem.*

XVII. Qui enim abſque neceſſitate, aut juſtæ utilitate quidpiam agit, ex quo prævidetur proximus accepturus occaſionem ſpiritualis ruinæ, ipſum quodammodo tentat, & ſaltem interpretative ad malum inducit. Hinc D. Thomas 2. 2. quæſt. 97. artic. 1. de tentatione Dei loquens, quod æque tentationi hominis applicari valet, hæc docet: *Tentare contingit dupliciter ..... quandoque quidem expreſſe, puta cum quis dicto, vel facto intendit experimentum ſumere de aliquo.*

Quan-

Quandoque vero interpretative, quando ſcilicet, etſi hoc non intendat, ut experimentum ſumat; id tamen agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum. Sic ergo .... quaſi interpretative Deum tentat, qui etſi non intendit experimentum de Deo ſumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud eſt utile, niſi ad probandum Dei potentiam, vel bonitatem, vel cognitionem. Ex hac ergo S. Thomæ doctrina colligitur, quod aliquid agere abſque juſta cauſa cum prævifo periculo peccati proximi ex malitia ſua ſecuturi, nihil aliud ſit, niſi experimentum ſumere de malitia proximi: quod citra culpam fieri nequit.

Atque ex hac regula infert S. Doctor, cauſam juſtam requiri, puta indigentiæ, ut quis licite mutuum petat ab eo, qui nonniſi ſub uſura daturus cognoſcitur. Sic etiam ex Auguſtino *Epiſt.* 54. docet, privatæ perſonæ illicitam eſſe petitionem juramenti ab eo, qui cognoſcitur pejeraturus, ut habet ibidem, & *q.* 98. *art.* 4., ubi tamen addit, id licere perſonæ publicæ, non alia plane de cauſa, niſi quia in publica Perſona occurrit juſta petendi ratio, ut nempe officio ſuo ſatisfaciat, ac parti juramentum ſecundum juris ordinem poſtulanti.

Regula Undecima.

Cauſa juſta ponendi actionem, ex qua malus effectus ſequitur, aut prævidetur, ne imputetur ad culpam, talis ſit oportet, ut hic & nunc voluntatem ad agendum inducat.

XVIII. Si namque voluntas ex cauſa illa ad agendum non inducatur, ſed ex alio motivo, quod minime ſufficiat, juſta illa cauſa agentem a culpa non excuſabit, nec impediet, quin malus effectus ipſi imputetur tamquam *indirecte*, ſive *interpretative* voluntarius. Exemplo res clara fiet. Juſta cauſa Principi ſubeſſe poteſt ad bellum indicendum: ab hac tamen non movetur, ſed potius ab ira, vel odio, aut ſimili alio pravo motivo, eaque utitur ſolum tamquam prætextu, aut velamine pravæ ſuæ voluntatis exequendæ. Mali tunc, qui ex bello conſequuntur, effectus ipſi imputantur ad culpam tamquam *indirecte* voliti. Non enim juſta cauſa, quæ adeſſe præſumitur, ipſum magis movet ad indicendum bellum, ac ſi non exiſteret. Quamobrem S. Thomas 2. 2. *q.* 40. ad juſtitiam belli cum S. Auguſtino nedum requirit authoritatem Principis, & juſtam cauſam, ſed etiam rectam intentionem, qua Princeps ad illud moveatur. Et Cardinalis Bellarminus *lib.* 3. *de Laicis cap.* 15. ſapienter monet, peccare graviter tam Reges, quam milites, qui ad gerendum bellum hic & nunc non ex juſta cauſa permoventur, ſed vel ex odio, ut alicui noceant, vel ex imperii ſui fines dilatandi libidine, vel ut bellicam fortitudinem ſuam oſtendant &c. De his, aliiſque caſibus, in quibus voluntarium indirectum locum habet, plura dicentur in locis ſuis, prout rerum tractatio poſtulaverit.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Voluntarium preſſe dictum in brutis non invenitur.*
II. *Voluntarium cum libero confundi minime debet.*
III. *Ad omiſſionem voluntariam exigitur aliquis actus, ſaltem qui cauſa ſit, aut occaſio illius. Textus S. Thomæ proponitur.*
IV. *Diſtinguenda eſt omiſſio voluntaria a culpabili: ſicut etiam omiſſio ab omiſſionis effectu.*
V. *Præpoſtera conſecutio ab aliquibus illata ex quadam S. Thomæ doctrina.*
VI. *Cujuſdam Authoris ſententia veluti plus æquo rigidior repudiata.*
VII. *Circa concupiſcentiæ motus impediendi obligationem, diſcernere oportet inter cauſas, & cauſas eorumdem.*
VIII. *Voluntarii* indirecte *reputandi ſunt, dum cauſas illorum ponimus abſque juſto, & rationabili motivo.*
IX. Indirecte *voluntaria cenſeri Medico, aut Chirurgo debet mors infirmi ſibi commiſſi, dum contingit ex illorum negligentia in eo curando.*
X. *Idem aſſerendum de damnis clienti obvenientibus ex ignorantia Advocati, vel Judicis.*
XI. *Idem quoque de relapſu in priora peccata, qui contingit pœnitenti, ſe ſubjicere renuenti remediis a prudenti Confeſſario præſcriptis.*
XII. *Peccatum mortale vult* indirecte, *qui illud committendi proximæ ſe occaſioni committit.*
XIII. *Prægnantes mulieres ſpeciali obligatione tenentur ad ea præcavenda, ob quæ abortus periculum impendet.*
XIV. *Aliena ebrietas ſæpe tamquam* indirecte *voluntaria Cauponibus imputatur.*
XV. *Falſa exiſtimanda eſt quorumdam opinio haud majorem malitiam effectui* indirecte *volito tribuentium, quam quæ convenit cauſæ.*
XVI. *Ad actum virtutis* voluntarium indirectum *minime ſufficit.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Voluntarium in propria, & perfecta voluntarii ratione non invenitur in brutis. Ita S. Thom. *hic q.* 6. *art.* 2. Et ratio eſt, quoniam in iis non reperitur perfecta cognitio finis, quæ ad voluntarium preſſe dictum requiritur. Ad hanc quippe finis cognitionem ſatis non eſt, quod utcumque apprehendatur res, quæ finis eſt, ſed etiam cognoſcatur ratio finis, & proportio eorum, quæ ordinantur ad finem: quod ſoli rationali creaturæ competit. Apprehendunt itaque bruta finem, ſed rationem finis non cognoſcunt, nec mediorum cum fine proportionem. Atque hoc inter cætera unum ex præcipuis diſcrimen eſt inter hominem, & bruta animalia; quod elegantiſſime exponit Marcus Tullius lib. 1. de Officiis cap. 4. inquiens: „ Inter hominem, & belluam „ hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quan- „ tum

„ tum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, „ quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paulum admodum ſentiens præteritum, „ aut futurum. Homo autem, quoniam rationis „ eſt particeps, conſequentia cernit, principia, & „ cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & „ quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines „ comparat, & quaſi rebus præſentibus adjungit, „ atque annectit futuras: facile totius vitæ curſum videt, ad eumque regendum præparat res „ neceſſarias &c. “.

Conſectarium Secundum.

II. Voluntarium cum libero confundendum non eſt. Nam omne quidem liberum voluntarium eſſe neceſſum eſt: ſed non e contra omne voluntarium liberum eſt. Amor ſiquidem noſtræ beatitudinis in communi certe voluntarius eſt; neque tamen liber eſt: Deus pariter indubie ſe voluntarie diligit; & tamen hujuſmodi actus ipſi neceſſarius eſt, cum nullo modo poſſit ſeipſum non diligere. Non deſunt quidem aliqui Theologi, qui negant rationem perfecti voluntarii amori beatifico Comprehenſorum: ſed perperam. Cur enim ratio perfecti voluntarii huic amori denegetur, cum a principio maxime intrinſeco procedat, & a perfectiſſima finis cognitione? Quod ad voluntarii definitionem requiritur, ſatiſque eſt.

Conſectarium Tertium.

III. Actus aliquis ad voluntarium & culpabilem omiſſionem exigitur, adeo ut, ſublato omni voluntatis actu, omiſſio voluntaria nequaquam ſit. Magna quæſtio hæc inter Theologos animorum contentione agitatur: at quoniam ea nihil refert ad inſtitutum noſtrum, quum omnes ferme conveniant reipſa, moraliter loquendo, omiſſionem non eſſe abſque omni actu voluntariam, propterea ſatis duco, hic exſcribere luculentiſſimam S. Thomæ doctrinam, quam, recenſita utraque ſententia, tradit 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. his verbis: „ Utraque opinio ſecundum aliquid veritatem habet. Si enim intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolum, quod per ſe pertinet ad rationem peccati, ſic quandoque omiſſionis peccatum eſt cum actu interiori, ut cum aliquis „ vult non ire ad Eccleſiam: quandoque vero abſque omni actu vel interiori, vel exteriori: ſicut cum aliquis hora, qua tenetur ire ad Eccleſiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad „ Eccleſiam “.

„ Si vero in peccato omiſſionis intelligantur „ etiam cauſæ, vel occaſiones omittendi; ſic neceſſe eſt in peccato omiſſionis aliquem actum „ eſſe. Non enim eſt peccatum omiſſionis, niſi „ cum aliquis prætermittit, quod poteſt facere, „ & non facere. Quod autem aliquis declinet „ ad non faciendum illud, quod poteſt facere, „ & non facere, non eſt niſi ex aliqua cauſa, „ vel occaſione conjuncta, vel præcedente. Et „ ſi quidem cauſa illa non ſit in poteſtate hominis, omiſſio non habet rationem peccati: ſicut „ cum aliquis propter infirmitatem prætermittit „ ad Eccleſiam ire. Si vero cauſa, vel occaſio „ omittendi ſubjaceat voluntati, omiſſio habet „ rationem peccati: & tunc ſemper oportet, „ quod iſta cauſa in quantum eſt voluntaria, „ habeat aliquem actu ad minus interiorem voluntatis: qui quidem actus quandoque directe „ fertur in ipſam omiſſionem: puta cum aliquis „ vult non ire ad Eccleſiam, vitans laborem. Et „ tunc talis actus per ſe pertinet ad omiſſionem: „ voluntas enim cujuſcumque peccati per ſe pertinet ad peccatum illud, eo quod voluntarium „ eſt de ratione peccati. Quandoque autem actus voluntatis directe fertur in aliud, per „ quod homo impeditur ab actu debito: ſive „ illud, in quod fertur voluntas, ſit conjunctum „ omiſſioni, puta cum aliquis vult ludere, quando ad Eccleſiam deberet ire; ſive etiam ſit præcedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de „ ſero, ex quo ſequitur, quod non vadat hora „ matutinali ad Eccleſiam. Et tunc actus iſte „ interior, vel exterior *per accidens* ſe habet ad „ omiſſionem: quia omiſſio ſequitur præter intentionem. Hoc autem dicimus *per accidens* „ eſſe, quod eſt præter intentionem. Unde manifeſtum eſt, quod tunc peccatum omiſſionis „ habet quidem aliquem actum conjunctum, „ vel præcedentem, qui tamen *per accidens* ſe „ habet ad peccatum omiſſionis “. Atque hæc perſpicua, ac ſolida S. Thomæ doctrina de hac quæſtione ſufficiat, miſſis Theologorum tricis, & rixis. Illud ſolum animadvertendum cenſeo, quod, cum poſtea ſubjicit S. Doctor, judicium de rebus fieri ex eo, quod eſt *per ſe*, adeoque *dici poſſe*, *quod aliquod peccatum poſſit eſſe abſque omni actu*; non ex hoc excludit ab omiſſione culpabili omnem alium actum, qui ſit cauſa, vel occaſio illius, cum diſerte affirmet adeſſe ſemper in omiſſione culpabili ſaltem *per accidens* aliquem actum, a quo tamen judicium ferri non debet de ipſa omiſſione, prout in ſe eſt conſiderata.

Conſectarium Quartum.

IV. Quapropter accurate diſcernere oportet inter omiſſionem *voluntariam*, & omiſſionem *culpabilem*: quemadmodum & inter omiſſionem, & omiſſionis effectum. Habetur enim omiſſio *voluntaria*, quæ tamen *culpabilis* non eſt; veluti cum quis ſciens, ac volens omittit aliquid, quod agere quidem poteſt, ſed ad agendum non tenetur neque ex juſtitia, neque ex charitate, neque ex alia quacunque obligatione. Pariter habetur quandoque omiſſio voluntaria, quin effectus illam conſequens voluntarius ſit, nec ad culpam imputetur: Ex. c. ſi quis videns duos homines rixantes inter ſe, evaginato gladio, quos equidem ſeparare poſſet, at nonniſi cum gravi ſuæ vitæ periculo, ob quod nullo jure ad eos ſeparandos obſtringitur, ac interim alicujus mors, aut percuſſio ſequatur; mors illa, ſive percuſſio ei tamquam voluntaria non imputatur ad culpam ex eo, quod illos ſeparare omiſerit. Siquidem cum gravi illo vitæ ſuæ periculo non tenebatur. Atque in hoc ſenſu voluntarii imputabi-

bilis ad culpam intelliguntur regulæ traditæ de voluntario *indirecte*.

Conſectarium Quintum.

V. Perperam inferunt quidam Theologi ex S. Thomæ doctrina ſupra tradita, *Regula ſeptima*, licitam eſſe projectionem pueri, alias ſine baptiſmate morituri in puteum, unde emergere nequeat, non ad finem quidem occidendi, ſed tantum ipſum baptizandi: quod confirmant exemplo Principis hoſtilem turrim obſeſſam dejicientis, licet æque directe innocentium occiſio ſequatur, quam tamen non intendit. Hæc ſententia probanda non eſt: quoniam projectio illa infantis in puteum vera occiſio illius eſt, quæ privata authoritate, ut docet ipſe S. Doctor, nunquam licet, utpote natura ſua mala. Nec quidquam evincit paritas ex dejectione turris deducta: hæc enim fit, ut ſupponimus, publica authoritate Principis bellum juſte gerentis. Ex juſto autem bello, quod ob commune bonum licitum eſſe nullus dubitat, & Sacræ ipſæ Literæ docent, incommoda illa conſequi ſolent, ut nedum hoſtes, ſed & aliquando innocentes opprimantur.

Conſectarium Sextum.

VI. Plus æquo rigidior videtur ſententia *P. Irenæi a S. Jacobo*, non permittentis auditionem Confeſſionum Sacerdoti, niſi ſpes probabilis affulgeat, quod pollutio per Dei gratiam ſecutura non ſit, quamvis abſit conſenſus periculum; idque confirmantis exemplo illius, qui certo peccaret ſumens vinum venenatum, quamvis nolit mortem inde ſecuturam. Plus æquo, inquam, rigidior eſt hæc ſententia. Arctius namque teneor abſtinere ab actione occiſiva mei ipſius ex ſe, & natura ſua prohibita, quam a quibuſdam actionibus pollutionem citra periculum conſenſus inferentibus, quas prætermittere ſolum obligamur, dum nec juſta utilitas, nec neceſſitas eas requirit: alias nec Chirurgo liceret curare fœminam certo morituram in partibus ſecretioribus, dum ejuſdem effectus involuntarii periculum immineret.

Conſectarium Septimum.

VII. Non ergo tenemur concupiſcentiæ motus involuntarios impedire, dummodo abſit conſenſus periculum, & juſta cauſa ſuppetat non impediendi. Qua tamen in re caute nos gerere debemus, & cum Doctoribus diſcernere inter cauſas, & cauſas illorum motuum. Aliæ namque ſunt cauſæ *per ſe*, & *propinque* excitativæ, quæ in hoc corruptæ naturæ ſtatu eam habent turpitudinis ſpeciem, ut *per ſe* ad luxuriam pertineant, niſi propriæ, vel alienæ neceſſitatis titulo honeſtentur, ut aſpectus, vel tactus partium inhoneſtarum præſertim alterius ſexus. Aliæ vero ſunt cauſæ *remotæ*, quæ nempe non eam præferunt turpitudinis ſpeciem, ſed vel ex ſe honeſtæ ſunt, ut audire Confeſſiones, vel indifferentes, ut cibis veſci calidioribus in communi uſu apponi ſolitis. Si de prioribus cauſis ſermo ſit, tanto gravior debet eſſe neceſſitas eas non prætermittendi, quanto graviores concupiſcentiæ motus natæ ſunt excitare: unde lethaliter peccat Chirurgus abſque gravi neceſſitate tangens, aut aſpiciens ſecretiora mulierum. Si autem de poſterioribus, Theologi frequentius docent ſufficere utilitatem, ut eas amovere non teneamur, modo nec motus illos quæramus, nec iis, dum exſurgunt, conſenſum præbeamus. Perfecti tamen caſtitatis amatores conſulto cum aliquo ſui incommodo ab iis actionibus abſtinent, quoties neceſſariæ non ſunt, ut effectus illos devitent. Sed de his alibi fuſius.

Conſectarium Octavum.

VIII. Voluntaria *indirecte*, adeoque peccatum exiſtimanda eſt ſive pollutio, ſive alii libidinoſi motus in iis omnibus, qui abſque juſta cauſa deliberate volvunt animo venereas cogitationes, vel libros legunt de obſcœnis tractantes, vel turpes picturas meditato aſpiciunt, vel cum perſonis converſantur, ex quarum intuitu, & familiaritate carnales in ſe motus, & periculum pollutionis experiuntur. Cum enim juſta cauſa abeſſe ſupponatur, eos virtualiter, ſive indirecte velle merito cenſentur.

Conſectarium Nonum.

IX. *Indirecte* voluntaria cenſetur Medico, vel Chirurgo mors infirmi vel corpore læſi, ſi morbum, vel vulnus ſibi ad curam commiſſum ea, qua par eſt, diligentia, ac ſedulitate curare negligant, unde mors illius conſequatur: quemadmodum & ipſi infirmo voluntaria *indirecte* mors eſt, ſi neceſſariis Medici præceptionibus ſaltem communiora remedia præſcribentibus parere detrectat.

Conſectarium Decimum.

X. Idem dicendum de damnis temporalibus, quæ Clienti obveniunt, ex ignorantia, aut negligentia Advocati, vel Judicis: ſicut etiam de damnis ſpiritualibus obvenientibus pœnitenti, aut parochiano ex ignorantia, vel negligentia Confeſſarii, vel Parochi.

Conſectarium Undecimum.

XI. Idem quoque aſſerendum de relapſu in priora peccata, qui indirecte voluntarius pœnitenti eſt, renuenti ſe ſubjicere ſalutaribus remediis, quæ ipſi præſcribuntur a prudenti Confeſſario, qui ea tamquam omnino neceſſaria putat ad relapſum devitandum: quæ proinde reſpuere, aut non exequi eſt relapſum ipſum, ſaltem *indirecte* velle; vanaque cenſenda eſt non relabendi pollicitatio, quam facit, quamdiu remedia illa adhibere contemnit: quia tametſi relapſum expreſſe nolit, illum tamen *inefficaciter* vult, & virtualiter, aut interpretative eligit.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Non minus *indirecte* peccatum quodlibet mortale vult, qui ejus committendi proximæ occaſioni ſe exponit, aut in ea permanet, ſive occaſio illa fuerit *per ſe* inductiva peccati, ſive *per accidens*. Cenſetur enim peccatum illud toties *indirecte* velle, quoties eam frequentat, ſicut etiam voluntarie in peccato ipſo permanere, dum in proxima peccandi occaſione voluntarie permanet. Hinc etiam peccatum ſatis velle æſtimatur, qui conſuetudinem jurandi, aut blaſphemandi non conatur exſcindere; ea namque ipſi proxime relabendi occaſio eſt.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Prægnantes mulieres ſpeciali obligatione adſtringuntur peculiarem adhibendi curam, atque ſtudium, ut caveant tum a nimiis corporis laboribus, tum a gravibus animi perturbationibus, quæ periculum abortus creare valeant. Summum quippe malum, ſive damnatio ſempiterna animato fœtui ex abortu conſequitur, quod præcavere tenentur, ac niſi præcaveant, dum facile poſſunt, imputatur ad culpam.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Aliena ebrietas *indirecte* voluntaria dicenda eſt Cauponibus, qui ſine gravi detrimento recuſare valentes, vinum miniſtrant iis, quos ebrietati proximos cernunt, atque adeo inebriandos prævident. In iis enim circumſtantiis vinum miniſtrare, actio eſt natura ſua tendens ad ipſorum ebrietatem. Unde tunc meminiſſe debent Apoſtoli ad Rom. 10. dicentis: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*: atque inde colligant quoque ipſi, atque dicant: *Si vinum ſcandalizat fratrem meum, non promam illud in æternum*. Nec refert, quod ex recuſato vino prævideant inimicitias, rixas, blaſphemias: hæc enim, utpote ad ſcandalum phariſaicum pertinentia, negligere debent, ut de ſcandalo agentes dicturi ſumus. Hic ſolum addendum arbitror, quod ſi in communi plurium conſortio pauci quidem inveniantur ebrietati proximi: alii vero multi vinum ſumere valeant, quin ebrietatis periculum impendeat, his vinum petentibus promere ac miniſtrare Cauponibus licet, quamvis hi cæteris propinaturi ſint. Quum enim juſta cauſa ſuppetat præbendi vinum, nonniſi permiſſive ſe habent ad malitiam eorum, qui inebriandis vinum propinant.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Falſa abſolute exiſtimanda eſt quorumdam neotericorum opinio, qui ajunt, pravum effectum *indirecte*, ſive *in cauſa* duntaxat voluntarium, ſolum eſſe culpabilem *in cauſa*, nec majorem culpam contrahere, quam quæ convenit cauſæ: unde docent, pollutionem ex. g. in cauſa, ſive in aliqua, quam ponit, actione præviſam, in eaque ſola, non in ſe voluntariam, venialiter tantum eſſe malam, ſi cauſa, vel actio in genere luxuriæ ſit de ſe ſolum veniale peccatum. Contraria quippe ſententia ſatis aperta, ac veriſimilior videtur. Satis namque eſt, ut effectus voluntarius ſit, ut eam malitiam contrahat, quæ ipſius propria eſt. Porro licet indirecte ſit volitus, voluntarius tamen eſt; adeoque id ſufficit, ut, dum ex ſe graviter malus eſt, gravem quoque culpæ reatum incurrat, qui cauſam, aut actionem ponit, ex qua ille conſequitur. Hinc ex communi Doctorum ſententia actus impudici, quos conjugati inter ſe exercent ſolius voluptatis cauſa, grave peccatum reputantur, dum pollutio inde ſecutura prævidetur: quamquam alias nonniſi peccatum veniale forent; nec pollutio ſit ab ipſis per ſe intenta, ſive directe volita, ſed ſolummodo indirecte.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Tametſi ad peccandum ſufficiat voluntarium *indirectum*, ad actum tamen virtutis *directum* requiritur; quod perinde eſt, ac aſſerere neceſſe eſſe, ut actio noſtra honeſtatem contrahat alicujus virtutis, quod honeſtas illa in ſe, & propter ſe intendatur ab operante, & cauſa ſit, quæ hic & nunc ad operandum moveat, aut inducat. Rationem hujus diſcriminis tradit S. Thomas 1. 2. *q.* 71. *art.* 1. reſpondens ad primam objectionem hoc pacto: „ Dicendum, quod plura re„ quiruntur ad bonum, quam ad malum, eo quod „ bonum contingit ex tota integra cauſa: malum „ autem ex ſingularibus defectibus. Et ideo pec„ catum poteſt contingere, ſive aliquis faciat, „ quod non debet, ſive non faciendo, quod de„ bet. Sed meritum (idem dicas de actu virtu„ tis) non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat volun„ tarie, quod debet. Et ideo meritum non pot„ eſt eſſe ſine actu (directe voluntario): ſed pec„ catum poteſt eſſe abſque actu " eo modo, quo dictum fuit. Id clarius ſupra docuerat *q.* 19. *art.* 7. *ad* 3. his verbis: *Malum contingit in ſingularibus defectibus: bonum autem ex tota, & integra cauſa. Unde, ſive voluntas ſit ejus, quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni; ſive ſit boni, & ſub ratione mali, ſemper voluntas erit mala. Sed ad hoc, quod ſit voluntas bona, requiritur, quod ſit boni ſub ratione boni; ideſt quod velit bonum, & propter bonum.*

REFLEXIO.

Voluntarie ſacrificabo tibi, ajebat olim Propheta Regius alloquens Deum: quod & alio in loco expreſſit dicens: *Holocauſta medullata offeram tibi*: ex intimis ſcilicet medullis cordis, & voluntatis profecta. Hæc etenim ſola *ſacrificia* probare Deum, & ad æternam felicitatem aſſequendam idonea eſſe, probe perſpexerat, alteque menti perſuaſum habebat. Enimvero, ut ex D. Thoma prænotavimus, ex ordine a Divina Sapientia mortalibus conſtituto, opera bona, Deoque placita neceſſaria ſunt, ut ad beatitudinem, quæ in Dei poſſeſſione conſiſtit, demum perveniamus. Ve-

Verum hæc neque Deo placere, nec ad beatitudinem perducere hominem poſſunt, niſi voluntaria ſint, ſive niſi ex plena, atque perfecta voluntate prodeant. Primum namque bonorum operum, atque æternæ felicitatis organum, ac inſtrumentum *bona voluntas* eſt; ideoque, naſcente Domino, qui cælum ob peccatum Protoparentis noſtri clauſum reſerare venerat, *pax hominibus bonæ voluntatis* denunciatur: quemadmodum certa ad prava opera, & ad ſempiternam miſeriam via mala voluntate ſternitur, & complanatur. *Sola quippe voluntate*, ut habet S. Auguſtinus, *miſer quiſque efficitur:* licet *miſerior* ſubinde evadat *poteſtate*, *qua deſiderium malæ voluntatis* pravis operibus *adimpletur*.

Quanto igitur ſtudio, quanta animi vigilantia ſatagamus, oportet, ut bona in primis ſit voluntas noſtra, quæ & grata Deo eſt, & utilis nobis, ſimulque facilis omnibus! *Grata* quidem primum Deo eſt: quidquid enim veraciter, atque ſincere volumus, etiamſi illud exequi minime valeamus, pro facto ipſo computat Deus, nimirum, ut ait idem S. Doctor: *Deus cor quærit: cor inſpicit intus: cordis teſtis eſt, judex, approbator, coronator. Sufficit, ut offeras voluntatem. Cum potes, confitere ad ſalutem: cum non potes, corde crede ad juſtitiam. Corde laudas, corde benedicis, corde in ara conſcientiæ victimas ſacras imponis. Et reſpondetur tibi: pax in terra hominibus bonæ voluntatis*.

Utilis nobis bona voluntas eſt, qua appetimus recte, honeſteque vivere, & ad ſummam ſapientiam, Deique in omnibus voluntatem implendam pervenire. Siquidem, ut docent Auguſtinus idem, & S. Bernardus, cum voluntas nihil liberum habeat, niſi ſeipſam (ad alia quippe violenter impelli poteſt), merito non judicatur, niſi ex ſeipſa. Nec tardum ingenium, ut cum piiſſimo Authore loquar, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec vita languens, nec corpus ægrotans, nec penuria rerum ſontem per ſe conſtituunt hominem, ſicut nec contraria innocentem: quia præter voluntatem poſſe provenire probantur. Sola bona voluntas fœcunda eſt, ac ditiſſima illa auri fodina, unde ſolidi theſauri eruuntur: ac veluti lapis ille a pluribus, ſed fruſtraneo labore quæſitus, metalla in aurum convertens, mala ipſa in bonum tranſmutans, triſtia in gaudium transformans, paupertatem locupletans, vilitatem nobilitans, infamiam illuſtrans, &, ut recte ſcripſit Philoſophus Moralis Epiſt. 72. *valentior fortuna eſt voluntas: in utramque partem ipſa res ſuas ducens, beatæque, ac miſeræ vitæ ſibi cauſa eſt*.

Poſtremo nedum *grata Deo*, nedum *nobis utilis* bona voluntas eſt, ſed *facilis* etiam, & abſque labore comparabilis. Siquidem, ut ait S. Auguſtinus, *dilige, & fac, quod vis: nihil tam facile bonæ voluntati, quam ipſa ſibi; & hoc ſufficit Deo*. Voluntatem non impediunt carceres, non alligant vincula, non domant dominantes tyranni: libera ſemper eſt, maximeque ſi ſpiritu ducitur, quoniam *ubi ſpiritus, ibi libertas*. Hinc ſciſcitanti cuipiam, quid ad ſanctitatem compendio acquirendam facto opus eſſet, S. Thomas reſpondit: *Bona voluntas exigitur, & ſufficit*: bona, inquam, voluntas, non velleitas; ſed *voluntas* ſincera, fortis, & efficax, ſaltem quantum in ſe eſt, adeo ut dum facultas non deeſt, in opus prodeat, nec in ſolis deſideriis inefficacibus ſiſtat. Quæ enim ſegnis, languida, otioſa eſt, non *bona*, ſed *mala* potius *voluntas* nuncupari debet.

CAPUT QUINTUM.

De Cauſis Involuntarii.

DOCTRINA.

I. *Quædam de involuntario præmittuntur.*

II. *De prima involuntarii cauſa, ſcilicet* violentia. *Voluntas non in actibus a ſe* elicitis, *ſed* imperatis *dumtaxat violentiam pati poteſt.*

III. *Violentia ſimpliciter, & abſolute talis involuntarium cauſat.*

IV. *De altera involuntarii cauſa, nempe* metu. *Diſtinctio* metus *expoſita.*

V. *Quæ fiunt ex metu, mixta ſunt ex voluntario, & involuntario. Doctrinæ explicatio.*

VI. *In iis, quæ ſuapte natura prava ſunt, nullus metus excuſat.*

VII. *Validi ſunt contractus ex metu initi, ſolo naturæ jure ſpectato.*

VIII. *Contractus metu extorti, ac juramento firmati ſervandi ſunt.*

IX. *Etiam jure poſitivo validi ſunt contractus ex metu celebrati, iis exceptis, quos jus idem irritos ſtatuit, aut declaravit.*

X. *Contractus per metum gravem injuſte incuſſum extorti, juramento non firmati, reſcindi probabiliter poſſunt in foro conſcientiæ.*

XI. *Contractus nonniſi ex levi metu celebrati validi ſunt tum attento jure naturali, tum etiam poſitivo.*

XII. *De tertia cauſa involuntarii, ſcilicet* concupiſcentia. *Quid hic concupiſcentiæ nomine intelligendum veniat.*

XIII. *Duplicem concupiſcentiam diſtinguere oportet,* antecedentem, *&* conſequentem. *De hac quæſtio nulla.*

XIV. *Concupiſcentia potius facit voluntarium, quam cauſet involuntarium.*

XV. *In hoc, de quo agimus, argumento voluntarium cum libero confundendum non eſt.*

XVI. *Concupiſcentia* antecedens *culpæ rationem diminuit:* conſequens *autem potius aggravat.*

XVII. *De quarta involuntarii cauſa, ſcilicet* ignorantia. *Qua ratione involuntarium cauſet. Triplicis ignorantiæ diviſio recolenda.*

XVIII. *Ignorantia* conſequens, *quæcumque ea ſit, nunquam excuſat* involuntarium.

XIX. *Illud duntaxat cauſatur ab ignorantia* antecedente.

XX. *Ignorantia eo modo, quo cauſat, vel non cauſat* involuntarium, *cauſat etiam, vel non cauſat peccatum. Doctrina Sancti Thomæ propoſita.*

I. INvoluntarium dupliciter ſumi poteſt; *proprie* ſcilicet, ac *minus proprie*. *Proprie* illud involuntarium eſt, quod eſt contra inclinationem voluntatis: *minus proprie*, quod cum non voluntario confunditur. Quemadmodum vero *voluntarium* aliud eſt *plene*, ac *ſimpliciter* voluntarium, quod nempe voluntas abſolute, & efficaciter vult; aliud *ſemiplene*, & *ſecundum quid*, quod voluntas equidem vult, ſed inefficaciter: ita quoque *involuntarium* aliud eſt *plene*, ac *ſimpliciter* tale; illud utique, cui voluntas plene, efficaciterque reſiſtit; aliud *ſemiplene*, & *ſecundum quid* ſolum involuntarium, cui voluntas non abſolute, & efficaciter reſiſtit, ſed aliquatenus dumtaxat, & imperfecte. Quatuor porro *involuntarii*, ſive *plene*, ſive *ſemiplene* ſumpti aſſignantur a Doctoribus S. Thomam ſecutis cauſæ; nimirum *violentia*, *metus*, *concupiſcentia*, & *ignorantia*, de quibus nonnulla dicenda.

§. I.

De prima cauſa involuntarii, *nempe* violentia.

II. Advertendum in primis eſt, duo actuum voluntatis genera diſtingui oportere cum Sancto Thoma: alii namque ſunt ab ipſa voluntate *eliciti*, qui ſcilicet ab ipſa voluntate eliciuntur, quique ad ipſum *velle* reducuntur; alii a voluntate *imperati*, & mediis aliis facultatibus exerciti, ut ambulare, loqui, &c. qui a voluntate quidem imperantur, ſed mediante alia potentia exercentur. Quoad igitur actus *elicitos* pertinet, *violentiam* pati voluntas minime poteſt: cujus ea ratio eſt, inquit S. Thomas hic art. 1.: „ Quia „ actus voluntatis nihil eſt aliud, quam inclina- „ tio quædam procedens ab interiori principio „ cognoſcente: ficut appetitus naturalis eſt quæ- „ dam inclinatio ab interiori principio, & ſine „ cognitione. Quod autem eſt coactum, vel vio- „ lentum, eſt ab exteriori principio. Unde contra „ rationem ipſius actus voluntatis eſt, quod ſit „ coactus, vel violentus: ſicut etiam eſt con- „ tra rationem naturalis inclinationis vel mo- „ tus lapidis, quod feratur ſurſum; poteſt enim „ lapis per violentiam ferri ſurſum: ſed quod „ iſte motus violentus ſit ex ejus naturali incli- „ natione, eſſe non poteſt: Similiter etiam poteſt homo per violentiam trahi: ſed quod hoc „ ſit ex ejus voluntate, repugnat rationi violen- „ tiæ “. Totum hoc paucis verbis expreſſit Sanctus Auguſtinus *lib. 3. de lib. arbitr. c. 3.* inquiens: *Fieri non poteſt*, *ut*, *dum volumus*, *non velimus*.

Verum ſi loquamur de actibus a voluntate *imperatis*, in iis voluntatem pati poſſe violentiam admittendum omnino eſt. Siquidem, cum hujuſmodi actus eliciantur, & exerceantur per aliquam potentiam a voluntate diſtinctam, ea potentia, ſive facultas per aliquod agens externum ab his actibus impediri valet etiam tunc, cum voluntas illos imperat: imo & per violentiam compelli poteſt aliquos exercere, quos voluntas exercere nolit; veluti ſi voluntas progreſſionem imperet, pedes per externam vim detineantur, ne progredi queant: aut ſi manum movere nolit, aut quidpiam audire ab exteriore agente manus moveatur, aut impediatur, ne aures obſtruere valeat. Quibus in caſibus recte dicitur ipſum hominem cogi, aut violentiam pati. His poſitis

III. Doctrina eſt S. Thomæ ab omnibus recepta violentiam, quæ ſimpliciter, & abſolute talis eſt, cauſare *involuntarium*. Dico, quæ *ſimpliciter*, & *abſolute* violentia eſt, juxta *violenti* definitionem ab Ariſtotele traditam; nimirum *violentum eſt id*, *cujus principium eſt extra*, *nihil conferente eo*, *qui cogitur*, nimirum nihil cooperante, ſed renitente potius, ac repugnante. Hanc aſſertionem probat S. Doctor *art. 5.* ea ratione; quod *violentia directe opponitur voluntario*, *ſicut etiam & naturali*. *Commune eſt enim voluntario*, *& naturali*, *quod utrumque ſit a principio intrinſeco: violentum autem eſt a principio extrinſeco*. *Et propter hoc*, *ſicut in rebus*, *quæ cognitione carent*, *violentia aliquid facit contra naturam; ita in rebus cognoſcentibus facit aliquid eſſe contra voluntatem*. *Quod autem eſt contra naturam*, *dicitur eſſe innaturale: & ſimiliter quod eſt contra voluntatem*, *dicitur eſſe involuntarium: unde violentia involuntarium cauſat*.

Illud duntaxat hic ſemper animadvertere oportet, quod ex definitione *violenti* præmiſimus, nempe ut violentia actum involuntarium efficiat, debeat eſſe *abſolute*, & *ſimpliciter* talis, reluctante omni conatu voluntate, adeo ut etiam quoad licet, facultates exteriores omnino impediat, ne ad actionem, ad quam cogitur, ullo modo concurrat. Quapropter ſi quis alterius manu alium percuteret, negative illo ſe habente, & non efficaciter repugnante, non ideo ea percuſſio violenta foret, ſed voluntaria dicenda eſſet. Qua etiam de cauſa, tametſi mors, ac tormenta illata Chriſto, ejuſque SS. Martyribus, *violenta* dici poſſint, ex parte agentium, ſive tyrannorum inſpecta, quatenus ab extrinſeco principio proveniebant, & erant contra omnibus inſitam naturæ inclinationem, *violenta* tamen dici nequeunt relate ad Chriſtum, ejuſque Martyres: quoniam illa voluntarie paſſi ſunt, prout ex D. Thoma colligitur hic ad 2. ſcribente: *Voluntarium poteſt aliquid dici dupliciter: uno modo ſecundum actionem*, *puta cum aliquis vult aliquid agere: alio modo ſecundum paſſionem*, *ſcilicet cum aliquis vult pati ab alio*. *Unde*, *cum actio infertur ab aliquo exteriori*, *manente in eo*, *qui patitur*, *voluntate patiendi*, *non eſt ſimpliciter violentum; quia licet ille*, *qui patitur*, *non conferat agendo*, *confert tamen volendo pati*. *Unde non poteſt dici involuntarium*.

§. II.

De ſecunda cauſa involuntarii, *nempe* metu.

IV. *Metus* communiter definiri ſolet, *inſtantis*, *vel futuri periculi mentis trepidatio*. Frequentior diviſio illius eſt in *levem*, & *gravem*; ſive, ut alii vocant, *juſtum*. *Levis* dicitur, quo vel leve malum timetur, aut grave quidem,

ſed

ſed ex cauſa levi, & improbabili. *Gravis*, qui etiam vocatur *cadens in virum conſtantem*, ſeu qui prudentem, & fortem virum movet, aut movere valet, quo ex cauſa ſatis probabili grave malum timetur, ac deſcribi conſuevit: *Certa*, *aut veriſimilis expectatio ingentis mali*, uti eſt mors, membrorum mutilatio, carcer, damnatio ad triremes, bonorum proſcriptio, & id genus alia. Ingens malum *relative* etiam dicitur ad perſonas, quæ metu percelluntur. Contingit enim malum aliquod apprehenſum, quod reſpectu viri leve eſt, grave ſit reſpectu mulieris, vel adoleſcentis.

Uterque metus dupliciter ſe habere poteſt ad actionem, vel paſſionem, *concomitanter* ſcilicet, & *cauſaliter*. Concomitanter ſe habet, quando non eſt cauſa movens ad actionem, vel paſſionem, ſed mere eam comitatur, & tunc actio quidem fieri dicitur *cum metu*, ſed non *ex metu*: veluti, cum quis interroganti Judici crimen capitale fatetur, ob quod mors imminet; confeſſio illa fit cum metu mortis, at non ex metu mortis, ſed ex debito veritatis ſincere fatendæ: *cauſaliter* vero *metus* ſe habet, cum eſt cauſa movens, aut excitans voluntatem ad aliquid agendum, vel patiendum, ut cum quis ex metu naufragii merces in mare projicit, vel latroni jugulum diſtricto gladio petenti pecuniam tribuit. His præſtitutis

V. Doctrina certa S. Thomæ, ac Theologorum eſt, ea, quæ ex metu fiunt ſive *levi*, ſive *gravi*, mixta eſſe ex voluntario, & involuntario; ſive eſſe *voluntaria ſimpliciter*, & *involuntaria ſecundum quid*. Audiamus S. Doctorem præclare rem hanc diſpicientem, atque probantem *art.* 6. his verbis: „ Hujuſmodi, *quæ per metum aguntur*, „ *mixta ſunt ex voluntario*, *&* *involuntario*. Id „ enim, quod per metum agitur, in ſe conſide- „ ratum non eſt voluntarium: ſed fit volunta- „ rium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum, „ quod timetur. Sed ſi quis recte conſideret, „ magis ſunt hujuſmodi *voluntaria*, quam *invo-* „ *luntaria*. Sunt enim voluntaria *ſimpliciter*: in- „ voluntaria autem *ſecundum quid*. Unumquodque „ enim *ſimpliciter* eſſe dicitur, ſecundum quod „ eſt in actu: ſecundum autem quod eſt in ſola „ apprehenſione, non eſt *ſimpliciter*, ſed *ſecun-* „ *dum quid*. Hoc autem, quod per actum agi- „ tur, ſecundum hoc eſt in actu, ſecundum quod „ fit. Cum enim actus in ſingularibus ſint: ſin- „ gulare autem in quantum hujuſmodi, eſt hic „ & nunc; ſecundum hoc id, quod fit, eſt in „ actu, ſecundum quod eſt hic & nunc, & ſub „ aliis conditionibus individualibus. Sic autem „ hoc, quod fit per metum, eſt voluntarium, in „ quantum ſcilicet eſt hic & nunc: prout ſcili- „ cet in hoc caſu eſt impedimentum majoris ma- „ li, quod timebatur; ſicut projectio mercium „ in mare fit *voluntarium* tempore tempeſtatis, „ propter timorem periculi: unde manifeſtum eſt, „ quod *ſimpliciter* voluntarium eſt: unde & com- „ petit ei ratio *voluntarii*; quia *principium ejus* „ *eſt intra*. Sed quod accipiatur id, quod fit per „ metum, ut extra hunc caſum exiſtens, prout „ repugnat voluntati, hoc non eſt, niſi ſecun- „ dum rationem tantum. Et ideo eſt involunta-

„ rium *ſecundum quid*, ideſt prout conſideratur „ extra hunc caſum exiſtens “.

Illuſtrari hæc doctrina poteſt ratione, & exemplo a D. Bernardo producto *lib. de grat. & lib. arbit.* c. 12.: *Quia*, inquit, *velle plene convincimur quod non fieret*, *ſi nollemus*. *Cogebatur* (ſive metu mortis urgebatur) *Chriſtianus negare Chriſtum*, *& negavit quidem dolens*: *non tamen*, *niſi volens*. *Volebat nimirum vitare gladium ferientis*: *atque illa talis voluntas intus præſidens os aperiebat*, *non gladius*, *qui foris apparebat*.

Verum, ut difficultates in hac materia, ſi quæ ſunt, penitus eliquentur, quaſdam majoris claritatis ergo regulas apponere præſtat.

Regula Prima.

Nullus metus, *quantumvis gravis*, *excuſat a peccato in iis*, *quæ ſunt natura ſua*, *& intrinſece mala*.

VI. Evidens hæc regula eſt; neque enim metus, quantumvis gravis, & graviſſimus, ita excuſare a peccato poteſt; quaſi opus, quod fit ex metu, vi illius deſinat eſſe malum, quod ex natura ſua, & intrinſece malum eſt, ut patet. Sed neque illud excuſare valet ob defectum voluntarii, quod ad culpam contrahendam requiritur; cum ea, quæ ex metu fiunt, *ſimpliciter* eſſe *voluntaria* probatum fuerit. Unde ex nullo capite metus gravis abſolute excuſat a peccato in iis, quæ natura ſua prava ſunt. Negandum tamen non eſt, quod culpæ rationem ſaltem imminuat, eoque amplius, quo gravior metus eſt: eo modo, quo diminuit ipſum voluntarium, non ita tamen, ut ex lethali veniale peccatum efficiat. Unde ſemper mortaliter peccant, qui graviſſimorum etiam tormentorum metu vel fidem Chriſtianam abnegant, vel perjurium, aut aliud ſimile peccatum perpetrant.

Si vero de iis ſermo ſit, quæ non ſunt natura ſua mala, ſed tantum poſitiva lege prohibita, metus gravis interdum excuſat a culpa, interdum non excuſat, adeo ut actio ex metu facta lethalis culpa non ſit, quemadmodum in Tractatu *de Legibus* dictum eſt.

Regula Secunda.

Spectato ſolo jure naturæ contractus metu gravi initi validi ſunt.

VII. Siquidem nihil eſt in jure naturæ, quod hujuſmodi contractus irritos, aut invalidos reddat. Quid enim eſt vi hujuſce juris, quod eos irritet, aut nullos efficiat? Num defectus conſenſus voluntarii? Sed jam oſtenſum eſt, ea quæ ex metu fiunt, eſſe *ſimpliciter voluntaria*. Num forte quia injuria illata contrahenti ex metu valorem contractui adimat? Sed hoc falſum eſſe ſatis conſtat, tum quia injuria non eſt immediata cauſa contractus, ſed contrahentium conſenſus: tum quia, licet illata injuria ſit cauſa ſufficiens, ut conſenſus ſemel datus revocari queat, atque ita irritari contractus, ſufficiens tamen non

non videtur, ut contractum ipſo jure invalidum reddat.

Regula Tertia.

Si contractus juramento firmati ſint, quamvis metu extorti, ad eos ſervandos tenemur.

VIII. Equidem in hac regula minime conveniunt Theologi: at amplectendam cenſeo D. Thomæ doctrinam, quam diſerte tradit 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. dicens: „ In juramento, „ quod quis coactus fecit, duplex eſt obligatio. „ Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per „ coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc „ meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia „ autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, „ ut impleat, quod per nomen ejus promiſit: & „ talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ; „ quia magis debet damnum temporale ſubire, „ quam juramentum violare. Poteſt tamen repetere in judicio, quod ſolvit, vel Prælato denunciare, non obſtante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra juſtitiam publicam“. Hanc quoque doctrinam non minus diſerte tradit *q.* 98. *art.* 3. *ad* 1. his verbis: „ Coactio non aufert juramento promiſſorio „ vim obligandi reſpectu ejus, quod licite fieri „ poteſt. Et ideo ſi aliquis non impleat, quod „ coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & mortaliter peccat .... Quod autem dicitur, quod tales non ſunt puniendi, tamquam „ pro mortali crimine, non hoc ideo dicitur, „ quia non peccent mortaliter: ſed quia pœna eis „ minor infligitur“. Quoties igitur res juramento promiſſa licita, & honeſta eſt, ut ſi latroni mortem minitanti jusjurando pecuniam promittas, in quo nihil pravi continetur, ob reverentiam debitam divino nomini ſervandum juramentum eſt, niſi tamen ab habente poteſtatem obligatio relaxetur. Unde, ut obſervat in iiſdem locis S. Doctor, *Romani Pontifices ab hujuſmodi juramentis abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi hujuſmodi obligationem ex juſta cauſa relaxantes.*

Regula Quarta.

Jure etiam poſitivo validi ſunt contractus per metum gravem injuſte extorti, & juramento non firmati, iis exceptis, qui vel per Eccleſiam, vel per legem civilem irritati ſunt.

IX. Neque enim de contractibus in communi quidquam definivere leges tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, ſed de aliquibus dumtaxat particularibus, quos exceptos voluerunt: quæ exceptio firmat potius regulam in contrarium. Porro contractus a poſitivo jure irritati, hi ſunt: primo contractus matrimoniales, juramento etiam firmati, cum per metum gravem injuſte incuſſum extorquentur, ut habetur Cap. *Significavit.* De eo qui duxit, C. *Cum locum*, Cap. *Veniens* tit. de Sponſal.

2. Promiſſio dotis, & ſimiliter ſolutio per metum extorta. Ita namque diſpoſitum eſt l. 4. digeſt. tit. 2. Lege: *Si mulier: Si dos metu promiſſa ſit, non puto naſci obligationem: quia eſt veriſſimum nec talem promiſſionem dotis ullam eſſe.*

3. Vota, & votorum ſolemnes profeſſiones.

4. Bonorum Eccleſiaſticorum promiſſiones, vel traditiones. Cum enim Clerici non ſint horumce bonorum domini, ſed diſpenſatores, alienare ea minime poſſunt, niſi cum ſolemnitatibus in Jure expreſſis Cap. *Sine exceptione*, in q. 2., & in Extravag. *Ambitioſæ* de reb. Eccleſ. non alienandis. Hæ autem ſolemnitates non adhibentur, quando vel traditiones, vel promiſſiones per metum injuſte extorqueantur.

5. Abſolutio, vel revocatio excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti per vim, vel metum extorta. Quod enim ea abſolutio nullius roboris ſit, conſtat ex Cap. *Abſolutionis*, tit. his quæ vi. in 6.

6. Authoritas quoque Tutorum extorta per metum nulla declaratur, ut *ex leg.* 1. tit. de Authorit.

7. Demum, aliis fortaſſe omiſſis, invalida eſt juriſdictio, quam partes litigantes Judici conferunt, cui alias ſubjecti non ſunt, ſi eam ipſe per metum extorqueat, ut *ex leg.* 2. tit. *de Jud.* lib. 5. ff. Vide, quæ de irritante lege alibi diximus.

Regula Quinta.

Valde probabile eſt, eos contractus juramento non firmatos, qui per metum injuſte incuſſum extorquentur, poſſe, quoad forum conſcientiæ, reſcindi, & revocari ab eo, qui injuriam paſſus eſt.

X. Huic opinioni ſuffragari videtur S. Thomas authoritate ſupra allata *ex q.* 89. *art.* 7. 2. 2., cum docet, quod *obligatio, qua quis obligatur homini, cui aliquid promittit, tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur*, reſcindendo ſcilicet, & revocando illud. Ex qua ratio poſitæ regulæ promitur: quoniam qui per metum injuſte incuſſum quidpiam ab alio extorſit, huic injuriam fecit, adeoque tenetur hunc in ſtatum priſtinum reſtituere: & qui eam injuriam paſſus eſt, jus habet reſtitutionem illam exigendi. Hinc eſt, quod Alexander III. Cap. *Abbas* tit. *de his, quæ vi*, ait: *Quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Et Innocentius III. cap. Ad audientiam; *Quæ vi, metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Quapropter emptiones, venditiones, tranſactiones, conceſſiones, promiſſiones, donationes, contractus per metum gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem extorti poſſunt in irritum revocari: & is, qui ex aliquo hujuſmodi contractu quidpiam conſecutus eſt, tenetur in conſcientia reſtituere, etiam ſi non ipſe, ſed alius metum incuſſerit.

Re-

Regula Sexta.

Contractus nonniſi ex levi metu celebrati tum jure naturæ, tum poſitivo validi ſunt.

XI. Hæc regula clara eſt: nam qui ex metu *abſolute*, & *reſpective* levi aliquid agit, ſe habet, ac reputatur veluti qui omnimode in actionem conſentit; ac ulterius nulla lex nedum naturalis, ſed nec poſitiva eſt, quæ talem contractum reſcindat, aut irritum declaret. Nam omnes poſitivæ leges ſemper loquuntur de metu *gravi*, qui etiam *juſtus* appellatur, & *cadens in virum conſtantem*. Illud ſolum adnotant Doctores, quod ſi metus ille, tametſi *levis*, per injuriam fuerit ad contractum extorquendum incuſſus, poteſt qui injuriam paſſus eſt, illum in foro conſcientiæ reſcindere; ac reſtitui debet, quidquid hoc pacto obtentum ſit: tum quia quæ per injuriam extorquentur, ſunt obnoxia reſtitutioni: tum quia qui talem metum eſt paſſus, injuſte privatus fuit ſua libertate. Excipitur tamen votum, quod validum eſt, licet ex metu levi factum: ſicut etiam Matrimonium, de quo alibi dicendum erit.

§. III.

De tertia cauſa involuntarii, nempe concupiſcentia.

XII. Nomine *concupiſcentiæ* hic intelligitur motus, ſive paſſio appetitus ſenſitivi, quo ad aliquid proſequendum inclinamur; atque hoc ſenſu concupiſcentiam hic accipere S. Thomam conſtat ex articulo ſeptimo hujus *quæſt. 6. ad* 1. Quum enim ſibi objeciſſet, *concupiſcentiam cauſare involuntarium*, eo quod ſicut metus *paſſio* quædam eſt *involuntarium* quodammodo cauſans, ita *& concupiſcentia*; approbans hanc partem, diſparitatem aſſignat, quod concupiſcentia reſpicit bonum voluntati conſonum: timor autem eſt de malo, quod *ſecundum ſe contrariatur voluntati*: *unde magis ſe habet timor ad cauſandum involuntarium, quam concupiſcentia*. Quod autem ſub concupiſcentia eam paſſionem non comprehendat, qua avocamur, & impedimur a boni proſecutione, cujuſmodi eſt timor, ex articulo præcedente ſatis liquet. Quare definitio concupiſcentiæ prout hic ſumitur, hæc eſſe poteſt; ſcilicet

Concupiſcentia eſt motus, ſive paſſio appetitus ſentientis, excluſa triſtitia, & dolore circa malum.

XIII. Duplex eſt hujuſmodi concupiſcentia, alia *antecedens*, alia *conſequens*: quæ diſtinctio eruitur ex D. Thom. hic *q. 77. art. 6.* ubi utramque deſignat, & explicat inquiens: „ *Paſſio eſt* „ *motus appetitus ſenſitivi*. Appetitus autem ſen„ ſitivus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium „ & antecedenter, & conſequenter. *Antecedenter* „ quidem, ſecundum quod paſſio appetitus ſen„ ſitivi trahit, & inclinat rationem, vel volun„ tatem. *Conſequenter* autem, ſecundum quod „ motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehemen„ tes, redundant in inferiores. Non enim poteſt „ voluntas intenſe moveri in aliquid, quin ex„ citetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo “.

Nulla quæſtio eſt de concupiſcentia *conſequente*, an ſit *cauſa* involuntarii. Manifeſtum quippe eſt, hanc *involuntarium* cauſare non poſſe, cum actionem conſequatur, ſolumque tamquam ſignum vehementiam voluntatis oſtendit in exercenda actione. Unde, ut ait ibidem S. Præceptor, *non diminuit peccatum*, *ſed magis auget*, *vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus*, *in quantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati*. Supereſt igitur, ut ſolum de concupiſcentia *antecedente* loquamur.

XIV. De hac concupiſcentia S. Thomas decernit, quod hæc *non cauſet involuntarium*, *ſed magis facit aliquid voluntarium*. *Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo*, *quod voluntas in id fertur*. *Per concupiſcentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id*, *quod concupiſcit*. *Et ideo concupiſcentia magis facit ad hoc*, *quod aliquid ſit voluntarium*, *quam quod ſit involuntarium*: videlicet concupiſcentia, cum paſſio ſit inclinativa voluntatis, ex propria ratione magis habet, quod cauſet voluntarium, quam quod cauſet involuntarium. Atque in hoc diverſitas metus a concupiſcentia relucet. Nam in eo, qui operatur ex metu, manet voluntatis repugnantia relate ad illud, quod agit, ſecundum ſe conſideratum adeo, ut tunc etiam, cum agit, illud ipſum nolit ſpectatum ſecundum ſe ipſum. At vero in eo, qui operatur ex concupiſcentia, haud manet repugnantia ad rem, quam agit: quoniam non manet prior voluntas, quæ rem illam repudiabat, ſed ita mutatur, ut modo velit, quod prius nolebat. *Incontinens concupiſcentiæ*: ſubdit S. Doctor ad 2. *agit contra id*, *quod prius proponebat*, *non autem contra hæc*, *quod nunc vult*. *Sed timidus agit contra id*, *quod etiam nunc ſecundum ſe vult*.

XV. Confundendum tamen non eſt *voluntarium* cum *libero*: ſua quippe in hoc, de quo agimus, inter utrumque diverſitas eſt. Nam voluntarium ſitum eſt in inclinatione voluntatis cum cognitione finis, adeoque quo major inclinatio eſt, eo voluntarium eſt intenſius. Verum ſi hoc voluntarium conſideretur ut *liberum*, cum libertas judicii indifferentiam exigat, concupiſcentia antecedens, maxime ſi vehemens ſit, obſcurare hocce judicium poteſt, ac ſolet, adeoque diminuere libertatem, ſimulque malitiam. Hanc doctrinam pluribus in locis tradit S. Thomas, ex quibus unum ſeligo ex *q. 3. de malo art. 2.* ubi ait: *Meritum*, *& demeritum in electione conſiſtit ex ratione præcedente*. *Paſſio autem obnubilat*, *vel etiam ligat judicium rationis*. *Quanto autem judicium rationis fuerit purius*, *tanto electio eſt perſpicacior ad merendum*, *vel demerendum*. *Unde qui inducitur ad bene faciendum ex judicio rationis*, *laudabilius operatur*, *quam qui inducitur ad hoc idem ex ſola animi paſſione*: *Hic enim errare poteſt in-*

debite miſerendo. Concupiſcentia igitur, ſive paſſio minuit voluntarium, quatenus liberum eſt; auget vero, quatenus naturale.

XVI. Hic vero recolenda diſtinctio eſt ſupra tradita ex *q.* 77. *art.* 6. ubi poſtquam S. Doctor concupiſcentiam, ſive paſſionem diviſit in antecedentem, & conſequentem, ita pergit: „ Si accipiatur paſſio, ſecundum quod præcedit actum „ peccati, ſic neceſſe eſt, quod diminuat peccatum. Actus enim in tantum eſt peccatum, „ in quantum eſt voluntarium (ſive *liberum*, ut „ antea dixerat), & in nobis exiſtens. Eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem, „ & voluntatem. Unde quanto ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt, non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis „ exiſtens. Et ſecundum hoc paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium “. Nimirum cum peccatum eſſentialiter conſiſtat in actu liberi arbitrii, eo, cæteris paribus, majus vel minus eſt, quo eſt magis, vel minus liberum: Paſſio autem antecedens minuit rationem libertatis: *antecedens* quippe ea dicitur, quæ præcedit motum rationis, & voluntatis, eamque trahit, vel inclinat in objectum regulis morum diſſentaneum. Quod autem ratio, & voluntas operantur ex impulſu paſſionis, non eſt adeo liberum, ſicut illud, quod agunt omnino ex ſeipſis, abſque paſſione obnubilante rationem, & impellente voluntatem.

Sequitur ſubinde S. Præceptor, & ait: *Paſſio autem conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati. Et ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine peccat, tanto magis peccat*: ſive paſſio conſequens ſequitur motum liberæ voluntatis, quemadmodum aliquis cupiens ultionem capere de inimico ſuo, ſponte aſſumit, atque excitat iram, ut tanto vehementius agat; vel libidinem ſuam explere deſiderans, turpiores in ſe motus accendit, aut pulchriorem mulierem ſeligit, ut illam ardentius expleat. Hujuſmodi concupiſcentia, aut paſſiones a voluntate ipſa excitatæ magis peccatum augent, aut potius ſigna ſunt magnitudinis ejus: quia vel augent voluntarium, & liberum, vel motum indicant voluntatis vehementioris, aut propenſioris in objectum peccati ſui.

§. IV.

De quarta involuntarii cauſa, videlicet ignorantia.

XVII. De ignorantia plura a nobis alibi dicta ſunt, quæ hic repetere non eſt opus. Quædam tamen animadvertam, ut D. Thomæ, quam hic tradit, doctrinam, quoad præſens argumentum attinet, exponamus. Primum itaque ſapienter notat S. Præceptor, quod *ignorantia non habet cauſare involuntarium, niſi ea ratione, qua privat cognitionem, quæ præexigitur ad voluntarium: non tamen quælibet ignorantia cognitionem privat*. Ignorantia nimirum eſt privatio ſcientiæ, aut cognitionis; *voluntarium* autem neceſſario cognitionem importat: adeoque conſequens eſt, ignorantiam ea ratione cauſare involuntarium, qua tollit eam cognitionem, quæ ad voluntarium præexigitur. Quandoquidem vero non omnis ignorantia eam tollit cognitionem; idcirco non omnis ignorantia involuntarium cauſat.

XVIII. Quænam igitur eſt ignorantia, quæ tollit cognitionem ad voluntarium requiſitam, atque adeo involuntarium cauſat? Triplicem ille ignorantiam diſtinguit concomitantem, conſequentem, & antecedentem. *Concomitans* eſt, quæ ita operi, quod agitur, eſt conjuncta, ut etiam ſi abeſſet, & cognitio haberetur, actio fieret. Hæc neque opus efficit voluntarium, neque involuntarium; ſed tale relinquit, quale cæteroqui futurum erat: quia nec inducit ad volendum, nec ad non volendum, ſed per accidens ſe habet ſive ad actum voluntatis, ſive ad opus, quod agitur, ut patet in vibrante ſagittam in feram, & occidente inimicum, quem tamen occideret, ſi ibi deliteſcere noviſſet. Ignorantia *conſequens* ea dicitur, quæ judicium rationis, ac motum voluntatis conſequitur, & a libera voluntate procedit, unde & *voluntaria* appellari ſolet. Hanc S. Thomas dividit in voluntariam *directe*, & *indirecte*. *Directe voluntaria* eſt, in quam voluntas *directe* fertur: ſicut cum aliquis vult ignorare, ſive ut excuſationem habeat peccati ſui, ſive ut ab opere non retrahatur. *Indirecte* voluntaria ignorantia eſt, quoties etſi aliquis actu non eligat ignorare, neſcit tamen id, quod ſcire poteſt, ac tenetur. *Hoc modo*, inquit hic S. Thomas, *dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, ac debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens; ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere*. *Antecedens* demum ignorantia vocatur, quæ voluntatis conſenſum, aut motum omnino antecedit: adeo ut nullo modo ſit voluntaria nec directe, nec indirecte, & tamen eſt homini cauſa volendi, quod alias non vellet, ſicut *cum aliquis homo*, verba ſunt S. Thomæ, *ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire: & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret: puta cum aliquis, diligentia adhibita, neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem*.

XIX. Ut igitur de propoſita quæſtione quidpiam afferamus, ignorantia *conſequens* (nam de *concomitante* jam diximus), quæcumque ea ſit, ſive affectata, ſive non affectata, ſive malæ electionis, aut craſſa, & ſupina, cauſare non poteſt *involuntarium* ſimpliciter. Quoniam illud ſimpliciter voluntarium eſt, quod conſideratis omnibus hic & nunc, aliquis vitare potuiſſet, ac debuiſſet. Porro opus, quod ex hujuſmodi ignorantia proficiſcitur, omnibus diligenter inſpectis, vitare poterat, ac debebat, nec tamen vitavit is, qui illud peragit, adeoque ipſi ſimpliciter voluntarium eſt.

Solum itaque ſupereſt, ut ea ignorantia, quæ involuntarium ſimpliciter cauſat, ſit ignorantia *antecedens*. Siquidem ſi adeſſet cognitio, vel ſcientia

tia huic ignorantiæ oppoſita, ipſa impediret effectum: ac proinde ignorantia, quæ talem ſcientiam, aut cognitionem removet, eſt cauſa illius effectus, cauſa, inquam, eo modo, quo removens prohibens cauſa vocari ſolet.

XX. Juxta doctrinam, quam hic tradit S. Doctor de ignorantia concomitante, conſequente, & antecedente relate ad *voluntarium*, & *involuntarium*, *quæſtione* ſubinde 76. hujus 1. 2. *p.* determinat ea, quæ ignorantiam ipſam ſpectant, prout cauſa, vel non cauſa peccati eſt. Neque enim ullum peccatum eſt, quod non ſit *voluntarium*: & actio omnis, quæ ſimpliciter eſt involuntaria, nullum peccati reatum incurrit. Itaque *art.* 1. conſtituit, ignorantiam poſſe eſſe cauſam actus peccati, quatenus removet *ſcientiam perficientem rationem*, *quæ prohibet actum peccati*, *in quantum dirigit actus humanos*. Qua in re pulcherrima eſt, quam ſubjicit, obſervatio, nec eam præterire lubet. Sic itaque ſcribit:

„ Conſiderandum eſt autem, quod ratio ſecundum duplicem ſcientiam eſt humanorum actuum directiva: ſcilicet ſecundum ſcientiam *univerſalem*, & *particularem*. Conferens enim de agendis utitur quodam ſyllogiſmo, cujus concluſio eſt judicium, ſeu electio, vel operatio. Actiones autem in ſingularibus ſunt. Unde concluſio ſyllogiſmi operativi eſt ſingularis: ſingularis autem propoſitio non concluditur ex univerſali, niſi mediante aliqua propoſitione ſingulari: ſicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc, quod ſcit Patrem non eſſe occidendum, & per hoc, quod ſcit, hunc eſſe Patrem. Utriuſque ergo ignorantia poteſt cauſare parricidii actum, ſcilicet & univerſalis principii, quod eſt quædam regula rationis, & ſingularis circumſtantiæ. Unde patet, quod non quælibet ignorantia peccantis eſt cauſa peccati, ſed illa tantum, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi voluntas alicujus eſſet ſic diſpoſita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiamſi Patrem agnoſceret, ignorantia Patris non eſt huic cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, ſed peccat ignorans “.

Quemadmodum autem metus licet *involuntarium* quadantenus cauſet, quia tamen *ſimpliciter* voluntarius eſt actus ex illo ſequutus; ita de ignorantia conſequente dicendum eſt: idque ex duobus contingere docet S. Thomas art. 3.: „ Uno modo ex parte rei ipſius ignoratæ. In tantum enim ignorantia excuſat a peccato, in quantum ignoratur aliquid eſſe peccatum. Poteſt autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi ſciret, retraheretur a peccando, ſive illa circumſtantia faciat ad rationem peccati, ſive non: & tamen adhuc remanet in ejus ſcientia aliquid, per quod cognoſcit illud eſſe actum peccati; puta ſi aliquis percutiens aliquem, ſcit quidem illum eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati; non tamen ſcit eum eſſe patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati: vel forte neſcit, quod ille ſe defendens repercutiat eum: quod ſi ſciret, non percuteret, quod non pertinet ad rationem peccati: unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excuſatur a peccato: quia adhuc remanet ei cognitio peccati “.

„ Alio modo poteſt hoc contingere ex parte ipſius ignorantiæ: quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt *voluntaria*: vel *directe*, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua, ut liberius peccet; vel *indirecte*, ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt: Et ideo talis ignorantia non totaliter excuſat a peccato. Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria (hujuſmodi eſt ignorantia *antecedens*), ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato “.

Quia tamen ignorantia poteſt diminuere peccatum, quatenus diminuit ipſum voluntarium, inde conſequitur, quod ignorantia *indirecte*, aut *per accidens* volita peccatum minuat, quoniam hæc eſt minus voluntaria, quam *directe* intenta; quæ ideo potius ſicut auget voluntarium, ſic etiam auget peccatum. Atque hæc de ignorantia modo ſufficiant; reliqua, quæ ad ipſam pertinent, legi poſſunt in Tractatu ſuperiore.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Deus*, *dum voluntatem ad aliquid inclinat*, *nunquam ipſi violentiam infert*.

II. *Duplex modus*, *quo Deus voluntatem hominis inclinat*, & *movet citra ullam violentiam*.

III. *Potentia*, *aut facultates humanæ a voluntate diſtinctæ violentiam patiuntur*, *quoties contra ipſius voluntatis inclinationem agere compelluntur*.

IV. *Perperam Chriſtianus Thomaſius communem improbat Theologorum doctrinam*, *voluntatem pati coactionem non poſſe quoad actus a ſe elicitos*.

V. *In actibus mere violentis non invenitur nec meritum*, *nec demeritum*.

VI. *Violentia illata debet eſſe talis ſimpliciter*, & *abſolute*, *ne ad culpam adſcribantur actus peccaminoſi ex violentia provenientes*.

VII. *Falſa*, & *omnino repudianda eſt circa hoc Cornelii a Lapide*, *aliorumque Theologorum doctrina*.

VIII. *Qui per vim abſolutam ad Baptiſmum recipiendum cogitur*, *invalide baptizatus eſt*.

IX. *Non idem dicendum de iis*, *qui terroribus*, *aut ſuppliciis ad ſuſcipiendum Baptiſma permoventur*.

X. *Diſcrimen eorum*, *quæ aguntur per metum*, & *per vim*.

XI.

XI. *Non eodem modo metus, & violentia* involuntarium *cauſant*.
XII. *Quæ ex metu fiunt, quomodo voluntaria, & involuntaria ſint*.
XIII. *Hinc dolor peccatorum etiam ex gehennæ metu conceptus ſatis ſe ſolo non eſt ad ſinceram peccatoris converſionem*.
XIV. *Peccata ex gravi metu commiſſa minus gravia repſutanda ſunt*.
XV. *Concupiſcentiæ motus ordinarie voluntarii ſunt, ac peccata. De his S. Thomæ doctrina*.
XVI. *Quæ diſtinguenda ſint in hiſce motibus, ut dignoſcamus, quinam involuntarii, quinam autem voluntarii, & culpabiles ex eodem S. Doctore*.
XVII. *Ejuſdem Angelicæ Doctrinæ explicatio*.
XVIII. *Concupiſcentia, ſive paſſio nunquam voluntatem ad peccandum pertrahit, quin ſit error aliquis, aut inconſideratio in intellectu*.
XIX. *Qui ex voluntario amore carnali in inſaniam incidunt, non excuſantur a peccato*.
XX. *Præſumendum communiter eſt peccare lethaliter, qui ex impetu paſſionis ad aliquem externum actum graviter peccaminoſum procedit*.
XXI. *Quæ de cauſalitate ignorantiæ relate ad voluntarium, & peccatum docet S. Thomas, attente conſideranda ſunt*.
XXII. *Ignorantia voluntaria nedum ratione actus, ſed etiam omiſſionis diligentiæ debitæ peccatum eſt*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. EQuidem Deus procul omni dubio inclinare poteſt voluntatem hominis, quocumque voluerit, juxta illud Proverb. 21.: *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud*. Sed negamus, hoc eum agere poſſe per veri nominis violentiam, aut coactionem. Poteſt ſiquidem Deus voluntatem hominis inclinare, ipſam immutando, & operando, ut in illud feratur, in quod antea non ferebatur, velitque id, quod prius nolebat: ſed tunc voluntas nequaquam violentiam patitur: quia nihil agit, vel patitur contra inclinationem ſuam, ſed novam tunc a Deo recipit inclinationem, quemadmodum & voluntas ipſa ſuum actum immutat, jamque velle incipit, quod antea nolebat; prout habetur ex D. Thoma q. 22. de Verit. art. 8. dicente: *Cum Deus voluntatem immutat, facit, ut præcedenti inclinationi ſuccedat alia inclinatio; & ita quod prima auferatur, & ſecunda maneat. Unde illud, ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi jam exiſtenti, ſed inclinationi, quæ prius inerat: unde non eſt violentia, nec coactio*.

Conſectarium Secundum.

II. Duplici modo Deus citra ullam violentiam, aut coactionem voluntatem noſtram immutat per gratiam ſuam, & inclinat in bonum, nempe & actione ſua phyſica movendo voluntatem, & delectationem eidem voluntati infundendo; de qua motione tum S. Thomas, tum maxime S. Auguſtinus pluribus in locis differit, cæteriſque omiſſis, Tract. 26. in Joan. ubi ad ea verba Chriſti Domini: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, ſubjicit: „ Magna „ gratiæ commendatio. Nemo venit, niſi tra„ctus .... Quid hic dicimus, fratres? Si trahi„mur ad Chriſtum, ergo inviti credimus; ergo „ violentia adhibetur, non voluntas excitatur? „ Noli cogitare te invitum trahi: trahitur ani„mus & amore. Nec dicas: quomodo volunta„te credo, ſi trahor? Ego dico: parum eſt vo„luntate; etiam traheris voluptate .... Por„ro ſi Poetæ dicere licuit; *Trahit ſua quemque* „ *voluptas*; non neceſſitas, ſed voluptas: non „ obligatio, ſed delectatio; quanto fortius nos „ dicere debemus, trahi hominem ad Chri„ſtum, qui delectatur veritate, delectatur „ beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur „ ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt „ &c. “.

Conſectarium Tertium.

III. Quamvis cæteræ potentiæ, ſive facultates hominis a voluntate diſtinctæ pati violentiam poſſint, quoad actus ſuos elicitos relate ad inclinationem ſuam particularem, reſpectu tamen inclinationis univerſalis, quæ eſt voluntas, ſolum violentiam patiuntur, quoties per vim externam compelluntur agere contra ipſam voluntatem, quia tunc agere coguntur ea, quæ repugnant præcipuæ hominis inclinationi, quæ eſt ipſa voluntas. Sicut ergo lapis non ſolum violentiam patitur, quando ſurſum projicitur (quod eſt contra propriam, & particularem ejus inclinationem), ſed etiam ſi per vim detineatur, ne ſurſum aſcendat, quoties illuc aſcendere nititur ex generalibus naturæ legibus, quod ei pertinet ex inclinatione univerſali; ita potentiæ voluntati ſubordinatæ nedum violentiam patiuutur, ſi cogantur agere contra particularem ſuam inclinationem, verum etiam ſi per externam vim compellantur ad aliquid agendum contra inclinationem univerſalem, ideſt contra voluntatem.

Conſectarium Quartum.

IV. Perperam Chriſtianus Thomaſius Lutheranus lib. 1. cap. 1. *de Natura hominis morali* §. 40. communem improbat Theologorum noſtratum, certamque doctrinam; voluntatem nimirum cogi non poſſe in actibus ſuis elicitis. A quo enim cogi poteſt? Num a Deo, cui omnia obediunt? Haud plane. Nam Deus, ut diximus, immutare quidem voluntatem poteſt: ſed illud, ad quod Deus inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi, quæ jam exiſtat, ſed quæ prius exiſtebat: adeoque nec violentia, nec coactio eſt. Profecto ſi recte perpendatur, quid ſit actus voluntatis, & violentum, nemo ſtatim non videt, contradictionem implicari in hoc, quod idem actus ſit a voluntate elicitus, ſimulque violentus: quia de ratione actus voluntatis eliciti eſt, quod a voluntate prodeat tamquam a principio in-

interno: de ratione autem actus violenti, quod non fiat a principio interno, ſed externo; adeoque ne per divinam quidem Omnipotentiam cogi voluntas poteſt ad aliquem actum a ſe elicitum. Quod ſi cogi nequit voluntas ab ipſomet Deo, multo minus cogi valet ab aliqua creatura etiam intellectuali ad eumdem actum, quæ vel ipſa poteſtate caret operandi, & immutandi voluntatem. Quapropter dum Author ille abſolute ait, *falſum eſſe commune dicterium*, *quod voluntas non poſſit cogi*, aut turpiter fallitur, aut fœde confundit actus voluntatis imperatos cum elicitis.

Conſectarium Quintum.

V. In actibus voluntariis, quos in hac vita exercemus, ſive ſint eliciti, ſive imperati, invenitur meritum, ac demeritum; ſed in actibus imperatis mere violentis neque meritum eſt, neque demeritum, ac neutiquam computantur ad laudem, aut vituperium ſicut in foro divino, ſic neque in humano, ut manifeſtum eſt ex Cap. *Presbyteros* D. 50. & ex Cap. *Majores* tit. *de Baptiſ.*, ubi nihil peccaſſe dicuntur, quorum manus fuerunt violenter attractæ, & Idolorum ſacrificiis adhibitæ.

Conſectarium Sextum.

VI. Ut tamen quod per violentiam efficitur, ad culpam non adſcribatur, oportet, quod violentia ſit talis ſimpliciter & abſolute, adeo ut qui vi E. C. compellitur obſequium præſtare Idolo, nedum mente adorationi repugnet, ſed exterius etiam, quoad poteſt, renitatur. Si enim quantum in ſe eſt, huic actui non reſiſtat, haud violentiam ſimpliciter patitur. Quia tametſi hujuſmodi adorationis principium ſit *extra*, ipſa tamen non ſimpliciter fit *renitente paſſo*; neque enim paſſum renititur eo modo, quo poſſet reniti, ſcilicet tum animo, tum opere externo. Proinde hujuſmodi adoratio tamquam *indirecte* voluntaria cenſetur, & grave peccatum. Idemque judicium ferendum eſt de Virgine, quæ vi opprimeretur, repugnans quidem animo nefario facinori; ſed vel clamore, vel etiam viribus non reluctans eo modo, quo poſſet, ac deberet reluctari.

Conſectarium Septimum.

VII. Hinc tamquam falſa dicenda eſt, & omnino repudianda ſententia Cornelii a Lapide, quam alii plures ſequuti ſunt, qui *Cap.* 13. *in Danielem* expendens factum Suſannæ ab impudicis Senioribus aggreſſæ ſcribit, *potuiſſe Suſannam* (citra peccatum) *in tanto periculo infamiæ, & mortis negative ſe habere, ac permittere in ſe eam libidinem, modo interno actu in eam non conſenſiſſet, ſed animo deteſtata, & execrata fuiſſet. Quia majus bonum eſt fama, & vita, quam pudicitia: unde hanc pro illa exponere licet ... Itaque non tenebatur exclamare ... Quod ergo exclamaverit, nulloque modo libidinem illorum in ſe permiſerit, actus fuit inſignis, & heroicæ caſtitatis &c.* Repudianda, inquam, tanquam falſa, ac laxa hujuſmodi ſententia eſt. Namque nedum actus fuit inſignis, & heroicæ virtutis reſiſtentia illa Suſannæ clamantis, & non permittentis in ſe ullo modo illam libidinem, ſed etiam poſitivæ obligationis: tenebatur enim reniti eo modo, quo poterat; eaque permiſſio *indirecte voluntaria* fuiſſet, adeoque lethale peccatum.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui per vim abſolutam cogitur ad aliquod Sacramentum, puta Baptiſmum recipiendum, adeo ut & exterius compellatur, & animo ſemper reluctetur, Baptiſmum haud valide recipit, neque compelli poteſt ad Fidei Chriſtianæ profeſſionem: ſiquidem non voluntarie baptizatus fuit, ſed contra voluntatem ſuam paſſus eſt, quod alii in eum facere tentaverunt.

Conſectarium Nonum.

IX. Non idem dicendum eſt de illo, qui non per vim abſolutam ad ſuſcipiendum Baptiſmum adigitur, ſed potius conditionatam, ſive qui terroribus, atque ſuppliciis, quod perinde eſt, ac per metum gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem ad eum recipiendum inducitur, adeo ut, quo illa ſupplicia devitet, in Baptiſmum conſentiat. Hunc enim valide baptizari, atque adeo ad Fidei Chriſtianæ profeſſionem adſtringi poſſe credendum eſt. Horum namque ſuppliciorum metus non efficit involuntarium *ſimpliciter*, ſed duntaxat *ſecundum quid*. Atque hoc ſenſu intelligendum eſt C. *de Judæis* deſumptum ex Concilio Toletano IV., in quo declaratur, eos, qui temporibus Zizebuti ex metu ſuppliciorum Baptiſmum ſuſceperant, ad fidem Chriſtianam tenendam cogendos eſſe.

Conſectarium Decimum.

„ X. Ea, quæ aguntur per *metum* (animadverſio eſt Sancti Thomæ hic *art.* 6. *ad* 1.), & per *vim* non ſolum differunt ſecundum præſens, & futurum, ſed etiam ſecundum hoc, quod in eo, quod agitur per vim, voluntas non conſentit, ſed omnino eſt contra motum voluntatis: ſed id, quod per metum agitur, fit voluntarium; ideo quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter ſeipſum, ſed propter aliud, ſcilicet ad repellendum malum, quod timetur. Sufficit enim ad rationem voluntarii, quod ſit propter aliud voluntarium. Voluntarium enim eſt non ſolum id, quod volumus propter ſeipſum ut finem, ſed etiam quod propter aliud volumus ut propter finem. Patet ergo, quod in eo, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit: ſed in eo, quod per metum agitur, voluntas aliquid agit“.

Conſectarium Undecimum.

XI. Metus itaque, ut dictum eſt, non eo modo cauſat involuntarium, quo violentia, aut coactio: cum

cum non cauſet *involuntarium ſimpliciter*, & *abſolute*, ſed potius voluntarium. Quod enim ex metu fit, eſt *ſimpliciter voluntarium*; cum voluntas ex prævia deliberatione, ſpectatis omnibus, efficaciter velit, & faciat id, quod ex metu facit, ſive id faciat ex metu tamquam cauſa unica, & totali, ſive non tamquam cauſa totali, ſed partiali. Quamvis enim id, quod agitur ex metu tamquam cauſa unica, & totali, ſecundum ſe conſideratum non ſit voluntarium, abſolute tamen hic & nunc eligitur, & efficitur a voluntate tamquam impeditivum mali, quod timetur.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Quamquam vero quæ fiunt ex metu, *ſimpliciter*, & *abſolute* voluntaria ſint; involuntaria tamen ſunt *ſecundum quid*, ac veluti conditionate, adeo ut, ſublato caſu illo, non fieret, quod ſolum ex metu fit: ſicut merces in mare non projicerentur, niſi naufragium ex tempeſtate impendens ad id non urgeret; manetque ſemper affectus erga merces, quas ideo ſolum projicit mercator, quia mortem timet, alias non projecturus: qui affectus ſejungi nullatenus poteſt ab actione ex metu facta. Unde actiones hujuſmodi, ut ait S. Thomas, *mixtæ ſunt ex voluntario, & involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in ſe conſideratum non eſt voluntarium, ſed fit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum, quod timetur.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Hinc vero colligendum eſt, ut hic obiter dicam, dolorem peccatorum ex quocunque pœnarum, etiam gehennæ ſempiternæ timore conceptum, ſe ſolo ſatis non eſſe ad ſinceram, ac ſufficientem pœnitentiam, & converſionem peccatoris, ut gratiam etiam in Sacramento recipiat. Quandoquidem in eo, qui ex ſolo timore gehennæ ad pœnitentiam movetur, ſemper manet affectus erga objectum peccati ſui, ſicut manet in mercatore ex metu naufragii merces in mare projiciente affectus erga eaſdem merces, quas projicit. Converſio autem peccatoris, ut ſincera ſit, excludere debet affectum erga peccatum; quemadmodum evidens eſt ex ipſo Tridentino Concilio.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Ea, quæ ex metu fiunt, quamvis intrinſece mala, minus gravia abſolute reputanda ſunt, intra tamen limites peccati lethalis ſpectata gravitate materiæ: quoniam eſto metus non cauſet *involuntarium ſimpliciter*; minuit tamen voluntarium, & libertatem, & quamdam ſecum affert diſplicentiam actionis in eo, qui ex illo metu aliquid facit, cæteroquin non facturus. Nec reponi contra poteſt, diſplicentiam, vel difficultatem boni operis non minuere meritum ejus, qui ea non obſtante bonum opus exequitur: unde nec peccatum imminuat diſplicentia, quam habet is, qui metu urgetur ad malum aliquod patrandum. Diſparitas quippe clara eſt: quoniam, qui diſplicentiam quidem perſentit pœnalitatis, ſive difficultatis alicui bono operi adjunctæ, ſed nihiloſecius opus illud contra repugnantiam naturalem fortiter perficit, nullo modo involuntarius dici valet, ſed ita potius perfecte voluntarius, ut ſubortam naturalem diſplicentiam omnino ſubigat, & voluntati penitus ſubjiciat: quod plane non contingit in illo, qui opus aliquod ex metu facit, quod alias facere nollet.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Concupiſcentiæ motus, quia, ordinarie loquendo, non auferunt cognitionem, neque conſequenter auferunt voluntarium ſaltem indirectum, atque adeo culpa non vacant: ſed ſi totam omnino corrumperent cognitionem, nulla culpa præcedente, neque voluntarii forent, neque culpabiles. Præſtat id probare, & explicare S. Thomæ doctrina hic *art.* 7. *ad* 3., ubi ſic ait: „ Si concupiſcentia totaliter cognitionem auferret, ſicut „ contingit in illis, qui propter concupiſcentiam „ fiunt amentes, ſequeretur, quod concupiſcentia *voluntarium* tolleret (etiam in cauſa, ſi ipſamet nullo modo eſſet voluntaria). Nec tamen proprie eſſet ibi involuntarium: quia in „ his, quæ uſum rationis non habent, neque voluntarium eſt, neque involuntarium. Sed quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio: quia non „ tollitur (N. B.) poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili. „ Et tamen hoc ipſum eſt voluntarium (atque „ adeo culpabile), ſecundum quod voluntarium „ dicitur, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non „ agere, & non velle: ſimiliter autem & *non conſiderare*. Poteſt enim voluntas paſſioni reſiſtere, ut infra dicetur *q.* 77. *art.* 6. & 7. “; ubi inter alia hæc habet: „ Paſſio quandoque „ quidem eſt tanta, quod totaliter auſert uſum „ rationis . . . . Et tunc, ſi talis paſſio *a principio fuerit voluntaria*, *imputatur actus ad peccatum*: quia eſt *voluntaria in ſua cauſa* . . . , „ Si vero cauſa non fuerit voluntaria, ſed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis; actus „ omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter a peccato excuſatur. Quandoque „ vero paſſio non eſt tanta, quod totaliter intercipiat uſum rationis. Et tunc ratio poteſt „ paſſionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne ſuum conſequatur effectum: quia membra non applicantur „ operi, niſi per conſenſum rationis . . . . Unde talis paſſio *non totaliter excuſat a peccato* “.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Quoniam vero materies iſthæc ſcitu neceſſaria permaxime eſt propter frequentes, qui in nobis exſurgere ſolent, concupiſcentiæ motus, aliam pro-

profero ſolidiſſimam S. Præceptoris doctrinam, quæ eidem lucem affert ſplendidiſſimam : eaque promitur *ex l. 2. ſentent. diſt. 24. q. 3. art. 2.*, ubi hæc docet : „ Nullus motus peccatum eſt, „ & pertinens ad genus moris, niſi habita com- „ paratione ad voluntatem, quæ principium eſt „ moralium : & ideo ibi incipit genus moris, ubi „ primum dominium voluntatis invenitur. Habet „ autem in quibuſdam voluntas dominium com- „ pletum, in quibuſdam incompletum. *Completum* „ dominium habet in illis actibus, qui ex impe- „ rio voluntatis procedunt. Et hi ſunt actus *de-* „ *liberationem ſequentes*, qui rationi adſcribuntur. „ *Incompletum* dominium habet in illis actibus, „ qui non per imperium rationis procedunt; ſed „ tamen voluntas eos impedire poterat, ut ſic „ quodammodo voluntati ſubjaceant quantum „ ad hoc, quod eſt impediri, vel non impedi- „ ri. Et ideo inordinatio, quæ in illis actibus „ contingit, rationem peccati cauſat, tamen „ incompleti. Et ideo veniale eſt, non morta- „ le “.

Ad ampliorem hujus S. Thomæ doctrinæ intelligentiam advertere oportet, quod jam ſupra eodem loco docuerat, motus ſcilicet concupiſcentiæ, qui ex mera corporis diſpoſitione proveniunt, non eſſe peccata : quia *ſuper illos nullum voluntas dominium habet*, ut eos impedire poſſit. *Et hi*, ſubdit, *ſunt motus, qui ſecundum quorumdam dictum* primo primi *vocantur. Motus autem, qui ex apprehenſione ſenſus inſurgunt, vocantur* ſecundo primi *: quia licet rationis deliberationem præveniant, poterant tamen a voluntate impediri per applicationem animi ad aliquid aliud, & per ſenſuum cuſtodiam.*

XVII. Perpendenda diligenter eſt hæc ſolida, & clara S. Thomæ doctrina. Triplex itaque concupiſcentiæ motuum genus diſtingui debet : alii ex ſola corporis diſpoſitione, & qualitate dimanant, quos voluntas impedire nequit, aut in ipſos ſuum exercere dominium, utpote naturaliter, ac neceſſario inſurgentes: & ii tantummodo juxta communem locutionem appellantur, & appellari debent *primo primi*, qui idcirco omni culpa carent, quoniam penitus *involuntarii* ſunt : adeoque etiam in viris ſanctiſſimis locum habent; & de his, ut quidem arbitror, loquebatur S. Paulus, cum dicebat : *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Alii ſunt concupiſcentiæ motus, qui inſurgunt in nobis ex apprehenſione ſenſus, ſeu ſentientis appetitus, vocanturque frequentius *ſecundo primi*, qui non omnino *involuntarii* dici poſſunt, atque adeo neque culpæ omnis expertes, quatenus præveniunt quidem rationis deliberationem ; ſed tamen, quia poterant a voluntate impediri, ſi nempe applicaſſet animum ad alia objecta ſpiritualia, & divina, ſi vigilantior fuiſſet in cuſtodia ſenſuum, ſi diligentior in ſubigenda carne ſpiritui &c.; ideo culpa non carent : ſed quia hujuſmodi motus illecebroſi in ſolo ſiſtunt ſentiente appetitu, nec ad attrahendum voluntatis conſenſum perveniunt, *imperfecte involuntarii* ſunt, adeoque & *imperfecte* peccata, nimirum venialia.

Demum ſunt alii motus concupiſcentiæ, qui *perfecte voluntarii* dicuntur; ac proinde, poſita objecti gravitate, peccata lethalia, quibus nempe voluntas conſenſum præſtat, quive ex ipſius voluntatis imperio, aut deliberatione procedunt ſive *directe*, ſive *indirecte*, quemadmodum jam dictum eſt.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVIII. Concupiſcentia, ſeu paſſio nunquam voluntatem ad peccandum pertrahit, quin in intellectu ſit aliqua ſaltem actualis ignorantia, vel error, aut inconſideratio, quæ etſi non tempore, natura ſaltem antecedat actum voluntatis. Ita S. Thomas hic *q. 77. art. 2.* inquiens : *Cum voluntas ſit boni, vel apparentis boni, nunquam in malum movetur, niſi id, quod non eſt bonum, aliqualiter rationi bonum appareat : & propter hoc nunquam voluntas in malum tendit, niſi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis.* Quod etiam præter alia loca repetit 2. 2. *q. 35. art. 2.* : *Nullum peccatum poteſt accidere, niſi ſit defectus in aliquo actu rationis dirigentis.*

Conſectarium Decimumoctavum.

XIX. Qui ex voluntario amore carnali vehementius affecti in amentiam incidunt, non excuſantur a peccato, ſive quod ab eis prævifum fuit, ſive quod ex hujuſmodi amore conſequitur. Non enim hujuſmodi peccatum omnino *involuntarium* eſt, cum ſit *voluntarium in cauſa ſua*, ſcilicet in concupiſcentia, aut inordinata paſſione, quam compeſcere poterant, ac debebant. Atque idem dicendum de iis, qui vel ex nimia crapula, aut vini potatione infirmitatem, aut ebrietatem incurrunt.

Conſectarium Decimumnonum.

XX. Cum aliquis ex concupiſcentia, vel paſſione progreditur ad aliquem actum externum graviter peccaminoſum, plerumque, & ordinario voluntarie, & lethaliter peccaſſe præſumendus eſt. Hinc S. Th. hic *q. 77. art. 8.* ait : *Hoc ſolummodo poteſt contingere, quod inclinatio animæ in aliquid, quod contrariatur ultimo fini, non ſit peccatum mortale : quia ratio deliberans non poteſt occurrere : quod contingit in ſubitis motibus. Cum autem ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubito. Unde ratio deliberans poteſt hic occurrere. Poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire rationem, ut dictum eſt. Unde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale : ſicut videmus, quod multa homicidia, & multa adulteria per paſſionem committuntur.*

Hæc doctrina valde notanda eſt. Sunt enim nonnulli, qui, concupiſcentia exſtimulante, vel paſſione abrepti ad pravos, aut turpes actus etiam vigilantes procedunt ; ſeque ſæpe excuſant hoc prætextu, quod non adverterent, quid ipſi tunc agerent : non enim hi a prudentibus Confeſſariis audiendi ſunt, aut excuſandi a peccato etiam le-

lethali. Siquidem *ratio deliberans poterat tunc occurrere, & excludere, vel impedire paſſionem:* unde quia id omiſerunt, peccarunt lethaliter. Deinde obiter conſidera, quam longe abſit intemerata S. Thomæ doctrina a laxa, & ſcandaloſa opinione illorum Theologorum, qui ad peccatum lethale requirunt actualem advertentiam ad malitiam objecti voliti. Nam ad hujuſmodi peccatum contrahendum Doctori Angelico ſatis eſt, quod *ratio deliberans poſſit occurrere, & poſſit excludere, vel ſaltem impedire paſſionem.* Quam *multa* ſiquidem *homicidia*, quam *multa adulteria*, quam multæ fornicationes, quam multi actus turpiſſimi &c. *per paſſionem committuntur*, in quibus ratio quidem non advertit, non deliberat: ſed quia advertere, & *deliberare poteſt, & excludere, vel ſaltem impedire paſſionem*, ideo tamquam lethalia crimina reputantur a S. Thoma, & reputari debent ab omnibus, qui Scripturæ, Patribus, & melioribus quibuſcumque Theologis contraire non præſumunt.

Conſectarium Vigeſimum.

XXI. Attenta conſideratione etiam digna ſunt, quæ ex S. Præceptore diximus de cauſalitate ignorantiæ relate ad voluntarium, atque peccatum. Quamquam enim ſit aliqua ignorantia, quæ *involuntarium ſimpliciter cauſet*, adeoque excuſet a peccato, nempe quæ vere *antecedens* eſt: raro tamen hujuſmodi ignorantia eſt in hominibus, & præcipue Chriſtianis admittenda: quoniam *directe*, aut *indirecte* ſolet eſſe voluntaria, peccatumque, ſi de iis agatur, quæ *ſcire poſſumus, ac debemus*. Quare cum S. Thomas hic *q.* 76. *art.* 1. ſibi tertio loco objeciſſet: *Omne peccatum in voluntate conſiſtit: Sed voluntas non fertur, niſi in aliquod cognitum; quia bonum apprehenſum eſt objectum voluntatis: ergo ignorantia non poteſt eſſe cauſa peccati.* Quid reſpondet? En ipſius verba: „ Di-
„ cendum, quod in illud, quod eſt quantum ad
„ omnia ignotum, non poteſt ferri voluntas.
„ Sed ſi aliquid eſt ſecundum aliquid notum, &
„ ſecundum aliquid ignotum, poteſt voluntas il-
„ lud velle. Et hoc modo ignorantia eſt cauſa
„ peccati: ſicut cum aliquis ſcit hunc, quem
„ occidit, eſſe hominem, ſed neſcit eum eſſe
„ Patrem: vel *cum aliquis ſcit aliquem actum*
„ *eſſe delectabilem, neſcit tamen eum eſſe pecca-*
„ *tum*“.

Conſectarium Vigeſimumprimum.

XXII. Ignorantia, quæ eſt voluntaria ſive *directe*, ſive *indirecte*, non ſolum peccatum eſt ratione actus voluntatis, ſed etiam ratione omiſſionis diligentiæ debitæ ſciendi, adeo ut utrumque peccatum ſit & omiſio debitæ diligentiæ, & ipſa ignorantia conſecuta. Id quoque diſerte tradit S. Thomas hic art. 2. ad 3. *Sicut*, inquit, *in peccato tranſgreſſionis peccatum non conſiſtit in ſolo actu voluntatis, ſed etiam in actu volito, qui eſt imperatus a voluntate; ita in peccato omiſſionis non ſolum actus voluntatis eſt peccatum, ſed etiam ipſa omiſſio, in quantum eſt aliqualiter voluntaria. Et hoc modo ipſa negligentia ſciendi, vel etiam ipſa inconſideratio eſt peccatum.* Cætera, quæ ad hanc ignorantiæ materiam pertinent, vide ſis in II. Tract. diligenter elucidata.

REFLEXIO.

Pia Sancta Mater Eccleſia omnium fidelium ſuorum nomine ferventiſſimis precibus, & ex intimis præcordiis Deum deprecatur, & orat, ut nos ad ſeipſum convertat, noſtramque etiam repugnantem voluntatem cogat, & ſubigat: *Noſtras etiam rebelles ad te propitius compelle voluntates.* Juſtum equidem eſt, quin & prorſus neceſſarium ſubditum eſſe Deo, ejus voluntati, & imperio continenter obſequi, ac præceptis obtemperare. Hoc a nobis exigit ſuprema ipſius in nos dominatio, atque poteſtas: hoc ſumma, quam ipſi debemus, ſubjectio, & obedientia: hoc efflagitant immenſa ab eo collata beneficia: hoc demum inclamat naturalis inſtinctus, & inſita ratio, ut fideliter ſerviamus Deo, qui nos creavit, qui nos e Diaboli ſervitute redemit, qui nobis in libertatem filiorum Dei vindicatis infinita, atque inenarrabilia bona promittit. Quid tamen? Adhuc contumax, & rebellis voluntas noſtra Deo ſubjici renuit, ejuſque imperium, ac juſſa detrectat a rebus hujus mundi abſtracta, & illecta: nimirum ſeducit (heu nimium!), & abducit nos mundus a ſubjectione debita Deo; ſeducit, & abducit, ut ajebat S. Auguſtinus, nos *erroribus, terroribus, & amoribus:* quæ ſunt cauſæ illæ *non involuntariæ*, ſed prorſus *voluntariæ* defectionis ab obedientia, quam Deo præſtare deberemus. Seducit nos mundus *erroribus ſuis*, denſiſſimas *ignorantiæ* tenebras mentibus noſtris offundens, ut ea non cernamus, quæ agenda ſunt, & quæ fugienda, devitemus. Seducit nos *terroribus*, voluntatem concutiens, atque percellens metu adverſitatum, perſecutionum, injuriarum, jacturæ bonorum temporalium. Seducit nos, & frequentiſſime abducit *amoribus ſuis* alliciens, & illiciens blandimentis, lenociniis, concupiſcentiæ illecebris, quibus deliniti, atque corrupti a Dei ſervitio deſciſcimus, & ad ejus mandata violanda lubentes, ac volentes pertrahimur.

Cum itaque voluntas noſtra hoc ſeducta, & abducta tyranno, mundo videlicet, vero Deo, ac Domino ſuo ſervire recuſet, ejuſque obedire præceptis, & in contumacia ſua, ac rebellione conſtans, ac firma perſiſtat; quid aliud ſupereſt, niſi ut pia Sancta Eccleſia, miſerrima filiorum ſuorum conditione permota, Deum obteſtetur, atque exoret, ut abſolutam ſuam in hominum corda poteſtatem exerceat, *noſtraſque etiam rebelles ad ſe propitius compellat voluntates?* Compellat, inquam; ſed ea ratione, qua voluntas compelli valet. Compellat, *ut addiſcat* (loquor cum D. Bernardo *Serm.* 20. *in Cantica*) ſervire Deo, Deumque amare *dulciter, prudenter, fortiter: dulciter, ne illecta; prudenter, ne decepta; fortiter, ne oppreſſa ab amore*, & ſervitute *Dei avertatur*. *Ne mundi gloria, ſeu carnis voluptatibus abducatur; dulceſcat ei præ his ſapientia Chriſtus:*

ne

ne ſeducatur ſpiritu mendacii, & erroris; luceſcat ipſi veritas Chriſtus: ne adverſitatibus fatigetur; confortet ipſam virtus Dei Chriſtus. O felix violentia! O neceſſitas ſuaviſſima, quæ non *ad meliora* tantum, ſed ad ipſummet totius bonitatis fontem ire compellit! Utinam, benigniſſime Jeſu, hac ego dulci violentia, hac amabili neceſſitate ſemper trahar, & compellar ad te. *Trahe* igitur, etiam, atque etiam cum Eccleſia ſponſa tua rogo, atque obſecro, & ad te *compelle* refractariam, repugnantem, rebellem hanc voluntatem: trahe volentem trahi; compelle compelli deſiderantem, ne me amplius mundus ſeducat, & abducat cum *erroribus*, *terroribus*, & *amoribus ſuis*. ut ſemper in tua ſervitute, in tua dilectione defixus, atque obfirmatus in hac vita mortali, perfrui merear feliciſſima tibi ſerviendi, teque ſemper amandi neceſſitate in vita immortali.

CAPUT SEPTIMUM.

De Libertate Voluntatis Humanæ, actuumque noſtrorum œconomia.

DOCTRINA.

I. *Hominem libero eſſe arbitrio præditum vel ſolo intimo cujuſque ſenſu invicte demonſtratur.*

II. *Humanæ libertatis proxima radix in judicio intellectus non ad unum determinato, ſed ad multa indifferente conſiſtit.*

III. *Humana libertas non in ſola immunitate a coactione, verum etiam a quacumque neceſſitate ponenda, dum homo viator eſt.*

IV. *Nullum huic libertati præjudicium infert Deus efficaci ſua motione.*

V. *In harmonia humanorum actuum prior eſt* ſimplex cognitio finis, *cui* ſimplex volitio finis *reſpondet.*

VI. *Simplicem volitionem pone ſequitur* efficax intentio finis, *quæ ipſum reſpicit ut per media aſſequendum.*

VII. *Huic ſuccedit* Conſilium, *quo media inquiruntur ad finem conſequendum idonea, de eorumque convenientia judicatur.*

VIII. *Conſilii inquiſitioni, atque judicio accedit* conſenſus *voluntatis, quo propoſita media approbantur, & acceptantur.*

IX. *Conſenſui proxima eſt* electio mediorum, *qua voluntas unum præ alio acceptat in ordine ad aſſequendum finem magis idoneum.*

X. *Electionis comes eſt* imperium, *quod mediorum executionem efficaciter imperat.*

XI. Uſus activus *voluntatis præterea admittendus eſt, qui media reſpicit ut præſentia, & ad executionem per alias potentias deducenda.*

XII. *Œconomiam demum humanorum actuum concludit, ac perficit* aſſecutio, *ſive* fruitio finis, *quæ vel imperfecta eſt, & inchoata, vel perfecta, & conſummata.*

I. HOminem libero præditum eſſe arbitrio tamquam certum, exploratumque hactenus poſuimus, noſque alio in Opere *de futuro Impiorum ſtatu* agentes pluribus demonſtravimus adverſus quoſdam male feriatos Incredulos, ac præſertim *Materialiſtas*, qui nullum non movent lapidem, ut præclaram hanc libertatis dotem hominibus eripiant, eoſque ad abjectiſſimam Brutorum conditionem deprimant. Hi nimirum Religionis jugum, Deique noſtrarum actionum ſupremi Judicis impatienter ferentes, illud excutere pertentant, ſublata de medio humani arbitrii libertate, qua deliberet de actibus ſuis, eligatque, prout velit, ſive bonum, ſive malum. Hac etenim ſemel ablata, illud concedi oportere intelligunt, tum naturam hominis haud plane diverſam eſſe a materia, quæ ſeipſam agere, ac movere nequit, nec niſi a cauſis externis determinatur: tum inanes leges eſſe, pœnas iniquas, præmia nulla. Nam, quæ libera minime ſunt, nec merentur aliquid, nec demerentur. Cæteris modo argumentis ad hos Religionis hoſtes revincendos prætermiſſis, illud ſatis abunde eſſe poteſt, quod petitur ab intimo ſenſu, quo de libertate arbitrii noſtri penitus convicti ſumus. Neque enim pro quacunque alia ex iis, quæ *primæ veritates*, aut *principia* dicuntur, certius adſtruenda, validiora ex omnium Sapientum conſenſione argumenta ſuppetunt; quam quæ ab hoc intimo ſenſu promuntur. Cur namque E. C. certi ſumus nos *cogitare, atque vivere*? Cur *actionem præcedere debere exiſtentiam rei: quidquid extenſum eſt, habere partes: ſine cauſa non eſſe effectum: cognitionem quidpiam eſſe amplius, quam ſimplicem exiſtentiam*; & alia id genus: quemadmodum & *Deum colendum eſſe: vitandum mendacium, fraudem, perjurium: Deo non placere, nec probari flagitia: bonum amandum, fugiendum malum &c.*? Quæ profecto non alio meliore, ac certiore principio comperta nobis, & explorata ſunt, quam ſenſu intimo.

Itaque nos ipſi in nobis, dummodo attendamus animo, experimur eximiam hanc libertatis dotem: nos ipſi vivide, atque clare percipimus, dominos nos eſſe actionum noſtrarum; noſque non neceſſitate aliqua ductos, ſed pro arbitrio noſtro ad agendum dirigere, atque determinare. Quis namque non ſentit ita ſe agere, ut poſſit etiam non agere? Quis non mente cognitum, comprehenſumque habet, ita ſe nunc manum movere, vel pedem, ut poſſit etiam non movere, aut a motu ceſſare, vel etiam utrumque ad diverſa applicare? Quis non diſcernit actiones, quas ipſe proprio arbitratu elicit, ab iis, ad quas vi aliqua interdum adigitur, nolenſque exercere compellitur? Sed de hoc argumento audire præſtat virum in primis eximium, atque doctiſſimum D. de Fenelon Archiepiſcopum Cameracenſem ita diſſerentem gallico ſermone, quem in latinum verti: „Ego ſentio, inquit, me eſſe „ liberum; neque de hoc dubitare poſſum. Hæc „ mea libertas quidpiam plane non eſt mea imagi- „ natione confictum. Neceſſe hercle mihi foret du- „ bitare de omnibus, quæ intimiora mihi ſunt, „ atque certiora, ſi de libero arbitrio meo dubi- „ tare fas eſſet. Ego ſentio me liberum eſſe ad „ permanendum, dum ad ambulandum aſſurgo. „ Id ego in memetipſo experior tanta certitu-

„ di-

„ dine, & perſpicuitate, ut de hoc ſerio ambi- „ gendi nulla in me poteſtas ſit, & contra con- „ ſcientiam aperte loquerer, ſi me de hoc ambi- „ gere auderem aſſerere. Hæc veritas & meo, & „ omnium hominum inſita cordi, ne quidem in „ dubium practice vertitur vel ab iis Philoſophis, „ qui illam vanis quibuſdam ſpeculationibus ex- „ cutere abs ſe vellent. Evidentia intima hujuſce „ veritatis æque affulget in nobis, ac prima illa „ univerſalia principia, quæ nulla indigent pro- „ batione, quibuſque cæteræ, quæ non ita lucent, „ probantur veritates. Affirmare libertatem homi- „ nis ſpectrum eſſe inane, perinde eſt, ac inſo- „ nantem naturæ vocem violenter comprimere, „ atque citra ſenſum pudoris omnem ſemetipſum „ ementiri. Ita plane (pergit ille), dum impius „ homo liberum arbitrium negat, mentitur ad- „ verſus cor ſuum, timens Deum agnoſcere pro- „ viſorem, ac vindicem. Quare nihil illuſtrius „ pro Religione putandum eſt teſtimonium, quam „ adverſantes habere nefarios hoſce homines, „ qui in hæc opinionum portenta neceſſario „ proruunt, ut, quæ ab illa docentur, impu- „ gnent.

II. Proderit ad hanc veritatem comprobandam, unicum tantum ex pluribus argumentis, quæ a D. Thoma *lib.* 2. *cont. Gent. C.* 4. afferuntur, ſubjicere. Ex eo ſiquidem elucet etiam radix libertatis, quæ invenitur in homine præ cæteris creaturis. Sic itaque ait: „ Judicii libertate carent „ aliqua vel propter hoc, quod nullum habent „ judicium, ſicut quæ cognitione carent, ut la- „ pides, & plantæ: vel quia *habent judicium a* „ *natura determinatum ad unum*, ſicut irrationalis „ anima. Naturali enim æſtimatione judicat ovis „ lupum ſibi nocivum: & ex hoc judicio fugit „ ipſum. Quæcumque ergo habent judicium de „ agendis *non determinatum ad unum a natura*, „ *neceſſe eſt liberi arbitrii eſſe.* Intellectus enim „ apprehendit non ſolum hoc, vel illud bonum, „ ſed ipſum bonum commune. Unde cum in- „ tellectus per formam apprehenſam moveat vo- „ luntatem: in omnibus autem movens, & mo- „ tum oporteat eſſe proportionata, voluntas ſub- „ ſtantiæ intellectualis *non erit determinata a na-* „ *tura*, *niſi ad bonum commune*. Quidquid igi- „ tur affertur ſibi ſub ratione boni, poterit vo- „ luntas inclinari in illud, nulla determinatio- „ ne naturali in contrarium prohibente. O- „ mnia igitur intellectualia liberam voluntatem „ habent *ex judicio intellectus venientem*, quod „ eſt liberum arbitrium habere". Quam doctrinam tradit Doctor Angelicus ſexcentis in locis.

Certum ergo ſit, atque indubitatum, radicem proximam libertatis eſſe indifferentiam judicii; & quamdiu judicii indifferentia conſiſtit, tamdiu voluntas libertate prædita eſt. Quoniam quamdiu conſiſtit cauſa, tamdiu effectus, ſive proprietates, quæ eamdem neceſſario conſequuntur, conſiſtere neceſſe eſt. Porro ita ratio objectum proponit voluntati, ut finitum, & limitatum, quod proinde haud æquare valet amplitudinem voluntatis, ideoque dicitur propoſitum cum indifferentia: quia reſpui poteſt a voluntate, utpote bonum limitatum, & inferius ſeipſa. Sola beatitudo in communi reſpui minime valet a voluntate, quoniam hæc plene explet, & ſatiat appetitum, & voluntas ſemper vult bonum, & quidquid vult, ſemper, & neceſſario vult ſub ratione boni: ſed quia intellectus bonum apprehendere poteſt in infinitis propemodum objectis, voluntas neque ad hoc, neque ad illud determinatur, ſed libere eligit quidquid ſibi magis placet.

III. Ex hoc liquet apertiſſime, ideam libertatis humanæ non eſſe ponendam in eo tantum, quod ſpontanee agat, quæ vocatur *libertas a coactione*; ſed in hoc, quod quacunque careat abſoluta agendi neceſſitate, adeo ut poſſit agere, & non agere, objectum aliquod eligere, & illud reſpuere, bonum, aut malum amplecti, prout ſibi libuerit, ſaltem dum eſt in via. Quamquam enim ad liberi arbitrii eſſentiam ſola pertineat libertas, quæ dicitur *contradictionis*, ſcilicet quod poſſit agere, & non agere; non autem *contrarietatis*, quæ includit poteſtatem *peccandi*: in hac tamen vita utraque voluntati convenit, adeo ut utrumque poſſit agere, nempe bonum, & malum. Quare audiendi nullatenus ſunt quidam Novatores, qui libertatem conſtituunt in ſola *immunitate a coactione*. Sententiam hanc jam pridem rejecit, & hæreticam declaravit S. Thomas *q.* 6. *de malo q. un.* hiſce graviſſimis verbis: „ Quidam „ poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſi- „ tate movetur ad aliquod agendum: non ta- „ men ponebant, quod voluntas cogeretur. Non „ enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſo- „ lum id, cujus principium eſt extra; unde „ & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſa- „ rii: non tamen voluntarii (ſive liberi).... „ *Hæc autem opinio eſt hæretica*. Tollit enim „ rationem *meriti*, *& demeriti in humanis acti-* „ *bus*. Non enim videtur eſſe meritorium, „ vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſi- „ tate agit, quod vitare non poſſit. Eſt enim „ numeranda inter extraneas Philoſophiæ opinio- „ nes: quia non ſolum *contrariatur fidei*, *ſed* „ *ſubvertit omnia principia philoſophiæ moralis*. „ Si enim non ſit aliquid in nobis, ſed ex „ neceſſitate movemur ad volendum, tollitur „ *deliberatio*, *exhortatio*, *præceptum*, *& punitio*, „ & laus, & vituperium, circa quæ moralis Phi- „ loſophia conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones, „ quæ deſtruunt principia alicujus partis Philo- „ ſophiæ, dicuntur *poſitiones extraneæ*: ſicut *ni-* „ *hil moveri*, quod deſtruit principium ſcientiæ „ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones po- „ nendas inducti ſunt aliqui homines, partim „ quidem *propter proterviam*, partim propter ali- „ quas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non po- „ tuerunt".

IV. Verum hic prætereundum omnino non eſt, libertatem hanc nobis in hac vita degentibus minime lædi ex Divina motione, qua Deus *omnia opera noſtra operatur in nobis*, ut teſtatur Iſaias; vel, ut ait S. Paulus, *Operatur in nobis & velle*, *& perficere pro bona voluntate*. Quod idem S. Doctor pluribus in locis exponit, ex quibus illud ſufficiat afferre, quod hic habet *quæſt.* 10. *art.* 4. nempe: *Ad Providentiam Divinam non*

per-

pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundum eorum conditionem: ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem divinam ſequantur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequantur effectus contingentes. Quia igitur voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter movetur; ſcilicet ad amorem boni in communi. Et in reſp. ad primum argumentum, quod nempe *agens, cui reſiſti non poteſt, ex neceſſitate movet: Deo autem reſiſti non poteſt &c.* ait: *Voluntas Divina non ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet; ſed etiam ut eo modo fiat, quod congruat naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur, quod ſuæ naturæ non competit; quam ſi moveretur libere, prout competit ſuæ naturæ.* Hæc ſatis: nam accuratior de his diſcuſſio ad Theologos de Schola pertinet.

V. His de humana libertate, atque ipſa voluntate præmiſſis, ad mirabilem actuum ipſius harmoniam, atque ordinem tum *intentionis*, tum *executionis* deſcribendum accedo. De his fuſe pertractat Sanctus Thomas hic 1. 2. *a q.* 10. *ad* 18. mira eruditione, ac perſpicuitate; quæ brevitati conſulentes ad pauca contrahemus. Et primum quidem officium, ſive actus eſt *ſimplex cognitio finis* allicientis voluntatem, qua ejus amabilitas, & convenientia proponitur. *Nihil* quippe, ut jam eſt in proloquio, *volitum, quin præcognitum*. Sicut enim appetitus naturalis ſequitur formam naturalem, & ſentiens formam per ſenſum apprehenſam; ita appetitus rationalis, ſcilicet voluntas, formam per intellectum propoſitam amore proſequitur. Hæc autem apprehenſio non ſolum debet eſſe ſpeculativa, quæ voluntatem ancipitem relinquit, & dubiam, ut liquet in peccatore bonum ſciente, & non faciente; ſed debet eſſe practica, alliciens, ac movens, quatenus exhibet objecti bonitatem, quæ ad ſui amorem invitet.

Huic ſimplici finis cognitioni reſpondet *ſimplex volitio finis*, quæ etiam appellatur *voluntas*, actus nomine potentiæ tributo. Hæc in ſola finis complacentia ſiſtit, illumque in ſe a mediis ſejunctum diligit; unde & *velleitas* dicitur, ſive volitio languida, torpens, & inefficax. Hujus objectum adæquatum eſt bonum verum, vel apparens. Quod ſi aliquando feratur ad malum per modum fugæ, id præſtat propter bonum, quo allicitur: & in ipſis peccatis puræ *malitiæ* ſemper bonum aliquod apparens quærit in objecto, cujus deformitatem perſpectam habet. Hæc autem volitio, cum ſit primus voluntatis fructus, quo voluntas incipit in actum prorumpere, indiget aliquo motivo, quo in lucem emittatur; idque potiori jure ei convenit, quam aliis actibus, qui cum præcedentium actuum apparatum ſupponant, habent in illis, a quibus moveri poſſint.

VI. Volitionem ſimplicem finis comitatur *efficax intentio illius* quæ reſpicit finem non abſolute tantum, & in ſeipſo, ſed in ordine ad media: ex hoc etenim *a ſimplici volitione* ſecernitur, quæ ſola attingentia finis contenta eſt: *intentio* vero reſpicit finem, prout eſt ratio volendi media, & quatenus per media comparari poteſt. Quapropter in finis intentione virtualiter, & implicite appetuntur media. Immo, tametſi voluntas eodem actu primario, & per ſe ferri nequeat in finem, & media, quæ ſic terminant duos actus ſpecie diſtinctos, *intentionem* videlicet, & *electionem*; tamen ſi unum eorum attingatur *primario*, aliud vero *ſecundario*, ac veluti oblique, tunc eodem actu reſpiciuntur. Sicut enim intellectus plura per modum unius ordinate ſe habentia unica cognitione intuetur; ita voluntas eodem motu in finem, ac media fertur, ſi unum ſe habeat, ut ratio formalis amandi; alterum, ut objectum amatum; unde S. Thomas hic *quæſt.* 8. *art.* 3. ait: finis, ut eſt *ratio volendi medium*, eodem actu appetitur, quo medium. Cum quo tamen illud verum eſt, *intentionem*, & *electionem* eſſe actus realiter diſtinctos: ſicut cum aliquis ex intentione videndi Romam quotidie proficiſcitur; at neceſſe non eſt, quod ſingulis paſſibus de ſuo fine cogitet; ſatis namque eſt, quod ex finis intentione virtuali moveatur, ac Romam pergat. Illud vero notandum, *intentionem* ſæpe a Patribus inter actus intellectus accenſeri: ſed hoc ideo, quia intentio actum intellectus præſupponit; vel *intentionem* pro *attentione* accipiunt, vel metaphorice loquuntur: quia ſicut attentio rationis dirigit operationes, ita intentio finis totius vitæ moralis œconomiam dirigit. Qua de cauſa *oculus*, & *lucerna* a Chriſto dicitur: quia ſicut oculus manuum operationes, pedumque greſſus regit; ita pia intentio totam humanorum actuum ſeriem in ultimum finem ordinat, ac præcedere debet, ut ad debitum finem actiones omnes dirigere valeamus.

VII. Intentionem ſequitur *Conſilium*, quod eſt diſcurſus quidam intellectus practici inquirentis media ad obtinendum finem, & de eorum convenientia judicantis. Unde perfectum, completumque conſilium nedum importat inquiſitionem, & conſultationem, ſed etiam judicium de mediorum utilitate, & juxta hanc poſteriorem rationem conſilium invenitur in Deo, *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Itaque *conſilium* duo ſignificat in homine, *inquiſitionem*, & *judicium* de mediis, quæ media inquiſitio ſupponit non eſſe determinata, ſed incerta, ac dubia: nam quæ determinata ſunt, ſub inquiſitione non cadunt. Supponit etiam, rem, de qua agitur, alicujus eſſe momenti, ſive in re, ſive ſaltem in apprehenſione. Quemadmodum autem diſcurſus, aut ratiocinatio ſpeculativa a duplici intellectuali virtute profluit, *intelligentia* ſcilicet, ſive habitu primorum principiorum quantum ad præmiſſas, & a *ſcientia* quantum ad concluſionem; ita in diſcurſu practico conſilii duæ concurrunt virtutes, nempe *Eubulia*, quæ recte conſiliatur in inquiſitione mediorum, & *Syneſis*, ſeu *gnome*, quæ de mediorum convenientia judicium, ac ſententiam pronunciat, de quibus alibi a no-

a nobis dictum eſt. Ex his ſequitur, *conſilium* ſemper præcedere electionem: ad hoc enim conſulimus, ut eligamus, & ex conſultatione mediorum aliud præ alio ſeligamus.

VIII. Conſilii inquiſitioni, & judicio ſuccedit *conſenſus voluntatis approbans media propoſita*, eaque acceptans tamquam utilia, & fini præintento conſequendo idonea: qui actus diſtinguitur ab electione unius præ alio. Fieri namque poteſt, ac ſæpe contingit, quod per conſilium inveniantur, & proponantur voluntati plura media ad finem obtinendum accommoda, quibus ſibi complacere, ac conſentire voluntas poteſt, licet deinde per electionem unum alteri præferat. Si tamen contingat, unicum eſſe relate ad finis aſſecutionem medium idoneum, tunc conſenſus ab electione haud diſtinguitur, quæ tunc non eſt determinativa alicujus medii inter plura: ſed idem actus eſt *conſenſus*, prout complacet in medio propoſito, ſimulque eſt *electio*, prout præfert illud aliis ineptis.

Ex quibus habetur, *conſenſum* eſſe actum voluntatis adhærentis propoſitioni Conſilii, ſive acceptantis media ab intellectu ſelecta: media, inquam; quoniam de fine non eſt proprie conſenſus. Cum enim conſenſus ſit applicatio, & complacentia voluntatis in eo, quod ex conſilio judicatum eſt, de illis tantum eſt conſenſus, de quibus eſt conſilium. Conſtat autem, conſilium non eſſe de fine, ſed ſolum de mediis; finis enim eſt principium in operabilibus: unde ſicut in ſpeculativis non eſt quæſtio de principiis, quæ certa ſupponuntur, ſed de concluſione; ita non eſt conſilium de fine, ſed de mediis. Quod ſi interdum *de fine* inquirimus, an ſit amandus, dubitantes de bonitate ipſius, hoc ex eo provenit, quod bonitas finis in particulari nos latet: & ideo potius inquirimus, an tale objectum materiale debeat habere rationem finis, quam an finis ſit appetendus: quia ſi conſtaret talem rem eſſe finem, de ea nulla eſſet inquiſitio.

IX. Conſenſui proxima eſt *electio mediorum*, qui voluntatis actus eſt verſans circa media, quorum unum præ alio acceptat relate ad conſequendum finem. Dicitur *actus voluntatis*: quamvis enim electio præſupponat actum rationis ordinantis, conferentis, & mediorum utilitatem ponderantis, in ipſa tamen voluntate conſummatur, & ab ipſa elicitur. Verſatur circa media, non circa finem; quia, cum electio ſit præacceptatio unius præ alio, ſupponit amorem finis, ad quem aſſequendum hoc alteri medium præfert. Quoniam vero, ut adnotat S. Thomas, ſicut principium unius ſcientiæ poteſt eſſe concluſio alterius; ita bonum, quod eſt finis reſpectu inferiorum, poteſt eſſe medium ad finem ultimum, atque hoc modo poteſt eſſe electio finis, non quatenus *finis* eſt, ſed prout eſt *medium*: tunc autem vocari conſuevit finis *intermedius*, medius ſcilicet inter finem ultimum, & media inferiora. Atque hoc quidem verum eſt, ſi loquamur de electione in propria ſignificatione ſua. Nam ſi minus preſſe accipiatur electio, finem quoque particularem ultimum complectitur, quatenus bonis aliis omnibus antefertur. Unde Deuteronom. 26. populum Iſraeliticum Moyſes alloquens dixit: *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus*. Et Luc. 10. de Maria Magdalena Chriſtus ait: *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea*.

X. Electioni comes eſt *imperium*, cujus munus eſt intimare mediorum executionem. Hic actus hoc habet peculiare præ cæteris, quos adhuc deſcripſimus, quod hi interiores ſunt, & intra intellectum, & voluntatem ſiſtunt: *Imperium* vero, quod eſt actus intellectus, veluti foras erumpit, cæteriſque potentiis tum internis, tum externis executionem intimat, ac jubet, quemadmodum pulchre declarat S. Thomas hic *q.* 17. *art.* 3. *ad* 1. inquiens: *Poſt determinationem conſilii, quæ eſt judicium rationis, voluntas eligit, & poſt electionem ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod eligitur: & tunc demum voluntas incipit uti, exequendo imperium rationis: quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri: quandoque voluntas ipſius imperantis, cum aliquis imperat ſibi ipſi.*

XI. *Uſus* ergo *activus* voluntatis præter *imperium* admittendus eſt, qui plane ab *electione* diſtinguitur: Hæc enim reſpicit media veluti futura; ſed *uſus*, ut præſentia, & ad executionem per exteriores potentias deducenda juxta exigentiam, & difficultatem rerum, ſive negotiorum, quæ occurrunt, & finis præintenti naturam. Unde actus iſte, ſive officium magnam ſæpe difficultatem ingerit, ad quam prompte, celeriterque ſuperandam ſpeciali voluntatis conatu opus eſt, ne tædio & labore vincamur. *Quoties* (ajebat olim Bernardus *lib.* 1. *de Conſid. C.* 1.) *vis, & incaſſum: quoties moves, nec permoves! quoties conaris, & non datur ultra! Eniteris, & non obtines: parturis, & non paris: tentas, & abrumperis: ubi incipis, ibi deficis: & dum adhuc ordiris, ſuccidunt te. Venerunt filii uſque ad partum* (*ait Propheta*), *& vires non habent parturiendi*. Atque utinam hæc ſæpe non experiremur in nobiſmetipſis.

XII. Demum omnium noſtrorum actuum œconomiam perficit *aſſecutio*, ſeu *fruitio finis*, qui actus intellectus non eſt, ſed voluntatis, cujus ſicuti proprium eſt deſiderare finem poſſidendum; ita & in ejus poſſeſſione quieſcere, ſive fine jam acquiſito, & poſſeſſo frui. Hinc fruitio in Sacris Literis pro ſuavi quodam delectationis experimento uſurpatur juxta illud: *Venite, fruamur bonis*: ſumiturque hujuſce nominis etymon a *fructu*, qui arboris eſt poſtremus effectus. Quare S. Auguſtinus fruitionem ſæpe declarans: *Frui*, inquit, *dicimur de ea re, de qua capimus voluptatem, & rebus cognitis fruimur, in quibus voluntas delectata quieſcit*. Quia porro finis dupliciter haberi poteſt, perfecte ſcilicet, ac conſummate, & imperfecte, ſeu inchoative; ideo duplex *fruitio* diſtingui ſolet: altera initiativa, quæ eſt complacentia de fine cognito, & ſperato, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 13.: *Spe gaudentes*; altera plena, & cumulata, quæ ſolum habetur poſt finem adeptum. Quia vero per primam fruitionem inchoatur, ac veluti ſternitur via ad cæteros actus jam enumeratos, nem-

pe

pe intentionem, electionem, imperium, uſum, & delectationem perfectam; ideo in quæſtionibus de hujuſmodi actibus prius egit S. Thomas *de fruitione*, quam ut ad actus alios explicandos progrederetur. Hæc attigiſſe ſufficiat de mirabili actuum noſtrorum harmonia, atque ordine: amplior namque diſcuſſio ad noſtrum inſtitutum minime pertinet.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui libertatem humani arbitrii negant, tamquam exitioſiſſimi totius Religionis, ac Politiæ hoſtes habendi.*

II. *Fidei Chriſtianæ repugnat ſententia, quæ tradit, humani arbitrii libertatem quoad bonum, & malum extinctam fuiſſe in Adamo peccante.*

III. *Non minus reprobanda eſt tertia illa inter quinque propoſitiones Janſenio tributas:* Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

IV. *Neque tamen propterea talis in homine admittenda libertas eſt, ut poſſit ſine gratia quidpiam agere ſalutare in ordine ad vitam æternam.*

V. *Nullus datur actus voluntatis ſine aliquo actu intellectus. Quorumdam Myſticorum legitimus ſenſus exponitur.*

VI. *Intentio finis non ideo in Scripturis denominatur* oculus, *quia ad intellectum pertineat, ſed quia cognitionem præſupponit.*

VII. *In mediorum electione maxime effulget voluntatis libertas.*

VIII. *Electio non eſt, niſi eorum, quæ per nos aguntur, & finem reſpiciunt.*

IX. *Voluntas inefficax, ſive* velleitas *poteſt eſſe nedum poſſibilium, verum etiam impoſſibilium. Sed* electio *nonniſi poſſibilium eſt.*

X. *Homo non eligit ex neceſſitate, ſed libere; libertate tum quoad* exercitium, *tum etiam quoad* ſpecificationem.

XI. *Serio advertere debent homines, quid proprie ſit voluntatis* conſenſus, *& in quo conſiſtat,*

XII. *Ut conſenſus ad culpam imputetur, neceſſe non eſt, ut ſit* expreſſus, *ſed ſufficit* implicitus.

XIII. *Solo creato bono* uti *licet, non autem increato.*

XIV. *Quibus bonis creatis uti poteſt voluntas, declaratur.*

XV. *Voluntas tum intellectui, tum propriis actibus imperare valet, atque etiam actibus ſentientis appetitus, ſed non eodem modo.*

XVI. *Quemadmodum* uti *non debemus niſi bonis creatis, ita* frui *non licet niſi bono increato, quod Deus eſt.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUi humanæ voluntatis libertatem negant, habendi ſunt veluti cujuſque Religionis hoſtes, Politici ſtatus everſores, ac peſtes humani generis. Sublata quippe libertate, haud plane conſiſtit lex Dei æterna, quæ rectum ordinem præſcribit, jubetque exequi, quæ honeſta ſunt, atque juſta; fugere vero, quæ turpia, & injuſta. Quis enim bonam actionem, vel malam proprie dixerit, juſtam, vel injuſtam, quam neceſſario elicimus? Quis teneretur ad morum regulas, quas impreſſas in nobis præcipimus, ſequendas, ſi æque, ac belluæ inevitabili fato, ac inſtinctu cuncta ageremus? Immo hujuſmodi leges, ac regulæ, queis tum ad colendum Deum, tum ad juſtitiam ſervandam, tum ad virtutes cæteras exercendas urgemur, atque obligamur, fruſtraneæ penitus, & inutiles eſſent. Fieri namque minime poſſet, ut ad earum amuſſim vitam homines componerent, & honeſte viverent, qui vitam inhoneſte, turpiterque traducunt: quemadmodum nec fieri poteſt, ut videat, qui caret lumine, aut recte incedat, qui claudus eſt. Nec divinæ ſolum, ſed omnes etiam vanæ ſunt humanæ leges, quæ in quovis recto regimine conſtituuntur. Neque enim ſtatutæ leges valere poſſunt, ſi ii, pro quibus ſtatuuntur, poteſtate carent ita, aut aliter agendi. Nam neceſſitate ducti ſubditi eodem modo, nulla legum ratione habita, agerent, nec poſſent exequi, quæ Legumlatores præcipiunt, aut vitare, quod prohibent: atque adeo nec adverſus tranſgreſſores legum pœnæ juſte ſanciuntur: ſiquidem, ut ait Sanctus Auguſtinus lib. de duab. anim. *Peccati reum tenere quemquam, quia non facit, quod facere non poteſt, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ*; & alia plura admittere abſurda neceſſe eſt in ſocietatis perniciem, quæ cuique obvia ſunt.

Conſectarium Secundum.

II. Fidei Chriſtianæ repugnat, & inter hæretica dogmata recenſenda doctrina eſt, quæ tradit, primum quidem humani generis parentem Adam libero fuiſſe arbitrio præditum: at extinctum, ſublatumque illud penitus eſſe poſt peccatum ipſius relate ad opera bona, & vitæ æternæ meritoria: adeo ut liber quidem adhuc permanſerit homo in hoc ſtatu naturæ lapſæ quoad opera naturalia, ac civilem ſocietatem ſpectantia: ſed in genere moris, æternæque ſalutis negotio, ſublata omni eligendi facultate, & activa indifferentia, neceſſario ille peccet, nullaſque omnino partes habeat in iis, quæ Divina gratia præventus operatur. Hunc errorem docuit Lutherus, & in eo jam damnavit Eccleſia, dum hanc ipſius propoſitionem fulgurivit per Leonem X. in Bulla: *Exurge Domine*; nimirum: *Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo: & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Docuit etiam poſt Lutherum Calvinus, & utriuſque doctrinam damnavit Concilium Tridentinum ſequentibus tribus Canonibus, ſeſſ. 6. can. 4.: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam* ni-

nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.

Can. V. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.*

Et Can. VI.: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe, adeo ut ſit proprium opus ejus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.*

Conſectarium Tertium.

III. Non minus reprobanda eſt veluti hæretica tertia illa inter quinque famoſas, quæ Janſenio tribuuntur, propoſitiones, quam anathemate perculit Summus Pontifex Innocentius X., ac cæteri, qui ſubſequuti ſunt, Romani Pontifices; nimirum: *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate; ſed ſufficit libertas a coactione.* Quam merito fuerit hæc propoſitio proſcripta, nemo non videt: totum quippe continet virus Lutheranæ, ac Calvinianæ de libertate humana doctrinæ: neque enim adeo deſipuerunt Lutherus, & Calvinus, ut negarent actus elicitos a voluntate in quocumque genere liberos eſſe libertate a *coactione*, ſive nullam inferri voluntati violentiam a Deo illam movente, aut in ipſam operante. Solam proinde negarunt libertatem *a neceſſitate*, ſeu liberos eſſe, & immunes a neceſſitate homines in hoc ſtatu lapſæ naturæ, dum bonum aliquod ſalutare peragebant, & nihilo ſecius hanc neceſſitatem ſufficere putabant ſaltem *ad demerendum* in hocce ſtatu. Nam *meritum* nullum agnoſcebant.

Conſectarium Quartum.

IV. Neque tamen in aliud extremum declinare fas eſt, in quod Pelagiani lapſi ſunt, non minus ab Eccleſia tamquam hæretici propterea rejecti, videlicet libertatem in hoc ſtatu corruptæ naturæ æque ad bonum, atque ad malum ſolis viribus naturalibus idoneam eſſe, quin ad bonum divinæ gratiæ ſubſidio indigeat. Siquidem, Auguſtino teſte Epiſt. 47. ad Valentin., *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat ſive in vitam malam, ſive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid*, ad vitam nempe æternam.

Conſectarium Quintum.

V. Nullus datur actus voluntatis ſine actu aliquo intellectus. Hinc quantumvis voluntas ad altiſſimum gradum orationis a Deo elevata extra ſe rapi videatur, nunquam tamen ceſſat omnino rationis operatio: quia licet tunc deſinat, aut deſinere queat meditatio, aut diſcurſus, ſemper tamen divina flamma ardet, & lucet; nemo quippe amat, quod ignorat. Quod ſi aliqui Patres, qui de Myſtica Theologia tractant, aliquando aſſerant, ſolam voluntatem operari in profunda beatæ quietis oratione; ideo hoc dicunt, quia ratio tunc non diſcurrit, ſed ſtatim ac Dei ſimplici intuitu gaudet, fervens amore voluntas ſeſe in objectum amatum effundit, ac juxta Scripturæ locutionem *totum cor liquefit, ut dilectus locutus eſt.* Et quia amans amore trahitur, nec agit, niſi quia ab objecto alliciente patitur, idcirco oratio illa *paſſiva* dicitur; ſed ſemper cum aliquo intellectus actu conjuncta eſt. Hinc merito proſcriptæ ab Eccleſia ſunt quædam Michaelis de Molinos propoſitiones, quæ huic adverſantem doctrinam ſatis inſinuant.

Conſectarium Sextum.

VI. Intentio finis non ideo in ſacris Literis metaphorice denominatur *oculus* (veluti cum Matth. 6. dicitur: *Si oculus tuus fuerit ſimplex &c.*), quia ad cognitionem pertineat; ſed quia cognitionem præſupponit, per quam finis voluntati proponitur, ad quem movet: ſicut oculo proſpicimus, quo tendere greſſu corporali debeamus. Sic etiam ibidem *intentio* vocatur *lumen*, cum dicitur: *Si lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint; quia manifeſta eſt intendenti*, inquit S. Thomas hic q. 12. art. 1. ad 2. *Unde & opera dicuntur tenebræ; quia homo ſcit, quid intendit, ſed neſcit, quid ex opere ſequatur.*

Conſectarium Septimum.

VII. *Electio* eſt peculiaris actio, in qua libertas maxime effulget humanæ voluntatis: *Cum enim*, verba ſunt S. Thomæ q. 13. art. 2. *electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt. Et ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet. Eſt autem differentia inter appetitum ſenſitivum, & voluntatem; quod appetitus ſenſitivus eſt determinatus ad unum particulare ſecundum ordinem naturæ. Voluntas autem eſt quidem ſecundum naturæ ordinem determinata ad unum commune, quod eſt bonum: ſed indeterminate ſe habet reſpectu particularium bonorum. Et ideo proprie voluntatis eſt eligere, non autem appetitus ſenſitivi, qui ſolus eſt in brutis animalibus.*

Conſectarium Octavum.

VIII. Electio ſemper eorum eſt, quæ a nobis aguntur, ſive actuum humanorum; quoniam non eſt, niſi eorum, quæ finem reſpiciunt: quæ autem reſpiciunt finem a nobis intentum, vel eſt actio noſtra, vel eſt res aliqua, quæ nobis conjungi poteſt ex noſtra actione; ea nimirum, qua vel quidpiam facimus, quod ordinatur ad finem, aut eo utimur. Si *actio noſtra* ſit, manifeſtum eſt electionem eſſe alicujus humani actus: *ſi res diſtincta*, etiam tunc electio eſt actus humani, ejus ſcilicet, quo mediante rem illam agimus, aut ea utimur. Quare, cum Sanctus Thomas hic *art.* 4. ſibi objeciſſet, *eligi* interdum a nobis homines *ad aliqua officia ſive ſecularia, ſive Eccle-*

eleſiaſtica ab his, *qui nihil circa eos agunt*; reſpondet, „ quod homo, qui eligit Epiſcopum, „ vel Principem Civitatis, eligit nominare ipſum „ in talem dignitatem: alioquin, ſi nulla eſſet „ ejus actio ad conſtitutionem Epiſcopi, vel Principis, non competeret ei electio. Et ſimiliter dicendum eſt, quod quandocumque dicitur „ aliqua res præeligi alteri, adjungitur ibi aliqua operatio eligentis ". Ex quo fit, quod electio quæcumque aut bona eſt, aut mala, ſive regulis morum ſubjecta.

Conſectarium Nonum.

IX. Voluntas inefficax, ſive ſimplex complacentia, aut velleitas poteſt eſſe nedum *poſſibilium*, ſed etiam *impoſſibilium*: ſed electio non eſſe niſi *poſſibilium*. Ratio prioris aſſerti eſt, quia tunc voluntas reſpicit unice objectum ſecundum ſeipſum, ſive prout eſt, vel apprehenditur ſibi conveniens: Unde voluntas poteſt affectu inefficaci in illud tendere, quod eſt impoſſibile; ſicut ſi homo appetat eſſe Angelum. Poſterioris autem, quia electio reſpicit objectum ut futurum, & per media obtinendum: nullus autem movetur ad obtinendum id, quod judicat acquiſitu impoſſibile. Adverte tamen etiam ſimplices velleitates, ſive inefficaces appetitiones alicujus rei impoſſibilis eſſe bonas, aut malas juxta objectorum conditionem; ex. gr. *bona* eſt volitio illius qui vellet non peccaſſe, ſive Deum non offendiſſe peccatis, quæ commiſit: *mala* vero, immo peſſima volitio, qua quis appeteret Deum non eſſe, ut liberius peccare poſſet.

Conſectarium Decimum.

X. Homo non ex neceſſitate eligit, ſed libere; idque nedum libertate *quoad exercitium*, ſed etiam *quoad ſpecificationem*. Hoc conſectarium hic idcirco ſubjicio, ut afferam pulcherrimam, ſolidamque S. Thomæ doctrinam, qua explicat libertatem homini in eligendo convenientem. Sic itaque ſcribit *art. 6. q. 3.* „ Homo non ex neceſſitate eligit: & hoc ideo, quia *quod poſſibile eſt* „ *non eſſe*, *non neceſſe eſt eſſe*. Quod autem poſſibile ſit non eligere, vel eligere, hujus ratio „ ex duplici hominis poteſtate accipi poteſt. „ *Poteſt* enim *homo velle*, *& non velle*, *agere*, „ *& non agere* (en libertas quoad exercitium): „ *poteſt etiam velle hoc*, *aut aliud* (en libertas „ quoad ſpecificationem). Cujus ratio ex ipſa „ virtute rationis accipitur. Quidquid enim „ ratio poteſt apprehendere ut bonum, in hoc „ voluntas tendere poteſt. Poteſt autem ratio „ apprehendere ut bonum non ſolum hoc, quod „ eſt velle, aut agere, ſed hoc etiam, quod „ eſt non velle, & non agere.

„ Et rurſum in omnibus particularibus bonis „ poteſt conſiderare rationem boni alicujus, & „ defectum alicujus boni, quod habet rationem „ mali. Et ſecundum hoc poteſt unumquodque „ hujuſmodi bonorum apprehendere, ut eligibile, vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod eſt beatitudo, non poteſt ratio apprehendere ſub ratione mali, aut alicujus defectus. Et *ideo ex neceſſitate beatitudinem homo vult*, nec poteſt velle non eſſe beatus, aut „ eſſe miſer. Electio autem, cum non ſit de fine, „ ſed de iis, quæ ſunt ad finem, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex „ neceſſitate, ſed libere eligit ". Hinc in reſp. ad 1. oſtendens, quo pacto, etiam poſita *intentione* conſequendi finem, non ideo voluntas in electione neceſſario moveatur, ait: *Non oportet*, *quod ſemper ex fine inſit homini neceſſitas ad eligendum ea quæ ſunt ad finem: quia non omne*, *quod eſt ad finem*, *tale eſt*, *quod ſine eo finis haberi non poſſit*, *aut ſi tale ſit*, *non ſemper ſub tali ratione conſideratur*.

Conſectarium Undecimum.

XI. Tum qui ſcrupuloſæ, tum qui liberioris conſcientiæ ſunt, ſedulo advertant oportet, quid *conſenſus*, prout hic ſumitur, proprie ſit, & in quo actu conſiſtat: nimirum, ut docet S. Thomas quæſt. 15. art. 2. *Conſenſus importat applicationem appetitivi motus ad aliquid agendum* (ſive *ad rem ſecundum quod ei inhæret*, ut habet art. 1.) *Ejus autem eſt applicare appetitivum motum ad aliquid agendum*, *in cujus poteſtate eſt appetitivus motus*: *ſicut tangere lapidem convenit quidem baculo*: *ſed applicare baculum ad tactum lapidis eſt ejus*, *qui habet in poteſtate movere lapidem*. Unde colligit: *Bruta animalia*, *cum non habeant in ſua poteſtate appetitivum motum*, *ſed talis motus in eis ſit ex inſtinctu naturæ*, *appetunt quidem*, *ſed non applicant appetitivum motum ad aliquid*. At vero idem non eſt *de rationali natura*, *quæ cum habeat in poteſtate motum appetitivum*, *poteſt ipſum applicare*, *vel non applicare ad hoc*, *vel ad illud*, *atque adeo conſentire*. Qua ex doctrina inferre debent, qui conſcientiæ ſunt nimium meticuloſæ, non eſſe conſenſum in peccatum, licet ſenſum rebellis appetitus perſentiant, quamdiu voluntas libere non applicat motum appetitivum ad objectum: quia juxta tritum illud S. Bernardi: *Non nocet ſenſus*, *ubi non eſt conſenſus*. E contra vero pertimeſcant oportet, qui laxioris conſcientiæ ſunt, ſæpe ſe applicare appetitum ad motum peccaminoſum, adeoque conſentire peccato.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Conſenſus in actum peccati pertinet quidem ad rationem ſuperiorem (ut hic art. 4. ex Auguſtino docet S. Thomas), quæ utramque facultatem complectitur, intellectum ſcilicet, & voluntatem: ſed ut ad culpam imputetur, ſatis eſt judicium rationis ſuperioris implicitum: neque enim tunc ſolum cenſetur ratio ſuperior conſentire, quando ſecundum rationes æternas *expreſſe movet* ad agendum; ſed etiam quando ſciens, & videns, quid placeat rationi inferiori, eam non cohibet, ſed permittit: tunc ſiquidem ſecundum rationes æternas non diſſentit, quemadmodum poſſet, ac deberet, ideoque merito ipſi ad cul-

culpam adſcribitur. Hinc S. Thomas ad argumentum quoddam ſibi tertio loco objectum *art.* 4. ita reſpondet: *Dicendum, quod ratio ſuperior dicitur conſentire non ſolum, quia ſecundum rationes æternas ſemper movet ad agendum, ſed etiam quia ſecundum rationes æternas non diſſentit.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Preſſe accipiendo *uſum*, ſolo creato bono *uti* licet, adeo ut ſit ſemper *abuſus*, atque peccatum, dum bono increato, Deo ſcilicet, utimur. Quare recte S. Auguſtinus *q.* 30. *inter* 83. ſcribit: *Omnis humana perverſio eſt fruendis uti velle, atque utendis frui.* Deus enim bonum duntaxat illud eſt, quod quærere debemus ad eo fruendum, nec eo *uti* poſſumus. Unde ibidem varia recenſens, quibus homo uti poteſt, *de ſolo*, inquit, *Deo non judicat: quia ſecundum Deum de cæteris judicat, non eo utitur, ſed fruitur. Neque enim ad aliud Deus referendus eſt: quoniam omne, quod ad aliud referendum eſt, inferius eſt, quam id, quod referendum eſt:* Deus autem nulla re poteſt eſſe inferior. Et *lib.* 15. *de Civit. cap.* 7. affirmat, quod boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo: mali autem e contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Atque hinc ſi quærat aliquis, quænam ſint, quibus *uti* liceat; generalis in primis reſponſio eſt, poſſe nos uti quolibet bono creato: cum omnis creatura Dei bona ſit, ac propterea poſſit eſſe homini medium quoddam, ſive adminiculum ad Deum cognoſcendum, & amandum: Quoad vero bona particularia, poteſt primum homo uti ratione, qua præditus eſt, ac etiam voluntate, ut Deum amplius cognoſcat, & diligat. Deinde uti poteſt creaturis aliis, rationalibus ad ſocietatem, irrationalibus ad propria commoda, & utilitates. Tertio poteſt uti vita ſua eam ad hoc referendo, ut Deo fruatur. Quarto etiam uti poteſt ſuo corpore, ut per illud Deo inſerviat. Quinto rebus quibuſdam vel aſſumendis, vel reſpuendis, prout ad beatitudinem conferunt. Sexto demum rebus quibuſdam tolerandis ad patientiam, & juſtitiam, vel meditandis ad doctrinam.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Voluntas imperare quidem poteſt ſuis actibus, atque etiam actibus intellectus quantum ad *exercitium*. Verum relate ad appetitum ſentientem non eodem modo loqui fas eſt. Nam licet quidam actus, aut motus hujuſce appetitus imperari a voluntate valeant; quidam imperari nequaquam poſſunt. Cum enim appetitus ſentiens ſit pars organica corporis, ejus actus non ſolum pendent ex potentia animæ, ſed etiam ex qualitate, & diſpoſitione organi corporei, atque adeo motus ſenſiles interdum excitantur ex ſola corporis diſpoſitione abſque ullo actu facultatis imaginativæ, ut ex. gr. motus concupiſcentiæ in ſomno contingentes. Atque hocce in caſu motus partis ſentientis non ſubjacent imperio rationis, adeo ut imperare poſſit, ne exoriantur; quoniam corporis diſpoſitio in poteſtate noſtra non eſt, ſed ſolum quoad hoc, ut eis præbeatur, vel non præbeatur aſſenſus, poſtquam exorti ſunt. Interdum vero motus partis ſentientis in nobis excitantur ex apprehenſione potentiæ imaginativæ: & quia apprehenſio imaginativa, cum ſit vis particularis, dirigitur ab apprehenſione rationis, quæ virtutis univerſalis motio eſt; ideo hujuſmodi motus imperio rationis ſubjacent; quemadmodum virtus particularis ſubeſt virtuti univerſali. Quapropter ſi motus illi oriantur ex imaginatione ſolum indirecte voluntaria, qui ſcilicet impediri potuiſſent, ſi ratio vigilaſſet, indirecte ſaltem, & imperfecte ſubjacent voluntatis imperio. Si autem oriantur ex imaginatione prorſus voluntaria, veluti ſi ratio eam imperavit hoc fine, ut ejuſmodi motus exurgerent, directe, ac perfecte ſubſunt imperio rationis. Hæc doctrina tota, quanta eſt, ſumitur ex *art.* 7. *q.* 17. S. Thomæ, eaque magis firmantur, quæ de eodem ferme argumento ſupra dicta ſunt.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Quandoquidem fruitio, quæ in ſerie humanorum actuum poſtrema eſt, non eſt niſi *adhæſio per amorem alicui rei propter ſe ipſam*, ut tradit Auguſtinus *lib.* 1. *de doctr. Chriſt. c.* 4. & *lib.* 10. *de Trinit. c.* 10.; ideo nulla creata re *frui* poſſumus citra peccatum, *fruitione* proprie accepta; quia cum ſolus Deus debeat eſſe noſter ultimus finis, Deo ſolum *frui* licet: quæ fruitio imperfecta quidem eſt in hac vita, ſed perficietur in altera. Hinc ſapienter obſervat idem Sanctus Doctor, Apoſtolum Paulum ſcribentem ad Philemonem dixiſſe: *Itaque, frater, te fruar in Domino.* „ Si enim (inquit) dixiſſet, *te fruar*, „ & non addidiſſet: *in Domino*, videretur finem „ delectationis in eo poſuiſſe. Sed quia addit: „ *in Domino*, in Domino ſe poſuiſſe finem, atque eo ſe *frui* ſignificavit, ut ſic fratre ſe frui „ dixerit non tamquam termino, ſed tamquam „ medio “.

REFLEXIO.

Ecquis eſt, qui, dum ſerio animum advertit, ſeque liberi arbitrii facultate præditum contemplatur, ac intimo ſenſu percipit, non agnoſcat tam excellentis beneficii a Deo ſibi collati magnitudinem? Hac inſigni prærogativa donati ſupra ceteras quaslibet Mundi hujus aſpectabilis Creaturas altius aſſurgimus, atque eminemus. Hac Angelicis Spiritibus, immo & ipſi ſupremo rerum omnium Conditori, ac Gubernatori Deo aſſimilamur. Hac tamquam domini de nobiſmetipſis, deque actibus noſtris pro libitu diſponere valemus, eaque ſeligere, quæ gratiora nobis, atque utiliora viſa fuerint. Hac demum, ne omnia perſequar, laudem immortalem, ac felicitatem ſempiternam, ad quam Creaturæ cæteræ pervenire nequeunt, comparare nobis poſſumus.

mus. Verum, dum eximium hoc Divinæ beneficentiæ munus attente cogitamus, atque perpendimus, quis non inde colligat, arctiſſimo ſe vinculo devinctum eſſe, ut libertatem ſuam in ejus honorem, & gloriam continenter impendat, a quo illam accepit? ita nimirum, ut ea nunquam utatur, niſi juxta Dei beneplacitum, & rectiſſimam voluntatem, cui obſequendo magis illa, magiſque perficitur, divinæque ſimilior evadit. Hoc utique debet homo omni procul dubio Creatori ſuo tum propter alia, tum propter hoc ſingulare, atque præſtantiſſimum beneficium, quo ſupra res alias creatas excellit. Verum proh dolor! Quam multi ſunt, qui hoc ipſo libertatis dono abutuntur in offenſam, & contumeliam Benefactoris ſui! Quam pauci, qui propriæ voluntatis actus ita diſponant, ut finem ultimum Deum unice ſibi præfiniant, ad eumque adipiſcendum efficaciter dirigant! Et ut de his tantum, cæteris prætermiſſis, quidpiam dicamus, & quæ de harmonia actuum noſtrorum prælibata ſunt, attingamus, plures equidem invenire eſt, qui ſummam Dei amabilitatem conſiderantes aliquem erga Deum amorem concipiunt, & in ea, quæ Deo placita ſunt, virtutes ſcilicet, & virtutum officia nonnunquam inardeſcunt: ſed ultra non procedunt, in ſterili quadam voluntatis complacentia ſiſtentes, cæteroſque actus, quibus ad Deum pervenitur, omittentes. Finem quidem ultimum Deum aſſequi vellent, recteque etiam de mediis ad finem aſſequendum idoneis conſiliantur, & judicant; ſed tamen finem non aſſequuntur: quia vel tædio, vel labore victi neceſſaria media non apponunt, vel in inceptis deficiunt, ſimiles plane homini illi, de quo Sapiens loquitur, cum ait: *Vult, & non vult piger*. *Vult* ſcilicet proſequi bonum, illudque exequi: at ſimul *non vult*, quia labore, & difficultate territus bonum non efficit, fluctuatque torpens, & languens in his volitionibus ſibi contrariis, quemadmodum de ſe ipſo teſtatur Sanctus Auguſtinus in initio ſuæ Converſionis lib. 8. Confeſ. C. 10. *Ego deliberabam*, ait, *ut ſervirem Domino meo: ego eram, qui volebam; ego eram, qui nolebam; ego eram, nec plane nolebam; ideo contendebam, & diſſipabar a me ipſo: & ipſa diſſipatio, me invito quidem, fiebat, nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ*. Qui ita ſe gerit, ad finem ultimum Deum nunquam perveniet, ut eo in ſempiterna beatitudine, quæ in ejus poſſeſſione conſiſtit, perfruatur.

Quapropter maxima cura impendenda nobis eſt, ut libero, quo pollemus, arbitrio recte utentes non in uno, vel altero ſiſtamus noſtræ voluntatis actu, ſed omnes, qui ſeriem eorum complent, ita ordinemus, ut beatiſſimum finem noſtrum tandem aſſequamur. Cum vero omnes diligenter ordinandi ſint, tum duo potiſſimum ſollicitos habere nos debent, *intentio* videlicet, & *executio*. *Intentio*, tametſi cognitionem, & ſimplicem volitionem finis præſupponat, nihilominus illa eſt, a qua plurimum pendet ſubſequentium actuum rectitudo. Hæc enim eſt veluti fax ſplendida, quæ tenebras diſſipat, ac veluti Sol aliis officiis lucem, & calorem communicat. Hinc ſapienter obſervat S. Bernardus *ſerm.* 40. *in Cant.*, per faciem Sponſæ mentis intentionem deſignari, ex qua nimirum pulchritudo operis, ſicut ex facie pulchritudo corporis æſtimatur; ſignanter tamen genas nominaſſe Spiritum Sanctum, dicendo: *Pulchræ ſunt genæ tuæ;* quia *duo quædam* (inquit) *in intentione* (*quam faciem animæ eſſe diximus*) *neceſſaria requiruntur, res, & cauſa; ideſt, quid intendas, & propter quid. Ex his ſane duobus vel decor, vel deformitas judicatur; ut anima, quæ ambo iſta recta, atque pudica habuerit, illi merito, veraciterque dicatur: pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis. Quæ vero altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quod pulchræ ſint genæ ejus ſicut turturis propter eam, quæ adhuc ex parte erit, deformitatem*. In eo igitur ſumma nobis cura vigilandum eſt, ut recta ſit *intentio* noſtra, ut Deum ſcilicet ſemper reſpiciat, ne aut vanæ gloriæ vitio, aut concupiſcentiæ blandientis inſidiis alio avertatur, ac præterea ut media, quæ ſpectat, mala non ſint. Nam ſicut bonum polluit ac damnat intentio prava, ita malum opus non excuſat intentio recta: nihilque refert, quo animo aliquid facias, ſi vitioſum eſt, quod facis: nec deſinit eſſe peſtifera labes putredinis, quamvis bonæ intentionis ſpecie, & colore tecta obducatur. Unde laudatus S. Auguſtinus lib. cont. Mend. c. 7. ait: *Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt*.

Si hujuſmodi fuerit *intentio finis*, recta quoque, & ſancta erit *electio mediorum*, quæ in proceſſu actuum noſtrorum peculiarem locum obtinet, & præcipuus fructus eſt rectæ intentionis. Ut autem in ea nullus obrepat error, ipſam *præcedat* oportet, ut cum eodem S. Bernardo loquar *lib.* 5. *de conſid. c.* 2. vel *comitetur*, vel *ſequatur* conſideratio triplex, *diſpenſativa*, *æſtimativa*, *ſpeculativa*. Prima rebus ordinate utitur ad promerendum Deum. Altera res diligenter ſcrutatur, & ponderat ad veſtigandum Deum. Tertia ab humanis rebus ſe avocat ad contemplandum Deum, quem niſi reſpiciemus, dum eligimus, & poſtquam elegimus, ipſum non conſequemur. Prima multa ſerit, ſed parum metit: ſecunda vadit, ſed nondum evadit: tertia venit, & ad Deum pervenit. *Quod prima optat, ſecunda odorat, tertia guſtat*. Pura erit electio, ſi ſic incipiat: conſtans, ſi ſic pergat: felix, ſi ſic perveniat. Quandoquidem voluntas ita diſpoſita, efficaciter mediorum executionem imperabit, iiſque, nulla difficultate, nullo retrahente labore utetur, & ad poſſeſſionem, ac fruitionem beati finis feliciſſime pertinget.

CAPUT NONUM.

De bonitate, & malitia actuum humanorum, ſive moralium in genere.

D o c t r i n a.

I. *Moralitas neque in voluntario, & libero, neque in imputabilitate ſtatuenda eſt, ſed in ſubjectione actuum humanorum ad morum regulas.*

II. *Specifica humanorum actuum moralitas ab objecto deſumitur.*

III. *De circumſtantiis agitur actuum humanorum. Hæ a Theologis maximopere conſiderandæ.*

IV. *Circumſtantiæ deſcribuntur, earumque ſenſus legitimus explicatur.*

V. *Harum ordo, ac præeminentia notatur.*

VI. *Ex iis ſumitur peculiaris bonitas, aut malitia actionum humanarum.*

VII. *Quædam ſpecialiter obſervantur de circumſtantia* finis, *quæ inter cæteras præcipua eſt.*

VIII. *Numquam actio, quantumvis ex objecto bona, talis revera eſt, ſi ex circumſtantia aliqua, ac præſertim ex fine operantis mala fuerit.*

IX. *Dantur actus ſecundum ſpeciem ſuam nec boni, nec mali, ſed indifferentes.*

X. *Nullus tamen humanus actus in individuo, ut ajunt, indifferens eſt, ſed aut bonus, aut malus.*

XI. *Celebris in primis ad hoc probandum affertur authoritas Chriſti Domini* de verbo otioſo, *de quo reddendam a nobis rationem eſſe admonet.*

XII. *Genuina interpretatio* verbi otioſi *adverſus aliquos Neotericos aſſeritur, & vindicatur authoritate Sanctorum Patrum.*

XIII. *Ratio Sancti Thomæ poſitam aſſertionem confirmat.*

XIV. *Eadem evidenter colligitur ex duabus propoſitionibus ab Eccleſia in hac materia damnatis.*

XV. *Præceptum referendi actus noſtros in finem honeſtum naturale eſt, ſive in principiis naturæ fundatum.*

XVI. *Quæſtio alia tractanda ſumitur, num obligatio ſit referendi actiones noſtras in finem ultimum Deum. Sententia affirmans ad Apoſtolicam Sedem delata cenſura omni immunis evaſit.*

XVII. *Eamdem alii viri eximii, & celeberrimi Epiſcopi tradiderunt, damnaruntque, qui ipſi erroris notam inurere auſi ſunt.*

XVIII. *Hæc ſententia explicatur juxta doctrinam S. Thomæ.*

XIX. *Obligatio referendi actiones omnes deliberatas in Deum conformior eſt Scripturæ locutionibus, maximeque Apoſtoli ſententiæ:* Sive manducatis &c. omnia in gloriam Dei facite.

XX. *Interpretatio hujus textus SS. Patrum traditione firmata.*

XXI. *Alius Apoſtoli textus in eamdem rem allatus, & Patrum teſtimonio roboratus.*

XXII. *S. Thomæ doctrina huic ſententiæ plane conformis latius expoſita: ex qua firma ratio colligitur in ejus confirmationem.*

XXIII. *Altera ratio deducta ex ordine ſupernaturali, ad quem homo provectus eſt.*

XXIV. *Diluitur objectio, qua Adverſarii hanc ſententiam Bajaniſmi fuligine conantur adſpergere.*

I. DE bonitate, & malitia morali actuum humanorum in genere edisſerit Angelicus Doctor tota quæſt. 18. 1. 2. partis, in undecim articulos diſtributa, ex quibus, quæ in rem noſtram magis neceſſaria ſunt, ſeligemus. Primumque illud præmittendum exiſtimo, ſive potius recolendum, Moralitatem humanorum actuum minime ſitam eſſe neque *in voluntario, & libero*, quæ potius ſunt fundamenta, & principia effectitia actuum moralium, neque *in imputabilitate*, ſive *imputativitate*, ut ajunt aliqui Juniores, quæ immo eſt aliquid ad moralem actum conſequutum; ſed *in ordine, & conformitate, ſive difformitate ad regulas morum*, ut perpetuo docet Sanctus Thomas, & graviores quippe Theologi. Unde ſi actus humanus conformis ſit regulis morum, erit actus moraliter bonus; ſi autem ab iis diſſentiat, moraliter malus. Duæ autem, ut vel ab initio dictum eſt, ſunt morum regulæ, *lex* ſcilicet, & *ratio*. Lex, inquam, *æterna Dei*, a qua profluunt cæteræ quæcunque leges, & *ratio humana*; illa extrinſeca eſt, atque remota; altera proxima, & intima. Quare ſicut bonitas, ita & malitia humanorum actuum ex utraque pendet, ac malus ſemper actus eſt, dum alterutri non conſentit. *Habet*, inquit Sanctus Thomas, *actus humanus, quod ſit malus, ex eo quod caret debita commenſuratione. Omnis autem commenſuratio cujuſcumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam: a qua ſi divertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex: una propinqua, & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio: alia vero eſt prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei.*

§. I.

De moralitate actuum humanorum ſpecifica, ſive ex objecto deprompta.

II. Porro hiſce regulis actio humana conformis non eſt, aut difformis, niſi mediante objecto, a quo ſpeciem ſuam depromit: adeoque S. Thomas hic *art.* 2. ſtatuit, humanum actum ex objecto primariam, atque ſpecificam habere bonitatem, vel malitiam, probatque hac ratione: „ Sicut „ res naturalis habet ſpeciem ex ſua forma; ita „ actio habet ſpeciem ex objecto, ſicut & motus ex termino. Et ideo, ſicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma, quæ „ dat ſpeciem ei; ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti. Unde & a quibuſdam vocatur *bonum ex genere*, „ puta uti re ſua. Et ſicut in rebus naturalibus „ primum malum eſt, ſi res generata non conſequitur formam ſpecificam, puta, ſi non generetur homo, ſed aliquid loco hominis: ita *primum*

„ *mum malum in actionibus moralibus eſt*, *quod* „ *eſt ex objecto*, ſicut accipere aliena. Et di- „ citur malum *ex genere*, genere pro ſpecie ac- „ cepto, eo modo loquendi, quo dicimus *huma-* „ *num genus* totam humanam ſpeciem ". Ex quo advertas, actionem quidem humanam procul dubio primam ſuam bonitatem ex lege deſumere, ſed non propterea ſequitur, quod eam non ſumat ex objecto; quandoquidem ex hoc illam depromit, quatenus regulæ, ſive legi & rationi conſentaneum eſt.

§. II.

De moralitate actuum humanorum ex circumſtantiis deſumpta.

III. Præter hanc primam moralitatem, quæ naturam, ſive ſpeciem conſtituit moralis actionis, aliæ ſunt ſive bonitates, ſive malitiæ *accidentales*, quæ reputantur a circumſtantiis. Unde de moralitate, quæ ex iis depromitur, agit ſubinde S. Thomas *art.* 3. Verum de his aliqua in anteceſſum adnotare præſtat ex doctrina ab eodem ſupra tradita *quæſt.* 7. qua de circumſtantiis agit humanorum actuum; ubi primum circumſtantiæ notionem exhibet dicens: *Nomen circumſtantiæ ab his, quæ in loco ſunt, derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumſtare, quod eſt quidem extrinſecum a re, tamen attingit ipſam, vel appropinquat ei ſecundum locum. Et ideo quæcunque conditiones ſunt extra ſubſtantiam actus, & tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumſtantiæ dicuntur. Quod autem eſt extra ſubſtantiam rei ad rem ipſam pertinens*, accidens *ejus dicitur. Unde circumſtantiæ actuum humanorum* accidentia *eorum dicenda ſunt.*

Has autem circumſtantias magna cura a Theologis conſiderandas eſſe, *art.* 3. oſtendit triplici ratione; primo nimirum, quia Theologorum munus eſt conſiderare humanos actus, prout per eos homines in beatitudinem ordinantur. Quidquid autem ordinatur ad finem, oportet eſſe proportionatum fini. Actus porro humani non poſſunt eſſe proportionati fini, qui eſt beatitudo, niſi efficiantur cum circumſtantiis debitis. Altera ratio eſt: quia Theologi humanos actus conſiderant, quatenus boni, vel mali ſunt, meliores, aut deteriores. Hæc autem diverſitas a diverſitate circumſtantiarum proficiſcitur. Tertia tandem: quia Theologi conſiderant humanos actus, prout ſunt meritorii, vel demeritorii, atque adeo prout ſunt voluntarii. Ad judicium autem voluntarii, vel involuntarii actus cognitio, aut ignorantia circumſtantiarum præcipue deſervit.

IV. Quænam autem ſunt hujuſmodi circumſtantiæ, quarum cognitio maxime pertinet ad Theologos? Quum variæ recenſeri circumſtantiæ ſoleant, tum plauſibilior eſt enumeratio, quam ex Philoſopho affert S. Thomas *art.* 3. & hoc verſiculo continetur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando;

additque, quod ſub ſecunda, quæ dicitur *quid*, comprehenſa intelligatur ea, quam Philoſophus vocat *circa quid*. Ex his tres ſe tenent ex parte agentis; videlicet *quis*, *quibus auxiliis*, & *cur*. *Quis* enim deſignat cauſam agentem principalem: *quibus auxiliis* cauſam inſtrumentalem: *cur* cauſam finalem. Tres tenent ſe ex parte *actus*; nimirum *quomodo*, *ubi*, *quando*. Una demum, nempe *quid*, aut *circa quid* ex parte objecti. Cæterum ut hæ veræ circumſtantiæ ſint, non ſunt accipiendæ, quatenus ab illis pendet ſubſtantia actus in genere cauſæ ſive efficientis, ſive materialis, ſive finalis. Ut enim recte monet S. Doctor in reſp. ad 3.: *Illa conditio cauſæ, ex qua ſubſtantia actus dependet, non dicitur circumſtantia, ſed aliqua conditio adjuncta, ſicut in objecto non dicitur circumſtantia furti, quod ſit alienum* (ſive rei alienæ): *hoc enim pertinet ad ſubſtantiam furti; ſed quod ſit magnum, vel parvum. Et ſimiliter eſt de aliis circumſtantiis, quæ accipiuntur ex parte aliarum cauſarum. Non enim finis, qui dat ſpeciem actus, eſt circumſtantia, ſed aliquis finis adjunctus; ſicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis non eſt circumſtantia: ſed ſi fortiter agat propter liberationem Civitatis, vel propter Chriſtum, vel aliquid hujuſmodi*. Accipiendæ itaque ſunt pro conditionibus, quæ tametſi non pertineant ad ſubſtantiam actus, unde & ſine illis actus fieri poteſt; ipſi tamen actui aliquatenus conjunguntur.

Ut vero haſce circumſtantias paucis exponamus, prima *quis*, quatenus circumſtantia eſt, non denotat neque cauſam effectricem, neque ſubſtantiam perſonæ agentis, ſed ejus ſtatum, aut conditionem; veluti an is, qui agit, laicus ſit, vel Religioſus, Prælatus, Epiſcopus, Matrimonio junctus, an ſolutus, juvenis, an ſenex, non autem hic, aut ille homo, Petrus, aut Paulus &c.

Quid pariter non hic ſignificat ſubſtantiam actionis, aut objecti, a qua, ut diximus, ſpeciem deſumit; ſed qualitatem, aut quantitatem. Hinc etiam *circa quid* non intelligitur ipſa materia, vel objectum actionis, ſed aliqua ipſius conditio quantitatem, vel qualitatem importans; ex. gr. an detractio levis, aut gravis ſit, an de Superiore, Prælato &c.

Ubi, & *quando* non accipiuntur hic pro nudo loco, vel tempore ſecundum ſe ſpectatis, ſed ſpecialem indicant loci, vel temporis qualitatem. V. g. an locus, ubi furtum, vel homicidium, vel fornicatio commiſſa eſt, ſacer ſit: an tempus, quo opus ſervile factum eſt, *feſtivum* fuerit: quædam enim uno loco, vel tempore prohibentur, non alio. Quædam etiam ratione loci, vel temporis ſpecialem, aut graviorem malitiam contrahunt.

Quibus auxiliis circumſtantia eſt deſignans media, & inſtrumenta, queis actio humana perfecta eſt; v. gr. an ad malum perpetrandum uſus quis fuerit ope Dæmonis, vel alterius hominis, an ad pelliciendam aliquam in fornicationem auxilium lenonis, an rem ſacram ad profanas res adhibuerit &c.

Cur

Cur denotat finem extrinſecum actionis, aut operantis, qui adjungitur fini, qui vocatur *intrinſecus*, & ab ipſo objecto non differt: unde etiam appellari ſolet finis remotus, ut ſi quis oret propter vanam gloriam, ſi quis furetur, ut ſe inebriet, aut fornicetur.

Poſtremo *quomodo* non inſinuat modum, qui eſt eſſentialis actui humano, quatenus moralis eſt, nempe quod bene, vel male in genere fiat: ſed aliam quamdam conditionem pertinentem ad qualitatem actus, ut quod actio fiat per inſidias, intenſe, vel remiſſe, naturaliter, vel contra naturam &c.

V. Ordinem autem præeminentiæ conſiderans S. Thomas *art.* 4. inter haſce circumſtantias reſolvit primatum tenere circumſtantiam *propter quid*, ſive *cujus gratia*; deinde ſequi in dignitate ipſum *quid*: cæteras autem magis, minuſve principales eſſe, prout ad duas illas propius, aut minus prope accedunt: idque probat tum auctoritate S. Gregorii Nyſſeni, tum hac ratione, quod actus proprie dicuntur humani, prout ſunt voluntarii: voluntatis autem motivum, & objectum eſt finis; *Et ideo principaliſſima eſt omnium circumſtantiarum, quæ attingit actum ex parte finis, ſcilicet cujus gratia: ſecundaria vero, quæ attingit ipſam ſubſtantiam actus, ideſt* quid fecit. *Aliæ vero circumſtantiæ ſunt magis, vel minus principales, ſecundum quod magis, vel minus ad has appropinquant.* Hinc in reſp. ad 2. quod nempe *finis ſit extrinſecus rei, non ergo &c.* ait: *Dicendum, quod finis, etſi non ſit de ſubſtantia actus, eſt tamen cauſa actus principaliſſima, in quantum movet agentem ad agendum. Unde & maxime actus moralis ſpeciem habet ex fine.*

VI. His itaque de circumſtantiis præjactis, *art.* 3. hujus *quæſt.* 18. definit, actiones hominum bonas eſſe, vel malas ex circumſtantiis: idque declarat; quia ſicuti res naturales totam eſſendi plenitudinem eis debitam non recipiunt ex forma, quæ ſpeciem tribuit, ſed plurimum ipſis additur ex accidentibus, quæ ſuperveniunt, quemadmodum homo e. g. non habet ab anima rationali, quæ ſpeciem confert, perfectiones omnes eidem convenientes, ſed aliæ ipſi ſuperadduntur ex accidentibus, veluti ex figura, colore, magnitudine &c. quorum ſi deſit aliquid ad decentem habitudinem, *malum naturæ* dicitur: ita quoque morales actiones totam bonitatis ſuæ plenitudinem non recipiunt ex objecto, a quo ſpeciem habent; ſed aliquam etiam bonitatem hauriunt ex circumſtantiis, quæ ſunt humanorum actuum *accidentia*, quarum ſi deſit aliqua, quæ deeſſe non deberet, *morale malum* eſt. Hinc Sacræ Scripturæ ſæpe memorant hujuſmodi circumſtantias, quas exigunt in actionibus noſtris, ut nempe fiant convenienti loco, tempore, fine &c.: eoſque redarguunt, qui actiones de ſe bonas inficiunt pravis circumſtantiis, ut cum Dominus Matth. 6. jubet, ne eleemoſynas erogemus, ut videamur ab hominibus, acriterque reprehendit Phariſæos, qui tum eleemoſynas, tum orationes, tum alia opera bona faciebant, ut ab hominibus viderentur, ſive ob finem aucupandæ vanæ gloriæ. Hinc etiam improbant Sacrificium, quod ſane opus ſanctiſſimum eſt, Deo oblatum a Caino, & Saule; a Caino quidem, quia deerat pius affectus; a Saule vero, quia deerant debitæ circumſtantiæ.

VII. Quia vero, ut mox dictum eſt, inter circumſtantias *finis* eſt omnium præcipua, idcirco *art.* 4. S. Thomas ſpecialiter inquirit, *utrum actio humana ſit bona, vel mala ex fine.* Qua in re duplex, prout alias notavimus, finis diſtinguendus eſt; finis nempe *operis*, & finis *operantis*. Finis *operis*, qui etiam dicitur finis *proximus*, idem eſt, ac *objectum* actionis, adeoque intrinſecus actioni, eidemque tribuens ſpeciem propriam, ac primariam: & de hoc fine modo non loquitur. Loquitur ergo de fine *operantis*, qui actioni extrinſecus eſt, neque ipſi propriam ſpeciem communicat: ſed eſt circumſtantia operis ab operante relata in finem, qui circumſtantiarum omnium principaliſſima eſt: & ab hoc fine docet actiones humanas deſumere bonitatem, & malitiam, *præter bonitatem, & malitiam abſolutam, quæ in eis exiſtit* ex objecto. Probat autem reſolutionem ſuam profunda ratione, quæ in hoc conſiſtit; nempe quia eadem eſt diſpoſitio rerum in bonitate, & in eſſe: ſed in iis, quorum eſſe eſt independens, ſatis eſt conſiderare eſſe abſolute ad hoc, ut ſint entia: quorum autem eſſe ab alio dependet, oportet, quod conſiderentur per reſpectum ad cauſam, a qua dependent: Sicut ergo id, quod habet bonitatem non dependentem ab alio, eſt bonum abſolute ſine ulla conſideratione bonitatis ab alio dependentis; ita quod bonitatem habet ex alio dependentem, aliquam bonitatis rationem ſortitur ab eo, a quo dependet. Bonitas autem humanarum actionum dependet nedum ab objecto, ſed etiam ab operante tamquam a cauſa, quæ agit propter finem. Igitur ex fine quoque ſuam depromunt bonitatem. *Unde*, ſubdit, *in Perſonis Divinis, quæ non habent bonitatem dependentem ab alio, non conſideratur aliqua ratio bonitatis ex fine.*

VIII. In his autem, quæ dicta ſunt de cauſis, unde trahunt humani actus bonitatem, aut malitiam, peculiari obſervatione dignum judico, ad rationem actus ſimpliciter, & vere boni minime ſufficere, ut ex aliqua parte bonus ſit; v. g. ex objecto, ex circumſtantiis, aut ex fine, niſi bonitates omnes in eo concurrant, adeo ut ſi aliqua ex parte malus ſit, totus malus dici debeat, ut tradit aperte S. Thomas *art.* 4. *ad* 3. inquiens: *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum* (quod ſcilicet bonus ſit ex objecto, & pravus ex fine, aut e contra) *deeſſe aliam. Et ſecundum hoc contingit, actionem, quæ eſt bona ſecundum ſpeciem ſuam, vel ſecundum circumſtantias ordinari ad finem malum, vel e converſo. Non tamen eſt actio bona ſimpliciter, niſi omnes bonitates concurrant: quia quilibet ſingularis defectus cauſat malum: bonum autem cauſatur ex integra cauſa.* Quod & confirmat q. 19. art. 7. ad 2.: *Voluntas non poteſt dici bona, ſi ſit intentio mali cauſa volendi. Qui enim vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam conſequendam, vult id, quod de ſe eſt bonum ſub ratione mali: & ideo, prout eſt volitum ab ipſo, eſt malum.*

Qua-

Quare hoc ſenſu duntaxat vera dici poteſt aliquorum Authorum, qui contra ſentiunt, opinio, quod nempe contingat aliquando, ut in elicientia bonorum actuum alii actus immiſceantur, qui pravi ſint, ſed non afficiant actum bonum, adeoque neque corrumpant; ſed unum eumdemque actum repugnat ſimul eſſe bonum, & malum.

§. III.

De moralitate actuum indifferentium.

IX. Verum ad aliam magni momenti quæſtionem convertamus animum, de qua S. Thomas pertractat tum 8. tum 9. *art.* hujus quæſtionis 18. ſpectatque actus indifferentes. Et quidem admittendos eſſe actus indifferentes ſecundum ſpeciem ſuam, qui nempe, ſpectato eorum objecto, nec boni ſint, neque mali, hac eleganti ratione oſtendit, nimirum „ Actus humanus, qui dicitur mo„ ralis, habet ſpeciem ab objecto relato ad prin„ cipium actuum humanorum, quod eſt ratio. „ Unde ſi objectum actus includat aliquid, quod „ conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſe„ cundum ſuam ſpeciem, ſicut dare eleemoſynam „ indigenti. Si autem includat aliquid, quod re„ pugnet ordini rationis, erit malus actus ſecun„ dum ſpeciem, ſicut furari, quod eſt tollere alie„ na. Contingit autem, quod *objectum actus non* „ *includit aliquid pertinens ad ordinem rationis*, „ ſicut levare feſtucam de terra, ire ad campum, „ & hujuſmodi: *Et tales actus ſecundum ſpeciem* „ *ſuam ſunt indifferentes* “.

X. Sed tametſi hoc verum ſit, ſi tamen humani actus conſiderentur *in individuo*, ſive quatenus ab homine fiunt, conſtans eſt S. Thomæ, & Thomiſtarum omnium, quemadmodum & meliorum quorumque Theologorum ſententia, nullum actum, qui ex deliberata ratione procedit, eſſe indifferentem, ſed aut moraliter bonum, aut moraliter malum. Dico *actum ex deliberata ratione procedentem*, ſive deliberatum, & humanum. Qui enim non ex ratione deliberante proveniunt, ſed vel ex quadam imaginatione, aut impulſu naturali, ut motio pedis, vel manus, fricatio barbæ &c. nemo negat nec bonos, nec malos eſſe moraliter, cum nec ipſi actus humani ſint, ac morales. Hæc autem S. Thomæ ſententia pluribus nititur, iiſque graviſſimis momentis, quorum aliqua attingam.

XI. Et primum quidem repetitur ex celebri auctoritate Chriſti Domini apud Matth. 12. ita dicentis: *Omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Ex quibus ſic argumentum conficio: De omnibus deliberatis factis in die Judicii æque oportet nos rationem reddere, ſive ut juſtificemur, ſive ut condemnemur, ac de omnibus deliberatis verbis. Sed de omnibus deliberatis verbis in ordine ad juſtificationem, aut condemnationem reddenda nobis ratio eſt coram ſupremo Judice. Nulla igitur ſive facta, ſive verba *in individuo* indifferentia ſunt, ſed omnia vel bona; vel mala. Si qua enim in individuo indifferentia eſſent ad bonitatem, vel malitiam, ad juſtificationem, vel condemnationem, forent *otioſa* verba. Quid namque verbi *otioſi* nomine intelligendum venit, aut intelligunt Eccleſiæ Patres? Haud certe, ut apud Valentiam conſtat hic *diſp.* 2. *quæſt.* 13. *p.* 6. verbum ex ſe, aut natura ſua malum, nocivum, mendax, blaſphemum, impium &c., prout Juniores aliqui interpretantur. Siquidem nullam vim haberet argumentum, quo eo loco ex verbo otioſo probat Chriſtus Dominus potiori titulo reddendam eſſe in die Judicii rationem de verbis nocivis, mendacibus, detractoriis &c., quibus Phariſæi ipſum calumniabantur. Hinc S. Ambroſius ita arguit lib. 1. Offic. c. 2. *Si pro otioſo verbo ratio poſcitur, quanto magis pro ſermone impietatis, & blaſphemiarum?* Vel ut S. Bernardus ſerm. de tripl. cuſt.: *Si de omni vel otioſo verbo &c. Deo ſunt homines reddituri rationem &c. quanto diſtrictius de verbo mendaci, & injurioſo &c. Si de verbis otioſis ratio redditur ad pœnam, quanto magis de operibus?*

XII. Quodnam ergo *otioſum* verbum exiſtimandum eſt? Iidem Sancti Patres nobis declarant illud eſſe, quod non refertur ad aliquem bonum finem. *Otioſus eſt*, inquit Origenes hom. 1. in Pſal. 28., *qui neque boni, neque mali aliquid agit. Otioſum verbum eſt*, ſubdit S. Hieronymus in cap. 4. epiſt. ad Epheſ., *quod non ædificat audientes, ut ſi omiſſis ſeriis, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Omne verbum*, ait S. Baſilius in Reg. ad inter. 23., *quod ad propoſitum in Domino uſum non ſervit, otioſum eſt. Otioſum verbum eſt*, illud perſpicue definit S. Greg. Magn. Hom. 6. in Evang., *quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret*; adeo ut pro fine quidpiam non habeat ad ædificationem. Immediate namque ſubjicit: *Otioſa ergo colloquia ad ædificationis ſtudium vertite.* S. quoque Bernardus tract. de Vita ſolit. *Quicunque*, ait, *quodcumque agit, & non propter hoc agit, ut Deo ſerviatur, in eo, quod agit, otiatur.* Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 132. *art.* 1. docet, *appetitum gloriæ* non relatum ad gloriam Dei, vel ſalutem proximi *vanum* eſſe, atque adeo peccaminoſum, inquiens: *Poteſt gloria dici vana tripliciter . . . Tertio modo ex parte ipſius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ ſuæ non refert in debitum finem puta ad honorem Dei, vel proximi ſalutem.* Hinc etiam generatim in 1. *diſt.* 1. *q.* 3. *ad* 3. tradit: *Actus procedens a ratione deliberata, ſi eſt referibilis in Deum, & non refertur, vanus eſt, & otioſus.* Concludendum igitur ex laudata Evangelii ſententia invicte probari, nullum actum, aut verbum ex deliberata ratione profectum indifferens eſſe, ſed aut bonum, aut malum, prout eſt ejuſdem finis.

XIII. Atque in hoc præcipue conſiſtit ratio, qua S. Thomas in hoc *art.* 9. efficaciter probat poſitam aſſertionem, quam, cum clariſſima ſit, juvat ejuſdem verbis afferre: „ Ideo, inquit, „ actus, qui alias indifferens eſt ſecundum ſpe„ ciem

„ ciem ſuam, tamen eſt bonus, vel malus in individuo conſideratus; quia actus moralis non „ ſolum habet bonitatem ex objecto, a quo habet „ ſpeciem, ſed etiam ex circumſtantiis, quæ ſunt „ quaſi quædam accidentia: ſicut aliquid convenit „ individuo hominis ſecundum accidentia individualia, quod non convenit homini ſecundum „ rationem ſpeciei. Et oportet, quod quilibet „ individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. „ Cum enim rationis ſit ordinare, actus a deliberativa ratione procedens, *ſi non ſit ad debitum* „ *finem ordinatus*, ex hoc ipſo repugnat rationi, „ & habet rationem *mali*. *Si vero ordinetur ad* „ *debitum finem*, convenit cum ordine rationis; „ unde habet rationem *boni*. Neceſſe eſt autem, „ quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde neceſſe eſt, omnem actum „ hominis a deliberativa ratione procedentem in „ individuo conſideratum bonum eſſe, vel malum “.

Subdit autem appoſite, ut mentem ſuam, ac veritatem amplius manifeſtet, quod initio jam notavimus: *Si autem actus non procedit a ratione deliberativa, ſed ex quadam imaginatione: ſicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem, talis actus non eſt proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione. Et ſic erit indifferens, quaſi extra genus moralium actuum exiſtens*.

XIV. Alia plura in eamdem rem proferre argumenta poſſem, quæ lubens prætermitto. Sed illud præterire nefas, quod ſumitur ex duabus propoſitionibus ab Eccleſia proſcriptis in Decreto Innocentii XI., quarum prima in ordine *octava* eſt: *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Altera vero in ordine nona ſic effert: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Attentius quæſo hujuſmodi proſcriptæ propoſitiones perpendantur. Eæ profecto damnatæ non ſunt ob aliquam immoderatam voluptatem, ſive in comeſtione, ſive in opere conjugali quæſitam: quoniam nemo Theologorum eſt, qui docuerit, comeſtionem, & conjugalem voluptatem immoderatam, aut intemperantem omni etiam veniali culpa carere: ac præterea in damnatis ipſis propoſitionibus ne umbra quidem hujuſce *immoderationis* apparet. Conſtat enim in illis ſermonem eſſe duntaxat (nec Doctores, qui eas docuerunt, aliud voluere) de comeſtione, & conjugio exercito ob ſolam voluptatem, in hac ſiſtendo, nec ad alium finem honeſtum rationi convenientem hæc opera dirigendo. Excludebant quippe earumdem Authores nocumentum omne, quod cibus, & potus afferre poſſunt valetudini, ſi immoderate ſumantur; tunc enim & ipſi venialem ſaltem culpam in iis agnoſcebant; & rationem afferebant doctrinæ ſuæ: *Quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Si ergo nihilominus damnatæ ab Eccleſia fuerunt, jam ſola voluptas in his actionibus percepta, & quæſita damnabilis judicata eſt, *nec licet appetitui naturali ſuis actibus frui*, quin eos referat in altiorem finem, & homine dignum. Porro ſi in hiſce actibus non relatis in finem honeſtum culpa aliqua admittenda eſt, eadem procul dubio militat ratio de cæteris quibuſcumque actibus, ſi in eis ſiſtat homo, nec referat in honeſtum finem: adeoque nullus actus deliberatus indifferens eſt, ſed aut bonus, aut malus: bonus, ſi referatur; malus, ſi non referatur.

XV. Præceptum itaque eſt, illudque naturale, ſive in primis principiis homini inditis fundatum, ut quoties homo deliberate agit, agat ut homo, ſive ob finem rationi convenientem, qui alius non eſt præter honeſtum. Et quamvis præceptum hocce affirmativum ſit, ſemper tamen obligat, quoties deliberate agimus, quia univerſale eſt pro actionibus omnibus; adeoque includit *negativum*, quo prohibetur quidpiam agendum eſſe, niſi juxta rationem, aut finem homine ratione prædito dignum. Quoniam vero adverſarii, ut hoc præceptum naturale referendi actus noſtros in finem honeſtum eludant, argumentum deſumere ſolent ex eo, quod nullum ſit præceptum eoſdem referendi in finem ſupernaturalem, ſive in ipſummet Deum; ideo aliam quæſtionem hic adnectendam exiſtimo, deque hoc alio præcepto quidpiam decernendum.

§. IV.

De obligatione referendi actus humanos in ultimum finem, nempe Deum, diſſeritur.

XVI. Omnes ferme Theologi, quibuſdam exceptis laxioris Ethices patronis, conveniunt in doctrina hactenus tradita de obligatione, qua obſtringimur, referendi actiones quaslibet noſtras, dum deliberate agimus, in aliquem honeſtum finem, ex quo bonæ ſunt, adeo ut, ſi nullo modo in eum referantur, malæ ſint, & aliqua ſaltem veniali culpa infectæ. Sed non omnes aliam obligationem referendi eaſdem in finem ultimum Deum agnoſcunt; putantque plures ex iis ſatis eſſe, ut in Deum ſint *referibiles*, ſive quod hujuſmodi ſint, ut in Deum referri poſſint, quamvis ab agente non referantut nec *actualiter*, nec *virtualiter*: atque hanc ſententiam docet etiam P. Daniel Concina *de Charit.* agens *in primum Decal. præceptum*; quamquam alibi de ejus veritate ſubdubitanter loquatur. Sed alii permulti ſunt, ſin numero, authoritate, meo facile judicio, potiores, qui contendunt haud ſufficere, ut actus noſtros referamus in finem honeſtum, adeoque ſint ſolummodo in Deum *referibiles*; ſed obligationem ulterius eſſe, ut eos in finem ultimum, Deum ſcilicet, actu vel virtute referamus ex aliquo amore erga ipſum, aut ex charitate ſaltem, quam vocant *juſtificante minorem*, quamque admittendam omnino eſſe alibi manifeſtum fiet. Atque hanc ſententiam præter plures ex antiquis Theologis, quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, tradunt diſertiſſime plures Catechiſmi in Eccleſia probatiſſimi, & ipſe Catechiſ-

mus

mus Romanus, ſive Tridentini Concilii *p.* 4. *c.* 13.; tradunt duo Duacenſis Academiæ ſplendidiſſima lumina, Æſtius, & Sylvius; tradit Heſſelius, Steyartius, ac tota Lovanienſis Theologica Facultas, quæ hanc doctrinam examinandam detulit per Deputatos ſuos SS. Domino Innocentio XI. anno 1677. his verbis conceptam art. 2. *Vocem* charitas, *tametſi aliqui Scholaſtici accipiant pro ſola illa Dei Dilectione, quæ eſt noſtra cum eo per peccatorum remiſſionem amicitia, S. Auguſtinus, & alii Patres eam ſumere ſolent pro quavis ſupremi boni caſta propter ſe dilectione;* quaſi vero, *inquit Auguſtinus*, aliud ſit bona voluntas, quam charitas: Et art. 5. *Omne opus ut plene bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere, ac per ipſam referri in Dominum Deum.... attamen iſta relatio per charitatem perfectam fieri non debet, ſed ſufficit fieri per charitatem imperfectam..... neque neceſſaria eſt relatio actualis; ſed ſufficit, quod virtualiter in Deum referatur.* Cumque hæc doctrina in Sacra Congregatione ad examen deducta fuiſſet, ac diligenter diſcuſſa, nullam omnino cenſuram paſſa eſt. Eamdem tradidit etiam Univerſitas Theologiæ Pariſienſis anno 1717. aperte docens: *Neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti referre in Deum tanquam in ultimum finem actiones humanas nedum interpretative, ſed etiam actualiter, aut ſaltem virtualiter.*

XVII. Præter hos, alioſque egregios Theologos ſententiam hanc perſpicue docuerunt Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Joannes Epiſcopus Caſtorienſis, Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis, Antonius Godæus Epiſcopus Graſſenſis, Ludovicus Epiſcopus Agennenſis, Daniel Epiſcopus Valentinus, & (ut alios plures omittam) Franciſcus Genettus in ſua Theologia Summo Pontifici Clementi XI. dicata, & a S. Palatii Apoſtolici Magiſtro Raymundo Capiſuchio ſpecialiter approbata. Cumque doctrinam hanc *de relatione operum in Deum*, *Apologia Caſuiſtarum* tamquam erroneam traduxiſſet, ac in Bajo damnatam, plures Galliarum Epiſcopi hac inter alias de cauſa hujuſmodi librum proſcripſere, quem etiam proſcripſit, ac prohibuit Alexander VII.

XVIII. Huic ſententiæ ego quoque lubens accedo, eamque defendo tamquam ſacris Libris, & Patrum doctrinæ conformiorem, & doctrinæ etiam S. Thomæ, quos ille fideliſſime ſequutus eſt. Sed illam manifeſtius in primis declaro, ne ullus in ejus intelligentia error ſubrepat, & omnis æquivocatio de medio tollatur. Itaque illud primum animadverto, duplex præceptum charitatis juxta germanam S. Thomæ doctrinam diſtinguendum eſſe: alterum, quo Deum ſuper omnia efficaciter, ac perfecte diligamus, noſque omnes, & opera noſtra in ipſum referamus, quod a præcepto charitatis non diſtinguitur; & hoc præceptum obligat ſub peccato lethali: ſed quia *affirmativum* eſt, licet *ſemper* obliget, non obligat tamen *pro ſemper*, ſed pro certis temporibus, & circumſtantiis, in quibus, ſi hunc dilectionis actum omittimus, lethaliter delinquimus, prout modo certiſſimum eſt poſt damnationem ab Eccleſia factam plurium propoſitionum hanc materiam ſpectantium; de qua nos agemus primum Legis divinæ præceptum explicantes. Verum aliud præceptum charitatis, ſive amoris Dei, & relationis in ipſum noſtrarum actionum admittimus, & admittendum putamus, quod tametſi *affirmativum* dici queat, *negativum* tamen involvit, adeoque obligat *ſemper*, & *pro ſemper*, non quidem ſub lethali, ſed ſub veniali culpa; ut nempe nihil deliberate operemur, quin illud in Deum referamus, tamquam in ultimum finem noſtrum: quod non ſine aliquo Dei amore ſaltem imperfecto fieri poteſt: atque hæc relatio neceſſe non eſt, quod *actualis* ſit, ſed ſatis eſt *virtualis*, eo modo, quo plura agimus propter finem, licet de ipſo actu non cogitemus. Audiamus S. Thomam *in* 2. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. ita rem hanc explicantem. „ Ad hoc „ quod alicujus actionis finis ſit Deus, vel cha„ ritas, non oportet, quod agendo illam actio„ nem aliquis de Deo, vel charitate cogitet: „ nec iterum ſufficit, quod aliquis *habitu* tantum „ Deum, vel charitatem habeat: Quia ſic etiam „ actum venialis peccati aliquis in Deum or„ dinaret, quod falſum eſt. Sed oportet, quod „ prius fuerit cogitatio de fine, qui eſt chari„ tas, vel Deus, & quod actiones ſequentes in „ hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo „ iſtius ordinationis in actionibus ſequentibus „ ſalvetur, ut patet in artifice, qui ſi, dum o„ pus exercet, ſemper de regula artis cogitaret, „ multum in opere impediretur: ſed, ſicut prius „ excogitavit per regulas artis, ita poſtmodum „ operatur: & ſic in opere ejus rectitudo artis „ ſalvatur ": Hac ipſa explicatione intelligo ego intentionem, ſive relationem actuum noſtrorum in finem ultimum Deum, dum opus tale eſt, ut in ipſum referri valeat, nempe *moraliter bonum*. Hæc autem relatio ſi deſit, bonum quidem erit opus ex officio, ſed tamen comitem habebit aliquam omiſſionem venialiter culpabilem, quæ non afficit opus, ſed operantem, qui deberet opus ipſum referre in Deum ultimum finem.

XIX. Hæc ſententia ſic expoſita, ut jam dixi, conformior eſt tum Sacræ Scripturæ, tum Eccleſiæ Patribus. Ex Scriptura duos tantum textus profero, aliis prætermiſſis. Prior ſumitur ex iis Apoſtoli verbis, quæ habentur 1. ad Corinth. c. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Plana ſunt, atque perſpicua hujuſmodi verba. Omnes actus noſtros comprehendunt, nullumque prorſus excipiunt, ut conſtat tum ex eo, quod Apoſtolus ait: *Sive aliud quid facitis*, tum ex verbo *omnia*; tum ex eo, quod, ſi vult, ut etiam eſum, & potum, quæ ſunt actiones infimæ, & animalium propriæ, referamus in Deum, multo magis referendæ erunt aliæ quæcumque actiones nobiliores, & homini convenientes. Omnes igitur humanos actus jubet Apoſtolus, ut *in gloriam Dei faciamus*. *Jubet*, inquam, non merum conſilium præbet, ut contendunt adverſarii. Nam primo verbum *facite* imperativum

tivum eſt, quod, dum materia patitur, & locutionis circumſtantiæ non obſtant, obvie, & litteraliter imperium, ſeu præceptum denotat, nec niſi violenter ad merum conſilium detorquetur.

Deinde textus antecedentes, & conſequentes ſatis coarctant verbum *facite* ad imperium. Nam in contextu immediate antecedente prohibet Apoſtolus cum infirmorum fratrum ſcandalo idolothyta comedere; & in immediate ſubſequente jubet, ſine offenſione eſſe Judæis, Gentibus, & Eccleſiæ Chriſti: adeoque & textum intermedium eodem modo imperativo accipere par eſt: *Sive ergo manducatis, ſive &c.*; qua voce *ergo* ſignificatur, documentum iſtud inferri ex textu præcedente, qui de præcepto loquitur.

XX. Tertio textum hunc ita interpretantur Eccleſiæ Patres. Baſilius *in Reg. fuſ. inter.* 5. ait: „ *Chriſtianus*, ſi actiones ſuas omnes, ſive majo- „ res, ſive minores ad Dei voluntatem direxerit „ &c. Apoſtoli *præcepto* illi ſatisfacit: *Sive man-* „ *ducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis,* „ *omnia in gloriam Dei facite* “. Juxta quod tota Eccleſia Græca in quadam Oratione publica relata a Goario in ſuo Euchologio Deum ita precatur: *Domine, qui per Apoſtolum tuum Paulum omnia in gloriam tuam nos facere præcepiſti &c.*

Origenes *lib.* 10. *in Epiſt. ad Rom.* ad illa verba: *Omne, quod non eſt ex fide &c.* ſcribit: *Sive quid geſſeris ſine fide, ſive loquutus fueris, ſive etiam cogitaveris, peccas. Hoc idem eſt, quod in aliis dicit:* Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Hieronymus epiſt. ad Cteſiphont. in Pelagium ſic inſurgit: *Audi, ingrate; imo ſacrilege: Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

S. Auguſtinus in eundem ſenſum ſæpe accipit Apoſtoli verba, ita ut de ejus mente omnino dubitare nefas ſit. S. Maximus hom. 2. *De gratiis Deo &c.* ait: *Chriſtianus ſemper debet Patri, ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait B. Apoſtolus: Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* S. Bernardus ſerm. 2. *de diverſis*, & ſerm. 3. de Obedient. *Quidquid facimus*, inquit, *jubemur facere in gloriam Dei.*

Ut alios omittam, ſatis ſit afferre explicationem hujus textus Paulini non in uno loco allatam a S. Thoma, qui ſenſum germanum Apoſtoli, ac cæterorum Patrum complexus eſt. *In Diſput. q. unic. de Charit. art.* 11. *ad* 1. primum exponit ſenſum præcepti referendi omnia in Deum, aitque: *Omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita: ſicut non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo cogitetur . . . Sed quod omnia virtute referantur in Deum, pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam tenemur.* Et explicata hac relatione virtuali exemplo Medici colligentis herbas ad ægri ſalutem procurandam, ſubdit: *Sic igitur, cum aliquis ſe ordinat in Deum ſicut in finem, in omnibus, quæ propter ſe ipſum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus eſt. Hoc igitur modo præcipit Apoſtolus, quod omnia in gloriam Dei referantur.*

Eadem habet *lect.* 10. *in cap.* 10. *Epiſt.* 1. *ad Corinth.* exponens laudata Apoſtoli verba: *Sive manducatis, ſive bibitis &c.* docens, quod Apoſtolus *primum inducit actum multiplicem, ſive manducatis, ſive bibitis &c.* ſecundo perſuadet *intentionem debitam, omnia in gloriam Dei facite. Debitam* ergo aſſerit S. Thomas hanc intentionem, quam ſubinde fuſius in ſequentibus exponit, & confirmat. Demum & hunc textum S. Doctor deſignat 2. 2. *quæſt.* 29. *art.* 1. dum ait: *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere*, ut patet 1. Corinth. c. 10. Liquet ergo apertiſſime laudatum Apoſtoli ſenſum ex Patrum conſenſione perperam explicari ab aliquibus Theologis, ac ſi merum conſilium, non autem præceptum contineret.

XXI. Non abſimilis huic, nec abſimiliter intelligendus eſt alius ejuſdem Apoſtoli textus, quem habet *Cap.* 3. ad Coloſſenſ. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In cujus commentario *lect.* 3. ſcribit S. Thomas: *Quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium; ſed hoc non eſt verum.* Quod ſi dicas, hinc conſequi peccare mortaliter, qui facit contra præceptum, negat S. Doctor conſequentiam: quia *venialiter peccans non facit contra hoc præceptum ſimpliciter*, ſcilicet contra finem præcepti. Nam iu ſenſu S. Doctoris, ac Veterum ſolus ille, qui lethaliter peccat, facit *contra* præceptum; qui autem venialiter, facit *præter præceptum.*

Poſſem hic ſubnectere aliorum Doctiſſimorum Interpretum ſententias ad eamdem confirmandam hujus Apoſtolici textus, aliorumque explicationem. Verum brevitatis cauſa authoritatem tantummodo proferam Alphonſi Salmeronii celeberrimi ex Societate Scriptoris, qui Concilio Tridentino interfuit. Is laudatum textum ad Coloſſenſes exponens ſic ait: „ *Omne quodcumque facitis* „ *in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini* „ *facite*, præceptum generale eſt, omnibus fidem „ Evangelicam profitentibus datum, ita ut, ſi ſe- „ cus fecerint, a mandatis declinent. Nam ſervi „ Dei ſumus, tanto pretio redempti, ut prompte „ ad voluntatem Dei exequendam teneamur. Non „ tamen ad hæc ſemper *actu* præſtanda (ob imbe- „ cillitatem mentis noſtræ, ac naturæ) *obligamur*; „ ſed ſatis eſt *habitu*, aut (ut *meliores* Theologi „ docent) *virtute*, etſi non actu, hæc præſtare, „ ut nulla ſit actio, quam non velimus in gloriam „ Dei cedere. Apoſtolus dixit alio loco: *Sive* „ *manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis,* „ *omnia in gloriam Dei facite.* Ubi etiam actiones „ craſſas, & humanas comedendi, & bibendi, & „ opera generationis præſtandi, per illud verbum: „ *Vel aliud quid facitis*, Apoſtolus comprehendit ... „ Igitur Apoſtoli doctrina nullum admittit me- „ dium inter opus meritorium, & demeritorium. „ Et intelligo in actione humana, & *deliberata*. „ Et cur grati eſſe jubemur Deo, & diligere Deum „ ex toto corde, anima, & mente, *quomodo non* „ *aliquod erit peccatum* ſi *omnia* opera noſtra in „ gloriam ejus non referamus “?

Sed

Sed & alius Apoſtoli textus non eſt omnino prætereundus, deſumptus ex 1. ad Corinth. cap. 16. *Omnia veſtra in charitate fiant*. Quod enim aliud hiſce verbis ſignificat? niſi, *Omnia referri debent ad finem charitatis*, *ut ſcilicet fiant propter Deum*, quemadmodum exponit S. Thomas *lect.* 3. in eum locum; ubi certe nullum actum Apoſtolus excipit, nullam adhibet limitationem ad certa tempora, aut circumſtantias, quibus hoc faciendum ſit. Atque ipſe S. Auguſtinus *de Corr. & grat.* expreſſe præceptum ita accipiendum docet, dum ait: *Præcipit Apoſtolus dicens: Omnia veſtra in charitate fiant*. Quod & contextus prorſus exigit. Sic enim legitur: *Vigilate*, *ſtate in fide*, *viriliter agite: omnia veſtra in charitate fiant*. Vigilare autem, & viriliter agere quis neget eſſe præceptum? Plures alios Scripturæ textus fas eſſet afferre; ſed cui hæc non ſufficiunt, nec plane alii ſufficient.

XXII. Teſtimonia Patrum omnium hic contexere minime lubet, ne nimius ſim: quæ namque laudavimus in confirmationem Apoſtolici ſenſus ſatis abunde ſunt. Solum proinde pauliſper immorabor in doctriaa D. Thomæ ex Patribus procul dubio eruta amplius confirmanda; utpote quod ex ipſa fundamentum hujuſce ſententiæ præcipuum depromitur. Itaque principium, ac doctrina S. Thomæ, quam tradit tum hac *prima ſecundæ* tum aliis in locis, hæc eſt; quod ſicut Deus eſt ultimus finis hominis, ita in hunc finem dirigenda ſit omnis actio hominis operantis, prout homo eſt, ſive ex deliberatione rationis, atque adeo nunquam bona ſit voluntas humana, niſi tendat in hunc ultimum finem, ſicuti docet 1. 2. *q.* 19. *art.* 9. & *art.* 10. ubi ait: *Non eſt recta voluntas alicujus hominis volentis aliquod bonum particulare*, *niſi referat illud in bonum commune*, *ſicut in finem*, qui alius non eſt niſi Deus. Atque hinc *quæſt.* 21. *art.* 4. ubi quærit, *Utrum actus humanus habeat rationem meriti*, *vel demeriti apud Deum*, conſiderando meritum, & demeritum abſolute, & in genere, non prout vitæ æternæ, hæc ſcribit: *Utroque modo actus noſtri boni*, *vel mali habent rationem meriti*, *vel demeriti apud Deum*. *Ratione quidem ipſius*, *in quantum eſt ultimus hominis finis*. *Eſt autem debitum*, *ut ad finem ultimum omnes actus referantur*, *ut ſupra habitum eſt &c.* nempe *art.* 10. mox citato. Ex quo ſubinde in *Reſp. ad* 3. colligit diſcrimen inter ordinem, quem habet homo agens, ad Communitatem, & ad Deum, inquiens: „ Dicendum, quod homo non ordina„ tur ad Communitatem politicam ſecundum ſe „ totum, & *ſecundum omnia ſua*: & ideo non „ oportet, quod quilibet actus ejus ſit meri„ torius, vel demeritorius per ordinem ad Com„ munitatem politicam. Sed *totum* (N. B.) „ *quod homo eſt*, & *quod poteſt*, & *habet ordinandum eſt ad Deum*. *Et ideo omnis actus* „ *hominis* bonus, vel malus habet rationem „ meriti, vel demeriti apud Deum, quantum „ eſt ex ipſa ratione actus “. Hæc ex Sancto Thoma deducta ratio, & verbis ejuſdem firmata, plane apodictica pro noſtra ſententia mihi videtur.

XXIII. At non minus firma æſtimanda eſt hęc altera ratio, in ipſa fundata doctrina ab Adverſariis communiter probata. Conſentiunt ipſi nimirum (qui enim diſſentiunt, ne quidem curandos exiſtimo) nullos actus deliberatos in individuo eſſe indifferentes, ſed omnes bonos eſſe, vel malos: idque eo maxime fundamento nixi, quod ordo ipſe naturalis ab homine exigat, ut omnia opera ſua referat in finem honeſtum rationi humanæ convenientem. Si ergo in hunc finem referat homo actus ſuos, hi *boni* erunt; ſi autem non referat, *mali*. Conſentiunt etiam in hac alia doctrina, humanum ſcilicet genus elevatum fuiſſe in Adamo ad ordinem ſupernaturalem, gratiæ videlicet, & gloriæ in clara Dei viſione poſitæ. His autem conſtitutis principiis ſic arguere licet. Si homo *in ordine naturali* conſideratus tenetur ſuas actiones dirigere in finem naturaliter honeſtum; cur idem homo conſideratus *in ordine ſupernaturali*, ad quem Dei munere elevatus eſt, non tenebitur dirigere eaſdem actiones ſuas ad finem ultimum Deum totius ordinis naturalis, ac ſupernaturalis principium, & complementum? Nonne ſi juxta adverſarios obligatio eſt homini indita a principiis naturæ referendi actus ſuos in honeſtum finem, & homini, ut homo eſt, ſive particeps rationis, convenientem; obligatio quoque, ſaltem ſuperaddita, erit homini elevato ad ordinem ſuperiorem gratiæ, & gloriæ, ut opera ſua referat in finem huic ordini congruentem, qui certe alius non eſt, niſi Deus Naturæ author, & gloriæ? Atque huc conſpirant ea Scripturæ teſtimonia, quæ de hac vocatione loquuntur, ac redemptione humani generis peracta per Chriſtum Jeſum. Sic enim 1. *Petr.* 1. dicitur: *Secundum eum*, *qui vocavit nos*, *ſanctum & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis*. 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, *ut & qui vivunt*, *jam non ſibi vivant*, *ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*; & alia id genus ſatis obvia, quæ nos urgent, ut ſemper agamus opera vocatione noſtra digna, & tanquam filii Dei, & hæredes æternæ gloriæ omnia penitus ad Dei noſtri honorem, & gloriam referamus.

XXIV. Verum obſtrepunt ex adverſo plures, ajuntque ſententiam, quam defendimus, Bajaniſmi, ac Janſeniſmi fuligine tinctam eſſe, & ab Apoſtolica Sede jam damnatam, dum proſcripſit eam Baji propoſitionem ordine 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas*, *qua mundus diligitur*, *aut laudabilis illa charitas*, *qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*; ſicut & aliam, qua aſſeritur: *omnia Infidelium opera eſſe peccata*: utraque enim conſequi videtur ex ſententia noſtra.

Verum ad has objectiones, ne in iis refellendis diutius detineamur, reſpondere ſatis eſſet, eas jam fuiſſe propoſitas adverſus Lovanienſes Doctores, & poſt ſeverum examen ipſorum, noſtræque ſententiæ, nullam hunc paſſam eſſe cenſuram ſive *Bajaniſmi*, ſive *Janſeniſmi*, prout jam adnotavimus. Nam Bajus locutus eſt de charitate perfecta, propriaque juſtorum, quam exigebat ad quodcumque opus bonum. Noſtra autem ſententia lo-

loquitur de charitate imperfecta, ſive amore quocumque ultimi finis noſtri Dei, quo in ipſum actiones noſtras dirigimus. Deinde etiam in Infidelibus nos admittimus opera ex officio ſuo moraliter bona, ſolumque dicimus, ſi ea aliquatenus in Deum non referantur, comitem habere culpam, quæ non inficit opus, ſed operantem. Qua in re juvat referre S. Thomæ doctrinam, quam habet *in 2. diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. ubi ita ſapienter diſſerit: „ Dicendum, quod ſicut in rebus naturali- „ bus una perfectio alteri ſuperadditur, ſic ut „ quædam res habeant unam illarum, & quædam „ duas, & ſic deinceps; ita etiam in moralibus „ contingit in actu conſiderare aliquam perfectio- „ nem alii ſuperadditam, ex quarum unaquaque „ dicitur actus bonus; &, ſi aliqua illarum per- „ fectionum deſit, deerit bonitas, quæ eſt ſecun- „ dum perfectionem illam: verbi gratia, omnis „ actus, in quantum eſt actus, habet eſſentialem „ bonitatem, ſecundum quam omne ens bonum „ eſt: ſed in aliquibus actibus ſuperadditur quæ- „ dam bonitas ex proportione actus ad debitum „ objectum. Et ſecundum hoc dicitur actus bo- „ nus ex genere: Et rurſus ex debita commenſu- „ ratione circumſtantiarum dicitur bonus ex cir- „ cumſtantia; & ſic deinceps, quouſque perve- „ niatur ad ultimam perfectionem, cujus actus „ humanus eſt ſuſceptivus, quæ eſt per ordinem „ ad finem ultimum per habitum gratiæ, & cha- „ ritatis. Et ideo actus illorum, qui gratiam, „ & charitatem non habent, hoc modo bonus „ eſſe non poteſt. Et hæc eſt bonitas, ſecundum „ quam actus meritorius dicitur (æternæ vitæ). „ Sed ſubtracto poſteriori, nihilominus remanet „ prius, ut *in lib. de cauſ.* dicitur. Unde, „ quamvis ab Infidelium actibus ſubtrahatur iſta „ bonitas, ſecundum quam actus meritorius di- „ citur, remanet tamen bonitas alia vel virtu- „ tis politicæ, vel ex circumſtantia, vel ex gene- „ re “.

Ex hac S. Thomæ auctoritate maxima lux eniteſcit, ſolvendæ objectioni propoſitæ perquam idonea. Plures ille bonitates diſtinguit, quæ humano actui convenire poſſunt, inter quas alia eſt bonitas ex objecto, quam vocat bonitatem ex genere, ſive ex ſpecie: alia, quæ profluit ex circumſtantiis, in qua comprehenditur bonitas ex fine extrinſeco: alia ex habitu virtutis ab habitu charitatis diſtinctæ, quam in confuſo verbis illis deſignat: *& ſic deinceps*; eſtque bonitas, quam actus cujuslibet virtutis habet ex eo, quod procedat ex habitu virtutis, puta eleemoſyna ex virtute miſericordiæ profecta. Poſtrema demum iis verbis deſignata: *quouſque perveniatur ad ultimam perfectionem &c. Et hæc eſt bonitas, ſecundum quam actus dicitur meritorius* æterni præmii. Itaque in actibus Infidelium, ſicut etiam peccatorum nequit eſſe hæc ultima bonitas, *ſecundum quam actus meritorius dicitur*; quoniam in iis non eſt nec gratia ſanctificans, nec perfecta charitas: nihil tamen repugnat eſſe in eorum actibus bonitatem ex objecto, & ex circumſtantiis provenientem, & etiam ex ipſo fine ultimo cognito lumine naturali, adeo ut in ipſum actus ſuos referre valeant; & conſequenter non peccent: at ſemper in illis deficit ultima bonitas derivata ex gratia, & charitate habituali, qua ſola opera noſtra meritoria redduntur vitæ ſempiternæ. Atque hæc pauca de hac celebri controverſia ſufficiant. Qui plura deſiderat, conſulat plurimos Authores egregios, qui dedita opera argumentum hocce verſarunt.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa eſt Puffendorfii ſententia moralitatem actuum humanorum in* imputativitate *conſtituentis*.

II. *Non minus falluntur ii Theologi, qui moralitatem ponunt in arbitrii libertate ad agendum, aut non agendum*.

III. *Hæretica eſt opinio Lutheri, atque Calvini putantium, omnia etiam juſtorum opera peccata eſſe in ſeipſis conſiderata*.

IV. *Nullius ponderis ſunt ab iis productæ ex ſacris Litteris authoritates*.

V. *Perfecta circumſtantiarum cognitio Confeſſariis maxime neceſſaria*.

VI. *Circumſtantiæ, ut bonitatem actionibus, aut malitiam tribuant, ordinem ad humanam rationem habere debent*.

VII. *Circumſtantiæ malitiam actui non tribuunt, niſi eidem adeſſe, vel ab eo abeſſe debuerint*.

VIII. *Aliquando circumſtantiæ in ſpecie boni, vel mali actionem conſtituunt*.

IX. *Non inducunt peccatorum diverſitatem ſpecificam, niſi objectum ſpecie diverſum reſpiciant*.

X. *Licet finis actionis bonus ſit, ſi objectum, aut alia circumſtantia ſit mala, tota actio mala eſt*.

XI. *Hinc a via veritatis longe abeunt Eſcobarius, Hurtado, aliique, qui actiones ex ſe malas honeſtant intentione boni finis*.

XII. *Solido fundamento caret eorum ſententia, qui eamdem actionem ſimul bonam, & malam eſſe poſſe contendunt*.

XIII. *Plura in divino judicio tanquam* otioſa, *& culpabilia damnabuntur, quæ interdum etiam laude digna apud homines judicantur*.

XIV. *Rejiciendi ſunt nonnulli moderni Theologi, qui aliam ab ea, quam Patres tradidere, verborum, & operum otioſorum notionem ingerere moliuntur*.

XV. *Expreſſe damnata cenſenda eſt doctrina quorumdam maxime ex Societate Scriptorum, qui omni peccati labe purgant actiones plures ob ſolam voluptatem elicitas eo motivo, quod naturalis appetitus licite ſuis actibus frui poſſit*.

XVI. *Propoſitionum ab Eccleſia de hac re damnatarum ſenſum legitimum pervertit potius, quam explicet P. Dominicus Viva*.

XVII. *Non minus erronea reputanda eſt exceptio ab eodem Authore facta quorumdam actuum, quamquam ob ſolam voluptatem exerceantur*.

XVIII. *Quare generatim, & abſolute dicendum eſt in Decreto condemnationis virtualiter, & implicite contineri damnationem ſententiæ admittentis actus in individuo indifferentes*.

XIX.

XIX. *Nedum immoderatus, ſed etiam moderatus voluptatis, aut delectationis amor propter ſe quæſitæ illicitus eſt.*

XX. *Idcirco admittenda non ſunt ut veritati, & rectitudini conſentanea omnia illa motiva, quibus permulti ex recentioribus omni culpa etiam veniali purgant legitimi matrimonii uſum.*

XXI. *Peculiari vigilantia opus eſt in electione rerum delectabilium.*

XXII. *Nedum quærere minime licet propter ſe voluptatem, aut delectationem, ſed nec etiam alium finem ab honeſto diverſum.*

XXIII. *Homo Chriſtianus opera ſua efficere debet propter finem Chriſtiano homine dignum, ſive ad honorem, & gloriam Dei.*

XXIV. *Nonniſi temeritate ſumma quidam Authores damnare audent hanc doctrinam veluti erroneam, & ab Eccleſia proſcriptam.*

XXV. *Inſtruendi Fideles ſunt, & efficaciter hortandi, ut quotidie opera ſua in Dei gloriam referant.*

XXVI. *Hæc autem in Deum referibilia eſſe neceſſum eſt.*

XXVII. *Ex tradita doctrina nemo colligere debet gravari nimium, & ſcrupulis implicari fidelium conſcientias.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. FAlſa eſt ſententia Samuelis Puffendorfii, qui *lib. 2. de Jur. Nat. & Gent.* moralitatem actuum humanorum in *imputativitate* conſtituit dicens c. V. §. 3. *Formale actionis moralis conſiſtit in imputativitate, ut ita loquar, per quam effectus actionis voluntariæ agenti poteſt imputari &c.* Siquidem hæc conſequitur ad moralem actionem ſive bonam, ſive malam, eamque jam in ordine morali conſtitutam præſupponit: prius namque eſt, quod actio bona, aut mala moraliter ſit, quam quod alicui imputetur vel ad præmium, vel ad culpam, aut ad laudem, aut ad vituperationem. Unde & S. Thomas de hac proprietate actionis moralis agit *quæſt.* 22. ubi ſermonem habet *de his, quæ conſequuntur actus humanos ratione bonitatis, vel malitiæ.*

Conſectarium Secundum.

II. Falluntur etiam ii Theologi, qui moralitatem ſitam eſſe defendunt in *libertate* ad agendum, aut non agendum. Libertas etenim neceſſaria quidem eſt, ut actio moralis ſit: nam quæ neceſſario fiunt, nec bona, nec mala moraliter ſunt; adeoque illa præcedere debet tamquam fundamentum, aut conditio omnino ad moralem actum requiſita: attamen ejus eſſentia in ea poſita non eſt, ſed in ſubjectione actus ad regulas morum. Unde & invariata libertate actio eadem plures malitias induere valet ex ſola difformitate ad morum regulas, ut patet in eo, qui maritum occidit, ut adulterium cum ejuſdem uxore committat.

Conſectarium Tertium.

III. Tamquam hæretica rejicienda eſt opinio Lutheri, & Calvini aſſerentium, opera omnia etiam juſtorum in ſeipſis conſiderata peccata eſſe, & quidem etiam mortalia, quæ tamen ex Dei miſericordia ipſis non imputantur. Error iſte anathemate perculſus eſt a Synodo Tridentina ſeſſ. 6. c. 7.: *Qui dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, anathema ſit.* Et c. 25. *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque adeo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.* Quam juſte hujuſmodi opinio proſcripta fuerit, innumeris Scripturarum teſtimoniis comprobari facile poſſet.

Conſectarium Quartum.

IV. Hinc, quum Eccleſiaſ. C. 7. dicitur: *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet;* hæc verba ita nativo in ſenſu accipienda ſunt, neminem ſcilicet eſſe in hac vita mortali tam juſtum, ac ſanctum, qui bonum ſemper operetur, nec interdum peccet, aut in aliqua ſaltem venialia peccata labatur juxta illud: *Septies enim cadit juſtus.* Atque ita quoque intelligendus eſt textus Apoſtoli, ſive ab Apoſtolo relatus ad Rom. 2.: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Niſi forte textum hunc intelligere mavis juxta eam Scripturæ conſuetudinem, qua locutio univerſalis non ad omnes, ſed ad maximam hominum partem refertur; ſicut cum *ad Philip.* 2. dicitur: *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Neque enim in horum numero erat Apoſtolus ipſe, neque alii Apoſtoli juſti illius temporis, qui non *quæ ſua ſunt, quærebant, ſed quæ Jeſu Chriſti.*

Conſectarium Quintum.

V. Perfecta circumſtantiarum cognitio apprime neceſſaria Theologis eſt, ac præſertim Confeſſariis, ut populum docere valeant, quas in Confeſſione exprimere debeant, quas utile tantum ſit, & quas etiam nec exprimere oporteat, nec utile ſit, quemadmodum ſæpe contingit in circumſtantiis carnalia peccata ſpectantibus. Neceſſaria item ea cognitio eſt, ut pœnitentes docere poſſint, quinam ad reſtitutionem aliquam obſtringantur, *quid, ubi, quantum, quo loco, quo modo, quo ordine* illam exequi debeant: ut interim omittamus, quod de iis, quæ ad caſus conſcientiæ pertinent, rectum judicium fieri nequeat abſque notitia, & diſtinctione circumſtantiarum, quemadmodum nec ſana præberi conſilia.

Conſectarium Sextum.

VI. Circumſtantiæ, ut bonitatem, aut malitiam humanæ actioni tribuant, tales eſſe debent, ut ali-

aliquem ordinem habeant ad rationem humanam, prout hæc ordinatur ad ultimum finem; cum, ut ait S. Thomas, *bonitas actuum ſit, in quantum ſunt utiles ad finem*, atque adeo prout ei proſunt, vel obſunt in ordine ad finem. Quapropter circumſtantiæ, quæ impertinenter ſe habent ad finem, nihil bonitatis addunt, aut malitiæ moralis humanis actionibus; ut ex. gr. quod quis eleemoſynam contulerit hora ſexta, vel octava, vel quod alium occiderit feria ſecunda, vel tertia &c.

Conſectarium Septimum.

VII. Requiritur etiam ut plurimum, quod circumſtantiæ debeant adeſſe, ut actui bonitatem, vel malitiam tribuant: quod ita explicari poteſt. Ut actio moralis mala ſit, oportet, quod circumſtantia, ob cujus abſentiæ defectum actio mala eſt, debuerit adeſſe, ac ſufficit vel unam deeſſe circumſtantiam ex his, quæ ex præcepto adeſſe debebant. Ut autem actio ſit bona, non ſufficit, quod habeat ſolas circumſtantias ex præcepto debitas, ſed neceſſum eſt, ut omnes omnino habeat, quæ ad actionem ipſam, aut ejus objectum pertinent. His vero ſi aliqua alia circumſtantia adjungatur, quæ non ex præcepto debita ſit, ſed tamen abſolute bona, hæc bonitatem aliquam addere poterit; ſed ejus abſentia nullam addet malitiam.

Conſectarium Octavum.

VIII. Etſi bonitas, aut pravitas ſpecifica actionis humanæ deſumatur ex objecto; aliquando tamen etiam circumſtantia conſtituit moralem actum in ſpecie boni, vel mali. Ita D. Thomas hic *quæſt.* 18. *art.* 10. Et ratio eſt, quia ſpecies moralium actuum conſtituuntur ex formis, prout ſunt a ratione conceptæ, hoc eſt ex objectis, ſeu conditionibus objectorum per ſe habentibus convenientiam, aut repugnantiam ad rationem. Atque adeo quotieſcumque aliqua circumſtantia reſpicit ſpecialem ordinem rationis, ſive ſit conformis, ſive diſſentanea huic ordini, tribuit ſpeciem actui morali vel bono, vel malo. Sic *locus* circumſtantia quædam eſt: ſed quia ratio præcipit non eſſe inferendam injuriam loco ſacro, idcirco furtum in loco ſacro commiſſum ſpecialem malitiam tribuit furto, a malitia furti diverſam. Atque hæc doctrina tamquam dogma catholicum tenenda eſt, cum in ſacro Concilio Tridentino definitum ſit, circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant, Confeſſioni Sacramentali ſubjiciendas eſſe.

Conſectarium Nonum.

IX. Circumſtantiæ non inducunt peccatorum ſpecificam diverſitatem, niſi quando motivum, aut objectum ſpecie diverſum reſpiciunt, aut important. Id declarat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 53. *art.* 2. *ad* 3. reſpondens cuidam argumento ex eo deſumpto, quod peccata contingant ſpecie diverſa, quoties *circumſtantiæ virtutum corrumpantur*, his verbis: „ Dicendum, quod quando corruptio „ diverſarum circumſtantiarum habet idem moti- „ vum, non diverſificantur peccati ſpecies, ſicut „ ejuſdem ſpeciei eſt peccatum, ut aliquis acci- „ piat non ſua, & ubi non debet, & quando „ non debet. Sed ſi ſint diverſa motiva, tunc eſ- „ ſent diverſæ ſpeciei; puta, ſi unus acciperet, „ ubi non deberet, ut faceret injuriam loco ſa- „ cro, quod faceret ſpeciem ſacrilegii; alius, „ quando non debet, propter ſolum ſuperfluum „ appetitum habendi, quod eſſet ſimplex avari- „ tia. Et ideo defectus eorum, quæ requirun- „ tur ad prudentiam, non diverſificant ſpecies, „ niſi quatenus ordinantur ad actus rationis “. Sed de his alibi latius.

Conſectarium Decimum.

X. Sicut ſi actio bona ex objecto, & aliis circumſtantiis mala eſt, ſi in malum finem ordinetur, puta eleemoſyna debito loco, & tempore erogata, ſed in finem vanæ gloriæ ordinata; ita ſi finis, ad quem actio refertur, bonus ſit, objectum autem, aut circumſtantiæ ſint pravæ, tota erit actio mala, ex illo generali Sancti Thomæ principio: *Bonum ex integra cauſa: malum autem ex ſingularibus defectibus.* Unde quæcumque ſit intentio bona, quin & optima, ſi opus aut ex objecto, aut ex circumſtantia pravum ſit, actionem a peccato immunem numquam efficiet. Hinc tamquam falſa, & errore infecta repudianda eſt doctrina quorumdam Theologorum, qui opera de ſe prava, & ipſum etiam homicidium ob honeſtum finem vel tuendæ propriæ famæ, vel defendendæ alterius pudicitiæ commiſſum a peccato excuſant prætextu rectæ intentionis.

Conſectarium Undecimum.

XI. Ex his colligere pronum eſt, quam longe a via veritatis aberraverint tum Eſcobarius, qui *Tract.* 1. *ex.* 7. *n.* 48. docet, quod juſta cauſa occidendi hominem, qui alapam impegit, ſit intentio recuperandi honorem, *oſtendendo ſigna excellentiæ, & exiſtimationem apud homines capiendo*: tum Hurtadi (apud Dianam *p.* 5.) *Tract.* 14. *reſol.* 99. qui cenſet excuſari a peccato, qui provocatus ad duellum provocanti ſe ſiſtit ea intentione *ne gallina ab exercitu exiſtimetur, & non vir*. Vah fœdiſſimas prolapſiones!

Conſectarium Duodecimum.

XII. Solido fundamento caret ſententia, quam propugnat P. Contenſonius, aliique poſt ipſum de admixtione malitiæ, & bonitatis in eodem actu juxta vulgatum illud: *Sunt bona mixta malis; ſunt mala mixta bonis*. Explicatione potius indiget hoc Conſectarium, quam probatione. Certum in primis apud omnes eſt, idem exterius officium a duobus principiis profectum bonitatem, & malitiam induere poſſe, quia tunc duplicis actionis objectum eſt: puta ſi eleemoſyna bona intentione imperetur a Domino, & perverſa erogetur a ſervo. Item conveniunt omnes, eum-

eumdem actum phyſicum, qui duo objecta diſparata reſpiciat, poſſe bonitatem ex uno ſuſcipere, & malitiam ex altero; ut ſiquis eodem actu phyſico tribuat eleemoſynam Petro ob motivum miſericordiæ, Paulo autem ob motivum vanæ gloriæ. Moraliter quippe duplex actus eſt.

Huc igitur quæſtio recidit, num idem phyſicus actus ex objecto bonus, ſed ob finem pravum volitus ſimul ſumat bonitatem ex objecto, & malitiam ex fine. Contenſonius ita in hac quæſtione mentem ſuam explicat: „ Quoties actus ex „ objecto bonus propter finem pravum elicitur, „ tunc opus bonum vel elicitur præciſe per mo„ dum puri medii conducentis ad finem, vel per „ modum finis *intermedii*, adeo ut voluntas non „ ſolum alliciatur a fine, ſed etiam ab objecti „ bonitate moveatur “. Primo modo actum malum eſſe fatetur abſque mixtura boni: altero vero bonum putat ex objecto, ſimulque malum ex fine, eumdemque omnino actum mixtum eſſe aſſerit bonitate, ac malitia.

Sed fallitur plane celeberrimus cæteroquin Author, ac perperam aptat ſententiæ ſuæ teſtimonia, & exempla, quæ profert. Frequenter quidem etiam in viris ſanctis contingit, ut bona, quæ agunt, circumſepta ſint inanis gloriæ, vanæque complacentiæ lenociniis: At non ideo eadem mixta ſunt bonitate, & malitia, ita ut eodem actu ea velint ob inanem gloriam, quæ potius ea comitatur, ac veluti circumſtat. Unde ſi aliquando ea moveantur, actus diverſus eſt, nec afficit opus, ſed operantem: Idque etiam quodam intimo ſenſu percipiunt bene morati viri, qui non referunt quidem opera ſua bona niſi in gloriam Dei; ſed, dum non attendunt ſuper ſe ipſos, ſe pertrahi ſinunt hominum laude, & quadam occulta gloria complacentiæ apud homines, quæ operibus bonis inſidiatur.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Plura recenſenda ſunt inter otioſa, & vana, de quibus in divino Judicio reddenda nobis ratio eſt, quæ homines vel pro nihilo habent, vel etiam laudabilia arbitrantur. Sic vanus, & culpabilis eſt appetitus gloriæ non relatus in gloriam Dei, aut proximi ſalutem, ut animadvertit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 132. *art.* 1. Sic otioſus & vanus eſt *appetitus* ipſe, *vel ſtudium*, ut ait *quæſt.* 167. *art.* 1. *cognoſcendæ veritatis, quando homo appetit cognoſcere veritatem circa creaturas, non referendo eam ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei*; atque ita alia plura, quæ laude digna æſtimantur ab hominibus: quia, ut habet S. Doctor in 1. diſt. 1. q. 3. ad 5. *actus procedens a ratione deliberata, ſi eſt referibilis in Deum, & non refertur, vanus eſt & otioſus.*

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Rejicienda quoque eſt ſententia quorumdam Neotericorum, quæ, teſte Euſebio Amort, increbuit præcipue in Scholis Bavariæ ab anno 1708. ac ſuſtinet *morales actus per ſe indifferentes in individuo*. Hi præſertim contendunt totis viribus eludere evangelicum textum, quo de reddenda ratione *de omni verbo otioſo* divino Judici ſermo eſt, dicuntque in primis, „ non deeſſe a„ liquos, qui non admittunt paritatem de verbis „ ad opera, eo quod verbis ſit labi pronius, & „ peccare facilius, quam operibus; adeoque „ licet non detur actus indifferens verbalis, di„ cunt tamen poſſe dari actum indifferentem rea„ lem, ſeu in actione aliqua conſiſtentem. In te„ rim tamen, cum huic reſponſioni non videatur „ (ſubdunt) adeo firmum ſubeſſe firmamentum “ „ (*nedum parum firmum, ſed prorſus infirmum, & ineptum eſt hoc fundamentum, cum eadem omnino ratio ſit de* verbo, *ac de* opere *otioſo*); „ idcirco aliud reſponſum præbent “.

Reſpondent itaque ſecundo, *negando antecedens*, nempe verbum otioſum eſſe, quod non dirigitur in finem honeſtum; „ Hæc enim (ajunt) „ definitio: *Illud eſt verbum otioſum, quod non* „ *eſt ordinatum ad finem poſitive honeſtum*; eſt „ *probabiliter falſa* ex duplici capite. Primo „ quia poteſt dari verbum otioſum, licet finis „ ſit honeſtus. Nam ex communi ſenſu cenſetur „ eum loqui otioſe, qui in eodem ſermone, „ vel concione, quam bono fine inſtituit, ſæ„ pius, & pluries idem repetit, & ſic ver„ ba inutiliter multiplicat &c. Secundo: quia „ illa definitio non convenit ſoli: poſito e„ nim, quod aliquis in tempore, vel loco, „ in quo loqui aliunde non eſt prohibitum, di„ cat alteri: *hodie eſt tempeſtas, pluvia*, non in„ tendendo his verbis finem poſitive honeſtum, „ non cenſetur loqui verbum otioſum “. Hæc reſcripſi non ut ea confutarem: revera namque otio abuterer, ſi ſerio refellenda ſuſciperem; ſed ut videat prudens Lector, quid non moliantur aliqui, ut certiſſimam, & clariſſimam juxta Eccleſiæ Patres veritatem obſcuram, ac dubiam efficiant.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Inter expreſſe ab Eccleſia damnatas doctrina illa ponenda eſt, quam docuerunt Eſcobarius, Jo. Sanchez, Diana, & alii innumeri, nimirum haud peccare homines, dum quærunt ſolam commoditatem, aut voluptatem facultatum humanarum, ſive ſentientis appetitus; ea ratione, quod licite poſſit naturalis appetitus ſuis actibus frui, ex. gr. comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, opus conjugii exercere ob eamdem voluptatem, & alia id genus plurima. Damnata, inquam, expreſſe hæc doctrina reputanda eſt in duabus jam recenſitis propoſitionibus: quoniam aliter explicari minime queunt. Et jure quidem merito damnata fuit. Non enim voluptas ſenſilis eſſe poteſt finis homine dignus, qui, cum ratione præditus ſit, ſecundum finem huic convenientem, qui alius eſſe non poteſt, niſi ipſa honeſtas, ſive bonum honeſtum, agere ſemper tenetur, & ad illud cæteras ſuas actiones dirigere. Plane proſcripta doctrina Epicureiſmum ſapit, immo tota Epicurea cenſenda eſt. Neque enim Epicurus immoderatam voluptatem ſen-

ſuum, aut aliarum facultatum finem conſtituit humanarum actionum, ſed moderatam potius, atque intra definitos quoſdam terminos coercitam, quemadmodum Authores, qui ejus ſententiam diligentius expenderunt, obſervant.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Legitimum propoſitionum damnatarum ſenſum pervertit, non explicat P. Dominicus Viva, dum in earumdem *trutina*, ſive commentario illas coarctare videtur ad ſolam immoderantiam in cibo, potu, ac venereæ voluptatis. Poſtquam etenim ad oſtendendam illarum propoſitionum falſitatem progreditur, adhibet S. Thomæ authoritatem, qua probat, gulam eſſe peccatum, de quo nemo dubitavit, aitque: „ Cum enim „ gula conſiſtat in *inordinata* concupiſcentia e- „ dendi, poteſt *inordinata* iſta *concupiſcentia* at- „ tendi dupliciter. Uno modo &c. “: & recenſet modos, quibus in ſua ſpecie gula redditur vitioſa, quod ad præſentem quæſtionem, & intentum propoſitionis damnatæ nullatenus pertinet. Non illud ſiquidem damnat Pontificium Decretum, quod nemo negavit; ſed unice ſumptionem cibi, & potus etiam moderatam, ſed *ob ſolam voluptatem* perceptam licitam eſſe.

Eadem aberratio P. Vivæ apparet etiam in ſua prima ratione, qua oſtendit *falſitatem* proſcriptæ propoſitionis. Scribit enim: „ *Ratio horum om-* „ *nium videtur eſſe*; tum quia non poteſt non „ vacare culpa cibus *immoderatus* propter me- „ ram delectationem ſumptus, quando bruta ip- „ ſa, quæ unice a delectatione provocantur ad „ comedendum, abſtinent tamen a cibo *immo-* „ *derato*, & ſolum ad ſufficientiam, non ad „ ſatietatem comedunt “. Quid ex hac P. Vivæ doctrina conſequitur? licitas plane eſſe propoſitiones, quas Eccleſia damnavit, neque peccatum ullum eſſe *comedere, & bibere ad ſatietatem ob ſolam voluptatem*: & *opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum penitus carere culpa, ac defectu veniali*. Nam & qui comedit, & bibit, uſquequo ſaturata natura ſit, *non immoderate comedit*; nam & *bruta ipſa, quæ unice a delectatione provocantur ad comedendum, a cibo* ſolum *abſtinent*, cum ad ſatietatem pervenerunt: ac præterea *opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum*, ſicut exercent bruta ipſa citra immoderantiam, *penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Hæccine eſt damnatas propoſitiones interpretari, an potius eaſdem docere, & confirmare?

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Non minus erronea eſt exceptio aliquorum actuum ibidem facta a P. Viva, licet exerceantur ob ſolam voluptatem, dum ait n. 6.: *Verum quidem eſt, quod poſſit propter ſe intendi directe oblectatio aliqua, quæ reperitur in ludo v. g. in olfactu floris, in auditione Muſicæ, & in aliis actibus moraliter indifferentibus. Et ratio eſt; quia hujuſmodi voluptas ad hoc ipſum inſtituta eſt a natura, ut animum relaxet*. Egregia ſane ratio, & diſparitas! Poterit ergo *directe propter ſe intendi oblectatio, ſive voluptas in ludo, & in aliis actibus*, quia inſtituta eſt a natura ad relaxandum animum. At cur non poterit etiam *directe, & propter ſe intendi* voluptas in cibo, potu, & venereis legitimi matrimonii percepta? Nonne & hæc inſtituta a natura eſt ad honeſtum finem, ad conſervationem ſcilicet individui, vel ſpeciei? Si hæc nihiloſecius damnatur ab Eccleſia in iis, qui *propter ſe* illam intendunt; cur damnata quoque dicenda non erit in iis, qui eam *propter ſe intendunt*, & quærunt in ludo, & in aliis.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Hinc abſolute, & generatim dicendum eſt, in propoſitionibus duabus ab Eccleſia anathemate perculſis *virtualiter*, & *implicite* contineri damnationem ſententiæ, aſſerentis dari actus indifferentes in individuo, ſeu prout deliberate exercentur ab homine, quin eos referat in finem honeſtum; omnemque, ſi qua antea gaudebat, amiſiſſe ſententiam illam probabilitatem. Quare audiendus non eſt citatus P. Dominicus Viva, dum *n.* 13. ſui Commentarii ſcribit: *Ex dictis ſequitur primo, ex condemnatione harum propoſitionum nullatenus concuti opinionem de poſſibilitate actus moralis indifferentis in individuo*. Qua locutione ſatis approbat, quod ab initio jam dixerat in favorem damnatarum theſium, quod *juxta probabiliſſimam ſententiam Scoti, Vaſquez &c., & aliorum dari poteſt actus moralis indifferens in individuo; puta ſi quis accedat ad ignem, ut calefiat, vel ſi quis deambulet per pomarium, ita ut advertat hujuſmodi actiones nec prohiberi, nec præcipi, ſed permitti; & non referat illas ſignate ad finem virtutis, ſeu ad Deum, ſed ſolum intendat delectationem illam naturalem, quæ inde percipitur.*

Conſectarium Decimumnonum.

XIX. Nedum in P. Viva, ſed & in aliis pluribus vitanda ea opinio eſt, quæ docet, moderatum amorem voluptatum ſenſibilium propter ſe volitum licitum eſſe, ſolumque immoderatum prohiberi. Hæc opinio plane contraria Eccleſiæ ſenſui in damnatis propoſitionibus emicanti, animalis eſt, & Evangelicis regulis, ac vitæ Chriſtianæ principiis repugnans; eamque confutavit S. Auguſtinus in ſuis libris contra Julianum, veluti ex corruptis lacunis hauſtam Epicuri, & Dinomachi. Confutat etiam S. Thomas ea ratione, quod *inordinatum* ſit, finem etiam negative ultimum ponere in eo, quod non habet juxta ordinem a Sapientia Divina conſtitutum, rationem *finis*, ſed *medii* ad aliud ordinati. Nulla porro delectabilia, quæ in uſum hominum veniunt, in ordine rerum habent rationem *finis*, ſed *medii* ordinati ad aliquam vitæ neceſſitatem. Vulgatum quippe principium eſt: *Delectationes ſunt propter operationes*. Et ideo, loquendo Sanctus Doctor de ludo, ſtatuit, *malum eſſe ponere finem in delectatione ludi*, ſive ludum quærere propter ſolam delectationem, quæ ludendo percipitur. Quid ergo di-

dicendum de his, qui plures horas quotidie in ludo inſumunt, nihilque ſe mali agere ſibi perſuadent eo futili prætextu, quod non quærant damnum proximorum, ſed ſolum oblectationem ſuam? Numquid non malum eſt ſolam ipſam quærere oblectationem, quæ non eſt ad alium finem honeſtum ordinata, nec ordinari poteſt, dum nimia eſt, vel nimium in ea tempus conſumitur?

Conſectarium Vigeſimum.

XX. Non ſunt igitur admittenda tamquam licita omnia illa motiva, ob quæ plures Theologi culpa etiam veniali purgant uſum Matrimonii, nimirum proles in Dei cultu procreanda, *carnis concupiſcentia ſedanda*, ſanitas propria, uxoriſve conſervanda, propria obligatio obeunda. Hæc namque doctrina e diametro opponitur Sancti Thomæ *in* 4. *diſtinct.* 26. *&* 31. cum Magiſtro docenti: *Duobus ſolis modis Conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa procreandæ prolis, & debiti reddendi: alias ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale.* Hanc doctrinam hauſit ille ex Sanctis Patribus. Nam Auguſtinus lib. *de bon. Conjug. Cap.* 6. *&* 7. ſcribit; *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge propter fidem tori, venialem habet culpam. Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis; exigere autem ultra generandi neceſſitatem eſt culpæ venialis.* Idem tradit S. Gregorius Magnus lib. 32. Moral. cap. 20.: *Tunc ſolum conjuges in admixtione ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur.* Adnotant tamen iidem Patres, in caſu, quo quis a libidine lethaliter mala temperare ſibi non poſſet, indulgendum eidem eſſe, ſi ab omni vinculo ſolutus ſit, ut ad concupiſcentiam ſedandam uxorem ducat: quia videlicet cedere libidini etiam non prohibitæ non laudatur quidem, ſed in comparatione mali pejoris ignoſcitur.

Conſectarium Vigeſimumprimum.

XXI. Peculiari vigilantia opus eſt, ne in actionibus noſtris alium finem, quam honeſtum nobis præfigamus, ut innumeras, ſaltem veniales, culpas devitemus, neve loco honeſtatis ſolam voluptatem, aut delectationem noſtram unice conſectemur. Cum enim, ut ajebat Tullius, *penitus in omni actu implicata inſideat imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium;* niſi ſedula adhibita diligentia, & attentione, ab ejus inſidiis, ac blanditiis cavere non poſſumus. Quare aut omnes, aut fere omnes actiones, quæ in ſeipſis inſpectæ aut indifferentes ſunt, aut etiam ſuapte natura bonæ, niſi ſpecialem curam impendamus, ab amore voluptatis, aut delectationis, quam in ipſis dumtaxat quærimus, corrumpuntur, ac malæ evadunt, de quibus rationem reddere oportet. Profecto ſi perpendamus opera, quæ ab otioſis, & incurioſis hominibus continenter fiunt a mane uſque ad veſperam, nimium clare conſtabit non ab alio fine ad ea peragenda moveri, quam a voluptatis amore, quam in iis percipiunt; atque adeo culpa coram Deo nequaquam carere, licet ne culpabiles quidem frequentiſſime reputentur.

Conſectarium Vigeſimumſecundum.

XXII. Nedum quærere minime licet in operibus noſtris voluptatem, aut delectationem propter ſeipſam, ſed neque finem alium ab honeſto diverſum, qui finis rationem habere nequit, ſcilicet utilitatem, aliumve ſimilem: unde illicitum eſt amare pecuniam propter ſeipſam: Hæc enim ſolius *medii* rationem habet; vel temporalem honorem, aut gloriam, in iis ſiſtendo. Quapropter rejicienda doctrina eſt eorum, qui docent licitum eſſe operari præciſe ad acquirendam pecuniam; vel cum Eſcobario *tract.* 1. *Exam.* 8. affirmant, ne venialis quidem culpæ ream eſſe mulierem ſe ornantem *ob naturalem faſtus inclinationem.*

Conſectarium Vigeſimumtertium.

XXIII. Quemadmodum homo, ut homo eſt, quoties deliberate agit, agere debet propter finem hominis proprium; ita homo Chriſtianus agere debet propter finem proprium Chriſtiani, ſive propter Dei gloriam, ita ab ipſo exigente vocatione ſua, qua divinæ conſors factus naturæ eſt in Sacramento Baptiſmatis, nec ignorat ſublimem, ac ſupernaturalem ordinem, ad quem beneficentiæ divinæ munere elevatus fuit. Hinc merito plures ex Epiſcopis Gallicarum Eccleſiarum reprobarunt, ac diris devoverunt quamdam propoſitionem quorumdam Scriptorum; *poſſe* nempe *Chriſtianum hominem in agendo exuere Chriſtiani perſonam*, ſeque gerere veluti purum hominem.

Conſectarium Vigeſimumquartum.

XXIV. Nonniſi temeritate ſumma damnatus *Caſuiſtarum Apologiſta*, ſive P. Pirot, Ardeſchinus, aliique ſolutioris Ethices Patroni erroneam aſſerere audent doctrinam, qua Chriſtianis omnibus obligatio aſſeritur, ut actus ſuos ad Deum, ſive ultimum finem, ex aliquo ſaltem imperfecto amore, actu, vel virtute referant. Hanc ſiquidem *Apologiſtæ* illius propoſitionem Eccleſia Senonenſis, & Pariſienſis merito cenſuit *temerariam, falſam, Patribus, S. Thomæ, & clariſſimis Theologiæ Doctoribus injurioſam, qui in his Pauli verbis:* Omnia veſtra in charitate fiant, *&c.* Omnia in gloriam Dei facite, *verum continere præceptum ſemper agnovere.*

Conſectarium Vigeſimumquintum.

XXV. Inſtruendi ſunt a Sacerdotibus, & Confeſſariis fideles omnes, & efficaciter hortandi, ut ſtatim ac de lecto ſurrexerint, ſeipſos, omniaque illius diei opera Deo offerant, & in Dei gloriam, & honorem referant. Ita quippe facile fiet, ut pia illa intentio conſtanter perſiſtat, ſaltem virtualiter, per totam diem: ad quod plurimum inſerviet,

viet, ſi eam quandoque repetant, maximeque dum novum aliquod opus adoriri oporteat. Quod ſi aliquos inveniant tam ſalutarem actuum ſuorum directionem in Deum negligere, eos acriter redarguant, increpentque. Quandoquidem hujuſmodi homines ita vivere ſolent, ut ne Chriſtiani quidem appellari queant, niſi ſolo nomine, quum Chriſtianiſmi ſpiritum, ac ſenſuum penitus frequenter amittant, agantque opera ſua velut Infideles, & Athei, qui nullum Deum agnoſcunt, & colunt, imo more pecudum, quæ nonniſi, quæ corporis ſunt, proſequuntur, & quærunt.

Conſectarium Vigeſimumſextum.

XXVI. Illud vero diligenter eſt animadvertendum, ſatis non eſſe, ut opera noſtra etiam ſæpiſſime in Deum referamus, ſi in Deum *referibilia* non ſint. Quod enim inordinatum, aut aliquo modo culpabile eſt, in Deum referri non poteſt. Sic immoderatæ delectationes vel in cibo, & potu, vel in ludis, aliiſque ſimilibus; ſic nimium ſtudium augendi res proprias; ſic inordinatus ſcientiarum amor, & id genus alia, quæ culpa aliqua non vacant, non ex eo, quod referantur etiam actu expreſſo in Deum, recipiunt bonitatem, & meritum: quoniam in ipſum referibilia non ſunt; & cum ea referimus, ipſi Deo potius illudimus, quam, quod probari ab illo valeat, offeramus. Vel ergo hujuſmodi opera ex ſe bona ſint, oportet, vel ſaltem ex objecto ſuo indifferentia.

Conſectarium Vigeſimumſeptimum.

XXVII. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt de obligatione referendi omnia opera noſtra in finem honeſtum, & in ipſum Deum ultimum finem omnium, nemo colligat nimium hac doctrina gravari conſcientiæ hominum, ſcrupuliſque & anxietatibus perpetuis implicari. Nam in primis doctrina noſtra, quæ alia non eſt, niſi doctrina Sacræ Scripturæ, Patrum, S. Thomæ, & graviorum Doctorum, locum non habet niſi in actibus deliberatis, non autem indeliberatis, qui intra genus humanorum actuum non continentur. Deinde non exigimus *actualem* operum noſtrorum in finem honeſtum, Deumque relationem, quæ plane in hac miſera vita impoſſibilis eſt; ſed *virtualem*, quæ nempe ex actu, quo nos, omniaque noſtra in Deum retulimus, proficiſcitur. Unde non rejicimus congruas hujus vitæ utilitates, ac delectationes in cibo, potu, cæteriſque hujuſmodi, quæ eo ipſo virtualiter ordinantur ad finem honeſtum, Deique gloriam in eo, qui ſe, & omnia ſua in Deum ordinavit, & omnia in Dei gloriam facere intendit. *Hoc ipſum*, inquit S. Thomas hic ad 3. *quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem, vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis.* Fateri tamen neceſſe eſt, quod quia appetitus delectationis nos ſæpe fallit, & voluptas, quæ propter operationem admittitur, *præcurrere, aut ducere conatur*, ut in ſe ipſo experiebatur S. Auguſtinus; ideo etiam viri juſti ſæpe, leviter ſaltem, delinquunt, *& in ipſis bonis operibus poſiti trepidant, ac ne in iiſdem occulto aliquo errore* concupiſcentiæ Deo *diſpliceant, continuis lamentis vacant*, prout ajebat S. Gregorius Magnus.

REFLEXIO.

Quam ſublimis, quam ſancta, quam pura, & immaculata ſit Chriſtianæ Religionis doctrina, quis non intelligit, dum ad ea, quæ tradit pro officiis hominum dirigendis, animum vel tantiſper advertit? Hæc objecta præfinit, quæ proſequi intento ſtudio debemus, ne a morum regulis unquam deflectamus. Hæc circumſtantias humanarum actionum ita ordinat, ac diſponit, ut objectis ſemper apte cohæreant, nihilque contineant, quod a perfecta rectitudine diſſentire valeat. Hæc demum *finem* circumſtantiarum omnium nobiliſſimum oſtendit, atque præſtituit, quem ſolum in actibus ſuis inſpicere debeat homo, ac in ipſum perpetuo tendere, quin ad alia naturæ ſuæ, ſuæque rationi minus conſentanea divertat. Atque ut in hoc duntaxat modo verſetur *Reflexio* noſtra, quiſnam eſt hujuſmodi finis a Chriſtiana Religione hominibus in officiis ſuis unice præſtitutus? Triplex bonorum genus diſtinxit Ethnica Philoſophia, *utile* ſcilicet, *delectabile*, & *honeſtum*. Ex his primum nonnulli Philoſophi gentiles pro fine habuerunt. Epicurei finem ultimum poſuerunt in altero, nimirum *in voluptate*. Stoici tertium, ſive *honeſtum*, aut honeſtatem virtutis finem hominis conſtituerunt. Hinc Philoſophi priores ad utilitatem, Epicurei ad voluptatem, Stoici ad virtutem opera ſua omnia referebant. Et quidem hi poſtremi præ reliquis laude digni æſtimandi forent, niſi honeſtatem virtutis ita finem actuum noſtrorum ſtatuiſſent, ut in ea ſiſterent, nec ultra proveherent cogitationes ſuas, ut Deum veluti ultimum finem agnoſcerent, in quem ſe ſuaque omnia referrent.

At vero Chriſtiana Religio divino illuſtrata lumine, ſuis ponderibus res quaslibet expendens, bonum tum *utile*, tum *delectabile* a ratione *finis* omnino excludit, quin etiam eadem bona vel ut ſæpe ſæpius tamquam mala repudiat, vel ſaltem ut indifferentia parvi pendit. *Quæcunque* vero *ſunt honeſta, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta* cum Apoſtolo probat, atque commendat. Neque tamen cum Stoicorum dogmate illa conſentit. Non enim in ſola rerum honeſtate ſiſtendum judicat, ut eam finem ultimum ſibi ſtatuat, atque hominibus proponat. Altius illa aſſurgit, & ad altiorem finem, vereque homine Chriſtiano dignum, Deum videlicet Optimum Maximum ſectatores ſuos aſſurgere debere docet, atque præſcribit, in quem omnia ſive opera, ſive verba, ſive cogitationes dirigant, in ejuſque honorem, & gloriam tandem referant quidquid agunt, quidquid loquuntur, quidquid cogitant. *O celſitudinem*, exclamare liceat cum pio Granatenſi, *Religionis Chriſtianæ*! O vere Divinam Ethicæ ſuæ ſublimitatem, ad quam cæca gentilium Philoſophia nunquam pervenit, tametſi

etſi aut omnes, aut ferme omnes ex illis Deum non ignorarent, ſed plane cognoſcerent, ac profiterentur! Quid enim præſtantius, aut ſublimius ingenii ſui acie adinvenerunt, vel alios docuerunt? *Major ſum*, ajebat celeberrimum Stoicæ Philoſophiæ lumen Seneca Epiſt. 65. *& ad majora natus, quam ut mancipium ſim corporis mei; quod equidem non aliter aſpicio, quam vinculum aliquod libertatis meæ circumdatum*. Et alibi de Vit. Beat. C. 10. *Tu voluptatem complecteris: ego compeſco: Tu voluptate frueris; ego utor*. Huic præluſerat Tullius non minus recta, ac defæcata doctrina frequenter admonens in ſuis de Legibus, & de Officiis, de finibus bonorum, & malorum libris, *illud ſolum bonum eſſe, quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt*. Hinc intulit, *corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, & pertinere ad omnem quæſtionem, ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquiſque beſtiis nihil niſi voluptatem ſentientibus antecellat*. Hæc, aliaque ſimilia nativo lumine perviderunt gentiles Philoſophi, nihilque altius cogitarunt. At divina plane Religionis Chriſtianæ Philoſophia ſuperiore luce colluſtrata hæc dogmata probat, perficit, iiſque erroribus, quibus permixta erant, expurgat. Sed his tamen contenta non eſt, eoque contendit, ut homines, humanaque omnia officia ad Deum extollat, finemque ultimum bonorum omnium doceat eſſe ſolum Deum, quem propterea ſemper ſpectare debeant eo modo, quo fas eſt in hac vita mortali: quo quid præclarius, quid divinius concipi, aut excogitari a nobis poteſt? Hanc cæleſtem doctrinam ubique reſonant Sacrarum Litterarum oracula: hanc continenter inculcant Evangelium Chriſti, & Apoſtolorum Epiſtolæ, maximeque Apoſtoli Pauli, qui eam cæteris fortaſſe luculentius præſcribit.

Verum enim vero quid ex his colligamus, oportet? Illud in primis conſequens mihi eſſe videtur, rubore maximo ſuffundi debere plures ex Theologis noſtris, qui eo laxitatis dicam, an cęcitatis ignoro, devenere, ut in clariſſimo lumine poſiti, quod circumquaque diffundit Chriſtiana Religio, non videant, quod vel ipſi viderunt denſiſſimis tenebris obvoluti Gentiles Philoſophi, rectum ſcilicet eſſe non poſſe, quod honeſtum non eſt, nec utilitatem unquam, aut voluptatem, ſive delectationem quærendas eſſe propter ſe ipſas etiam in objectis ex ſe indifferentibus, ſed propter honeſtatem, ſive finem honeſtum. Nonne, dum legunt laudata Senecæ verba, *utendum* ut ſummum *eſſe voluptate, non autem fruendum*, dum occurrunt in Tullio frequentes illæ locutiones, *corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, ſemperque ad omnem officii quæſtionem in promptu habendum eſſe, quantum natura hominis pecudibus, reliquiſque beſtiis antecellat*; nonne, inquam, pudere ipſos vehementer deberet, quod Chriſtiano ſpiritu enutriti, & Chriſtiana diſciplina imbuti haud vereantur docere, licite hominem agere propter commoditatem naturæ, ac voluptatem, quin eas referat in finem honeſtum: poſſe citra culpam omnem ſentientem appetitum ſuis actibus frui: poſſe comedere, & bibere, & alia opera beſtiarum propria efficere, in eorum delectatione ſiſtendo: poſſe ludere, poſſe ſpatiari ob ſolam recreationem in iis quæſitam: poſſe ſe mulieres ornare ob ſolam faſtus inclinationem &c. &c. ? Quis hæc audiens non inardeſcat, aut non invocet *fontes illos lacrymarum*, quos invocabat olim Auguſtinus, ut tam fœdas, & Chriſtiano Doctore nimium indignas aberrationes amare defleat?

Sed & alteram ex allata doctrina conſecutionem colligat neceſſe eſt Lector Chriſtianus; ut nempe, quemadmodum Stoici, in ſolo fine honeſto, ſeu honeſtate virtutis nequaquam conquieſcat, verum & ipſas honeſtas actiones ad Deum finem ultimum totius honeſtatis ſuſtollat, ac referat, in ejuſque gloriam operetur omnia. Ita namque ab homine Chriſtiano requirunt ſacræ paginæ, ac præcipue, qui plenam earum, & legitimam intelligentiam aſſequutus eſt, S. Paulus Apoſtolus: ita ab eodem exigunt Eccleſiæ Patres, maximeque Auguſtinus, & Thomas: ita ab eo efflagitant ſuæ Religionis documenta, & dignitas vocationis, ad quam divino munere provectus eſt. Agnoſce ergo, quicumque es, Chriſtiane, tuæ Religionis celſitudinem, doctrinæ profunditatem, ſanctitatem, ſoliditatem. Agnoſce & altiſſimam dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, nonniſi divinum in tuis omnibus operibus, etiam quæ viliora ſunt, finem reſpice. Memento cujus Capitis, cujus corporis ſis membrum, cujus Evangelii, cujus Religionis diſcipulus, unaque filius. Reminiſcere, quod cum erutus ſis de poteſtate tenebrarum, translatuſque in Dei lumen, & regulam, plura a te exiguntur, qua Chriſtiano, quam ut homine, quam ut puro Philoſopho. Fecit te Dominus ad ſe, vocavit te ſancta vocatione ſua, teque elegit ad felicitatem æternam in clara ſui viſione poſitam. Ad cælum ergo mente, & operatione conſurge, & eſſe incipe, quod futurus es. *Emptus es pretio magno: mortuus eſt pro te Chriſtus*, quemadmodum & pro omnibus, *ut qui vivunt*, inquit Apoſtolus, *jam non ſibi vivant, ſed ei, pro quo ipſe mortuus eſt*. At quomodo vives *propter ipſum*, niſi ad ipſum dirigas omnes cogitationes, locutiones, & actiones tuas; cum vita in operatione conſiſtat?

Utinam id ego indeſinenter efficiam, quouſque vixero, amabiliſſime Deus, qui me creaſti, qui me redemiſti, qui te totum propter me tradidiſti moriens pro me, ut ſemper viverem tibi? Profiteor omni cordis affectu, me ad te unice pertinere, tibique totum devinctum eſſe, atque tam arctis vinculis devinctum, ut nullum vitæ meæ momentum præterire deberet, quo tuæ gloriæ, tuo cultui, tuæ ſervituti non ſim jugiter mancipatus. Pœnitet me (heu quam juſta cauſa mihi pœnitendi eſt) id elapſo jam meæ vitæ tempore non præſtitiſſe. At nunc firmiter ſtatuo auxilio gratiæ tuæ, amiſſum tempus redimere, inque officia tibi debita diligentius incumbere. Propterea me tibi totum impenſe dedico, atque offero, mecumque ſimul omnia opera quæcumque mea, ut nonniſi in gloriam tuam perpetuo cedant; ac deliberatum animo, fixumque habeo, me ni-

hil aggredi ſive magnum, ſive parvum, nihil loqui, nihil etiam, quantum in me eſt, cogitare, niſi intuitu, & amore tui ipſius, qui finis ultimus omnium es, ad cujus poſſeſſionem, plenamque fruitionem, eadem tua me gratia adjuvante, tandem perventurum confido.

CAPUT UNDECIMUM.

De bonitate, & malitia in particulari actuum voluntatis tum interiorum, tum exteriorum.

DOCTRINA.

I. *Duplex complacentia ſimplex, aut delectatio diſtinguitur.*
II. *Non omnis complacentia, aut delectatio etiam ſentientis appetitus mala dicenda eſt.*
III. *In appetitu ſentiente nulla poteſt eſſe delectatio prava, niſi dependenter a voluntate.*
IV. *Delectatio moroſa pravi objecti proprie in ratione eſt.*
V. *Lethale peccatum eſt, poſita materiæ gravitate.*
VI. *Dum imminet probabile conſentiendi periculum in pravam delectationem, non poteſt quis negative ſe habere, quin graviter peccet.*
VII. *Graviter etiam peccat, qui motum, aut delectationem graviter illicitam repellere negligit.*
VIII. *Præſens delectatio de re, aut actione modo illicita prava eſt, quamvis aut licita quandoque fuerit, aut futura ſit.*
IX. *Quodlibet, etiam inefficax, deſiderium rei graviter malæ grave ſemper peccatum eſt.*
X. *Deſiderium conditionatum rei, aut actionis pravæ nonnumquam malitia caret, ſæpius tamen peccatum eſt.*
XI. *Si conditio appoſita deſiderio inefficaci rei vetitæ ejuſdem malitiam auferat, illud de ſe non eſt mortale: ſecus, ſi non auferat.*
XII. *Peccatum lethale eſt delectari de opere natura ſua malo, quamvis abſque peccato commiſſum ſit.*
XIII. *Quoties intentio finis* antecedenter *ſe habet, bonitas voluntatis in iis, quæ ſunt ad finem, ex ipſa intentione dependet.*
XIV. *Minime vero, ſi* conſequenter *ſe habeat.*
XV. *Finis operantis haud ſemper eſt circumſtantia operis.*
XVI. *Non eadem ratio habenda eſt de intentione boni, ac mali, quoad meritum, & demeritum.*
XVII. *Si actus exterior, & interior ſimul jungantur, eadem eſt tum ſpecie, tum numero bonitas, aut malitia.*
XVIII. *Actus exterior nihil addit ad bonitatem, vel malitiam interioris, quoties eam deſumit ex fine operantis.*
XIX. *Abſolute loquendo exterior actus nullam addit bonitatem, aut malitiam interiori, quoties voluntas perfecta omnino eſt, & efficax.*

QUoniam multa in ſuperioribus, prout ſe tulit occaſio, jam dicta ſunt de his, quæ per plures articulos *quæſt.* 19. pertractat Præceptor Angelicus *de bonitate, & malitia actuum interiorum voluntatis*; idcirco, quæ tantum explicanda ſuperſunt, ſeligemus. Actus internos voluntatis recenſuimus, ſcilicet *ſimplicem volitionem*, ſive meram complacentiam objecti, *intentionem* finis, *electionem* &c. Itaque de duobus actibus prioribus, quantum ad inſtitutum noſtrum attinet, quædam dumtaxat animadvertere neceſſarium exiſtimo; ac primum ſit

§. I.

De ſimplici complacentia, ac deſiderio inefficaci, & conditionato.

I. Simplex volitio, ſive complacentia rei tum bona, tum mala eſt, ſicut ipſum objectum, quod inſpicit. Si enim objectum bonum ſit, & ipſa quoque eſt bona; ut ſi quis conſiderans Deum ſibi in ejus bonitate, aliarumque perfectionum pelago complaceat, ac delectetur. Si vero pravum objectum ſit, ipſa quoque prava eſt, ejuſque malitia ſordeſcit. Cum hac ſimplici complacentia confunditur delectatio ab appetitu percepta de ipſa re, ſive objecto, quemadmodum & deſiderium inefficax ejuſdem; quæ ab ipſo objecto bonitatem, vel malitiam contrahunt. De his practicæ quædam regulæ ſtatuendæ ſunt horum actuum malitiam præcipue ſpectantes; ad quarum clariorem intelligentiam prænotandum eſt, duplicem diſtingui a S. Thoma *quæſt.* 31. *art.* 4. complacentiam, ſive delectationem; aliam, *quæ eſt in appetitu intellectivo, ſive in voluntate, quæ dicitur gaudium:* aliam *in appetitu ſenſitivo*, ſive ſentiente nobis cum brutis communi; & vocatur *delectatio corporea. Hoc autem intereſt inter delectationem utriuſque appetitus: quod delectatio appetitus ſenſibilis eſt cum aliqua tranſmutatione corporali; delectatio autem appetitus intellectivi nihil aliud eſt, quam ſimplex motus voluntatis.* Prima eſt quædam animæ paſſio, cum ſit *motus quidam in appetitu animali, conſequens apprehenſionem ſenſus*; non autem altera, quæ conſequitur ſolam apprehenſionem intellectus. Hoc itaque poſito ſit

Regula Prima.

Non omnis delectatio etiam ſentientis appetitus ex ſe mala dicenda eſt.

II. Hoc aſſertum docuit S. Thomas *quæſt.* 34. hujus primæ ſecundæ partis *art.* 1. adverſus quoſdam antiquos Philoſophos, delectationes omnes malas eſſe aſſerentes: idque probat duplici ratione, quarum primam deſumit ex parte *boni*, in quo aliquis delectatur: „ Bonum enim (inquit) „ & malum in moralibus dicitur, ſecundum „ quod convenit rationi, vel diſcordat ab ea: „ ſicut in rebus naturalibus aliquid dicitur *na-* „ *turale* ex eo, quod naturæ convenit; *innatu-* „ *rale* vero ex eo, quod eſt a natura diſcordans. „ Sicut igitur in naturalibus eſt quædam quies „ naturalis, quæ ſcilicet eſt in eo, quod conve- „ nit naturæ, ut cum grave quieſcit deorſum;

„ &

„ & quædam innaturalis, quæ eſt in eo, quod repugnat naturæ, ſicut cum grave quieſcit surſum: ita & *in moralibus* eſt quædam delectatio *bona*, ſecundum quod appetitus ſuperior, aut inferior requieſcit in eo, quod convenit rationi; & quædam *mala* ex eo, quod quieſcit in eo, quod a ratione diſcordat, & a lege Dei ".

Rationem alteram repetit *ex parte operationum*, „ quarum quædam ſunt malæ, & quædam bonæ. „ Operationibus autem magis ſunt affines delectationes, quæ ſunt eis conjunctæ, quam concupiſcentiæ, quæ tempore eas præcedunt. Unde, cum „ concupiſcentiæ bonarum operationum ſint bonæ; „ malarum vero malæ: multo magis delectationes „ bonarum operationum ſunt *bonæ*; malarum vero „ *malæ* ".

Obvia objectio erat veterum Philoſophorum, quod nempe delectatio corrumpat prudentiam, & impediat rationis uſum, atque adeo eam pravitate carere non poſſe. Quam egregie ſolvit S. Doctor in reſponſione ad primum: & quia ſingulari digna obſervatione eſt ejus doctrina: ideo placet iiſdem verbis exſcribere. Sic ergo ait: „ Sicut ſupra dictum eſt, delectationes, quæ ſunt de actu rationis, non impediunt rationem, neque corrumpunt prudentiam: Sed delectationes extraneæ, cujuſmodi ſunt delectationes corporales; „ quæ quidem rationis uſum impediunt vel per „ contrarietatem appetitus, qui quieſcit in eo, „ quod repugnat rationi, & ex hoc habet delectatio, quod ſit moraliter mala; vel ſecundum „ quamdam ligationem rationis, ſicut in concubitu conjugali: quamvis delectatio ſit in eo, „ quod convenit rationi, tamen impedit rationis „ uſum propter corporalem tranſmutationem adjunctam. Sed ex hoc non conſequitur malitiam „ moralem; ſicut nec ſomnus, quo ligatur uſus „ rationis, moraliter eſt malus, ſi ſit ſecundum „ rationem receptus: nam & ipſa ratio hoc habet, ut quandoque rationis uſus intercipiatur. „ Dicimus tamen, quod hujuſmodi ligamentum „ rationis ex delectatione in actu conjugali, etſi „ non habeat malitiam moralem, quia non eſt peccatum mortale, nec veniale; provenit tamen ex „ quadam morali malitia, ſcilicet ex peccato primi parentis. Nam hoc in ſtatu innocentiæ non „ erat, ut patet ex his, quæ in primo dicta „ ſunt ". Nihil ſolidius, nihil elegantius dici poterat. Ex quibus plura colligere proclive eſt, quæ conſideranti facile occurrunt.

At quemadmodum non omnis delectatio mala eſt, ſive ſit *voluntatis*, ſive *ſentientis appetitus*; ita neque omnis bona reputari debet, ut contendebant Epicurei; quod oſtendit S. Thomas articulo ſequente ea ratione, quia contingit, aliquos delectari in eo, quod non eſt verum bonum, & rationi conveniens, ſed apparens, ipſique diſſentaneum: unde & Scriptura redarguit illos, *qui lætantur, cum male fecerint*; prohibetque, *ne delectemur in ſemitis impiorum*.

Regula Secunda.

In appetitu ſentiente nulla poteſt eſſe delectatio prava niſi dependenter a voluntate.

III. Ratio evidens eſt; nullus quippe actus, vel motus hominis poteſt eſſe pravus, atque culpabilis, niſi homo cauſa ſit, aut principium ipſius, *quatenus homo eſt*, ſive agit ex deliberatione rationis. Sed earum delectationum, quæ in appetitu ſentiente, aut in ſenſualitate exurgunt independenter a voluntate, homo cauſa non eſt, aut principium, *quatenus eſt homo*. Ergo pravæ, & culpabiles dici nequeunt. Hoc autem intelligendum eſt juxta ea, quæ dicta ſunt de voluntario *directo*, & *indirecto*. Pulchra eſt, quam de hac delectatione, ſive concupiſcentiæ motu habet S. Auguſtinus, ſententia, exponens illud S. Jacobi Cap. 1. epiſtolæ ſuæ: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum*. „ Profecto, inquit S. Pater *lib.* 6. *cont. Julian. c.* 5., „ in his verbis pariens a partu diſcernitur. Pariens enim eſt concupiſcentia: partus peccatum. „ Sed concupiſcentia non parit, niſi *conceperit*: „ non concipit autem, niſi *illexerit*; hoc eſt „ ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis „ aſſenſum. Quod ergo adverſus eam dimicatur, hoc agitur, *ne concipiat*, *pariatque peccatum* ".

Regula Tertia.

Delectatio moroſa pravi objecti proprie eſt in ratione.

IV. Delectatio moroſa ea dicitur, qua quiſpiam ſuggeſtione, vel delectatione alicujus peccati, ſive rei peccaminoſæ oblectatur. *Moroſa* vero appellatur, *non a mora temporis*; cum peccatum etiam lethale uno quaſi momento temporis perfici queat: ſed *a mora*, *ſive deliberatione rationis*, ex eo ſcilicet, quod poſt advertentiam ratio non curat eam repellere: ſed vel expreſſe in illam conſentit, vel diſſimulanter agit, eam non cohibendo, ſicuti poteſt, ac debet; adeoque conſentit ſaltem *indirecte*. Tunc enim ratio ponitur in mora eo modo, quo dicitur aliquis in mora eſſe, qui ſuum officium non exequitur, quando poteſt, ac debet. Atque ita hanc delectationem exponit S. Thomas *in reſp. ad* 3. *art.* 6. *quæſt.* 74. inquiens: *Delectatio dicitur moroſa, non ex mora temporis: ſed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur: nec tamen eam repellit tenens, ac volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum reſpui debuerunt; ut Auguſtinus dicit* 12. *de Trinit.* Atque equidem moroſa delectatio frequentius contingit in cogitatione rerum venerearum: ſed & in cogitatione aliorum pravorum objectorum contingere poteſt, puta furti, homicidii &c. His præmiſſis

Aſſertio D. Thomæ eſt, eaque certiſſima, quam tradit hic *quæſt.* 74. *art.* 6. peccatum moroſæ delectationis in ratione proprie conſiſtere. Illud ſiqui-

ſiquidem peccatum dicitur, quoties ratio deficit in directione paſſionum, aut motuum interiorum: ipſa namque directiva eſt nedum exteriorum actuum, verum etiam interiorum paſſionum; adeoque ſi in utrorumque directione deficiat, peccati rea efficitur. Hoc autem dupliciter contingit: primo ſcilicet; *quando imperat illicitas paſſiones: ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo quando non reprimit illicitum paſſionis motum: ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit. Et ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione.* Hinc prava quidem delectatio eſt in facultate appetitiva tamquam *in proximo principio:* ſed in ratione eſt ſicut *in primo motivo*, ſeu *directivo*, in quo tunc merito dicitur eſſe peccatum, quoties non movet, ac dirigit, ſicut dirigere poſſet, atque deberet.

Regula Quarta.

Delectatio moroſa, qua quiſpiam de re illicita delectatur, etiam abſque animo perficiendi opus, peccatum lethale eſt, poſita materiæ gravitate.

V. Antequam id probem, præmittendum eſt ex D. Thoma hic *art.* 8. quod cum omnis delectatio objectum aliquod reſpiciat, „ Delectatio quælibet „ poteſt comparari ad duo, ſcilicet ad operatio„ nem, quam conſequitur, & ad objectum, in „ quo quis delectatur. Contingit autem, quod „ aliqua operatio ſit objectum delectationis, ſicut „ & aliqua alia res: quia ipſa operatio poteſt ac„ cipi ut bonum, & finis, in quo quis delectatus „ requieſcit. Et quandoque quidem ipſamet ope„ ratio, quam conſequitur delectatio, eſt objectum „ delectationis, in quantum ſcilicet vis appetiti„ va, cujus eſt delectari, reflectitur in ipſam de„ lectationem, ſicut in quoddam bonum; puta „ cum aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipſo, „ quod cogitat, in quantum ſua delectatio pla„ cet “. Dum itaque delectatio habet pro objecto ſuo ſolam cogitationem, nullum peccatum eſt, ſed ut ſummum veniale; ut ſi quis in cogitatione rerum inutilium ſeſe occupet citra periculum conſentiendi in rem, ſive actionem lethaliter peccaminoſam.

„ Quandoque vero, pergit S. Doctor, delectatio „ conſequens unam operationem, puta cogitatio„ nem aliquam, habet pro objecto aliam opera„ tionem quaſi rem cogitatam: & tunc talis de„ lectatio procedit ex inclinatione appetitus, non „ quidem in cogitationem, ſed in operationem „ cogitatam, puta cum aliquis delectatur de ipſa „ fornicatione cogitata... Quod autem aliquis cogi„ tans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogi„ tato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus „ inclinata eſt in hunc actum. Unde quod aliquis „ conſentiat in talem delectationem, hoc nihil „ aliud eſt, quam quod ipſe conſentiat in hoc, „ quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicatio„ nem. Nullus enim delectatur niſi in eo, quod „ eſt conforme appetitui ejus. Quod autem ali„ quis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus „ conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata „ mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis „ conſenſus in delectatione peccati mortalis eſt „ peccatum mortale “. Ex objecto ergo, cui afficitur animus tamquam bono delectabili, rationem peccati delectatio deſumit. Quare ſi res cui afficitur, ſit lethaliter prava, ut cum quis delectatur de fornicatione, de morte inimici &c. non poteſt moroſa delectatio non eſſe lethale peccatum: veniale vero, ſi objectum ipſum delectationis venialiter malum ſit; ut e. gr. cum quis de officioſo mendacio moroſe delectatur.

Neque huic aſſertioni, quæ communis eſt inter Theologos, opponi poteſt illud Auguſtini dicentis in Enchir. c. 78. *Conſenſum in delectationem aboleri per orationem Dominicam*, qua abolentur venialia peccata. Reſpondet enim S. Thomas hic *ad* 6. hanc orationem recitari nedum ad abolenda venialia, ſed etiam mortalia peccata, licet non eodem modo, ut ipſe S. Auguſtinus docet C. 71. inquiens: *Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata: delet & illa, a quibus vita fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata deſcendit.* Certe S. Auguſtinum agnoviſſe conſenſum in delectationem operis lethaliter mali culpam eſſe lethalem, dubitandum non eſt. Quandoquidem hoc eodem articulo refert S. Thomas ſententiam ipſius aſſerentis lib. 12. de Trinit. C. 12. *Totus homo damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

Hac tamen in re illud advertendum, ac diſcernendum eſt ex Cajetano, aliiſque, num delectatio, in qua quiſpiam immoratur, objectum ipſum peccati reſpiciat, an vero duntaxat modum ipſius. Nonnumquam enim occurrit cogitatio de furto, ſimulque de modo ingenioſo, quo illud commiſſum eſt; fierique poteſt, ut aliquis ita delectetur *de modo*, ut nullatenus de furto ipſo gaudeat, quin potius illud deteſtetur; quemadmodum ſi quis tibi res tuas auferat ingenioſo quodam modo, & exquiſita aſtutia, doles equidem de rebus amiſſis, ſed ſimul admirari potes furantis ingenium, in ejuſque conſideratione delectari. Atque hoc ſenſu dicitur in Evangelio Dominus *laudaſſe villicum iniquitatis, eo quod prudenter egiſſet*, ut non fraudem, & iniquitatem laudaverit, ſed ingenium, & ſolertiam, qua ſuæ egeſtati proſpexit.

Regula Quinta.

Quoties imminet probabile periculum expreſſi conſenſus in delectationem rei graviter malæ, lethaliter peccat qui hoc advertens negative ſe habet nec aſſentiendo, nec diſſentiendo.

VI. Delectatio de re illicita cogitata variis modis contingere poteſt. Primo abſque advertentia, & ullo rationis conſenſu; ut ſi quiſpiam de re tur-

turpi, aut prava delectetur, ſed nullo prorſus modo advertat vel ipſam delectationem, vel ejuſdem turpitudinem: & tunc fatentur omnes non eſſe peccatum, utpote quæ voluntaria non eſt eo pacto, quo ſupra explicatum fuit. Quemadmodum nec peccat juxta omnes, qui illam quidem advertit, ſed ei reſiſtit, ac repellit. Secundo ſi pravam cogitationem, aut motum illicitum ſibi imperet, ſive deliberate excitet in ſemetipſo: tunc autem peccatum eſſe juxta objecti gravitatem nemo diſſentit. Tertio ſi eum non imperet quidem, aut excitet; ſed delectationem advertens eidem directe, vel indirecte, ſive interpretative conſentit: atque eo in caſu peccare jam ſupra docuimus. Quarto tandem ſi dum advertit, neque conſentiat, neque diſſentiat, ſed negative ſe habeat: Et de hoc caſu poſita regula intelligenda eſt, quoties nempe ſubeſt conſentiendi periculum. Itaque ea facile probatur. Certum namque eſt tunc adeſſe conſenſum interpretativum, aut indirectum; quemadmodum animadvertit S. Thomas *quæſt.* 15. *de verit. art.* 4. *ad* 10. inquiens: *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet* (voluntas) *interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente &c. niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire.* Neque in hoc immorari lubet, cum jam Theologi omnes in afferta propoſitione conſentiant.

Regula Sexta.

Si quis motum, aut delectationem graviter illicitam advertens ita repellere negligat, ut poſitive neque conſentiat, neque diſſentiat, ſed negative ſe habeat, peccat lethaliter.

VII. Hæc regula, quam adverſus PP. Salmanticenſes, alioſque defendo, tamquam certa ſaltem in praxi judicanda eſt, dum nulla ſubeſt juſta ratio non repellendi poſitive motum, aut delectationem ex ſe graviter illicitam. Siquidem juxta doctrinam alibi traditam, qui hujuſmodi motum, aut delectationem advertit, neque tamen eidem repugnat, indirecte, aut interpretative in ipſam conſentit. Quid enim ad hunc conſenſum requiritur, niſi quod quis repugnare *poſſit*, ac *teneatur*? Porro hunc repugnare *poſſe* non eſt dubium, cum plena advertentia in eo præſumatur. Quod etiam *teneatur*, liquet, tum quia ejuſmodi delectatio turpis eſt, & in genere peccati mortalis illicita: tum quia ex ſe animum allicit, eaque eſt veluti naturalis conditio humanæ naturæ, ut dum appetitus ſentiens ſe in aliquo oblectatur, ſimul quoque oblectetur voluntas, niſi hæc poſitive reſiſtat, præſertim cum nulla ſubſit non reſiſtendi juſta, ac rationabilis cauſa. Quare, ut dixi, hæc ſententia, quoad praxim ſaltem attinet, certa judicari debet, quidquid ſit de eadem ſpeculative conſiderata. Medium autem aptiſſimum ad hos motus compeſcendos eſt mentem alio avertere, & ad Deum confugere, ſi maxime perſeverent.

Regula Septima.

Prava eſt delectatio præſens de re, aut actione modo illicita, licet hæc aut fuerit, aut extitura ſit licita.

VIII. Obvia ſunt hujuſce regulæ exempla in viduis, & ſponſis: illis namque licita fuit delectatio percepta ex copula maritali; iſtis vero licita futura eſt poſt contractum matrimonium. Si itaque viduus, aut vidua cogitans copulam præteritam de ipſa ſe complaceat, ac delectetur; ac ſimiliter ſponſus, aut ſponſa de futura, lethaliter peccant: quia delectatio deſumit bonitatem, aut malitiam ab objecto formali: Objectum autem formale iſtius delectationis eſt lethale peccatum, nimirum actus matrimonialis, qui tametſi fuerit olim licitus, aut aliquando futurus ſit; modo tamen licitus non eſt, adeoque nec licita præſens de illo delectatio. Quapropter ſi vidui, aut ſponſi deliberate cogitent opus conjugale, oſcula, amplexus, tactuſque eo pertinentes, & admittant in ſe ipſis voluntarias corporis, ſive ſentientis appetitus libidinoſas commotiones, peccant mortaliter: quia tales commotiones non excuſantur a mortali culpa, niſi ratione actus matrimonialis, qui nunc licitus ipſis non eſt.

Quod ſi tamen delectatio in ſola ratione conſiſtat, in eoque duntaxat poſita ſit, ut vidui approbent conjugale opus, quod præteriit, aut ſponſi, quod futurum eſt, neque illud ut præſens concipiant, in eoque ſenſualem delectationem non hauriant; tunc vel non peccant, vel nonniſi venialiter peccant, ſi hujuſmodi actus otioſus ſit, ut eſſe plerumque ſolet. Atque idem dicendum videtur de conjuge in abſentia compartis: de quo fortaſſe alibi.

Regula Octava.

Deſiderium quodlibet etiam inefficax rei, ſive objecti graviter mali grave peccatum eſt.

IX. De hujus regulæ veritate nemo dubitare poteſt, cum hujuſmodi deſideria expreſſe prohibeantur in duobus poſtremis Decalogi præceptis de non concupiſcendis uxore, boniſque proximi noſtri. Idque perſpicua ratio confirmat. Turpe ſiquidem, ac inhoneſtum eſt velle, ac deſiderare quovis modo aliquid turpe, ac illicitum. Unde quod quis, etiam inefficaciter, deſideret quidpiam, quod graviter divinæ legi opponitur, naturæque rationali diſſentaneum eſt, non poteſt non eſſe grave peccatum. Neque enim ad mortale peccatum requiritur, ut conſenſus in opus efficax ſit; ſed ſufficit etiam inefficax: alioqui qui crimen alterius approbat abſque illud committendi voluntate, non peccaret mortaliter; quod falſum eſſe aperte teſtatur Apoſtolus ad Roman. 1. dicens: *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Re-

Regula Nona.

Deſiderium conditionatum rei, ſive actionis pravæ nonnumquam malitia caret, ſæpius tamen peccatum eſt.

X. Hæc regula explicatione potius eget, quam probatione. Ac primo quidem ſi ſolum quis cuperet delectari de re illicita poſita conditione, ſi illicita, aut mala non eſſet, nec tamen de illa ullam habeat præſentem delectationem, haud ſane peccat. Siquidem objectum ejuſmodi delectationis nullam malitiam continet: quamquam enim res, quam cogitat, ſecundum ſe mala ſit, objectum tamen cogitationis illius non eſt res illa ſimpliciter, ſed ſub conditione, ſi licita foret, vel ſi peccatum non eſſet. Unde voluntas non fertur in rem illam, quæ mala eſt, ſed ab ea potius refugit, & abhorret ideo quia mala. Si autem is, qui talem cogitationem concipit, de re ipſa mala in præſenti delectetur; peccat, & quidem lethaliter, attenta materiæ gravitate. Siquidem delectatio ejuſmodi conditionata non eſt, ſed abſoluta, ac præſens: de re autem mala nunquam delectari fas eſt. Quapropter duos conſenſus diſtinguere oportet in hujuſmodi actibus conditionatis; ex. gr. *rem habere vellem cum hac*, *aut illa muliere*, *ſi liceret*: vel *inimicum occiderem*, *ſi a lege non prohiberetur*. Alter conditionatus eſt reſpectu operis cogitati, qui æquivalet huic; *vellem hoc exequi*, *ſi eſſet licitum*: *ſed quia illicitum eſt*, *exequi nolo*. Atque hic malus non eſt, aut ſaltem nonniſi venialiter malus. Conſenſus alter poteſt eſſe in delectationem præſentem; ac iſte eſt abſolutus, perinde ac ſi nulla poneretur conditio. Voluntas quippe abſoluta vult eam delectationem, quæ modo præſens eſt, adeoque pro rei gravitate malus eſt. Si igitur prior ille conſenſus ab altero ſejungatur, non peccat qui ita cogitat, niſi forte venialiter ratione actus otioſi, & inutilis. Si vero adſit poſterior, in re gravi lethaliter peccat. Quapropter ſi dum quiſpiam ita deliberat: *Occiderem inimicum*, *niſi peccatum eſſet*, aut *vellem rem habere cum hac muliere*, *ſi non eſſet contra legem Dei*, in his cogitationibus actualiter oblectatur, mortaliter peccat.

Regula Decima.

Si conditio appoſita deſiderio inefficaci rei vetitæ ejuſdem malitiam auferat, illud ex ſe non eſt mortale peccatum: ſecus, ſi non auferat.

XI. Prioris partis ea ratio eſt; quia hujuſmodi affectus non eſt graviter inordinatus, nec ſecundum ſe, nec ex objecto, a quo per conditionem gravis malitia excluſa ſupponitur: peccatum autem non eſt illud deſiderare, a quo malitia vere ſublata eſt. Id autem ſemper intelligi debet, ſi nullum ſubſit probabile periculum conſenſus abſoluti ex generali ratione, quod nemo ſe exponere queat probabili peccandi periculo. Ratio vero poſterioris eſt; quia ſi per conditionem ſublata ab objecto malitia non ſit, jam tunc voluntatis actus tendit in objectum abſolute malum, a quo proinde malitiam ipſe depromit.

Et quidem in iis, quæ jure ſolo poſitivo prohibita ſunt, conditio appoſita frequentius ab objecto malitiam removet, ut ſi quis in Quadrageſima, aut die veneris de eſu carnium cogitans dicat: *Carnes comederem*, *niſi jejunium Eccleſia præciperet*; vel *optarem*, *ne jejunium hac die præſcriptum foret*; *ne lex Principis hoc vectigal injungeret &c.* Raro tamen id efficit in his, quæ naturæ jure prohibentur, ac forte nonniſi cum ea, quæ ſunt hujuſmodi, in aliqua circumſtantia licita evaderent, ſi conditio apponatur; ut ex. gr. *ſi Judex eſſem*, *hunc hominem homicidam*, *aut furem*, *ad mortem*, *aut ad triremes damnarem*; ſive *vellem uxorem ducere*, *ſi Sacerdos non eſſem &c.* Recte tamen Doctores monent, ejuſmodi deſideria periculoſa eſſe, ac vitanda; quia ſæpius in his implicatur delectatio præſens rei vetitæ, quæ non conditionata, ſed abſoluta eſt, adeoque peccatum. Unde Cajetanus hæc deſideria vocat *fatuas*, *ac diabolicas tentationes*, quibus janua aperienda non eſt: & revera plerumque ſunt occaſiones peccati in materia præſertim venerea, & in aliis etiam, in quibus paſſione aliqua movemur.

Regula Undecima.

Peccatum mortale eſt delectari de opere ex ſe, ac natura ſua malo, quamvis abſque peccato commiſſum fuerit.

XII. Quidquid olim ſenſerint aliqui Theologi laxiores, poſita regula tamquam certa tenenda eſt, poſtquam Summus Pontifex Innocentius XI. in ſuo Decreto ſequentem propoſitionem damnavit n. 15.: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Porro ex hac proſcripta propoſitione ſequitur damnatam eſſe generalem doctrinam, quæ aſſerebat, non eſſe mortale peccatum gaudere, ſive delectari de opere ex genere ſuo ſub lethali culpa prohibito, ſine culpa tamen commiſſo ob defectum voluntarii. Parricidium namque eſt opus ſecundum ſe quidem malum: hic tamen & nunc culpa vacat, quia perpetratum eſt in ebrietate, adeoque involuntarie. Filius de ipſo actu gaudet non quidem ſecundum ſe, ſed ut cauſa eſt boni effectus, hæreditatis ſcilicet inde conſecutæ. Quare damnata propoſitio non aliud eſt præter quoddam exemplum generalis doctrinæ, quæ prohibita fuit ab Eccleſia.

Id evidens ratio confirmat. Tota quippe ratio, cur opus illud ſecundum ſe malum culpa vacaverit, dum commiſſum eſt, ea erat, quod defuerit voluntas, ſive conditio voluntarii ad culpabilem actum requiſita. At cum voluntas eo delectatur, aut gaudet, hæc voluntarii ratio non deficit, quia voluntati acceptum eſt; igitur culpabile efficitur: quemadmodum procul dubio culpabile foret, ſi tale deſiderium reſpiceret objectum futurum; ut ſi Virgo ex. gr. deſideraret corrumpi ab aliquo,

dum

dum dormit, aut mentis impos eſt: tempus enim non mutat rationem peccati, niſi ſit circumſtantia, unde operis malitia proveniat. Sed ad alium voluntatis actum progrediamur, videlicet intentionem.

§. II.

De intentione *relate ad bonitatem, aut malitiam actuum humanorum.*

XIII. Quid intentio finis ſit, jam explicuimus; eamque unam ex præcipuis eſſe diximus circumſtantiis humanorum actuum ad voluntatem pertinentium. De hac diſſerit S. Thomas *art.* 7. & 8. *quæſt.* 19. relate ad bonitatem eorumdem actuum; ex quo, quid dicendum ſit relate ad ipſorum pravitatem, colligere facile eſt. Primum itaque docet, intentionem dupliciter ſe habere poſſe ad voluntatem, ſive mediorum volitionem; nempe *antecedenter*, & cauſaliter, ita nimirum ut tempore, vel natura præcedat voluntatem, & cauſa ſit volendi media: *Et tunc ordo ad finem conſideratur, ut ratio quædam bonitatis ipſius voliti; puta cum aliquis vult jejunare propter Deum: Habet enim jejunium rationem boni ex hoc ipſo, quod ſit propter Deum.* Alio modo intentio finis ſe habet *conſequenter*, & poſterior volitione eſt, qua ſcilicet volumus id, quod rationem medii habere poteſt; ut ſi quis ambulare velit, nihil de fine cogitans, propter quem ambulat; poſtea vero hoc ad ſanitatem referat. Hoc poſito ſit

Regula Prima.

Quoties intentio finis antecedenter *ſe habet, bonitas voluntatis in iis, quæ ſunt ad finem, ex ipſa finis-intentione dependet.*

Ratio eſt; quia tunc ea finis intentio ad voluntatem ſe habet ut formalis ratio objecti voluntatis, a quo pendet bonitas voluntatis ipſius. *Cum bonitas*, inquit S. Thomas, *voluntatis dependeat a bonitate voliti* (ſive objecti), *ut ſupra dictum eſt, neceſſe eſt, quod dependeat ex intentione finis.*

Ut autem quædam, quæ his occurrere difficultates poſſunt, diluantur, advertere opus eſt, non eo ſenſu aſſertionem eſſe intelligendam, ac ſi voluntatis actus circa media ſemper bonus ſit, dum bonus finis intenditur. Liquet enim hoc eſſe a veritate alienum, ipſique D. Thomæ contrarium. Multas quippe actiones, quæ cæteroquin ob finem bonum eliciuntur, malas eſſe indubitatum eſt; ſi nempe ad finem illum eligatur medium illicitum, vel aliqua deſit circumſtantia ad bonitatem requiſita. Nam ut actio mala ſit, ſufficit vel unius circumſtantiæ defectus juxta illud, quod ſexcentis in locis repetit Doctor Angelicus: *Bonum ex integra cauſa; malum ex quocumque defectu.* Sed hoc tantum ſenſu doctrina S. Thomæ accipienda eſt, quod ſcilicet actus voluntatis circa media bonus eſſe non poſſit, niſi finis qui intenditur, bonus ſit. Atque ita bonitas voluntatis circa media ita pendet ab intentione boni finis, ut hæc intentio prorſus neceſſaria ſit, quamvis ſola minime ſufficiat.

Regula Secunda.

Bonitas voluntatis in his, quæ ſunt ad finem, non pendet ex intentione finis ſe habente conſequenter, *niſi quatenus iteratur actus cum hujuſmodi intentione.*

XIV. Ita quoque S. Præceptor hoc eodem articulo ſeptimo. Et ratio eſt; quia intentio, quæ actum ſubſequitur, nec cauſat, nec efficit illum; ut ſi quis ad ſpatiandum pergat, nullo ſibi propoſito fine: ac ſubinde honeſtum iſtud animi levamen referat in Deum; aut ſi quis eleemoſynam erogare velit, ac poſtea ejuſmodi voluntatem referat in vanam gloriam. Dixi: *Niſi quatenus iteratur voluntatis actus cum hujuſmodi intentione.* Eo namque in caſu intentio efficitur formalis ratio præſentis volitionis mediorum, ad eamque ſe habet *antecedenter*: ideoque bonitatem ipſi, aut malitiam conferre valet, prout fuerit boni, vel mali finis intentio.

Regula Tertia.

Finis operantis haud ſemper eſt circumſtantia operis; ſed ei aliquando tribuit primam bonitatis, vel malitiæ ſpeciem.

XV. Hæc regula manifeſta eſt in omnibus actibus ex ſpecie ſua, ſive ex objecto indifferentibus. Opera namque ex objecto ſuo indifferentia ex ipſo objecto bonitatem, aut malitiam deſumere nequeunt; adeoque nonniſi ex fine, in quem referuntur, eam depromere poſſunt. Deinde etiamſi actus ex objecto bonus ſit, ſi quis non attendat ad ſpecificam ejuſdem bonitatem, ſed ad ſolam bonitatem finis extrinſeci, actus ille nonniſi ex hoc fine ſuam bonitatem accerſit: ut ex. gr. ſi quis temperate comedat non attendens ad temperantiæ honeſtatem, ſed tantummodo ad ſanitatem ſuam, quatenus ad Dei ſervitium conferre valet; tunc temperata illa comeſtio non habet bonitatem formalem ex proprio objecto, ſed ex ſolo illo extrinſeco fine. Tertio demum id ſemper contingit, quoties actus ex objecto bonus, fit ob finem malum, ut eleemoſyna collata pauperi ob vanam gloriam: tunc enim primam malitiæ ſpeciem ex illo fine recipit.

Regula Quarta.

Non eadem ratio habenda eſt de intentione boni quoad meritum, ac de intentione mali quoad demeritum.

XVI. Hanc doctrinam tradit S. Thomas *art.* 8. hujus quæſtionis; & in corpore quidem docet, in bonis quempiam non tantum mereri, quantum mereri intendit; eo quod quantitas meriti non commenſuratur quantitati intentionis, ſed quantitati, ſive perfectioni actus, quem elicimus in ordine ad finem intentum. Certe bona intentio, quamvis ſit aliqua cauſa bonæ volun-

tatis, ſive bonæ electionis; non eſt tamen ſola, vel ſufficiens cauſa: ſed requiritur præterea medium conveniens ad finem intentum, moduſque congruus tendendi in illum finem. Unde tametſi quis multum mereri intendat, contingere poteſt, ac ſæpe contingit, vel quod bonum medium non eligat, vel ſi eligat medium bonum, hoc ſit longe impar merito, quod intendit.

Non ita ſe res habet in malis, ut ait S. Doctor *ad* 3. In his enim *ſola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis. Et ideo etiam quantum mala eſt intentio, tantum etiam mala eſt voluntas.* Quare qui intendit peccare mortaliter, licet actio, quam eligit, ex ſe vel nullum peccatum ſit, vel ſolum veniale, mortaliter peccat; v. g. ſi quis lapidem projiciat ex intentione occidendi hominem, etiamſi vel non occidat, vel ſolum leviter lædat.

§. III.

De bonitate, & malitia actuum exteriorum.

XVII. Actus exteriores juxta ea, quæ diximus, ſunt vel boni, vel mali, vel indifferentes, quatenus reſpiciunt objectum vel conforme regulis morum, vel iiſdem diſſentaneum, vel nullam præſeferens vel conformitatem, vel difformitatem cum iiſdem regulis. Hæc bonitas, vel malitia, quæ in actibus exterioribus invenitur, *objectiva* eſt; & de hac loquens D. Thomas *q.* 20. *art.* 1. docet, prius eſſe bonitatem, vel malitiam in actu exteriori, quam in voluntate. At de hac modo ſermo non eſt, ſed de bonitate, vel malitia formali, quæ dependet ab ipſa voluntate deliberate agente; circa quod tres ſequentes regulas conſtituo.

Regula Prima.

Quoties actus exterior, & interior reſpiciunt idem objectum, eumdemque finem, ac circumſtantiam, ſimulque conjuncti ſunt; una eſt tum ſpecie, tum numero utriuſque bonitas, vel malitia: numero vero diverſa, ſi invicem ſeparentur.

Utraque pars docetur a S. Thoma tum *in* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. tum *quæſt.* 2. de malo *art.* 2. *ad* 11. Ea vero probatur: quia actus interior, & exterior ita conjuncti unum tantum actum in genere moris conſtituunt: Nam nullus actus poteſt eſſe moralis, niſi ſit voluntarius. Hujuſmodi autem actus ſimul, & eodem principio habent, quod voluntarii ſint: adeo ut ſi exterior ſine interiori conſideretur, non ſit ullo modo voluntarius, ac proinde nec formaliter bonus, nec formaliter malus.

Altera vero pars evincitur: ſiquidem, dum actus interior, & exterior ab invicem ſeparantur, adeo ut quiſpiam ex. gr. primo velit aliquod peccatum, & poſt moralem hujus actus interruptionem illud voluntarie committat, non unus, & idem eſt voluntatis actus; adeoque neceſſum eſt, quod duo peccata ſint, numero ſaltem diverſa propter diverſitatem duorum actuum voluntatis. Sic enim expreſſe tradit S. Doctor loco citato *de malo* inquiens: *Si aliquis primo tantum velit, & poſtea volens faciat, ſunt duo peccata: quia iteratur voluntatis actus.* Sed de hoc amplius, cum de peccatorum diſtinctione.

Regula Secunda.

Si loquamur de bonitate, aut pravitate exterioris actus, quam actus exterior deſumit ex fine operantis, actus exterior non addit aliquid ad bonitatem vel malitiam actus interioris.

XVIII. Ita D. Thomas hic *quæſt.* 20. *art.* 4. ubi tamen addit: *Niſi contingat, ipſam voluntatem ſecundum ſe fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis*: „ Quod, ſubdit, videtur poſſe „ contingere tripliciter. Uno modo ſecundum „ numerum; puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo: & tunc quidem non „ facit; poſtmodum autem vult, & facit, duplicatur actus voluntatis: & ſic ſit duplex bonum, „ vel duplex malum. Alio modo quantum ad „ extenſionem; puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo, & propter aliquod „ impedimentum deſiſtit: alius autem continuat „ motum voluntatis, quouſque opus perficiat; „ manifeſtum eſt, quod hujuſmodi voluntas eſt „ diuturnior in bono, vel malo: & ſecundum „ hoc eſt pejor, vel melior. Tertio ſecundum „ intenſionem: ſunt enim quidam actus exteriores, qui in quantum ſunt delectabiles, vel pœnoſi, nati ſunt intendere voluntatem, vel remittere. Conſtat autem, quod quanto voluntas intenſius tendit in bonum, vel malum, „ tanto eſt melior, vel pejor “.

Regula Tertia.

Actus exterior nullam addit bonitatem, aut malitiam actui interiori, quoties voluntas ita perfecta eſt, ut ad opus non procedat, niſi aliquo defectu extrinſeco, aut impedimento intercedente.

XIX. Hæc quoque regula colligitur ex verbis D. Thomæ hujus *art.* 4., ubi ait: *Non eſt perfecta voluntas* (ſive ex ſe omnino efficax), *niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur: ſi vero poſſibilitas deſit, voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis, quæ eſt ex actu exteriori, eſt ſimpliciter involuntarius: involuntarium autem, ſicut non meretur pœnam, vel præmium in operando bonum, aut malum, ita non tollit aliquid de præmio, vel de pœna, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum, vel malum.* Quibus in verbis rationem affert S. Doctor, cur eo in caſu nihil meriti, vel demeriti addatur voluntati humanæ ex actu exteriore, quod nempe tunc defectus operis omnino involuntarius ſit: quod autem involuntarium eſt, nihil confert ad formalem bonitatem, vel malitiam; quemadmodum nec ad præmium, aut pœnam.

Huic etiam regulæ Patrum authoritas ſuffraga-

gatur; ac in primis S. Auguſtinus *lib.* 1. *de lib. arbit. cap.* 3. ita ſcribit: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe; non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Et lib. *de bon. conjug. c.* 2. affirmat: *non impar eſſe meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt.*

D. Gregorius *homil.* 5. *in Evangelium* ait: *Exteriora noſtra Domino quamlibet parva ſufficiunt: cor namque, & non ſubſtantiam penſat; nec perpendit, quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferatur.*

S. Cyprianus *lib. ad Quirin. c.* 2. expendens verba illa Apoſtoli ad Cor. 8. *Si voluntas prompta eſt, ſecundum id, quod habet, accepta eſt*, ſubdit: *In opere, & eleemoſynis, etiamſi per mediocritatem minus fiat, ipſa voluntas ſatis eſt.* Cui concinens Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. p. 14. c. 6.: *Si contingat* (inquit) *tantam eſſe voluntatem in eo, qui non operatur, quanta eſt in illo, qui opus exercet, ubi voluntas eadem eſt, meritum diſſimile eſſe non poteſt.* Gemina tradunt Sanctus Bernardus *Epiſt.* 77. Sanctus Bonaventura, & cæteri cum ipſis Theologi, ſi unum fortaſſe, aut alterum demas.

Verum ut in clara luce veritas conſtituatur, ſolvanturque aliquæ, quæ fieri contra poſſunt, objectiones, illud D. Thomæ ſub oculos habendum in primis eſt, regulam poſitam intelligendam eſſe de ea voluntate efficaci, & perfecta, quæ nullam ſubit propter exteriorem actum mutationem, ſed abſque illo æque intenſa, ac diuturna eſt. Si enim in ipſa externi operis executione contingat, ut ſæpe fit, voluntatem intendi, magiſque, vel etiam diuturnius affici ad bonum, vel malum, quod concupiſcit, quam antea afficeretur; dubium non eſt ex actu exteriori augeri bonitatem, vel malitiam actus interioris. Sed tamen augmentum iſtud exterior actus non præſtat niſi ex accidenti, quatenus occaſione externi operis contingit, actum interiorem fieri vel intenſiorem, vel diuturniorem: atque hoc ſenſu explicandæ ſunt quædam Patrum authoritates, quæ contrariæ videntur.

Ulterius doctrinam hanc intelligere oportet de bonitate, & malitia actuum noſtrorum relate ad præmium, aut pœnam eſſentialem. Quamvis enim exterior actus nihil addat ad præmium eſſentiale, addere tamen ad præmium accidentale conſentit, ac docet S. Thomas *in* 1. *diſt.* 40. *art.* 3. Cujus diverſitatis ea ratio eſt; quia ad præmium eſſentiale ordinatur actus virtute charitatis, ex qua procedit: ad accidentale vero ordinatur ex bonitate, quæ convenit actui exteriori ex objecto, ſeu ſpecie ſua. Atque idem dicas de actu exteriore malo quoad quantitatem demeriti per comparationem ad pœnam eſſentialem, quæ in ſeparatione a Deo poſita eſt; quia hæc pœna malæ voluntati reſpondet: ſed quoad pœnam accidentalem, ſive ſecundariam magis demeretur, magiſque punietur, qui actu, & voluntate peccat. De his legi poteſt Sanctus Thomas *quæſt.* 2. *de malo art.* 2.

Demum & illud animadvertendum eſt, quod quamvis actus exterior malus nihil addat ad formalem pravitatem actus interioris eo modo ſumpto, quo expoſuimus; nihilominus illum in Sacramentali Confeſſione omnino aperiendum eſſe, non quia ſecundum ſe malitiam augeat, ſed ob alias cauſas, tum quia ſcilicet præcepto divino adſtringimur ad integram peccati confeſſionem; actus autem externus integrum peccatum cum interno conſtituit: tum quia occaſione actus externi ſæpe intenſior voluntas fit; ea vero creſcente malitia major evadit: tum ob alia gravia incommoda, quæ ex exterioribus actibus conſequuntur, de quibus dijudicare pertinet ad Confeſſarios. Unde qui voluntatem furandi, mœchandi, occidendi &c. habuit, & eam opere complevit, præcepto Confeſſionis non ſatisfacit, niſi externum pravum opus declaret.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Motus, aut penitus indeliberatæ delectationes concupiſcentiæ peccata proprie dicenda non ſunt.*
II. *Hæc veritas certa fide tenenda eſt nedum adverſus nuperos hæreticos, ſed etiam adverſus quoſcumque alios, qui aliter ſenſerunt.*
III. *Gravis, aut levis inordinatio moroſæ delectationis ex gravitate, aut levitate objecti attendenda.*
IV. *Complacentia, ſeu delectatio deliberata nedum de rebus venereis, ſed etiam de aliis objectis prohibitis, lethale peccatum eſt.*
V. *Caute ſe gerere quiſque debet in delectationibus de ſola cogitatione rei pravæ.*
VI. *Delectatio eadem malitia polluitur, qua ſordes objectum.*
VII. *Ad eamdem peccati ſpeciem reducitur delectatio, aut ſimplex complacentia, ad quam pertinet ipſum opus.*
VIII. *Non idem aſſerendum de delectatione eorum, quæ ſolo jure poſitivo prohibita ſunt, ac de prohibitis jure naturali.*
IX. *Species mali, de qua quiſque delectatus eſt, in Confeſſione eſt aperienda.*
X. *In delectationibus, & deſideriis inefficacibus rei malæ quædam S. Thomæ doctrina ſerio ab omnibus attendenda.*
XI. *Quænam ex tradita doctrina conſequantur.*
XII. *Rejicienda propterea ſententia Buſembaum, aliorumque, quos laudat, quoad deſideria inefficacia.*
XIII. *Quædam de his propoſitiones jure meritoque ab Eccleſia damnatæ.*
XIV. *P. Lacroixii ſententia rejecta.*
XV. *Increpandæ mulierculæ ſæpe in deſideria ineſficacia rei malæ prorumpentes.*
XVI. *Alia quædam propoſitio quorumdam Caſuiſtarum ab Eccleſia meritiſſime proſcripta.*
XVII. *Ex hac proſcriptione ſequitur falſitas, & improbabilitas alterius univerſalioris doctrinæ.*
XVIII. *Improbanda quoque eſt alia a Tamburino aſſerta propoſitio.*
Reflexio.

Con-

Conſectarium Primum.

I. CErtiſſime tenendum eſt adverſum nuperos heterodoxos, motus, ſive indeliberatas delectationes, quæ in concupiſcentia exurgunt citra ullum ſive directum, ſive indirectum voluntatis conſenſum, non eſſe peccata ne quidem venialia. Hoc Conſectarium nititur authoritate tum Sacræ Scripturæ, tum Eccleſiæ traditionis, juxta quam Concilium Tridentinum ita definivit ſeſſ. 5. can. 5. &c.: *Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet;* ſubditque poſtea, eam in renatis non eſſe vere, ac proprie peccatum.

Conſectarium Secundum.

II. Hinc merito S. Pius V., & Gregorius XIII. ſequentes propoſitiones vulgo Bajanas condemnarunt: *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto*, Non concupiſces ----: *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto*, Non concupiſces; *quamvis in peccatum tranſgreſſio non deputetur*. Igitur præceptum illud, *Non concupiſces*, hoc ſenſu intelligendum eſt: *Nihil voluntarie concupiſces contra legem Dei;* ſive: *Nulli pravæ concupiſcentiæ conſenſum præſtes*.

Conſectarium Tertium.

III. Gravis, aut levis inordinatio delectationis moroſæ attendi per ſe debet ex gravitate, vel levitate objecti, in quod ipſa tendit; adeo ut ſi objectum ex genere ſuo graviter peccaminoſum ſit, & ipſa quoque grave peccatum eſt: ſecus autem, ſi objectum levem tantum malitiam importet. Hanc doctrinam tradit S. Thomas *hic quæſt.* 74. *art.* 8., ubi agit de conſenſu in delectationem, inquiens *ad* 2. „ Conſenſus in peccatum, „ quod eſt veniale ex genere, eſt veniale pecca- „ tum. Et ſecundum hoc conſenſus in delecta- „ tionem, quæ eſt de ipſa vana cogitatione for- „ nicationis, eſt peccatum veniale; ſed delecta- „ tio, quæ eſt in ipſo actu fornicationis, de ge- „ nere ſuo eſt peccatum mortale“; adeoque ex genere ſuo ipſa quoque delectatio mortale peccatum eſt. „ Sed quod (ſubdit) ante conſenſum „ ſit veniale peccatum tantum, hoc eſt per acci- „ dens, ſcilicet propter imperfectionem actus: „ quæ quidem imperfectio tollitur per conſenſum „ deliberatum ſupervenientem. Unde ex hoc ad- „ ducitur in ſuam naturam, ut in peccatum mor- „ tale“.

Conſectarium Quartum.

IV. Non minus complacentia, ſive delectatio deliberata de actu homicidii cogitati, aliarumque actionum gravem inordinationem continentium, quam de actu venereo, lethale peccatum eſt: quoniam eadem prorſus eſt ratio; idque Confeſſarii diligenter attendant, oportet. Nam multi de delectationibus quidem pravis res venereas ſpectantibus ſe in Confeſſione accuſant: quæ autem ad alia præcepta pertinent, ſæpe ignorant, aut confiteri prætermittunt.

Conſectarium Quintum.

V. Quamvis delectatio, ut notavimus, de ſola cogitatione, ſive cognitione rei pravæ non ſit ex ſe peccatum mortale, ſed aliquando ſolum veniale, aliquando etiam nullum omnino; caute tamen quiſque ſe gerere debet in hiſce delectationibus, ſi de rebus venereis præſertim cogitatio ſit. Nam interdum delectatio quidem ab initio ſolum eſt de cogitatione, & cognitione rei; ſed paulatim augeri poteſt, ac de cogitatione ad rem, ſive actionem ipſam delectatio progreditur, niſi ratio in ſuis actibus vigilet.

Conſectarium Sextum.

VI. Delectatio moroſa eadem malitia polluitur, qua ſordet objectum ipſius, adeo ut ſi opus, circa quod verſatur, plures ſpecie diſtinctas malitias habeat, eaſdem contrahat ipſa delectatio. Quamquam enim non deſint Theologi, qui oppoſitum doceant, ac judicent eum, qui delectatur de concubitu cum uxore aliena, non ut aliena eſt, ſed ut fœmina duntaxat nonniſi unum peccatum committere; contraria tamen opinio communior eſt, & in praxi omnino tenenda. Et ratio eſt; quia non ſolum voluntas efficax, ſive deſiderium, aut executio pravi operis, ſed etiam delectatio de eodem ſequitur operis ipſius naturam, aut conditionem. *Delectatio* enim, inquit S. Thomas hic ad 4. *quæ habet actum exteriorem pro objecto, non poteſt eſſe abſque complacentia exterioris actus ſecundum ſe, etiamſi non ſtatuatur implendum*. Sicut igitur qui vel exequitur, vel deſiderat rem habere cum aliena muliere, licet eam, prout aliena eſt, non conſideret, adulterii reus eſt juxta omnes; ita quoque qui de eadem actione ſolummodo delectatur. Hoc ipſo namque, quod qualitas illa mulieris alienæ, qua afficitur, & non ignoratur, non retrahit animum a prava illius concupiſcentia, aut delectatione, jam tendit in objectum, ſaltem indirecte, prout eſt in ſe; adeoque duplicem contrahit malitiæ ſpeciem: idemque dicas, ſi mulier ſit conſanguinea, aut voto caſtitatis obſtricta &c. Hinc, quemadmodum qui adulterium, aut inceſtum commiſit, haud ſatis in Confeſſione explicat peccatum ſuum dicendo ſolum, *ſe rem habuiſſe cum muliere*; ita quoque qui de iiſdem objectis tantum moroſe delectatus eſt.

Conſectarium Septimum.

VII. Ad illud itaque objectum, & objecti ſpeciem reducitur delectatio, ſeu mera complacentia de eodem, in quo illud invenitur; adeo ut delectatio

tio de homicidio, aut de furto ſive a ſe, ſive ab alio patrato, ſit peccatum mortale contra juſtitiam, atque ita de cæteris. Minus tamen grave peccatum reputanda eſt ſola ſimplex delectatio, aut complacentia, quam conſenſus efficax in hujuſmodi opus: quia conſenſus efficax majorem habet voluntatis inordinationem. Itemque mortale peccatum eſt contra caſtitatem gaudere, ſe ab alio amari amore libidinoſo, tametſi qui ſic amatur, nequaquam redamet; quia ſemper objectum delectationis ſuæ malum eſt, & caſtitati adverſatur, licet non ita grave, ac ſi turpem amorem ipſe obſecundaret, aut foveret.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non ita aſſerendum videtur, ſi ſermo ſit de objecto, quod malum ex ſe non eſt, ſed ſola lege poſitiva prohibito, ex. gr. de eſu carnium cogitato die veneris; niſi forte reſpiceretur (quod raro accidit), prout ab Eccleſia vetito. Quandoquidem objectum iſtud de ſe illicitum non eſt, neque actus ipſe delectationis mere internæ cadit ſub ſpeciali Eccleſiæ prohibitione. Venialis tamen iſtiuſmodi delectatio dicenda eſt ob affectum quemdam intemperantiæ, a quo ſeparari non poteſt.

Conſectarium Nonum.

IX. Satis non eſt explicare in Confeſſione, ſe de aliquo malo gravi proximi delectatum eſſe, aut illud ipſi inefficaciter optaſſe: ſed etiam ſpecies mali aperienda eſt; puta mors, infamia &c. ut tenet nedum probabilior, ſed vera ſententia. Nam quamvis omnia mala, quæ proximo optare aliquis poteſt, conveniant ſub una generica ratione mali; certum tamen eſt, quædam, ut mors, infamia, paupertas &c. ſpecie inter ſe differre. Cum autem objecta delectationum, ſive deſideriorum ſpecie differant, ſpecificam quoque diverſitatem in actus illos refundunt: adeoque cum peccatorum ſpecies ſint in Confeſſione explicandæ, dubitari nequit, quin explicanda quoque ſit ſpecies mali, quam quis optavit proximo ſuo.

Conſectarium Decimum.

X. In deſideriis inefficacibus, aut delectationibus de malo alterius, vel etiam proprio, doctrina illa ſedulo attendenda eſt, quam habet Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1., ubi quærit, *utrum liceat maledicere aliquem;* & præter alia, quæ ibi obſervat, hæc habet in rem noſtram. „ Si aliquis imperet, vel optet malum alterius, „ in quantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens; ſic maledicere utroque modo erit il„ licitum .... Si autem aliquis imperet, vel o„ ptet malum alterius ſub ratione boni; ſic eſt „ licitum, nec erit maledictio, per ſe loquen„ do, ſed per accidens: quia principalis inten„ tio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bo„ num “.

„ Contingit autem aliquid dici imperando, vel „ optando ſub ratione duplicis boni. Quandoque „ quidem ſub ratione juſti: & ſic Judex licite „ maledicit illum, cui præcipit juſtam pœnam in„ ferri: & ſic etiam Eccleſia maledicit anathema„ tizando ..... Quandoque vero dicitur aliquid ma„ lum ſub ratione utilis: puta cum aliquis optat „ aliquem peccatorem pati aliquam amaritudinem, „ aut aliquod impedimentum vel ut ipſe melior „ efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumen„ to ceſſet “. Ex quibus generalis hæc regula ſumitur, atque probatur a Theologis, qui ſanas doctrinas conſectantur: *Quoties bonum illud, propter quod quiſpiam vel optat, vel delectatur de ſuo, aut proximi malo, majus eſt, ac præſtantius bono, quo quis ex illo malo privatur; toties hujuſmodi deſideria, aut delectationes licitæ ſunt, & etiam frequenter laudabiles: illicitæ vero, ſi bonum minus ſit, & inferius.*

Conſectarium Undecimum.

XI. Ex hac tradita doctrina ſequitur, licere mortem, aut aliud ſimile malum optare hæretico falſis ſuis erroribus pervertenti fidelium animas, publicæ pacis perturbatori exilium, peccatori egeſtatem, aut morbum, ut a peccato deſiſtat, moreſque ſuos corrigat &c. quoniam bonum, quod hujuſmodi deſideria reſpiciunt, majus, & excellentius eſt bono, quod damnum deſideratum importat. E contra deſiderare non licet nec ſibi, nec aliis mortem propter egeſtatem, aut calumnias, aut perſecutiones vitandas: quia mors majus his omnibus malum eſt; adeoque inordinate propter hæc appetitur.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Quapropter rejicienda eſt ſententia, quam refert, ac probat Buſembaum *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 1. dicens: „ Eadem ex cauſa Bonacina, Azorius, „ & Palaus &c. excuſant a peccato matrem, quæ „ mortem filiarum exoptat, eo quod ob deformi„ tatem, vel inopiam commode, & honeſte nu„ ptui tradere non poſſit. Etſi vero ſibi ipſi o„ ptare mortem Navarrus, & cæteri dicant eſſe „ mortale; ad evitanda tamen gravia mala, „ ver. gr. afflictionem internam, id licere vo„ lunt Sanchez, Sotus, Granadus, Diana &c. „ Ita & Trullenchus excuſat fœminam, quæ ſi„ bi, vel alteri mortem optat ad vitandam gra„ vem infirmitatem, mendicitatem, vitam acer„ bam &c., vel alia ſimilia mala a marito v. g. „ inflicta, vel infligenda “. Hæc doctrina, inquam, rejicienda omnino eſt tamquam falſa; nec deſideria, ſive voluntariæ delectationes de malis in ea memoratis a gravi culpa excuſari valent.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Jure proinde, meritoque proſcriptæ ab Eccleſia fuerunt ſequentes propoſitiones in Decreto Innocentii XI. quarum altera in ordine 13. ſic efferebat: *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera vero hæc erat: *Licitum eſt abſolute deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Quas propoſitiones nemo non videt, quam aperte regulæ conſtitutæ penitus adverſentur. Porro perperam a quibuſdam in harum propoſitionum patrocinium detorta eſt authoritas Angelici Doctoris ajentis in 3. diſtinct. 30. quæſt. 1. artic. 1. ad 4.: *Poteſt aliquis, ſalva charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingat, non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impeditivum malorum alterius, quem plus tenemur diligere, vel Communitatis, aut Eccleſiæ.* Animadverte diligenter verba Sancti Thomæ, quæ diſerte confirmant traditam a nobis doctrinam; dum loquitur de malo, quod *eſt impeditivum malorum alterius, quem plus tenemur diligere*, ſcilicet *vel Communitatis, aut Eccleſiæ*; in quo charitatis ordo ſervatur omnino, nullatenus vero pervertitur. Quis niſi emotæ mentis aſſerat, hujuſmodi textum Angelicum ſuffragari doctrinæ in duabus damnatis propoſitionibus contentæ, ubi manifeſta eſt charitatis ordinis perturbatio?

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Falſo affirmat, ac docet, etiam poſt damnatas, quas attulimus, propoſitiones, P. Claudius La-Croix n. 186. in citatum Buſembai locum; „ *Manere probabilem ſententiam*, quam (inquit) poſt S. Thomam 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. tenent „ Authores graviſſimi, quos citat, & ſequitur „ Mendo, Ardeskin &c. nempe quod homo poſſit deſiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum ſibi, vel alteri proximo „ impendens, quod aliter vitari non poteſt; v. g. ne injuſte occidatur ab illo, ne per illius „ injuriam ſpolietur bonis ſuis, quod alioquin „ futurum eſt: ſicut aliquis ſibi ipſi licite optat „ mortem, ut evadat ingens malum ſpirituale, „ vel temporale, v. g. ſi aliter non poſſit vitare „ peccatum, vel perpetuum, & durum carcerem ". Plura hic infarcit, & confundit Lacroixius, quæ ſejunctim conſideranda ſunt. Nam uno, vel altero ex his, quos affert, excepto caſu, cæteros, quos probat, virtualiter in propoſitione damnaaa contentos eſſe exiſtimo: adeoque doctrinam ejus nullatenus eſſe *probabilem*. Ac primo quidem, quid ſentiat S. Thomas de hac re loco citato, & quantum ejus doctrina ab erroribus damnatis abhorreat, ex allatis verbis compertiſſimum eſt; nimirum: *Quandoque dicitur aliquod malum ſub ratione utilis, puta cum aliquis optat, aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet.* Ubi nemo non perſpicit, in hac doctrina bonum ſuperius bono inferiori præferri; adeoque inviolatum conſervari caritatis ordinem; &, ſi nihil aliud docuiſſet Lacroixius, cæterique, quos laudat, *Authores graviſſimi*, nedum *probabilis*, ſed etiam certa foret ejus ſententia. Sed in reliquis, quæ immiſcet in textu ſuo, hic Auctor culpandus eſt. Si namque ejus verba perpendantur, conſtat ipſum probare ſententiam permittentem delectationes, & deſideria de privatione bonorum, quæ præſtantiora ſunt bonis, ob quæ permittuntur; atque adeo charitatis, & juſtitiæ ordinem perturbari.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Increpandæ graviter ſunt mulierculæ quædam, quæ altero ſæpe verbo, dum a viris ſuis aut vexantur, aut moleſtias, & perſecutiones ſuſtinent, aut ærumnis hujus vitæ ſubjectæ ſunt, ſibi mortem exoptant. Peccant enim, & quidem lethaliter, niſi eas quandoque inadvertentia, aut ſubitaneus motus excuſet. Neque in his admittenda diſtinctio eſt, quam adhibet P. Viva in propoſitionem damnatam *n.* 21.: nimirum hoc verum eſſe, ſi hæc deſideria concipiantur *ad evadendas leves, & communes hujus vitæ calamitates*; non autem ſi reſpiciant *ærumnas, quæ reddunt vitam morte deteriorem.* Semper enim vita bonum eſt, quod præponderat cæteris hujus vitæ miſeriis.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Quod ſi meritiſſime proſcriptæ ab Eccleſia fuerunt recitatæ duæ propoſitiones in Decreto Innocentii n. 13. & 14. potiori jure profecto damnari meruit, diriſque devoveri alia, quæ ſequitur in eodem Decreto *n.* 15. videlicet: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Patris a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Nam præterquamquod objectum præſens hujuſmodi gaudii malum eſt, & pietati repugnans, ipſa ſola propoſitio ſub aſpectum cujuſque poſita talem, tantumque horrorem ingerit, ut mirum mihi videatur extitiſſe Theologos, qui eam traderent, ac propugnarent.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Hæc propoſitio de gaudio *parricidii in ebrietate commiſſi* ab Eccleſia damnata profecta eſt ex alia doctrina univerſali, quam ex Leſſio, Vaſqueſio &c. tradit Buſembaum *lib* 5. *cap.* 1. his verbis: *Si effectus* (bonus) *ſit ſequutus ex opere ſecundum ſe quidem malo; hic tamen & nunc culpa vacante, ut ex. gr. quia factum eſt in ſomno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia; tunc etiam de ipſo actu licere aliquando delectari, non quidem ſecundum ſe, ſed ut eſt cauſa talis boni effectus, docet Leſſius &c.* Quare hæc quoque generalis doctrina, quantum quidem arbitror, in da-

damnatione allatæ propoſitionis comprehenditur; adeoque aperte falſa dicenda eſt, ut ex dictis ſatis colligitur.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Damnatæ propoſitioni affinis exiſtimanda eſt ſententia, quam docet Tamburinus *lib.* 10. *in Decal. c.* 5. §. 1. his verbis: „Gaudebat quidam „ Sacerdos ſe per inculpabilem oblivionem matutinum die heſterna non recitaſſe, & reprehendebatur ab alio nimis religioſo Sacerdote. Huic „ dixi potuiſſe ipſum gaudere de carentia illius „ laboris, quæ tunc nullo modo peccaminoſa fuit: „ atque adeo tale gaudii objectum erat ab omni „ malitia ſeparatum, nedum ſeparabile". Improbanda eſt hæc doctrina. Nam illud objectum erat quidem ſeparatum ab omni malitia ex mera præciſione mentis, non autem reipſa: adeoque malum eſſe non deſiit.

REFLEXIO.

Si vera ſunt, quæ hactenus docuimus, ut vera eſſe nemo negaverit, vide, quæſo, pie Lector, quam præpoſtera ſint, quam plane diverſa judicia hominum a judiciis Dei de bonitate, ac pravitate actionum noſtrarum. Homines, qui, ut ait Scriptura, *non vident*, *niſi ea*, *quæ apparent*, parum, aut nihil omnino curant, quæ intus in corde geruntur, ſive bona, ſive mala. *Deus autem, qui cor intuetur*, tum in bonis, tum in malis cordis diſpoſitionem maxime æſtimat, eamque pro facto habet, ac juxta ipſam opera noſtra vel præmio afficit, vel ſupplicio. Abraham ad immolandum filium ſuum, ſicut ei juſſerat Dominus, reipſa non pervenit. Quia tamen cor ipſius paratum omnino erat ad tam egregium facinus peragendum, jamque gladium ad immolandum extenderat, quamquam actu non interfecerit, heroicæ obedientiæ ſuæ meritum, præmiumque nequaquam amiſit: immo Deus ſolam ſancti viri voluntatem pro facto ipſo habuit, ac ſi revera filium interfeciſſet, quemadmodum teſtatus eſt inquiens: *Quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum &c.* Quid in Gazophylacium Templi contulerat vidua illa paupercula, cujus meminit S. Lucas, niſi *æra minuta duo*? Et tamen, quia diſpoſitio cordis ejus in iis conferendis perfectior cæteris extitit, qui ingentia munera contulerant, omnibus judicio Chriſti Domini prælata eſt, atque commendata, quaſi plus omnibus.

Atque idem pariter ferendum judicium eſt de operibus malis. Error veterum Hebræorum fuit, qui & nunc obtinet inter modernos, peccata non eſſe, aut ſaltem non puniri, quæ ſolo corde concipiuntur, atque conſummantur pravæ delectationes, deſideria, intentiones &c., nec in opus exterius erumpunt. At hunc errorem graviſſimum correxit Chriſtus Dominus, emendavitque in ſuo Evangelio, diſertiſſime docens nedum externa opera, ſed & ipſas pravas in corde latentes cogitationes, odia, invidias, concupiſcentias &c. peccata eſſe animadverſione digna coram Deo, eorumque malitiam augeri juxta pravam voluntatis diſpoſitionem. Hinc Matth. 5. dixit: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, voluntatem ſolam pro facto reputans: Et cap. 15. tradidit, cor eſſe fontem, *unde exeunt ea*, *quæ coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*; adeo ut etiam illa, quæ externo opere complentur, totam ſuam formalem malitiam trahant a prava cordis diſpoſitione majorem, minoremve juxta majorem, minoremve pravitatem ipſius.

Corrigamus ergo judicia noſtra; illudque ſerio perpendamus, non eſſe aliquem coram Deo ſanctiorem, qui plura bona opera facit; ſed qui ea perfectiore cordis diſpoſitione exequitur: neque ſola externa prava opera pœna digna a Deo æſtimari, ſed etiam interna; atque hæc aliquando graviora, quam illa, ſi nempe ex corruptiore cordis diſpoſitione proveniant.

DISSERTATIO II.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, VITIISQUE OPPOSITIS.

Virtutes, ac vitia principia ſunt, & fontes, unde effluunt actus humani ſive boni, ſive mali. Quare, cum de humanis actibus in genere, & in ſpecie proxime præterita Diſſertatione dixerimus, ſequitur, ut fontes modo perſcrutemur, ac de virtutibus, vitiiſque, quæ illis opponuntur, diſſeramus. At vero non hic de virtutibus omnibus, quemadmodum nec de vitiis, ſermo erit, cum plures ad alios Tractatus pertineant, ubi congruentius diſcutientur: ſed de virtutibus moralibus, ac præſertim cardinalibus, iiſque annexis, de quibus alibi tractandum non eſt. Primo itaque de virtutibus generatim loquemur, de iiſdem in ſpecie poſtea locuturi.

CAPUT PRIMUM.

De virtutibus in genere quædam prælibantur.

DOCTRINA.

I. *Definitio virtutis ex SS. Thoma, & Auguſtino.*
II. *Plures virtutis diviſiones aſſignantur, & exponuntur.*
III. *Quid ſit virtus heroica, & in quo conſiſtat.*
IV. *De origine moralium virtutum. Harum inchoatio quædam in homine eſt attentâ naturâ tum* ſpeciei, *tum* individui.
V. *At in ratione* virtutis *non comparantur niſi operum aſſuetudine, labore, ſtudio, & induſtria.*
VI. *De ſubjecto virtutum. Tres in animo noſtro partes diſtinguuntur; ſuprema, media, & infima.*
VII. *Quæ tribus hiſce partibus virtutes conveniant, explicatur.*
VIII. *Hiſce omnibus partibus ſuæ tribuuntur virtutes, quibus inſident.*
IX. *Appoſita S. Thomæ obſervatio.*
X. *De medio, in quo virtus conſiſtit. Multiplex medium diſtinguitur.*
XI. *Medium per ſe non habent Theologicæ virtutes.*
XII. *Ex parte tamen noſtra regula, & menſura etiam his virtutibus præfigitur; & per* accidens *medium habent.*
XIII. *De mutua virtutum connexione, & harmonia. Hac procul omni dubio prærogativa gaudent virtutes ſupernaturales.*
XIV. *Obvia quædam objectio ex verbis S. Thomæ ſoluta.*
XV. *Virtutes quoque morales acquiſitæ in ſtatu perfecto conſideratæ connexæ invicem ſunt.*
XVI. *De virtutum perfectione, quæ haberi in hac vita poteſt. Elegans S. Thomæ doctrina præmiſſa.*
XVII. *Pelagianorum error de hac perfectione a S. Hieronymo confutatus.*
XVIII. *Confutavit eumdem etiam S. Auguſtinus.*
XIX. *Tria Decreta ab Eccleſia in Concilio Africano edita adverſus hujuſmodi errores.*
XX. *Præcipuum Catholici dogmatis fundamentum ab Auguſtino propoſitum, & a S. Thoma illuſtratum.*
XXI. *Alia de eodem argumento Sancti Thomæ doctrina.*
XXII. *Cujus generis, & conditionis dicenda ſit impoſſibilitas non peccandi homini conveniens in hac vita mortali.*
XXIII. *Pauca quædam attinguntur de Donis Spiritus Sancti.*

§. I.

Virtutis definitio.

I. Quum multæ circumferantur definitiones virtutis, tum illam cæteris omnibus præferendam puto, quæ traditur ab Angelico Doctore *p. 2. q. 55. a. 4.* probaturque frequentius a Theologis; nimirum

Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur; & quam Deus in nobis ſine nobis operatur.

Quam apta ſit hujuſmodi definitio virtutis, & quam perfecte omnem virtutis rationem complectatur, pulchre declarat ipſe S. Thomas in corp. articuli, cujus verbis nihil neque addere, neque detrahere debemus. Sic enim ſcribit: „ Perfecta „ ratio uniuſcujuſque rei colligitur ex omnibus „ cauſis ejus. Comprehendit autem prædicta de„ finitio omnes cauſas virtutis. Cauſa namque „ formalis virtutis, ſicut & cujuslibet rei, acci„ pitur ex ejus *genere*, & *differentia*, cum dici„ tur *bona qualitas*: genus enim virtutis *qualitas* „ eſt; differentia autem *bonum*. Eſſet tamen con„ venientior definitio, ſi loco qualitatis *habitus* „ poneretur; qui eſt genus propinquum. Vir„ tus autem non habet materiam *ex qua*, ſicut „ neque alia accidentia; ſed habet materiam *circa quam*, & materiam *in qua*, ſcilicet ſubje„ ctum. Materia autem *circa quam* eſt objectum „ virtutis, quod non potuit in prædicta defini„ tione poni, eo quod per objectum determina„ tur virtus ad ſpeciem; hic autem aſſignatur de„ finitio virtutis in communi: unde ponitur ſub„ je-

„ jectum loco cauſæ materialis, cum dicitur, quod „ *bona qualitas mentis*. Finis autem virtutis, „ cum ſit habitus operativus, eſt ipſa operatio. Sed „ notandum, quod habituum operativorum *ali-* „ *qui* ſunt ſemper ad malum, ſicut habitus vi- „ tioſi: aliqui vero quandoque ad bonum, & „ quandoque ad malum; ſicut opinio ſe habens „ ad verum, & falſum. Virtus autem eſt habi- „ tus ſemper ſe habens ad bonum. Et ideo, „ ut diſcernatur virtus ab his, quæ ſemper ſe „ habent ad malum, dicitur, *qua recte vivitur*. „ Ut autem diſcernatur ab his, quæ ſe habent „ quandoque ad bonum, quandoque ad malum, „ dicitur, *qua nullus male utitur*. Cauſa autem „ efficiens virtutis infuſæ, de qua definitio da- „ tur, Deus eſt; propter quod dicitur: *Quam* „ *Deus in nobis ſine nobis operatur*; quæ quidem „ particula ſi auferatur, reliquum definitionis e- „ rit commune omnibus virtutibus & acquiſitis, „ & infuſis “.

Hæc definitio ſic expoſita ex variis S. Auguſtini locis collecta eſt, ac præſertim ex *lib.* 2. *de lib. arbitr. cap.* 19. ubi ait, quod *virtutes, quibus recte vivitur, magna bona ſunt;* ac poſtea: *Virtutibus nemo male utitur*. Quod ex doctrina ejuſdem S. Doctoris cap. eodem explicat S. Thomas in reſp. ad 5. dicens, quod quidem *virtute poteſt aliquis male uti, tamquam objecto, puta cum male ſentit de virtute, cum odit eam, vel ſuperbit de ea: non autem tamquam principio uſus; ita ſcilicet, quod malus ſit actus virtutis*.

Nec plane hæc definitio ab Angelico Doctore tradita ab ea, quoad rem ipſam, diſſentit, quam tradidit ipſe S. Auguſtinus lib. 15. *de Civit. Dei* cap. 22. ubi ait: *Mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis ſit ordo amoris:* quia recte vivere eſt ordinate amare: *Non* enim, ut alibi docet, *faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores*. Unde & eam approbat Sanctus Thomas *art.* 1. *ad* 4. inquiens: *Virtus dicitur ordo, vel ordinatio amoris, ſicut id, ad quod eſt virtus: per virtutem enim ordinatur amor in nobis*.

§. II.

Virtutum diviſio.

II. Prima, eaque univerſalis diviſio virtutum ſatis conſtat ex data virtutis definitione; eaque ſe tenet ex parte principii efficientis earumdem: nimirum aliæ ſunt *infuſæ* a Deo, quas ſcilicet *Deus in nobis ſine nobis operatur*: aliæ *acquiſitæ*, quas videlicet noſtris actibus, ſive exercitatione bonorum actuum acquirimus.

Alia diviſio ex parte ipſius virtutis conſiderata, eſt in *intellectualem*, *moralem*, ac *theologicam*, adeo ut quæcumque virtus aſſignetur, ſub aliqua harum contineri oporteat. Illam porro tradit S. Thomas in hujus quæſtionis procemio, traduntque etiam cæteri Doctores.

Virtus intellectualis triplex tantummodo eſt: ſcilicet *ſapientia*, *ſcientia*, & *intellectus*. Siquidem, ut animadvertit S. Thomas *q.* 57. *art.* 2. virtus intellectualis ſpeculativa eſt: per quam intellectus ſpeculativus perficitur ad veritatis conſiderationem. Aut igitur ordinatur ad conſideranda prima principia, quæ ſunt per ſe nota; & virtus hæc *intellectus* dicitur: aut ad conſiderandas concluſiones, quæ ex primis principiis inferuntur, & vocatur *ſcientia*: aut ad conſiderandas altiſſimas cauſas; & *ſapientia* appellatur. Non enim *ſapientia* hic ſumitur, prout peculiare donum Spiritus Sancti eſt, ſed generatim pro habito quodam, quo quis prompte aſſentitur veritatibus neceſſariis, quæ ultimo ad humanam notitiam pervenire queunt, hoc eſt *cauſis altiſſimis*.

Virtutes theologicæ tres pariter ſunt; nempe *fides*, *ſpes*, & *charitas*, de quibus peculiari tractatu a nobis erit agendum.

Virtutes morales eæ ſolum dicuntur, quæ ſunt in facultate appetente, ſive appetitiva, aut ab ea dependent. Denominatur quippe virtus moralis *a more*, prout mos ſignificat quamdam inclinationem ad actum. Inclinatio autem ad actum proprie ſolum convenit appetitivæ facultati, ad quam ſolam pertinet movere cæteras potentias, ſive facultates.

Virtutes morales quatuor præcipue diſtinguuntur, quæ etiam dicuntur *principales;* nempe *prudentia*, *juſtitia*, *temperantia*, *fortitudo*, ad quas cæteræ quæque virtutes morales revocantur. Has Eccleſiæ Patres vocant quatuor angulos ædificii ſpiritualis, quatuor fluvios Paradiſi terreſtris, quatuor rotas myſtici currus Ezechielis, quatuor elementa parvi Mundi. *Cardinales* etiam paſſim appellari ſolent: quia, ut S. Thomas obſervat *in Diſput. quæſt. de virtutibus Cardinal.* artic. 1. *Cardinalis a cardine dicitur, in quo oſtium vertitur, ſecundum illud Proverb.* 26.: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. Unde virtutes Cardinales dicuntur, in quibus fundatur vita humana*.

Hujus autem diviſionis idem S. Doctor duplicem rationem aſſignat *p.* 2. *q.* 61. *art.* 2. quarum prima ſumitur ex parte *principii formalis ipſius virtutis, quod eſt bonum rationis:* quod quadrifariam conſiderari poteſt. Primo ſcilicet, prout in conſideratione rationis conſiſtit: & circa illud ſic ſpectatum verſatur *prudentia*. Secundo quatenus eſt circa operationes: & ad illud pertinet *juſtitia*. Tertio quatenus eſt circa paſſiones, eaſque vel impellentes in bonum rationi contrarium, & ad hoc pertinet *temperantia*: vel retrahentes a bono, quod ratio præſcribit; & ad illud pertinet *fortitudo*.

Rationem aliam repetit ex ipſo ſubjecto humanæ virtutis. *Quadruplex enim*, inquit, *invenitur ſubjectum hujus virtutis* (moralis), *de qua nunc loquimur, ſcilicet* rationale per eſſentiam, *quod prudentia perficit:* & rationale per participationem, *quod dividitur in tria; ideſt in voluntatem*, quæ eſt ſubjectum *juſtitiæ*, & in *concupiſcibilem*, quæ eſt ſubjectum *temperantiæ;* & in *iraſcibilem*, quæ eſt ſubjectum *fortitudinis*.

Aliam demum virtutis diviſionem repetere poſſumus ex diverſo ſtatu, ſive perfectione ejuſdem: & juxta hanc diſtinguuntur virtutes in *Exemplares*, *Politicas*, *Purgatorias*, & *purgati animi*.

Exemplares eæ appellantur, quæ in Deo ſunt tamquam in perfectiſſimo, abſolutoque exemplari virtutum omnium, quem inſpicere ſemper debemus, ne a virtutis tramite unquam deflectamus. *Oportet* enim, inquit S. Auguſtinus lib. de Mor. Eccleſiæ cap. 6. *quod anima aliquid ſequatur ad hoc, quod poſſit virtus innaſci: & hoc Deus eſt, quem ſi ſequamur, bene vivimus.*

Politicæ virtutes non ea hic ratione dicuntur, quod in bonum Communitatis ordinentur; ſed quod conveniant ſtatui hominis in communi aliorum hominum ſocietate viventis, ipſumque perficiant ad res humanas juxta communem convictum bene gerendas.

Purgatoriæ vocantur, quæ in iis ſunt, qui ſe a Reipublicæ actibus ſejungentes, reſque terrenas contemnentes, toti ad hoc tendunt, ut divinis vacent. *Ita ſcilicet*, inquit S. Thomas quæſt. 61. art. 5. *quod prudentia omnia mundana divinorum contemplatione deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in divina ſola dirigat: temperantia vero relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis uſus requirit: fortitudo autem, ut anima non terreatur propter receſſum a corpore, & acceſſum ad ſuperna: juſtitiæ vero eſt, ut tota anima conſentiat ad hujuſmodi propoſiti viam.*

Tandem virtutes *purgati animi* in iis reperiuntur, qui ita virtutum ſtudio *divinam aſſequuntur ſimilitudinem* (verba ſunt ejuſdem S. Doctoris) *ut prudentia ſola divina intueatur: temperantia terrenas cupiditates neſciat: fortitudo paſſiones ignoret: juſtitia cum divina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus eſſe Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſſimorum*: qui profecto pauciſſimi ſunt.

III. Hiſce virtutibus *purgati animi* accenſentur illæ, quæ *heroicæ* nuncupantur, quamquam & eæ, quæ *purgatoriæ* ſunt, hoc vocabulo aliquando donentur, ſi ad gradum perfectionis eximium pertingant. Hinc Angelico Præceptore docente arbitramur, habitum heroicum, vel divinum, ut ait ille 3. *p. q.* 7. *art.* 2., non differre a virtute communiter dicta, niſi ſecundum perfectiorem modum, quatenus ſcilicet quis eſt diſpoſitus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat.

Nominis *heroicæ* virtutis, ſive actus etymologiam, uſumque in Eccleſiam invectum ad egregias Martyrum, & Sanctorum virorum virtutes celebrandas declarat S. Auguſtinus *lib.* 12. *de Civit. c.* 21. Ait namque: „ Martyres multo elegantius, ſi Eccleſiaſtica loquendi conſuetudo „ pateretur, noſtros *heroas* vocaremus. Hoc enim „ nomen a Junone dicitur tractum, quod græce „ *Juno*, *Hera* appellatur: & ideo neſcio quis filius ejus ſecundum Græcorum fabulas *heros* fuerit nuncupatus, hoc videlicet veluti myſticum „ ſignificante fabula, quod aer Junoni deputetur, ubi volunt cum Dæmonibus heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti „ animas defunctorum. Sed a contrario Martyres noſtri *Heroes* nuncupantur .... non quod „ eis eſſet cum Dæmonibus in aere ſocietas, ſed „ quod eoſdem Dæmones, ideſt aereas vincerent „ poteſtates ..... & eaſdem virtutibus divinis „ ſuperant ".

Virtutis itaque heroicæ idea poſita eſt in ſublimiore quodam modo diſponendi, & afficiendi animum erga bonum, quam communiter hominibus competat: quem modum clariſſime exponit S. Thomas *lect.* 1. *in lib.* 7. *Ethicorum* his verbis: „ Conſiderandum eſt, quod anima humana media „ eſt inter ſuperiores ſubſtantias, & divinas, quibus communicat per intellectum; & animalia „ bruta, quibus communicat in ſenſitivis potentiis. Sicut ergo affectiones ſenſitivæ partis aliquando in homine corrumpuntur uſque ad ſimilitudinem beſtiarum; & hæc vocatur *beſtialitas* ſupra humanam malitiam, & incontinentiam; „ ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur, & formatur ultra communem „ modum humanæ perfectionis quaſi ad ſimilitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum: & hæc vocatur virtus *divina* ſupra humanam virtutem, „ & communem "; ſicut etiam *heroica*.

Sapienter etiam admonet idem S. Doctor 2. 2. quæſt. 159. art. 2. ad 1. *virtutes illas heroicas fieri, quæ maxime diriguntur, & elevantur Spiritus Sancti donis*. Hinc ait: „ Sævitia, vel feritas directe non opponitur clementiæ, ſed ſuperexcellentiori virtuti, quam Philoſophus vocat „ *heroicam*, vel divinam, quæ ſecundum nos videtur pertinere ad dona Spiritus Sancti ". Et hic *q.* 68. *art.* 1. *ad* 1.: „ Hujuſmodi dona „ nominantur quandoque virtutes ſecundum communem rationem virtutis. Habent tamen aliquid ſuperveniens communi rationi virtutis, „ in quantum ſunt quædam divinæ virtutes perficientes hominem, in quantum eſt a Deo motus. Unde & Philoſophus *in lib.* 7. *Ethic.* docet, virtutem communem poni quamdam virtutem heroicam, vel divinam, ſecundum quam „ dicuntur aliqui *divini viri* ".

§. III.

De origine moralium virtutum.

IV. Virtutum infuſarum, ſive ſupernaturalium originem a Deo eſſe, eas nobis infundente, atque cauſante, explorata res eſt: ſed non adeo comperta eſt virtutum naturalium origo, & cauſa; eamque obſcuriorem effecere Philoſophorum inter ſe diſſidentium opiniones. At miſſis hujuſmodi diſſidiis ad inſtitutum noſtrum neutiquam pertinentibus, quam amplexus eſt S. Thomas, docueruntque Eccleſiæ Patres, paucis expono. Ut rem omnem dilucide, ſolideque conficiat, monet primum hic *quæſt.* 63. *art.* 1. dupliciter quidpiam dici poſſe homini *naturale*; altero modo *ex natura ſpeciei*, altero *ex natura individui*: Illud autem, quod convenit homini ſecundum animam rationalem, ei eſſe naturale ſecundum rationem *ſpeciei*; illud autem, quod ipſi convenit ſecundum determinatam corporis complexionem, naturale eſſe ſecundum naturam *individui*. Monet etiam virtutes bifariam poſſe conſiderari; primo ſecundum quamdam *inchoationem*; deinde quoad earum *conſummationem*, & *perfectionem*.

Hinc

Hinc vero docet, virtutum *inchoationem* naturalem homini eſſe ſecundum utramque naturam tum *ſpeciei*, tum *individui*: videlicet homini utrovis modo conſiderato congenita eſſe quædam veluti ſemina virtutum, ſive quædam principia, & diſpoſitiones, quibus per induſtriam, atque exercitationem comparare ſibi virtutes queat. Partem priorem illuſtrat his verbis: *Secundum quidem naturam ſpeciei, in quantum in ratione hominis inſunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita tam ſcibilium, quam agendorum, quæ ſunt quædam ſeminaria intellectualium virtutum, & moralium, in quantum in voluntate ineſt quidam naturalis appetitus boni, quod eſt ſecundum rationem.* Nimirum inſunt rationi bona quædam judicia practica de bono amando, & de malo fugiendo. Inſunt etiam voluntati amor boni honeſti, & fuga mali rationi diſſentanei. Hæc omnia ſcilicet a Deo Conditore citra ullum animi noſtri ſtudium, atque induſtriam indita nobis, & impreſſa ſunt: quæ ſane non ſunt virtutes, nec virtutis actus, & opera. Sunt tamen virtutum ſemina, & principia, quibus voluntas, rectæ rationis prælucente judicio, prodit in particulares honeſtatis amores, iiſdem frequenter exercitis, bene ipſa conſtanterque afficitur erga particulares honeſtates, virtuteſque acquirit, quæ in bona, conſtantique animi affectione conſiſtunt.

Ad partem alteram ſubinde pergit S. Doctor, eamque his verbis exponit: „ Secundum vero naturam *individui*, in quantum ex corporis diſpoſitione aliqui ſunt diſpoſiti vel melius, vel pejus ad quaſdam virtutes, prout ſcilicet vires quædam ſenſitivæ ſunt actus quarumdam partium corporis, ex quarum diſpoſitione adjuvantur, vel impediuntur hujuſmodi vires in ſuis actibus, & per conſequens vires rationales, quibus hujuſmodi ſenſitivæ vires deſerviunt. Et ſecundum hoc unus homo habet naturalem aptitudinem ad ſcientiam: alius ad fortitudinem: alius ad temperantiam “. Conſtat videlicet, partium corporis diſpoſitiones maxime pendere e fibrarum, cerebrique textura, ac natura ſpirituum, quos *animales* vocamus: atque e ſpirituum natura, texturaque fibrarum, & varia cerebri conditione, tenuitate, ſubtilitate, acrimonia, duritie, copia diverſos oriri affectus, ſpei, timiditatis, audaciæ, iræ, aliaſque animi propenſiones.

V. His ergo modis, concludit ibidem S. Thomas, *tam virtutes intellectuales, quam morales ſecundum quamdam aptitudinis inchoationem ſunt in nobis a natura.* At ſi virtutum conſummatio, aut perfectio, qua animus noſter conſtanter afficitur, diſponiturque ad bonos amores faciliter, ac ſuaviter producendos, conſideretur, hanc non eſſe docet ille appendicem naturæ congenitam. Hinc *art.* 2. ejuſdem quæſt., & *q.* 1. *de virtut.* tradit, operum aſſuetudine, ſtudio, labore, & induſtria comparari virtutes: idque quoad partem priorem evincit, *quia natura determinatur ad unum; conſummatio autem ejuſmodi virtutum non eſt ſecundum unum modum actionis, ſed diverſimode ſecundum diverſas materias, in quibus virtutes operantur, & ſecundum diverſas circumſtantias.* Alteram vero ita oſtendit: *Cum ratio multoties inclinat virtutem appetitivam in aliquid unum, fit quædam diſpoſitio firmata in vi appetitiva, per quam inclinatur in unum, & iſta diſpoſitio ſic firmata eſt habitus virtutis. Unde ſi recte conſideretur virtus appetitivæ partis, nihil eſt aliud, quam quædam diſpoſitio, ſive forma ſigillata, & impreſſa in vi appetitiva a ratione.* Atque hæc S. Thomæ doctrina conſona omnino eſt iis, quæ de hoc argumento tradunt Eccleſiæ Patres, Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom., Athanaſius in vita S. Antonii, Baſilius homil. 9. in Exam., Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Epheſ., aliique, quorum teſtimonia prætereo.

§. IV.

De ſubjecto virtutum.

VI. De ſubjecto, ſive ſede virtutum differit Doctor Angelicus hic *quæſt.* 96. per plures articulos, & in Diſput. *q. de Virtut.* Quæ ſcitu digniora ſunt, curſim expono, nonnullis in anteceſſum præmiſſis: nimirum tres in animo noſtro tum qua cognoſcit, tum qua appetit, partes diſtinguere oportet; ſupremam, mediam, & infimam. *Supremam* vocat eam S. Thomas *q.* 15. *de Verit. art.* 2., quæ rebus attendit increatis, & æternis ſupra animam exiſtentibus, ſive ut earum veritatem, & naturam abſolute contemplemur, ſive ut ab eis rationes, & quaſi exemplaria operandi capiamus. *Media* eſt, quæ convertitur ad ea, quæ animam non excedunt, aut infra eam poſita ſunt, vel conſpicienda per contemplationem, vel per actionem diſponenda. Utriuſque partis objecta, officia, operationes declarat ille *art. ſeq.* docens, primæ partis munus eſſe, ut deliberet de agendis ex hoc, quod Deo acceptum eſt, vel divina lege præceptum, vel aliquo hujuſmodi modo, uti ſunt ultimi finis ratio, Dei voluntas, Dei offenſa, lex divina, motiva quæque ſupernaturalia, & ſi qua ſunt alia, quæ humanam mentem excedant.

Alterius partis, ſive *mediæ* deliberare proprium eſt de agendis per cauſas inferiores, utpote conſiderando turpitudinem actus, rationis dignitatem, hominum offenſam, quamlibet honeſtatem creatam naturalem, virtutum officia, bona delectabilia, commoda hujus vitæ, utilitates, & hujuſmodi.

Denique pars *infima* eſt imaginatio rerum ſenſilium, & appetitus earumdem, qui *ſentiens* nuncupatur: quæ duæ animæ facultates utuntur organo corporeo, & ſpirituum animalium miniſterio.

VII. Tum ſupremæ, tum mediæ parti perfectam convenire libertatem conſentiunt Theologi: imperfectam aliquam competere quoque infimæ parti, ſive appetitui ſentienti, quæ in homine eſt, concedit S. Thomas, quamquam Diſcipuli ipſius in ea explicanda diffideant; de quo diſſidio nihil ad nos. Bona, & mala, quæ ſibi vindicant tres hujuſmodi partes, innuamus. *Suprema* itaque pars agere dicitur, quoties Deum, rationeſque æternas, & increatas diligimus; & ab eodem avertimur odio Dei, deſperatione, infidelitate, aliiſque hujuſce generis flagitiis. Ad eam quoque

pertinent actus, & amores tum mediæ, tum infimæ partis, quoties in eos prodimus ob motiva illa, quæ ſuppeditant ſupremæ, & increatæ rationes. Bene agit pars *media*, cum honeſtatem creatam, & officia quæque virtutum amat ob honeſtatis motivum, odit operum turpitudinem, vitat hominum offenſam, decoremque rationis cuſtodit: peccat autem, cum, hiſce regulis prætermiſſis, in oppoſitos amores erumpit. Sed & actus ſentientis appetitus bonos omnes, omneſque lethaliter malos hæc eadem pars ſibi vendicat: cum nulla paſſio bona ſit, quam recta ratio, honeſtatis fine ſibi proprio præſtituto, non ordinet ad mediocritatem; nec ullum peccatum lethale ſit, ſi ejus deliberatio deſit. Quoad appetitum ſentientem attinet tria docet S. Thomas; primo, quæ bona facit ille, ſine directione mediæ, aut ſupremæ partis non fieri: ſecundo, neque labi poſſe in peccatum lethale, quin etiam voluntas conſentiat: tertio, veniale tamen peccatum admittere poſſe ſibi proprium. Quod fuſe exponit in Diſp. q. 25. *de ſenſualitate*: quem locum videſis, ſi lubet.

VIII. Ex quibus omnibus colligi facile poteſt, quodnam ſit virtutum ſubjectum; ſive quænam ſedes virtutibus aptandæ ſint: nimirum *ſuprema pars* animi ſupremis illis, quæ *ſupernaturales* dicuntur, virtutibus afficitur; cujuſmodi ſunt fides, ſpes, charitas, religio, pœnitentia, & ſi quæ ſunt aliæ ſe habentes erga Deum gratiæ authorem, & gloriæ. Infunt quoque eidem parti virtutes, quibus bene permanenter diſponatur erga bonum divinum Deo proprium, licet ſolo naturæ lumine notum, ut præter religionem, & pœnitentiam, humilitas, qua propriam excellentiam ſubjicimus Deo, aliiſque propter Deum, ut docet S. Thomas hic *art.* 6.

Mediæ parti inhærent virtutes, quæ verſantur erga officia aliis præſtanda: cum enim ſeipſa abſque virtute in proprium bonum honeſtum tendat, valeatque virtutum officia, quæ ſunt ejuſdem proprii boni partes, amare, ac velle exercere, opus non habet, niſi ut per virtutem bene conſtanterque afficiatur erga bona officia aliis præſtanda: unde inſunt illi juſtitia, ejuſque partes omnes, ut pietas erga parentes, obſervantia erga hominum excellentiam, amicitia, affabilitas, & ea liberalitas, ac magnificentia, quæ ad aliorum utilitatem ordinantur.

Tandem virtutes reliquas, fortitudinem, temperantiam, earumque partes, & virtutes ſubjectas in appetitu ſentiente collocat S. Thomas. Docet nempe, ſentientem appetitum dividi in *concupiſcentem*, & *iraſcentem*, ac paſſiones, ſive animi perturbationes, quæ ſpirituum animalium motu excitantur, actus eſſe utriuſque partis: prioris quidem amorem, & odium, deſiderium, & fugam, delectationem, & dolorem, ſive triſtitiam; poſterioris autem ſpem, & deſperationem, timorem, audaciam, & iram. Ratione recta diriguntur paſſiones iſtiuſmodi, diverſo tamen modo, ac corpus ipſum regit, prout explicat hic *quæſt.* 56. *art.* 4. *ad* 3. inquiens: „ Alia ratione „ regitur corpus ab anima, & iraſcibilis, & con„ cupiſcibilis. Corpus enim ad nutum obedit a„ nimæ abſque contradictione in his, in quibus „ natum eſt ab anima moveri. Unde Philoſophus „ dicit *in* 1. *Polit.* quod *anima regit corpus diſpotico dominio*; ideſt ſicut dominus ſervum: & „ ideo totus motus corporis refertur ad animam, „ & propter hoc in corpore non eſt virtus, ſed „ ſolum in anima. Sed iraſcibilis, & concupi„ ſcibilis & non obediunt ad nutum rationi ſed ha„ bent proprios motus ſuos, quibus interdum ra„ tioni repugnant. Unde in eodem loco Philoſoph. „ dicit, quod *ratio regit iraſcibilem*, & *concupiſcibilem principatu politico*, quo ſcilicet reguntur „ liberi, qui habent in aliquibus propriam vo„ luntatem. Et propter hoc etiam oportet in „ iraſcibili, & concupiſcibili eſſe aliquas virtu„ tes, quibus bene diſponantur ad actus “.

Quamquam igitur voluntas virtute non egeat, ut bene diſpoſita ſit erga virtutum officia, quæ ſunt partes boni honeſti ipſius voluntatis proprii; frænum tamen ratio, atque voluntas imponere debent appetitui, ut rationi ſerviat, ac moderatas paſſiones eliciat fini rationis convenientes. Hinc bonæ conſtanteſque affectiones appetitus erga paſſiones moderatas ſunt virtutes in eo ſedem habentes; nempe *temperantia* in appetitu concupiſcente, ſeu concupiſcibili, & in iraſcente, ſeu iraſcibili *fortitudo*, earumque partes, verecundia, abſtinentia, caſtitas, modeſtia, jucunditas, eutrapelia: fiducia quoque, ſeu magnanimitas, magnificentia, patientia, & perſeverantia.

IX. Hinc tamen adnotare lubet, nos virtutes, ac virtutum actus eo ſolum modo ſentienti appetitui adjudicare, quo docet S. Thomas *in Diſp. q. de virtut. art.* 4. ubi ait: *Actus virtutis non poteſt eſſe iraſcibilis, vel concupiſcibilis tantum ſine ratione; id tamen, quod eſt in actu virtutis, principalius eſt rationis, ſeu electio. Ratio enim imperat iraſcibili, & concupiſcibili. Non ergo dicitur eſſe virtus in iraſcibili, vel concupiſcibili, quaſi per eas totus actus virtutis, vel principalior pars expleatur: ſed in quantum per virtutis habitum ultimum complementum bonitatis actui virtutis confertur, in hoc ſcilicet, quod iraſcibilis, & concupiſcibilis abſque difficultate ſequantur ordinem rationis.*

§. V.

De medio, in quo virtutes conſiſtunt.

X. Virtutes morales in medio conſiſtere commune Theologorum decretum eſt: unde etiam virtus definiri ſolet: *Habitus electivus in mediocritate conſiſtens, prout determinaverit prudens.* Medium porro hujuſmodi multiplex eſt, prout exponit diſertiſſime S. Thomas. Primum illud eſt, quod *medium rationis* vocatur, & a prudentia præſcribitur; cujus munus eſt humanos actus ad legem, rectamque rationem exigere, eiſque certum modum, finem, ac terminum præſtituere. Medium hujuſmodi ſubmovere perinde eſt, ac virtutem omnem extinguere, ut probat S. Doctor *hic quæſt.* 64. *art.* 1. inquiens: „ Menſura, & re„ gula appetitivi motus circa appetibilia eſt ipſa „ ratio. Bonum autem cujuslibet menſurati, & re-

gu-

„ gulati conſiſtit in hoc, quod conformetur ſuæ „ regulæ: ſicut bonum in artefactis eſt, ut ſequatur regulam artis; malum autem per conſequens, „ quod aliquid diſcordet a ſua regula, vel menſura. Quod quidem contingit vel per hoc, quod „ ſuperexcedit menſuram, vel per hoc, quod deficit ab ea: ſicut manifeſte apparet in omnibus „ regulatis, & menſuratis. Et ideo patet, quod „ bonum virtutis moralis conſiſtit in adæquatione „ ad menſuram rationis. Manifeſtum eſt autem, „ quod inter exceſſum, & defectum medium eſt „ æqualitas, ſive conformitas. Unde manifeſte ap„ paret, quod virtus moralis *in medio conſiſtit* ". Hinc tametſi quædam virtutes videantur ad extremum declinare, ut *magnificentia*, quæ magnos ſumptus exercet; *virginitas* quæ ab omni venere, & carnalis delectationis ſenſu abſtinet; *humilitas*, quæ ingenium omne exerit, ut animum dejiciat; & *pœnitentia*, quæ continuis lacrymis peccata caſtigat: re tamen ipſa penitius expenſa, in medio ſiſtunt exceſſum inter, & defectum, regulamque rationis præſcribentem mediocritatem in ſumptibus, in carnis maceratione, in humiliatione, in corporis caſtigatione adamuſſim ſequuntur.

Medium alterum eſt, quod habetur inter duo officia, duoſque actus, & habitus, utrumque malum: ac medium iſtud quamplures virtutes tenere, non autem omnes docet S. Thomas *in Diſp. q.* 1. *de Virt. art.* 13. *ad* 12. dicens: *Aliæ virtutes morales ſunt inter duo vitia; non autem juſtitia, quæ tamen medium in propria materia tenet, quod per ſe pertinet ad virtutem.* Sic ergo *liberalitas* mediam ſedem tenet inter avaritiam, & prodigalitatem: *fortitudo* inter audaciam, & timorem inordinatum: *magnanimitas* inter præſumptionem, & puſillanimitatem: *temperantia* inter inſenſibilitatem, ac intemperantiam; & aliæ plures virtutes mediæ dantur, quæ animi ſcilicet paſſionibus, & perturbationibus modum imponunt. At vero vitium omne, quod *juſtitiæ* adverſatur in propria materia, in defectu poſitum eſt: neque enim contra juſtitiam peccamus, dum plus reddimus, quam debemus; ſed duntaxat, dum minus ſolvimus.

At enim vero juſtitia medio non caret; illudque eſt ipſum *medium rei*, quod eſt æqualitas rerum a rebus ipſis determinata vel ſecundum quantitatem, ut cum mutuanti decem nummos, decem pariter reddendi ſunt; vel ſecundum proportionem, ut cum rependitur cuique, quod ſibi debetur, ſive ſibi debitum facit juxta proprium meritum, ac dignitatem. Hoc autem *medium rei* quod confunditur cum *medio rationis*, non ita fixum, atque determinatum eſt, ſicut illud, quod attingunt cæteræ virtutes. Illud imo variari poteſt pro loco, tempore, perſona, aliiſque circumſtantiis ad arbitrium boni viri, ac prudentis. En de re hac S. Thomæ doctrina, quam tradit hic *quæſt.* 64. *art.* 2. his verbis: *Juſtitia eſt circa operationes, quæ conſiſtunt in rebus exterioribus, in quibus rectum inſtitui debet ſimpliciter, & ſecundum ſe. Et ideo medium rationis in juſtitia eſt idem cum medio rei, in quantum ſcilicet juſtitia dat unicuique, quod debet, & non plus, nec minus. Sed aliæ virtutes morales conſiſtunt circa paſſiones interiores, in quibus non poteſt rectum conſtitui eodem modo propter hoc, quod homines diverſimode ſe habent ad paſſiones. Et ideo oportet, quod rectitudo rationis in paſſionibus inſtituatur per reſpectum ad nos, qui afficimur ſecundum paſſiones.*

XI. Alterius conditionis ſunt virtutes theologicæ, quæ per ſe acceptæ, ad eaque objecta, in quæ tendunt, comparatæ, medium non habent, nec finem, nec terminum cavere debent, nec exceſſum timent; & quo magis magiſque in objectum ſuum conantur, eo perfectiores fiunt. Unde tritum illud S. Bernardi ad Haim. ſcribentis, & charitatis cauſam, modumque expendentis: *Cauſa diligendi Deum, Deus eſt; modus ſine modo diligere.*

Argumentum, quod ad id probandum ſumit Doctor Angelicus *art.* 4. iſtiuſmodi eſt: „ Regula „ virtutis theologicæ eſt ipſe Deus. Fides enim „ noſtra regulatur ſecundum veritatem divinam: „ charitas autem ſecundum bonitatem ejus: ſpes „ demum ſecundum magnitudinem omnipoten„ tiæ, & pietatis ejus. Et iſta eſt menſura ex„ cedens omnem humanam facultatem. Unde „ nunquam poteſt homo tantum diligere Deum, „ quantum diligi debet: nec tantum credere, „ aut ſperare in ipſum, quantum debet. Unde „ multo minus poteſt ibi eſſe exceſſus: & ſic bo„ num talis virtutis non conſiſtit in medio. Sed „ tanto eſt melius, quanto magis acceditur ad „ ſummum ".

XII. Verum ſapienter monet ibidem S. Thomas, regulam, vel menſuram virtuti theologicæ ex parte noſtra præfigi: quia, etſi non poſſumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipſum credendo, ſperando, & amando ſecundum menſuram noſtræ conditionis. *Unde per accidens poteſt in virtute theologica conſiderari medium, & extrema ex parte noſtra.* Quare vituperandus eſſet exceſſus illius, qui divini amoris exercitio aut tempus impenderet, quod aliis neceſſariis functionibus inſumendum foret, aut vires ſuas, ac ſanitatem frangeret: imo neque divinum amorem tunc eliceret, qui cum labe vitioſi exceſſus, & debitorum actuum omiſſione conciliari nequit. Spei etiam, ac fidei medium ex parte noſtra deſumptum exponit S. Thomas *ibid. in reſp. ad* 3. inquiens: *Spes media eſt inter præſumptionem, & deſperationem ex parte noſtra; in quantum ſcilicet aliquis præſumere dicitur ex eo, quod ſperat a Deo bonum, quod excedit ſuam conditionem, vel non ſperat, quod ſecundum ſuam conditionem ſperare poteſt. Non autem poteſt eſſe ſuperabundantia ex parte Dei, cujus bonitas eſt infinita. Fides etiam media dici poteſt inter contrarias hæreſes, non per comparationem ad objectum, quod eſt Deus, cui non poteſt aliquis nimis credere; ſed in quantum ipſa opinio humana eſt media inter contrarias opiniones:* *ſive in quantum*, ut ait 2. 2. q. 17. art. 4. ad 2., *unum verum eſt medium inter duo falſa.*

§. VI.

§. VI.

De virtutum connexione, & harmonia.

XIII. Nobiliſſima omnino eſt cujuſque virtutis, quæ ipſi tribuitur, prærogativa, ut, ubi illa extiterit, cæteras quoque comites habeat. De mutua quidem earum, quæ ad ordinem ſupernaturalem, aut gratiæ pertinent, inter ſe, & cum virtutum regina charitate, connexione perſpicua ſunt, quæ docet Angelicus Doctor *hic quæſt. 65. art. 2. & 3.*, nimirum, *cum charitate ſimul infundi omnes virtutes*; cujus rei elegantem rationem depromit ex iis, quæ in naturæ operibus conſpiciuntur: „ Deus, inquit, non minus perfecte operatur in „ operibus gratiæ, quam in operibus naturæ. Sic „ autem videmus in operibus naturæ, quod non „ invenitur principium aliquorum operum in ali„ qua re, quin inveniantur in ea, quæ ſunt ne„ ceſſaria ad hujuſmodi opera perficienda; ſicut „ in animalibus inveniuntur organa, quibus per„ fici poſſunt opera, ad quæ peragenda habet ani„ mal poteſtatem “. Atqui vero ſancta Dei charitas eſt primum principium vitæ ſupernaturalis, primamque tribuens poteſtatem ad opera hujuſce vitæ exercenda. Igitur oportet, quod cum charitate ſimul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit ſingula genera bonorum operum.

XIV. Neque quiſpiam dicat, impoſſibilem eſſe ſupernaturalium omnium virtutum infuſionem cum charitate: ſiquidem plerumque contingit, ſæpe homines in eo ſtatu verſari, cui virtutes omnes nequaquam conveniunt, ut magnificentia pauperi, virginitas uxorato, pœnitentia innocenti.

Reſpondet enim S. Thomas 2. 2. *q.* 15. *art.* 3. *ad* 2. his verbis: *Connexio virtutum accipitur ſecundum illud, quod eſt formale in virtutibus, ideſt ſecundum charitatem, vel prudentiam: non autem ſecundum id, quod eſt materiale in illis. Nihil enim prohibet alicui virtuoſo ſuppetere materiam alicujus virtutis, non autem materiam alterius: ſicut pauper habet materiam temperantiæ, non autem materiam magnificentiæ.* Et hoc modo alicui habenti alias virtutes deeſt materia virginitatis, ideſt integritas carnis: attamen poteſt id, quod eſt formale in virginitate, habere, ut ſcilicet habeat in præparatione animi prædictæ virginitatis conſervandæ propoſitum, ſi hoc ſibi competeret. *Sic etiam pauper poteſt in præparatione animi habere propoſitum magnificos ſumptus faciendi . . . . Et ſimiliter ille, qui eſt in proſperitate, habet in præparatione animi propoſitum adverſa æquanimiter tolerandi. Et ſine hac præparatione animi non poteſt eſſe aliquis virtuoſus.*

XV. Quoad virtutes acquiſitas attinet, eas conſiderat Præceptor Angelicus *hic art.* 1. in duplici ſtatu; perfecto ſcilicet, & imperfecto. Imperfecta autem moralis virtus, ut ille docet, nihil aliud eſt, *niſi aliqua inclinatio in nobis exiſtens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, ſive talis inclinatio ſit in nobis a natura, ſive ex aſſuetudine.* Et ſi quidem hoc pacto virtutes accipiantur, affirmat *non eſſe connexas: Videmus enim*, inquit, *aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua conſuetudine eſſe promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera caſtitatis.*

Cæterum ſi loquamur *de virtute morali perfecta*, quæ nempe eſt habitus inclinans in bonum opus bene agendum, tradit virtutes morales ſic acceptas invicem eſſe connexas: & hunc earum mutuum complexum fere ab omnibus admitti teſtatur. Ac profecto præter antiquos Philoſophos in hac ſententia fuerunt Eccleſiæ Patres. Ambroſius lib. de Parad. c. 3. ſcribit: *In quo aliqua harum, quas diximus, principalis eſt virtus; ideo in eo etiam cæteræ præſto ſunt, quia ipſæ ſibi ſunt connexæ, concretæque virtutes.* Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 9.: *Virtutes, quæ ſunt in animo humano, quamvis alio, atque alio modo ſingulæ intelligantur: nullo tamen modo poſſunt ſeparari ab invicem.* S. Gregorius Magn. lib. 1. Moral. cap. 39.: *Non enim unaquæque vere virtus eſt, ſi mixta aliis virtutibus non eſt.* Bernardus ſerm. de Annunciat.: *Non poſſunt eſſe virtutes, ſi ab invicem ſeparentur.* Idem docent Hieronymus, aliique.

Duplici ratione eamdem connexionem confirmat S. Thomas, quarum unam tantum gratia brevitatis exhibeo, atque ita propono: Virtus moralis virtus perfecta eſſe non poteſt ſine prudentia; ſiquidem proprium perfectæ moralis virtutis eſt recte eligere: ad rectam autem electionem non ſufficit inclinatio in debitum finem, quæ eſt directe per habitum virtutis moralis; ſed requiritur etiam, ut aliquis recte eligat ea, quæ ſunt ad finem; quod efficitur per prudentiam, quæ eſt conſiliativa, & judicativa, & præceptiva eorum, quæ ſunt ad finem. Similiter nec prudentia poteſt eſſe ſine virtutibus moralibus, cum prudentia ſit *recta ratio agibilium*: hæc autem ratio procedit tamquam ex principiis ex finibus agibilium; ad quos recte ſe habet aliquis per virtutes morales. Igitur &c.

§. VII.

De perfectione virtutum, quæ haberi in hac vita poteſt.

XVI. Extiterunt hæretici plures, qui de virtutibus, & virtutum perfectione, quam conſequi in hac mortali vita poſſumus, differentes, putarunt, poſſe hominem ad talem virtutum gradum pertingere, ut acquireret immunitatem ab omni peccato; atque hocce in ſtatu virtutum ſtudium, & exercitationem veluti in homine perfecto ſupervacaneam proſcripſere. Hi præter Pelagianos præcipui fuerunt Beguardi, & Beguinæ, qui decimotertio Eccleſiæ ſæculo eruperunt, & non paucos ſubinde ſectatores habuerunt elapſo proxime Eccleſiæ ſæculo, ſicut etiam in præſenti. Hos omnes reprobavit Eccleſia, reprobaruntque Summi Pontifices, ac plurimi Authores, qui de hoc argumento ſcripſerunt. Ut autem & nos de his aliqua dicamus, & veritatem catholicam in cla-

clara luce ponamus, atque confirmemus; adnoto in primis ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 184. art. 1. ad 2. *perfectionem Chriſtianæ vitæ attendi ſimpliciter ſecundum charitatem, per quam anima Deo conjungitur, & ſecundum alias virtutes ſecundum quid*. Charitas enim unit animam Deo, qua ex unione tota perfectio pendet; ac virtutes frangunt, regunt, ac moderantur animi perturbationes, quæ prædictam unionem impediunt.

Quapropter dum negamus animabus in hac vita degentibus conſummatam illam virtutum perfectionem, quam ſaltem aliquibus memorati hæretici tribuerunt, eiſque adjunctam impeccantiam; perinde eſt ac negare animæ talem per charitatem in hac valle miſeriæ unionem cum Deo, qua major dari non poſſit; talem carentiam perturbationum animi, ſive paſſionum, ut illæ veluti jam evulſæ, atque extinctæ virtutum opera non amplius indigeant; eamque impeccantiam, qua juſti homines omni prorſus peccato etiam veniali vitam immunem ducere valeant, ac non pauci reipſa ducant.

XVII. Pluribus hanc veritatem illuſtravit, atque probavit S. Hieronymus adverſus Pelagianos, maximeque *lib.* 1. ut prætenſam virtutum conſummatam perfectionem refellat: primumque expendit humilem, ſed veram Apoſtoli Pauli confeſſionem his verbis editam in Epiſt. ad Philip. cap. 3.: *Non quod jam accepi* (ſic ille legit) *aut jam perfectus ſim: perſequor autem, ſi comprehendam, in quo & apprehenſus ſum a Chriſto. Fratres, ego me necdum arbitror comprehendiſſe... quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. „Quid „eſt, inquit Hieronymus, id, Apoſtolum, vi„roſque hujus vitæ perfectæ *comprehendiſſe*, quod „non comprehendunt: *accepiſſe*, quod non ac„cipiunt; & perfectos eſſe, qui nondum perfe„cti ſunt? Quid ergo ſapimus, imo quid ſa„pere debemus, quia perfecti non ſumus? Im„perfectos videlicet nos eſſe confiteri, & nec„dum comprehendiſſe, necdum accepiſſe". Hinc duas in Scripturis ſanctis colligit ille diſtingui perfectiones, duas juſtitias, & duos timores: Primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectamque juſtitiam Dei virtutibus coaptandam: alteram autem, quæ competit noſtræ fragilitati. Hanc poſteriorem abſque nævo non eſſe, pergit ille probare tum illis *Pſal.* 142. verbis: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, tum exemplis Zachariæ, & Eliſabeth, qui juſti dicti ſunt ſecundum eam juſtitiam, quæ poſſit in injuſtitiam aliquando mutari; tum aliis fundamentis.

Eumdem errorem perſequitur etiam Hieronymus in Joviniano; & inter alia hæc profert ex Scripturis teſtimonia. Joan. Epiſt. 1. cap. 1.: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis, & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate*. Et ibid. verſ. 10.: *Si dixerimus, quia non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis*. Illud etiam animadvertit, quod *cap.* 5. Apoſtolus idem, poſtquam dixerat, *non peccare, qui natus eſt ex Deo*, ſtatim ſubjungit: *filioli, cuſtodite vos a ſimulacris*; quæ omnia clare negant mortalis hominis conſummatam virtutum perfectionem, peccandique impotentiam.

XVIII. Tum hæc, tum alia plura in ejuſdem dogmatis confirmationem producit S. Auguſtinus adverſum Pelagianos, ex quibus ſatis ſint quædam, quæ habet in lib. *de perfect. Juſtit. hom.*, nimirum cap. 14. lib. Job: *Quis mundus eſt a peccato? Nec infans, cujus eſt unius diei vitæ ſuper terram*. Ex quo libro, cum hæc, quæ ſequuntur, decerperent Pelagiani in ſui erroris patrocinium, apte reſolvit, atque explicat S. Doctor; nempe opponebant illi primum illud cap. 12.: *Juſtus enim vir, & ſine querela factus ſum in deriſum*; ac ſi, reponit Auguſtinus, *non poſſet dici homo juſtus, qui perfectioni juſtitiæ plurimum aſſuevit*. Deinde aliud cap. 13.: *Ecce ego proximus ſum judicio meo, & ſcio, quia juſtus inveniar. Sane juſti* (reſpondet) *illo judicio, quo in fine omnes judicandi ſunt, invenientur omnes, qui non fallaciter dicunt*: Dimitte nobis debita noſtra. Tertio quoque illud cap. 9.: *Vias ejus cuſtodivi, & non declinavi a mandatis ejus, neque diſcedam*: ſenſus nempe eſt, *cuſtodire vias Dei, qui non ſic exorbitat, ut eas relinquat; ſed in eis currendo proficit, & ſi aliquando, ut infirmus offendit, proficit tamen minuendo peccata, donec perveniat, ubi ſine peccato ſit*.

Sed & aliud ſplendidiſſimum teſtimonium ſubminiſtrat Epiſt. 1. Joan. cap. 1.: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; quod certe adeo clarum eſt, ut obnubilari nullatenus queat alio, quod ex eadem Epiſt. opponebant Pelagiani; videlicet: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare; quia ex Deo natus eſt*. Obvia quippe ejuſdem S. Auguſtini reſponſio eſt; *ita* nimirum *eſſe, ſecundum quod ex Deo nati ſumus: ſecundum autem, quod de homine nati ſumus, per quem peccatum intravit in mundum, ſine peccato non ſumus: quia ſine illius infirmitate nondum ſumus; donec illa renovetur, quæ fit de die in diem..... infirmitas noſtra &c.* Quæ verba inſinuant præcipuum totius diſputationis momentum; quia in hac vita nondum facta eſt reparatio appetitus ſentientis, ſive nondum reparata ſanitas, prout ex D. Thoma ſubinde notavimus.

XIX. Hæc concertatio inter SS. Auguſtinum, & Hieronymum ex una parte, & Pelagianos ex alia, ſublata tandem fuit in plenario Africæ Concilio, tribus editis Decretis adverſus Pelagianorum errores, ex quibus etiam validiſſimum argumentum ſumitur ad conterendos eoſdem, quos ex orco excitarunt tum Beguardi, tum Michael de Molinos, aliique.

Primus Canon, qui ſexto loco ponitur in Concilio Milevitano II. ſic effert: *Item placuit, quod ait S. Joannes Apoſtolus:* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia ita eſt; anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus, & adjungit:* Si confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis

lis eſt Deus, & juſtus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate: *ubi ſatis apparet, hoc non tantum humiliter, ſed etiam veraciter dici &c.*

Alter, qui ſeptimus eſt in eodem Milevitano Concilio, hæc habet: *Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere Sanctos:* Dimitte nobis debita noſtra; *ut non pro ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam vera iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores: & ideo non dicere ullum Sanctorum:* Dimitte mihi debita mea; *ſed:* Dimitte nobis debita noſtra; *ut hoc pro aliis potius, quam pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit. Sanctus enim, & juſtus erat Apoſtolus Jacobus, cum dicebat:* In multis enim offendimus omnes. *Nam quare additum eſt:* omnes? *niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſalmo, ubi legitur:* Non intres in judicio cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens; *& in ore ſapientiſſimi Salomonis:* Non eſt homo, qui non peccet; *& in lib. Job:* In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. *Unde etiam Daniel ſanctus, & juſtus, cum in oratione pluraliter diceret:* Peccavimus, iniquitatem fecimus, *& cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi potius dixiſſe peccatis, poſtea dicit:* Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro; *noluit dicere peccata noſtra, ſed & populi ſui dixit, & ſua &c.*

Tertius tandem Canon, qui in ordine octavus eſt, ita decernit: *Item placuit, ut quicumque verba iſta Dominicæ orationis, ubi dicimus:* Dimitte debita noſtra, *ita voluit a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle; & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, peccata non habere?*

Verum ipſum quoque Tridentinum Concilium errorem eumdem profligavit *lib. 6. de Juſtif. Can.* 23. ubi ſtatuit: *Si quis dixerit, hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita omnia peccata vitare, etiam venialia, niſi ex ſpeciali privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

XX. Præcipuum Catholici dogmatis fundamentum proponitur a S. Auguſtino, declaraturque amplius a S. Thoma. Prior *lib. de perf. Juſt.* Cæleſtio interroganti, *an quodcumque peccatum vitari poſſit, aut vitari non poſſit*, reſpondet, *vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur, gratia ſcilicet per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; in tantum enim ſana non eſt, in quantum id, quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; ut non ea, quæ vult, homo faciat.* Hoc eſt, felicitas hæc erat ſani, & innocentis hominis, cui Deus condens naturam, tantam largitus eſt gratiam, quæ mentem Deo, & appetitum menti perfecte ſubjiciebat, omni compreſſa ejuſdem appetitus contra mentem perturbatione, ac ſeditione. Excidit homo, cum lapſus eſt, ab hac felicitate, & adeo felicem poteſtatem amiſit. Gratia Dei per Jeſum Chriſtum ſanatur quidem mens hominis, dum ſanctæ charitatis diffuſione in Deum convertitur. Sed integra homini non reſtituitur ſanitas, adhuc carne concupiſcente adverſus ſpiritum. Atque adeo, quemadmodum gratia tum actualis, tum habitualis, quam Deus hominibus elargitur in hoc reparatæ naturæ ſtatu, ſecundum communem ſuæ providentiæ legem, nec fomitem concupiſcentiæ extinguit, nec ligat; ita vires non tribuit, quibus homines ſanctificati ſine omni peccato vivere valeant.

Rationem hanc præclare illuſtrat S. Thomas *in Diſp. q. 9. de charit. art.* 10. ubi etiam perfectionem omnem præſentis vitæ declarat. Tria enumerat perfectionis, conſummatæque virtutis impedimenta. Primum *eſt contraria inclinatio mentis, quando mens per peccatum converſa ad commutabile bonum, ſicut ad finem, avertitur ab incommutabili bono.* Deinde *occupatio ſæcularium bonorum; quia, ut dicit Apoſtolus;* Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt: *& cor ejus non movetur tantum in Deum.* Denique *infirmitas præſentis vitæ, cujus neceſſitatibus oportet hominem aliquatenus occupari, & retrahi, ne actualiter mens feratur in Deum; & corporis gravitas, qua deprimitur anima.*

Docet nihilominus S. Præceptor, *hominem in hac vita poſſe ſine peccato mortali eſſe, quod avertit ipſum a Deo, & iterum ſine occupatione temporalium rerum*, ſicut Apoſtolus dicit: *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt de his quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo: Sed ab onere corruptibilis carnis in hac vita liberum eſſe non poſſe.* Ex quo infert, charitatem, cæteraſque, quæ cum ea junguntur, virtutes *perfici poſſe in hac vita, quantum ad remotionem primorum quorum impedimentorum, ſecus ad remotionem tertii impedimenti.*

XXI. Atque hoc ſentio impedimento manifeſte oſtenditur, hominem in hac vita minime ſanari perfecte poſſe, nec tam perfectum acquirere virtutum ſtatum, qui ipſum provehat ad omnimodam impeccantiam, per gratiam illam, quam Deus juxta communem ſuæ providentiæ legem diſpenſat, nec vires communes, & ordinarias gratiæ tantam homini tribuere poteſtatem, ut abſque omni peccato vitam ducere queat, aut integram peccatorum venialium collectionem per totam vitam, aut aliquod diuturnum, & notabile tempus vitare valeat. Aurea eſt ejuſdem Præceptoris doctrina, quam tradit 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. Docet nempe, in ſtatu naturæ corruptæ indigere hominem gratia habituali, ſanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abſtineat. Sed hæc ſanans gratia juxta communes providentiæ leges conceditur a Deo, ut menti quidem ſanitas reſtituatur, non appetitui. Hincaut ille: *Sanatio primo fit in præſenti vita ſecundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato, Unde Apoſt. ad Rom. 7. in perſona hominis reparati dicit:* Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.

Ex

Ex his patet falſitas alterius commenti traditi a Beguardis, & Beguinis; nimirum non oportere vel jejunare, vel orare hominem, poſtquam ad gradum ultimum perfectionis in hac vita pervenerit: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui, & rationi ſubjecta, ut poſſit homo libere corpori concedere, quidquid placuerit. Quam longe enim hoc a veritate abhorreat, quæ dicta ſunt, manifeſtant: quemadmodum & illud, quod ſubjiciebant, *ſeſe exercere in actibus virtutum hominis eſſe imperfecti*, *animamque perfectam licentiare a ſe virtutem*. Quem errorem præter alia reprobat etiam, & confundit tota vita Chriſti, & Sanctorum perfectorum, qui ſe in actibus virtutum continenter exercuerunt.

XXII. At vero, cum dixerimus poſſibile non eſſe, ut aliquis in hoc ſtatu corruptæ naturæ ad eam virtutum perfectionem perveniat, ut immunis omnino ſit a peccato ſaltem veniali per totam vitam, imo per diuturnum tempus; inquiret aliquis, cujus generis, aut conditionis ſit hæc impoſſibilitas?

Egregius vir P. Thomas de Lemos *T.* 4. *Panop. tract.* 2. *cap.* 5. reſpondet primo, hanc impoſſibilitatem non eſſe phyſicam, & abſolutam, ſive ex ipſa rei natura profectam, ac ſi poteſtas nunquam peccandi voluntati repugnaret. Ait ſubinde, moralem duntaxat dici non poſſe eo ſenſu, quod moraliter impoſſibile id appellare ſolemus, quod niſi magna cum difficultate præſtamus, vel quod ut plurimum non fit, licet aliquando fieri poſſit. Hinc tertio addit, moralem eſſe eo ſenſu, quod peccato primi parentis infirmus factus homo, nondum appetitui inferiori ſanitate reſtituta, vires non habet, quibus omni peccato intra diuturnum, aut notabile tempus abſtineat. PP. Salmanticenſes *T.* 5. *tract.* 14. *diſp.* 2. nedum moralem, ſed etiam phyſicam hanc impotentiam vocant: quia nempe gratia, quam juxta communem providentiam largitur Deus homini reparato, ſicut non extinguit, nec ligat concupiſcentiæ fomitem, ita neque vires tribuit, quibus homo quantalibet perfectione donatus, vitam ducere valeat ſine peccato.

§. VIII.

De Donis Spiritus Sancti.

XXIII. Doctrinæ de virtutibus generatim inſpectis obiter adnecto, quæ ſubinde tradit S. Thomas quæſt. 68. *de Donis*, quæ *art.* 1. a virtutibus ipſe diſtinguit; & conſiſtunt *in quibuſdam qualitatibus*, *ſecundum quas homo diſponitur*, *ut efficiatur prompte mobilis ab inſpiratione divina extraordinaria*, *ut facile eam recipiat*, *promptequee exequatur*. Hujuſmodi dona homini eſſe neceſſaria probat *art.* 2.: quia aliqua contingunt in humana vita, *in quibus non ſufficit inſtinctus rationis*, *ſed eſt neceſſarius inſtinctus Spiritus Sancti*. Quamvis enim per virtutes homo multa cognoſcat, atque agere poſſit; quia tamen rationi humanæ non ſunt omnia cognita, nec poſſibilia: inde eſt, quod præter virtutes requirantur motiones, ſive Spiritus Sancti inſtinctus, ſeu dona, quibus diſponatur, ut ea, quæ ſunt extraordinaria, cognoſcat, ſimulque perficiat.

Dona hæc eſſe habitus quoſdam, qui ſimul infunduntur cum gratia ſanctificante, oſtendit art. 3., tum quia Chriſtus de Spiritu Sancto Diſcipulis loquens ait Joan. 14.: *Apud vos manebit*, *&* *in vobis erit*: tum quia dona ſunt *perfectiones* quædam permanentes, quibus homo diſponitur, *ut bene ſequatur inſtinctum Spiritus Sancti*.

Art. deinde 4. ſeptem Spiritus Sancti dona congrue in Scripturis enumerari docet; nimirum *ſapientiæ*, *intellectus*, *conſilii*, *fortitudinis*, *ſcientiæ*, *pietatis*, *&* *timoris Domini*. Cujus numeri convenientia ita poteſt declarari. Spiritus Sanctus aut intellectum movet, aut appetitum. Si intellectum: vel perficit eum quantum ad apprehenſionem, ut divina recte percipiat, ac penetret; & ad hoc eſt donum *intellectus*: vel perficit, quantum ad judicium, quo homo decernat, qua ratione erga res omnes divinas, & humanas, eaſque ſive in generali, ſive in particulari ſe habere debeat; & ſi quidem perficiat in generali circa res divinas, ad hoc eſt donum *ſapientiæ*: ſi generatim circa res humanas, eſt donum *ſcientiæ*: ſi circa particularia agibilia, eſt donum *conſilii*. Quod ſi Spiritus Sanctus moveat appetitum, vel eum perficit in iis, quæ ſunt ad alterum; & ad hoc eſt donum *pietatis*; vel in iis, quæ ſunt ad ſeipſum: idque, vel ut nulla difficultate retrahatur a proſecutione boni ardui; & eſt donum *fortitudinis*: vel ut illicitas delectationes reſpuat; & eſt donum *timoris*.

Ex his facile patet, quomodo unumquodque horum donorum deſcribi poſſit; nimirum donum *ſapientiæ* eſt qualitas, vel habitus, quo homo diſponitur, ut ſit prompte mobilis a Spiritu Sancto, ut recte judicet de rebus divinis, etiam excellentiori, & extraordinario modo cognitis: quod eis inhærendum ſit, & ab oppoſitis recedendum.

Donum *intellectus* eſt, quod animum diſponit, ut peculiari inſtinctu moveri prompte valeat ad divina recte percipienda, & juxta conditionem ſuam penetranda.

Donum *ſcientiæ* eſt, quo diſponitur homo, ut ex ſpeciali illuſtratione cognoſcere queat, & judicare de rebus humanis, quatenus ad Deum perducunt. Non enim hic agitur de ſcientia naturali; ſed Chriſtiana, quæ ad animæ ſalutem pertinet.

Conſilii donum eſt, quo prompti reddimur ad bene deliberandum, reſolvendumque, quid in rebus difficilioribus, ac præſertim inopinatis ad animæ ſalutem pertinentibus, vel Dei gloriam promoventibus, optimum ſit eligendum, & faciendum.

Donum *fortitudinis* eſt, quo diſponitur animus ad fortiter tolerandum adverſa, maximeque quæ præter expectationem occurrunt, vel ad aggrediendum gravia, & inſolita pericula.

Dono *pietatis* diſponimur, ut bene nos habeamus erga Deum, ejuſque cultum, potiſſimum in caſibus extraordinariis.

Denique donum *timoris* diſponit hominem, ut recedat a malis præſertim delectationibus, & concupiſcentiis etiam vehementioribus, & extraordinariis. Atque hæc pauca de Donis ſatis.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quo ſenſu accipiendæ ſint ſententiæ S. Auguſtini virtutem per amorem definientis.*
II. *Proprium virtutis ſubjectum mens eſt, ſive ratio.*
III. *Diverſa plane ſunt virtutum ſemina, quæ ab Eccleſiæ Patribus admittuntur in homine, ab iis, quæ admiſſa fuerunt a Caſſiano, & Semipelagianis.*
IV. *Egregia S. Thomæ doctrina, qua difficultates diluuntur ad virtutum moralium connexionem pertinentes.*
V. *Virtutes acquiſitæ non ſunt ſimpliciter, & abſolute virtutes, ſi cum charitate non jungantur, eas ad Deum ultimum finem ordinante.*
VI. *Veroſimilior, & omnino tenenda ſententia eſt, quæ præter fidem, ſpem, & charitatem, alias virtutes infuſas agnoſcit.*
VII. *Virtutum connexio non exigit, ut ſancti viri in omnibus virtutibus æque præfulgeant.*
VIII. *Quam merito ab Eccleſia damnatæ ſint plures propoſitiones Michaelis de Molinos, quoad virtutum perfectionem ab ipſo invectam.*
IX. *Jure quoque, ac merito aliæ proſcriptæ ſunt de eodem argumento Franciſci de Fenelon propoſitiones.*
X. *Homini in hac vita degenti tribuenda nunquam eſt* apathia, *& impeccantia.*
XI. *Quantalibet perfectione donetur homo, ſemper tamen indiget oratione, jejunio, carniſque, ac paſſionum mortificatione.*
XII. *Licet nec in tota vita, nec aliquo diuturno tempore peccatum omne leve, ac veniale præcaveri queat: pro aliquo ſaltem brevi tempore ab illo abſtinere poſſumus.*
XIII. *Hæc immunitas ab omni etiam levi peccato per totam vitam privilegium ſpecialiſſimum eſt Deiparæ Virgini a Deo conceſſum.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. CUm S. Auguſtinus virtutis notionem explicat per amorem, ut nedum loco jam ſupra citato, ſed etiam lib. *de morib. Eccleſ. Cathol. cap.* 25., ubi ait: *Quatuor virtutes ſic definire non dubitem, ut temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur: fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur: juſtitia amor ſoli amato ſerviens, & propterea recte dominans: prudentia ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens &c.* Cum, inquam, hæc, & ſimilia habet S. Doctor de virtutibus generatim, ejus verba haud preſſe accipienda ſunt; ſed eo pacto, quo ea intelligit S. Thomas *quæſt.* 66. *art.* 3. ubi docet, etiam intellectum, cujus proprius actus non eſt amor, ſubjectum eſſe virtutis. Cum enim hujuſmodi locutionem S. Patris ſibi objeciſſet, reſpondet: *Quod verbum Auguſtini intelligendum eſt de virtute ſimpliciter dicta, non quod omnis talis virtus ſit ſimpliciter amor; ſed quia dependet aliqualiter ab amore, in quantum dependet a voluntate, cujus prima affectio eſt amor.* Atque hoc ſenſu etiam prudentia, quæ in intellectu reſidet, *amor* dici poteſt, ac debet.

Conſectarium Secundum.

II. Nulla virtus poteſt eſſe in irrationali parte animæ, niſi in quantum participat rationem. Et ideo ratio, ſive mens eſt proprium ſubjectum virtutis humanæ. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 55. *art.* 4. *ad* 3. Quare facultates iraſcibilis, & concupiſcibilis, ut habet *quæſt.* 66. *art.* 4., ſi conſiderentur ſecundum ſe, quatenus *ſunt partes appetitus ſentientis, non competit eis, quod ſint ſubjectum virtutis:* ſed quatenus duntaxat participant rationem. Unde etiam docet, quod *virtus, quæ eſt in iraſcibili, & concupiſcibili, nihil eſt, quam quædam habitualis conformitas iſtarum potentiarum ad rationem.*

Conſectarium Tertium.

III. Quoties invenitur in S. Auguſtino, aliiſve Eccleſiæ Patribus, quemadmodum & in S. Thoma, ineſſe nobis *ſemina*, aut *ſeminaria virtutum*; diverſo plane in ſenſu locuti ſunt, ac illas voces intellexerunt *Semipelagiani*. Hi ſiquidem ſicut admittebant initium ſalutis in nobis eſſe abſque divina gratia, ſic etiam talia in homine virtutum ſemina poſuerunt, quæ *ſalutaria* forent; hoc eſt, quæ ad ſpiritualem animæ ſalutem pertinerent, eſſentque veluti principium operum *ſalutarium*, de quibus loquens S. Proſper *cap.* 27. ait: *Virtutum ſemina, quæ beneficio Creatoris inſerta ſunt, prævaricatione primi Parentis everſa fuiſſe.* Unde ita concludit cap. 29.: *Ergo omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata eſt, habemus; ſed per gratiam, qua natura reparatur, accipimus.* Alterius rationis ſunt ea virtutum *ſemina*, quæ nos cum Sanctis Eccleſiæ Doctoribus adſtruimus, ut liquido conſtat ex iis, quæ ex D. Thoma in hanc rem protulimus.

Conſectarium Quartum.

IV. Digna peculiari animadverſione eſt egregia S. Thomæ doctrina circa virtutum moralium connexionem, quam habet hic *quæſt.* 65. *art.* 1. *ad* 1.; nimirum „ virtutum moralium quædam perficiunt hominem ſecundum communem ſtatum, ſcilicet quantum ad ea, quæ communiter in omni vita hominum occurrunt agenda. Unde oportet, quod homo ſimul exercitetur circa materias omnium virtutum moralium. Et ſi quidem circa omnes exercitetur bene operando, acquiret habitus omnium virtutum moralium. Si autem exercitetur bene operando circa unam materiam, non autem circa aliam (puta, bene ſe habeat circa iras, non autem circa concupiſcentias); acquiret quidem habitum aliquem ad refrænandum iras: qui tamen non habebit rationem virtutis propter defectum prudentiæ, quæ circa concupiſcentias corrumpitur:

„ tur: ſic etiam naturales inclinationes non habent perfectam rationem virtutis, ſi prudentia „ deſit. Quædam vero virtutes morales ſunt, quæ „ perficiunt hominem ſecundum aliquem convenientem ſtatum: ſicut *magnificentia*, & *magnanimitas*. Et quia exercitium circa materias harum virtutum non occurrit unicuique communiter, poteſt aliquis habere virtutes morales ſine hoc, quod habitum harum virtutum habeat actu, loquendo de virtutibus acquiſitis. Sed tamen, acquiſitis aliis virtutibus, habet iſtas virtutes in potentia propinqua. Cum enim aliquis per exercitium adeptus eſt liberalitatem circa mediocres donationes, & ſumptus, ſi ſuperveniat ei abundantia pecuniarum, modico exercitio acquiret magnificentiæ habitum; ſicut Geometer modico ſtudio acquirit ſcientiam alicujus concluſionis, quam nondum conſideravit. Illud autem habere dicimur, quod in promptu eſt, ut habeamus". Nil luculentius dici potuit.

Conſectarium Quintum.

V. Equidem ut virtutes morales acquiſitæ aliquo modo veræ virtutes ſint, a charitate non pendent; ſimpliciter tamen, & abſolute virtutes non ſunt, niſi cum charitate jungantur, & ab ipſa ad finem ultimum, qui Deus eſt, ordinentur. Ita D. Thomas hic *quæſt.* 65. *art.* 2., ubi cum neceſſitatem charitatis ad virtutum perfectionem ſtatuiſſet, concludit his verbis: „ Patet igitur, quod „ *ſolæ virtutes infuſæ ſunt perfectæ*, & *ſimpliciter* „ dicendæ virtutes: quia bene ordinant hominem „ ad finem ultimum ſimpliciter: aliæ vero virtutes, ſcilicet acquiſitæ, ſunt *ſecundum quid* virtutes, non autem ſimpliciter; ordinant enim hominem bene reſpectu finis ultimi in aliquo genere: non autem reſpectu finis ultimi ſimpliciter", nempe Dei; quod ſola charitas præſtat, quæ Deum reſpicit velut ultimum finem, ad quem referri debent bonæ ipſæ actiones, atque virtutes.

Conſectarium Sextum.

VI. Quamquam fide certum non ſit, admittendas eſſe præter fidem, ſpem, & charitatem alias virtutes infuſas, tenenda tamen omnino ea ſententia eſt, quæ ipſas adſtruit, cum plurima præſto ſint Scripturarum teſtimonia, quæ eidem maxime favent; eidemque ſuffragium ferant plures Eccleſiæ Patres, Ambr. *l.* 6. *Exam. c.* 7., Auguſt. *tract.* 8. *in epiſt.* 1. *Joan.*, Proſper *cap.* 27. *cont. Collat.*, Gregor. Magn. *hom.* 5. *in Ezech.*; eamque S. Thomas hic *q.* 65. *art.* 3. confirmat optima ratione quam indicavimus.

Conſectarium Septimum.

VII. Non ex eo, quod virtutes ſint invicem connexæ, exiſtimare debemus, Sanctos viros æque in omnibus excellere virtutibus: quin potius eaſdem ita largiri ſolet bonorum omnium Author Deus, ut unuſquiſque Sanctorum in aliqua cæteris præemineat. Hinc Ambroſius loco ſupra citato ſcripſit; *Sanctis una competit virtus*; *ſed ei, quæ fuerit uberius, uberius eſt præmium. Quanta hoſpitalitas in Abraham, quanta humilitas, quanta ſanctitas, ut fratris filium ab hoſte ſervaret, & quanta abſtinentia, ut nihil de præda quæreret? Sed quia fide præſtitit, fidei præ cæteris meruit principatum.* Hinc etiam Sacra Scriptura propriam aliquibus in virtutibus ſanctitatis excellentiam tribuit, ut inter alios obſervat S. Joan. Chryſoſt. *ſerm. de mart.* dum Abel vocatur *innocens*, Henoc *Deo placens*, Noe *juſtus*, Abraham *fidelis*, Moyſes *manſuetus*, Joſeph *caſtus*, David *lenis*, Elias *acceptus*, Daniel *ſanctus* &c.

Conſectarium Octavum.

VIII. Jure meritoque damnatæ ab Eccleſia fuerunt in Decreto Innocentii XI. edito anno 1687. ſequentes Michaelis de Molinos propoſitiones ex fæcibus Beguardorum, & Beguinarum hauſtæ; nempe

Prima in ordine 55.: *Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones; ita quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil: nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum; nec anima ſe amplius commoveri ſinit.*

Secunda in ordine 56.: *Duæ leges, & duæ cupiditates animæ; una charitatis, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius. Unde, quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates; nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius ne quidem veniale peccatum.*

Tertia in ordine 57.: *Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius, ne quidem veniale peccatum, peccata mortalia, nec venialia.*

Quarta in ordine 61.: *Anima, cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod Deus vult: quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.*

Quinta in ordine 62.: *Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.*

Errorem primum Beguardorum, quem rejecimus, ut nemo non videt, produnt hujuſmodi propoſitiones. Aliæ, quæ ſequuntur, alterum eorumdem inſinuant. Itaque ſexta propoſitio Michaelis de Molinos damnata in decreto Innocentiano, ordine 14. hæc eſt: *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat: quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis: & eſt velle, quod divina voluntas noſtræ conformetur; & non quod noſtra divinæ.*

Septima in ordine 17.: *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negative, nulla adhibita induſtria: &, ſi natura commovetur, oportet ſinere ut commoveatur; quia eſt natura.*

Octa-

Octava in ordine 38.: *Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum; ideoque dimittenda.*

Nona in ordine 39.: *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendum ab anima vel unicam adhæſionem.*

Decima in ordine 40.: *Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit ſanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.*

Sed & alium Beguardorum errorem exhibent ſequentes ejuſdem Authoris propoſitiones; atque adeo meritiſſime in Decreto Innocentii anathemate perculſæ.

Undecima in ordine 29.: *Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.*

Duodecima in ordine 31.: *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.*

Decimatertia in ordine 32.: *Nec ante, nec poſt communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis), quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva: quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcuntur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei: alias ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.*

Decimaquarta in ordine 35.: *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate; alias non eſſent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, & Humanitatem Chriſti; quia, cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.*

Hæ, aliæque hujuſmodi furfure infectæ propoſitiones damnatæ fuerunt in laudato Decreto *tamquam hæreticæ, ſuſpectæ, erroneæ, ſcandaloſæ, blaſphemæ, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativæ, & everſivæ, & ſeditioſæ reſpective.*

Conſectarium Nonum.

IX. Non minus jure, ac merito proſcriptæ ſunt ab Eccleſia propoſitiones aliæ, quas invexit Franciſcus de Fenelon Archiepiſcopus Cameracenſis, qui tamen non iiſdem Authoribus Beguardis, & Beguinis, ſicut etiam Michaeli de Molinos accenſendus eſt, a quorum ſpurciſſimis erroribus longe receſſit; ſuaſque doctrinas, ſtatim ut audivit, ab Innocentio XII., & Eccleſiæ Romanæ oraculo reprobari, lubenti animo ejuravit. Hic in libro, quem edidit hoc titulo: *Placita Sanctorum circa viam interiorem*, inſcriptum, duas haſce in argumento, quo de agimus, evulgavit maleſanas, falſaſque propoſitiones; nimirum 18. in ordine: *In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult; & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.* Altera in ordine n. 21.: *Sancti myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationem virtutum.*

Conſectarium Decimum.

X. Nullatenus homini vitam hanc mortalem agenti abſolute concedenda eſt *apathia*, ſeu paſſionum omnium vacuitas, & impeccantia, qua vitam omni prorſus etiam veniali peccato immunem ducere valeat, & reapſe ſaltem aliqui ducant. Neque id ſolum negandum eſt fieri poſſe ſine gratia, ut Pelagiani aſſeruiſſe videntur, in quorum ſyſtemate vera omnis Chriſti gratia expungebatur. Sed neque ad id ſatis eſſe dicendum eſt vires gratiæ, tum habitualis, tum actualis, quas juſtis hominibus confert Deus in præſenti vita ſecundum legem communem, curſumque ordinarium. Hoc conſectarium ex theſi conſtituta, & doctrinis SS. Patrum fluit apertiſſime.

Conſectarium Undecimum.

XI. Quantacumque perfectione per Chriſti gratiam donatus homo ſit in hac vita, opus ſemper habet oratione, jejunio, carnis mortificatione, cultuque, & exercitio virtutis. Hoc exploratiſſimum eſt ex damnatis tum in Pelagianis, tum in Beguardis, & Beguinis, tum etiam in Michaele de Molinos propoſitionibus. Et profecto fieri minime poteſt, ut homo, qui juxta vires communes, & ordinarias gratiæ ſanatur quidem quantum ad mentem, carne tamen ſervit legi peccati; non egeat oratione, qua Dei adjutorium continenter expoſcat, nec jejunio, quo corpus caſtiget, & in ſervitutem redigat, nec virtutum ſtudio, quibus tamquam frænis animæ perturbationes magis, magiſque cohibeat.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Licet poſſibile neutiquam ſit, hominem in hac valle miſeriæ tota vita, aut etiam diuturno tempore conſiſtere ſine peccato ſaltem veniali; nihil tamen eſt, cur negemus pro modo, & tempore, & imbecillitatis corporeæ conditione ab omni poſſe etiam levi peccato ad breve tempus abſtinere. Verum hoc *breve tempus* quis definiverit, niſi Deus, cui humanæ imbecillitatis noti ſunt modi omnes, & conditiones? Unde Hieronymus loco ſupra laudato, nulla poſita brevis hujuſce temporis menſura, id duntaxat aſſerit, *humanam* ſcilicet *conditionem, ſi paulum ſe remiſerit, diſcere fragilitatem ſuam.* Monet etiam S. Auguſtinus in lib. de perfect. juſt. hom. cap. 14., *Quantalibet juſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum, cum Rex juſtus ſederit in throno, cujus cognitionem delicta fugere non poſſunt, nec ulla, de quibus dictum eſt*: Delicta quis intelligit?

Con-

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. His tamen nihil obſtantibus aſſerendum omnino eſt, hanc immunitatem ab omni etiam levi peccato, ſingulari plane privilegio, conceſſum fuiſſe Beatiſſimæ Virgini genitrici Mariæ. Hanc ipſi ſpecialem prærogativam Eccleſia tribuit, teſtimonium perhibentibus ſacræ Synodi Tridentinæ Patribus, qui ſeſſ. 6. de Juſtif. Can. 23. ita teſtati ſunt: *Si quis dixerit, hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine Maria tenet Eccleſia, anathema ſit.* Quæ verba expendens V. C. Franciſcus Sylvius 3. *p. qu.* 27. *art.* 4. adnotat expreſſe definitum non eſſe B. Virginem Mariam ſine omni peccato fuiſſe, aut Eccleſiam hanc tenere impeccantiam tanquam fidei dogma, nihilominus eamdem ſine temeritatis nota negari minime poſſe.

Huic Sanctæ Virginis privilegio ſuffragatur S. Auguſtinus lib. *de nat. & grat. cap.* 36. ubi Sanctorum ſine peccato elenchum, quem texuerat Pelagius, excipiens ait: *Excepta Sancta Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, volo habere quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Utrum hoc, quod iſte Pelagius dixit, an quod Joannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis; ſi hoc interrogari potuiſſent, nonne una voce clamaſſent:* Si dixerimus, quod peccatum non habemus &c.?

S. Ambroſius idem adſtruit Mariæ privilegium *ſerm.* 22. *in Pſal.* 118. dicens, *incorruptam fuiſſe Virginem, & ab omni integram labe peccati.* Idem docet S. Bernardus Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes *de Concept. B. Mariæ*, ubi ait: *Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni prorſus peccato cuſtodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum, Reginam Virginum ſingulari privilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam &c.* Paria habet tota etiam Eccleſia Græca in Epiſtola Sophronii Hieroſolymorum Patriarchæ, quæ Patribus Concilii ſexti Œcumenici Conſtantinopolitani tertii *act.* 2. lecta fuit his verbis: *Uterum intactum ingreſſus Dei Filius Virginitatis caſtitate fulgentem Mariæ Sanctæ, præclaræque, & quæ Dei ſunt ſapientiæ ab omni contagione liberæ & corporis, & animæ, & intellectus.*

Denique Sanctus Thomas eamdem veritatem confirmat 3. *p. q.* 17. hujuſce privilegii convenientiam trahens ex ea, quam par erat Virginem habere, idoneitate, ut eſſet mater Dei. Hinc privilegii notionem exponens in eo ſitum fuiſſe docet, quod *in ea abundantia gratiæ, maximeque divina providentia ligaverit fomitem, ne in aliquem inordinatum motum proderet*, ac demum totaliter auferret.

REFLEXIO.

Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; ajebat olim, & nunc quoque omnibus ait Sanctus Apoſtolus, & Evangeliſta, Chriſtoque ſpecialiter dilectus Joannes. Perpendamus, quæſo, magna cum diligentia hujuſmodi verba, ex quibus elicere poſſumus, atque debemus documentum apprime nobis ſalutare, ac plane neceſſarium. Extiterunt, ut vidimus, tum primis Eccleſiæ ſæculis, tum elapſis proxime temporibus, atque etiam fortaſſis extant hoc ipſo ævo noſtro nonnulli ſuperbi homines, qui eo præfidentiæ, & erroneæ, ſtultæque opinionis devenere, ut aſſererent, tum ſe, tum alios ad ſublimem adeo perfectæ, conſummatæque virtutis excellentiam in hac miſera vita tot periculis obvoluta, tot ſcopulis circumſepta, tot tentationum turbinibus, ac hoſtium inſidiis obnoxia, poſſe pertingere, ut immunitatem ab omni penitus etiam levi peccato adipiſcantur.

Horum omnium ſibi ita blandientium inſanam arrogantiam arguit, damnat, confunditque vel ſola allata Sancti Apoſtoli ſententia, etiamſi aliæ, quæ eamdem validiſſime confirmant, deeſſent in Sacris Libris. *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus* neque grave, neque leve; ita ut in aliquo Deum non offendamus, aut ab ejus voluntate deflectamus: *ipſi nos ſeducimus*, mentimur, decipimus, ac decepti ſumus in ſummam animæ noſtræ perniciem, atque ruinam. Quicumque enim ſe putat ab omni peccato immunem, primum cæcitatem ſuam maximam prodit, dum minime cernit, in quæ peccata ſæpiſſime labitur, dum non attendit infirmitatem ſuam, peccati fomitem, qui in ipſo bellum perpetuo gerit, inimicorum ſuorum potentiam, artes, machinationes, queis continenter impetitur. Ex hac deinde cæcitate illud veluti ſponte ſua conſequitur, ut in ſeipſo confiſus ea a Dei miſericordia quærere remedia negligat, quibus ſua peccata purget, ac deleat. Qui enim fieri poteſt, ut hujuſmodi remedia perquirat, qui ſe nullo remedio indigere arbitratur? Tum vero ſuperbe ſe reputans peccato omni carere, ipſa ſuperbia, ac præſumptione ſua graviſſime peccat, caretque nedum humilitate omnibus perquam neceſſaria, verum etiam cæteris omnibus virtutibus, quarum excellentem, perfectumque gradum ſe attigiſſe perſuadet. Hæ ſiquidem neque in gradu infimo abſque humilitatis fundamento conſiſtere queunt; ſeque, quod malorum omnium ſupremum eſt, indignum efficit gratia divina, omnibuſque præſtantiſſimis donis eam comitantibus, quæ nonniſi humilibus, ſuamque fragilitatem, atque miſeriam agnoſcentibus, & confitentibus impertitur bonorum omnium largitor Deus. Hinc S. Auguſt. in ſent. ſent. 383. ita ſcribit: *Divinitus dictum eſt Eccleſiaſt. 6. v. 7.:* Noli eſſe juſtus multum:

tum: *quoniam non eſt juſtitia ſapientis, ſed ſuperbia præſumentis. Qui ergo ſic fit nimis juſtus, ipſo nimio fit injuſtus. Quis eſt autem, qui ſe facit juſtum nimis, niſi qui dicit, ſe non habere peccatum?*

At vero ſatis non eſt ad legitimum Apoſtoli Joannis in verbis laudatis ſenſum intelligendum, ut quis ore ſolum non exprimat, *ſe peccatum non habere*; niſi etiam id veraciter ſentiat in corde. Multi namque ſunt (ut animadvertit idem S. Pater in *Pſalm.* 118. expendens eamdem S. Joannis ſententiam), qui ſe peccatores, ſe Deum ſæpius offendere ultro paſſimque profitentur: ſed in corde, ſi penitius introſpiciatur, aliter de ſe ipſis ſentiunt, foventque frequenter, ac nutriunt quamdam de perfecta innocentia ſua occultam exiſtimationem; quæ neutiquam cum verbis cohæret, ac interdum etiam foris erumpit. Falſam hanc perſuaſionem & cognoſcamus, & diligenter a nobis abigamus, oportet: quoniam gratiæ Dei recipiendæ magno impedimento eſt, utpote ex tumore ſuperbiæ profecta, quam Deus ſummopere averſatur, & odit. „ Conticeſcat igitur, *ait S.* „ *idem Doctor*, & areſcat elatio fœnea ſuperbo- „ rum ſe ipſam ſeducens, quæ in auribus homi- „ num, ſimulata humilitate, dicit ſe habere pec- „ catum; in corde autem ſuo dicit, ſe non habe- „ re peccatum. Qui enim hoc dicunt, ſe ipſos „ ſeducunt; & veritas in eis non eſt. Sed quan- „ do in auribus hominum hoc dicunt, non tan- „ tum ſeipſos, ſed & alios quoſque doctrinæ in- „ ſanæ perverſitate ſeducunt. Cum vero id in „ corde ſuo dicunt, illic ſe ipſos ſeducunt, & in „ ſuo corde veritatis lucem amittunt.

Quid ergo (ſubjicit idem S. Doctor, eamdem ſententiam: *Si dixerimus &c.* conſiderans *ſerm.* 10. de verbis Apoſtoli) *nihil habemus de juſtitia?* (de ſanctitate, de virtute, etiamſi ad eam habendam toto ſtudio, animique contentione laboremus). *Habemus*, reponit ille; *ſed non totum habemus. Hoc ergo quæramus. Si ergo aliquid habemus, & aliquid non habemus; creſcat, quod habemus, & implebitur, quod non habemus. Ecce enim baptizati ſunt homines; omnia illis peccata dimiſſa ſunt; juſtificati ſunt a peccatis. Reſtat tamen lucta cum carne, mundo, & diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur: aliquando vincit, aliquando perimitur*, aut vincitur. Atque utinam plures eſſent, qui luctando non *perimerentur*, aut vincerentur ad mortem ſempiternam! Verum ſi non pauci ſunt, qui ita fortiter luctantur, & pugnant, ut lethalia vulnera devitent, neque de ipſis dicere queat *aliquando inimicus: prævalui adverſus eum*; nullus tamen eſt, qui ſaltem levem aliquem ictum non recipiat, & fragilitatis ſuæ detrimenta patiatur, ita ut remedio, & curatione non indigeat; nec opus habeat, ut ſemper Deum oret, & quotidie dicat: *Dimitte nobis debita noſtra*. Quapropter caveamus attente a ſeductione ſuperbiæ noſtræ, ne dicamus unquam non ſolum coram aliis, ſed neque in nobiſmetipſis: *Quia peccatum non habemus*. Agnoſcamus ſerio, quam leves, quam imbecilles, quam inſtabiles ſumus; quemadmodum ex oppoſito quam multi, quam fortes, quam in bello obſtinati, qui nos impugnant: atque inde profundæ humilitatis, ac timoris ſalutaris argumentum capiamus, ut nihil de nobis præſumentes, ſed in ſolo Deo ſpem noſtram, & fiduciam collocantes, perveniamus ad beatiſſimæ illius vitæ ſtatum, in quo nullum erit nedum peccatum, ſed neque peccandi periculum.

CAPUT TERTIUM.

De Prudentia.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit prudentia?*
II. *Officia, ſive actus prudentiæ.*
III. *Fines, ad quos prudentia dirigit, alii generales, alii particulares.*
IV. *De partibus prudentiæ integralibus. Prima eſt* præteritorum memoria.
V. *Secunda* intelligentia, *ſive intellectus. Tertia* providentia.
VI. *Quarta* docilitas. *Quinta* ſolertia.
VII. *Sexta* ratio. *Septima* circumſpectio.
VIII. *Octava demum* cautio; *ſive conſideratio malorum, & impedimentorum, quæ occurrere poſſunt.*
IX. *De partibus prudentiæ ſubjectivis; ac primum de prudentia* regnativa.
X. *De prudentia* politica.
XI. *De prudentia* œconomica, *&* militari.
XII. *De vitiis, quæ prudentiæ opponuntur.*
XIII. *De aſtutia.*
XIV. *De dolo, & fraude.*
XV. *De nimia rerum temporalium ſollicitudine.*
XVI. *De immoderata ſollicitudine futurorum.*

I. PRæter Religionem, quæ theologicis virtutibus propinquior eſt, ac peculiarem tractationem expoſcit, quatuor ſunt, ut notavimus, primariæ virtutes *morales*, quæ etiam *cardinales* appellantur, a quibus plures aliæ proficiſcuntur, vel quibus adnexæ ſunt; videlicet *prudentia, juſtitia, temperantia, & fortitudo*, de quibus agendum modo eſt, non omnia quidem perſequendo, quæ ſub his continentur: ſiquidem non pauca commodius alibi tractabuntur; ſed quæ ad ideam, & notitiam harum virtutum comparandam pertinent, magiſque neceſſaria exiſtimo.

§. I.

Quædam de Prudentia generatim attinguntur.

I. De prudentia multa diximus *tract.* 2. de ſecunda *regula moralium actionum* proxima, & immediata; ſcilicet *humana ratione* differentes. Unde hic pauca addenda, ſive potius recolenda ſuperſunt. Eam definit S. Thomas, quod ſit *recta ratio agibilium*; ſive, ut alii, *Prudentia eſt virtus oſtendens, judicans, atque præcipiens, quid in qualibet actione particulari agendum ſit, tamquam honeſtum, vel fugiendum tanquam turpe, ſive morum regulis diſſentaneum.*

II.

II. Ejus officia, ſive actus ſunt 1. rectum de rebus agendis *conſilium* quærere, accipere, vel præbere. 2. De iiſdem *recte judicare*, ſive juxta regulas communes, ſive juxta altiora principia. 3. Recte de rebus ipſis agendis *præcipere*; qui poſtremus actus prudentiæ maxime proprius eſt: alii vero ad virtutes prudentiæ adnexas, & affines potius ſpectant.

III. Hiſce actibus, & officiis prudentia dirigit actiones hominum ad fines ſuos, quorum alii ſunt *generales*, & ampli; alii *particulares*. Primi generis ſunt hujuſmodi: *Bonum eſt faciendum; malum fugiendum; ordo in rebus ſervandus; divina lex cuſtodienda*; ſimileſque. Alterius autem ſunt ipſa peculiaria virtutum officia, quæ propria nempe ſunt particularium virtutum, prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, earumque partium: quæ cum conſiderari valeant tum *in acquiſitione*, tum *in perfectione* ſibi conveniente, prudentiæ opus eſt primum, ut virtutes acquirantur, deinde ut eædem acquiſitæ in ſuas, quando, & quoties oportet, operationes prodeant, ſimulque ea media eligantur, quæ cuilibet virtutis officio exercendo opportuna ſunt.

§. II.

De partibus Prudentiæ integralibus.

IV. Partes plures, quæ *integrantes* vocantur, & ad perfectum ipſius uſum requiruntur, recenſet, atque egregie explicat S. Thomas 2. 2. q. 49. Harum prima eſt *præteritorum memoria*, quæ vel ſenſu, vel etiam intellectu percepimus: quæ enim experti quandoque ſumus, magno ſunt adjumento prudentiæ, ut de aliis, quæ contingere poſſunt, recte deliberet. Unde *in ſenibus* maxime dicitur *eſſe prudentia*.

V. 2. „ Intelligentia, *ſive* intellectus, *qui* non „ ſumitur hic, *inquit S. Thomas art.* 2. pro po„ tentia intellectiva, ſed prout importat quam„ dam rectam æſtimationem alicujus extremi prin„ cipii, quod accipitur ut per ſe notum, ſicut & „ prima demonſtrationum principia *intelligere* di„ cimur. Omnis autem deductio rationis ab ali„ quibus procedit, quæ accipiuntur ut prima. Un„ de oportet, quod omnis proceſſus rationis ab a„ liquo intellectu procedat. Quia ergo prudentia „ eſt *recta ratio agibilium*; ideo neceſſe eſt, quod „ totus proceſſus prudentiæ ab intellectu derivetur. „ *In Scripturis appellatur* intellectus prudentiæ, *ut* „ *Eccli.* 1. *& alibi* ſpiritus intelligentiæ: *de quo* „ *Deut.* 4. *ſcriptum eſt*: Hæc eſt vera ſapientia, & „ intellectus coram populis, ut audientes univerſa „ præcepta hæc dicant: en populus ſapiens, & „ intelligens“.

3. „ Providentia, *quæ, ut ait art.* 6. *S. Thomas*, „ importat reſpectum quemdam alicujus diſtantis „ ad ea, quæ in præſenti occurrunt, & ordinanda „ ſunt“: ſive, ut alii, ea eſt, qua futurum aliquod ante videtur, quam factum ſit, & idonea media ad finem conſequendum aſſumuntur. De hac loquitur Chriſtus in Parabola illius, *qui volens turrim ædificare, prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare*. Quod & ſequenti parabola perſequitur, cum de Rege ait: *Qui iturus committere bellum adverſus alium regem, ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe: alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt*.

VI. 4. *Docilitas* ea eſt, qua quis paratum, promptumque ſe exhibet ad aliorum conſilia, & monita de rebus agendis capeſſenda. Huc ſpectat illud Proverb. 2.: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; & Eccleſ. 6.: *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant a te*. Atque hæc quidem *docilitas*, ut obſervat S. Thomas art. 3. ad 2. *ſicut & alia, quæ ad prudentiam pertinent, ſecundum aptitudinem eſt a natura*, quatenus a bona quadam & felici indole non parum pendet; *ſed ad ejus conſummationem plurimum valet humanum ſtudium: dum ſcilicet homo ſollicite, frequenter, & reverenter applicat animum ſuum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter ſuperbiam*.

5. „ Solertia ad hoc pertinet (*verba ſunt S. Tho„ mæ art.* 4.), ut homo bene ſe habeat in acqui„ rendo rectam æſtimationem per ſe ipſum: ita ta„ men, ut ſolertia accipiatur pro *Euſtochia*, cu„ jus eſt pars: nam *Euſtochia* eſt bene conjectu„ rativa de quibuſcumque; ſolertia autem eſt fa„ cilis, & prompta conjecturatio circa inventio„ nem medii“, ut eo invento rectum de actione judicium formari valeat.

VII. 6. *Ratio*, ſive, uti S. Thomas intelligit, *promptitudo ratiocinandi*, inter partes integrales prudentiæ collocatur; quia ad prudentiam neceſſarium eſt, ut *homo ſit bene ratiocinativus*; nempe quod ex principiis practicis intellectus recte deducat concluſiones practicas, quæ in ipſis continentur.

7. *Circumſpectio*, ideſt attenta conſideratio circumſtantiarum, quæ in humanis actionibus occurrunt, & faciunt ad honeſtatem, vel turpitudinem actus. „ *Prudentia* enim, ait S. Thomas „ art. 7., eſt circa ſingularia operabilia, in qui„ bus multa concurrunt; & ideo contingit ali„ quid ſecundum ſe conſideratum eſſe bonum „ & conveniens fini, quod tamen ex aliquibus „ concurrentibus redditur vel malum, vel non „ opportunum ad finem. Sicut oſtendere ſigna a„ moris alicui ſecundum ſe conſideratum, vide„ tur eſſe conveniens ad alliciendum ejus ani„ mum ad amorem: ſed ſi contingat in animo „ illius ſuperbia, vel ſuſpicio adulationis, non „ erit hoc conveniens ad finem. Et ideo neceſ„ ſaria eſt *circumſpectio* ad prudentiam, ut ſcili„ cet homo id, quod ordinatur ad finem, com„ paret etiam cum his, quæ circumſtant“. Huc ſpectat illud Apoſtoli Pauli ad Philip. 1. cap. 9.: *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, ut probetis potiora*.

VIII. 8. *Cautio* eſt malorum, & impedimentorum extrinſecorum, quæ finis conſecutioni objiciuntur, & adverſantur, accurata conſideratio, ut ea vitentur, vel removeantur: *Prudentia* namque, inquit S. Doctor art. 8., *eſt circa contingentia operabilia, in quibus ſicut verum poteſt admiſceri falſo, ita & malum bono propter multiformitatem hujuſmodi operabilium, in quibus bona plerumque impediuntur a malis, & mala habent ſpeciem boni. Et ideo neceſſaria eſt cautio ad prudentiam, ut ſic accipiantur bona, quod vitentur mala.* Huc pertinet illud Apoſtoli ad Epheſ. 4.: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.*

§. III.

De partibus Prudentiæ ſubjectivis.

IX. Partes *ſubjectivæ*, ſive *ſubjectæ* prudentiæ idem ſunt, ac ejuſdem ſpecies. Hæ conſiderantur vel in ordine ad ſeipſum, vel in ordine ad alios. *Et quia*, inquit S. Thomas hic quæſt. 50., *per quam aliquis regit ſeipſum, jam dictum eſt*; noſque pariter diximus *tract.* 2. *cit. Diſſert.* 1. cap. 1. & 2. *reſtat nunc dicendum* de ſpeciebus prudentiæ, quibus multitudo gubernatur, quæ quatuor ſunt; nempe *regnativa*, *politica*, *œconomica*, & *militaris*, de quibus pauca, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinere poſſunt, attingemus.

De Prudentia regnativa.

Admittendum eſſe ſpecialem prudentiam pro Regibus, ac Principibus, agnovit, & docuit Ariſtoteles in 3. *Polit.* 1.: immo ipſis maxime convenire aſſeruit, dum ſcripſit, *prudentiam eſſe propriam virtutem Principis*. Idem luculentiſſime oſtendit, & probat S. Thomas *art.* 1. hoc egregio diſcurſu: „ Ad prudentiam pertinet regere, „ & præcipere; & ideo ibi invenitur ſpecialis ratio regiminis, & præcepti in humanis actibus, „ ubi etiam invenitur ſpecialis ratio prudentiæ. „ Manifeſtum eſt autem, quod in eo, qui non „ ſolum ſeipſum habet regere, ſed etiam communitatem perfectam civitatis, vel regni, invenitur ſpecialis, & perfecta ratio regiminis. „ Tanto enim regimen perfectius eſt, quanto univerſalius eſt, ad plura ſe extendens, & ulteriorem finem attingens. Et ideo Regi, ad quem „ pertinet regere civitatem, vel regnum, prudentia competit ſecundum ſpecialem, & perfectiſſimam ſui rationem. Et propter hoc *regnativa* „ ponitur ſpecies prudentiæ “. Qui plura de hac re deſiderat, conſulat S. Thomam in libris *de Regimine Principum*, clariſſimum Boſſuetum, alioſque Authores, qui hoc argumentum diſcuſſere.

De Prudentia politica.

X. Quoad hanc prudentiam affert in primis S. Thomas textum Ariſtotelis ex 6. *Ethic.*, nempe: *Ejus autem, quæ circa civitatem, hæc quidem, ut architectonica prudentia legis poſitiva; hæc autem commune nomen habet Politica circa ſingularia exiſtens.* Deinde ita differit: „ Dicendum, quod „ ſervus per imperium movetur a Domino, & „ ſubditus a Principante: aliter tamen, quam „ irrationabilia, & inanimata moveantur a ſuis „ motoribus. Nam inanimata, & irrationabilia „ aguntur ſolum ab alio, non autem ipſa agunt „ ſe ipſa: quia non habent dominium ſui actus „ per liberum arbitrium. Et ideo rectitudo regiminis ipſorum non eſt in ipſis, ſed ſolum in „ motoribus. Sed homines ſervi, vel quicumque ſubditi ita aguntur ab aliis per præceptum, „ quod tamen agunt ſe ipſos per liberum arbitrium. Et ideo requiritur in eis quædam rectitudo regiminis, per quam ſe ipſos dirigant „ in obediendo Principantibus. Et ad hoc pertinet ſpecies prudentiæ, quæ Politica vocatur “. Unde per prudentiam politicam regit ſe homo in ordine ad bonum commune, non autem ad proprium.

De Prudentia Œconomica, & militari.

XI. Hæ quoque duæ ſunt prudentiæ ſpecies, quarum prima, ſcilicet *Œconomica* reſpicit pro objecto rectum regimen propriæ domus; ſeque habet medio modo inter unam ſingularem perſonam, & civitatem, vel regnum. Nam ſicut una ſingularis perſona eſt pars domus; ita domus eſt pars civitatis, vel regni. Et ideo ſicut prudentia communiter dicta, quæ unam tantum perſonam regis, diſtinguitur a prudentia *politica*; ita oportet, quod *œconomica* ab utraque diſtinguatur.

Altera vero, nimirum *militaris* ita explicatur elegantiſſime ab eodem Sancto Præceptore dicente: „ Ea, quæ ſecundum artem, & rationem aguntur, conformia eſſe oportet his, quæ ſecundum naturam, quæ a ratione divina ſunt inſtituta. Natura autem ad duo tendit: primo „ quidem ad regendam quamcumque rem in ſeipſa; ſecundo vero ad reſiſtendum extrinſecis „ impugnantibus, & corruptivis. Et propter „ hoc non dedit ſolum animalibus vim concupiſcibilem, per quam moveantur ad ea, quæ „ ſunt ſaluti eorum accommoda, ſed etiam vim „ iraſcibilem, per quam animal reſiſtit impugnantibus. Unde & in his, quæ ſunt ſecundum rationem, non ſolum oportet eſſe prudentiam „ *politicam*, per quam diſponuntur convenienter „ ea, quæ pertinent ad bonum commune, ſed „ etiam *militarem*, *per quam hoſtium inſultus repellantur* “.

§. IV.

De vitiis Prudentiæ oppoſitis.

XII. Antequam D. Thomas ad vitia, quæ prudentiæ opponuntur, explicanda progrediatur, pulchram præmittit Sancti Doctoris Auguſtini ſententiam ex lib. 4. *contra Julian.* his verbis conceptam; videlicet: *Omnibus virtutibus non ſolum ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria: ſicut pru-*

prudentiæ temeritas; verum *etiam vicina quodammodo*, *nec veritate*, *ſed quadam ſpecie fallente ſimilia*, *ſicut ipſi prudentiæ aſtutia*. Primo ergo, ſubdit, conſiderandum eſt de vitiis, quæ manifeſtam contrarietatem habent ad prudentiam: ſecundo de vitiis, quæ habent quamdam ſimilitudinem falſam cum prudentia. De prioribus alibi ſatis diximus: ſupereſt igitur, ut de poſterioribus aliqua dicamus.

De Prudentia carnis.

Primum vitium, quod quamdam habet veræ prudentiæ ſimilitudinem, eſt *prudentia carnis*; quæ proprie dicitur de eo, qui carnis bona ut ultimum vitæ ſuæ finem præſtituit; atque adeo peccatum eſſe, & quidem lethale ex ſua natura, non eſt ambigendum, cum omnis inordinatio circa finem ſemper grave peccatum ſit. Non enim in bonis corporis, ſicut nec in aliqua re creata finis ultimus conſtituendus eſt, ſed in ſolo Deo rerum omnium, ac præſertim rationalis creaturæ ultimo fine. Scite autem obſervat Sanctus Thomas hic *quæſt.* 55. *artic.* 1., quod licet hæc *prudentia carnis* appelletur in Divinis Scripturis, quemadmodum etiam *prudentia mundi*: quia tamen prudentia quodammodo dicitur etiam *ſapientia*; ideo ſecundum tres tentationes poteſt intelligi triplex, & quidem unaquæque perverſa, *prudentia*. Unde Jacob. 3. dicitur ſapientia eſſe *terrena*, *animalis*, & *diabolica*: *terrena*, quatenus ſibi præſtituit finem in rebus terrenis exterioribus: *animalis*, prout finem collocat in bonis corporalibus: *diabolica* demum, dum illum ponit in aliqua propria excellentia ad imitationem Diaboli, qui ipſum in ſua excellentia præfixit. Reliqua de hac prudentia vide loco citato cap. 2.

De Aſtutia.

XIII. *Aſtutia* aliquando in Scripturis accipitur in bonam partem, ut cum Proverb. 13. legitur: *Aſtutus omnia agit cum conſilio*; & 2. Corint. 12. *Cum eſſem aſtutus*, *dolo vos cepi*. Non autem hæc proprie dicuntur, ſed potius abuſive, ut ait Sanctus Auguſtinus *lib.* 4. *cont. Julian.* Sicut enim *prudentia* abuſive quandoque in malum ſumitur; ita *aſtutia* quandoque in bonum. Germanam ejus notionem aſſignat hic *artic.* 3. Doctor Angelicus: „ Peccatum aliquod poteſt eſſe „ contra prudentiam, habens ſimilitudinem ejus „ dupliciter: uno modo, quia ſtudium rationis „ ordinatur ad finem, qui non eſt vere bonus, „ ſed apparens: & hoc pertinet ad prudentiam „ carnis. Alio modo in quantum aliquis ad finem „ aliquem conſequendum vel bonum, vel ma- „ lum, utitur non veris viis, ſed ſimulatis, & „ apparentibus. Et hoc pertinet ad peccatum „ *aſtutiæ*. Unde eſt quoddam peccatum pruden- „ tiæ oppoſitum, & a *prudentia carnis* diſtin- „ ctum". Ad hanc referuntur ea, quæ habet Sanctus Gregorius Magnus *lib.* 10. *Moral. cap.* 16. in illud Job cap. 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*, omnia, quæ ad falſam mundi prudentiam pertinent, complectens, inquiens: *Sapientia hujus Mundi eſt cor machinationibus tegere*, *ſenſum verbis velare*; *quæ falſa ſunt*, *vera oſtendere*; *quæ vera ſunt*, *falſa demonſtrare*. *Hæc prudentia a juvenibus ſcitur*, *a pueris pretio diſcitur*. Hanc Apoſtolus reprobat 2. *Corinth. cap.* 4. illis verbis: *Non ambulantes in aſtutia*, *neque adulterantes verbum Dei*.

Itaque *aſtutia*, dum preſſe accipitur, eſt *excogitatio ingenioſa mediorum*, *quæ obvia non ſunt*, *apparenter quidem bonorum*, *ſed revera malorum*, *ac fallacium ad obtinendum finem intentum ſive bonum*, *ſive malum cum voluntate ea applicandi*. Adeoque non ſolum aſtutia peccatum eſt, dum mala media ordinat ad finem malum; verum etiam dum eadem ordinat ad bonum. *Non* enim *ſunt facienda mala*, *ut veniant bona*. Peccatum vero mortale, vel veniale eſt pro ratione medii, quo aſtutus utitur, vel mali finis, qui intenditur.

De Dolo, *& fraude.*

XIV. *Dolus* ad aſtutiam pertinet, ſicut etiam *fraus*; & ſunt executio illius: quæ ſi per verba, vel facta contingat, proprie *dolus* vocatur; *fraus* vero, ſi per ſola facta. *Sicut dolus*, inquit Sanctus Thomas hic artic. 5. *conſiſtit in executione aſtutiæ*, *ita etiam & fraus*. *Sed in hoc differre videntur*, *quod dolus pertinet univerſaliter ad executionem aſtutiæ*, *ſive fiat per verba*, *ſive per facta*: *fraus autem magis proprie pertinet ad executionem aſtutiæ*, *ſecundum quod fit per facta*. Obſervat autem *in reſp. ad* 2. quod executio aſtutiæ ſive per dolum, ſive per fraudem fieri poteſt mediante aliquo alio vitio; ſicut & executio prudentiæ fit aliquando mediante alia virtute: & hoc modo nihil prohibet, quod ea executio pertineat ad *avaritiam*, *illiberalitatem* &c. Tunc autem *aſtutia* peccatum lethale ſemper eſt, ſi vitium illud, aut executio eo vitio peracta ſit lethale peccatum.

De ſollicitudine rerum temporalium.

XV. Inter vitia, quæ veræ prudentiæ opponuntur, licet ejus quamdam ſimilitudinem præferant, reponit S. Præceptor *art.* 6. nimiam ſollicitudinem rerum temporalium; ſicut & *art.* 7. ſollicitudinem futurorum. Priorem explicat, quid ſollicitudo ſit, in primis definiens, nempe *ſtudium quoddam adhibitum ad aliquid conſequendum*. Tum vero docet, quot modis ea illicita fiat; nimirum primo *ex parte rei*, circa quam ſollicitudo verſatur: *Si* nempe *temporalia tamquam finem quæramus*. Unde & Sanctus Auguſtinus in lib. *de Oper. Monach. cap.* 26. ait: *Cum Dominus dicit*: Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut in quo operiemur; *hoc dicit*, *ut non iſta intueantur*, *& propter iſta faciant*, *quidquid in Evangelii prædicatione facere jubentur*.

Alio modo illicita poteſt eſſe ſollicitudo rerum temporalium *propter ſuperfluum ſtudium*, quod in temporalibus procurandis impenditur; propter quod

quod homo avocatur a ſpiritualibus, quibus principalius inſervire debet. Et ideo dicitur Matth. 13. quod *ſollicitudo ſæculi ſuffocat verbum Dei*.
Tertio tandem illicita fit *ex parte ſuperflui timoris*, quoties videlicet aliquis timet, ne agendo, quod agere tenetur, ſibi neceſſaria deficiant. Quod Dominus in Evangelio tripliciter removet, primo propter majora beneficia homini præſtita divinitus præter ſuam ſollicitudinem, ſcilicet corpus, & animam. Secundo propter curam, qua Deus animalibus, & plantis etiam ſubvenit abſque humano ſubſidio, juxta naturæ ſuæ proportionem. Tertio ex divina providentia, ob cujus ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda ſollicitudinem gerunt. Ex quo Chriſtus Dominus concludit, quod principaliter ſollicitudo noſtra verſari debeat circa bona ſpiritualia, ſperantes a Deo, quod etiam temporalia bona haud nobis defutura ſint, ſi ea, quæ præſtare debemus, non prætermiſerimus. Sollicitudo ergo de rebus temporalibus moderata non prohibetur; ſed nimiam & immoderatam de rebus hiſce gerere, vitium eſt omnino vitandum. Unde S. Auguſtinus *lib.* II. *de ſerm. Dom. in monte cap.* 18. expendens de re hac aliqua Scripturarum loca, quæ ſibi invicem adverſari videntur, docet, *Dominum noſtrum non hoc improbare, ſi quis humano more iſta* (temporalia) *procuret, ſed ſi propter iſta Deo militet, ut in operibus ſuis non regnum Dei, ſed iſtorum acquiſitionem intueatur*. Quod & S. Hieronymus animadvertit dicens: *Labor exercendus eſt; ſollicitudo* (nimia ſcilicet & immoderata) *tollenda*.

De Sollicitudine futurorum.

XVI. Hæc ſollicitudo, de qua agit S. Thomas *art.* 7. definiri poteſt, quod nempe ſit *Nimis anxia mentis occupatio circa futura, ut ſcilicet temporalia deſint*. Hujus vitii labem oſtendit S. Doctor his verbis: „ Nullum opus poteſt eſſe virtuoſum, niſi debitis circumſtantiis veſtiatur, „ inter quas una eſt debitum tempus ſecundum „ illud Eccleſ. 8. *Omni negotio tempus eſt, & opportunitas*. Quod non ſolum in exterioribus operibus, ſed etiam in interiori ſollicitudine locum habet. Unicuique enim tempori competit propria ſollicitudo, ſicut tempori æſtatis „ competit ſollicitudo metendi; ipſi autumno „ autem competit ſollicitudo vindemiæ. Si quis „ ergo tempore æſtatis de vindemia jam eſſet „ ſollicitus, ſuperflue præoccuparet futuri temporis ſollicitudinem. Unde hujuſmodi ſollicitudinem tamquam ſuperfluam Dominus prohibet dicens: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*. Unde ſubdit: *Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*; ideſt ſuam propriam „ ſollicitudinem habebit, quæ ſufficiet ad animum affligendum. Et hoc eſt, quod ſubdit: *Sufficit diei malitia ſua*; ideſt afflictio ſollicitudinis ".
Facit ad clariorem intelligentiam hujus ſollicitudinis futurorum, quæ vel ſuperflua, & damnabilis eſt, vel honeſta, & laudabilis, authoritas Sancti Auguſtini loco citato cap. 17. ubi ait: *Cum viderimus aliquem ſervum Dei providere, ne iſta neceſſaria ſibi deſint, non judicemus, eum de craſtino ſollicitum eſſe. Nam & ipſe Dominus propter exemplum loculos habere dignatus eſt; & in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, ea quæ ad victum ſunt neceſſaria, procurata eſſe in futurum propter imminentem famem. Non ergo Dominus improbat, ſi quis humano more iſta procuret &c.* Intempeſtiva itaque, nimiaque de futuris eventibus, & cum defectu fiduciæ in divinam providentiam, ſollicitudo duntaxat damnanda eſt.

CAPUT QUARTUM.

Conſectaria.

I. *Prudentia recte comparatur ad ſynderesim, ſive habitum primorum principiorum practicorum, ſicut ſcientia ad intellectum principiorum ſpeculabilium.*
II. *Providentia inter omnes prudentiæ partes integrales principatum obtinet.*
III. *Quum impoſſibile ſit homini in hac vita mortali conſtituto præcavere omnia mala, quæ contingunt, ad hoc homo non tenetur ex virtute, ac præcepto.*
IV. *Prudentiæ proprium eſt, cavere nedum a vitiis, & a peccati occaſionibus, ſed etiam ab hominibus, quorum probitas non eſt perſpecta.*
V. *Ad prudentiam maxime pertinet cavere a falſis Magiſtris, & conſcientiæ Directoribus laxas doctrinas tradentibus.*
VI. *Virtus* regnativa *convenientius ponitur prudentia, quam juſtitia.*
VII. *Quamquam multi peccatores, & impii providi ſint in gubernatione propriæ familiæ, non eſt tamen in eis admittenda illa prudentia, quæ dicitur* œconomica.
VIII. *Prudentia carnis, fraus, dolus &c. ex avaritia potiſſimum originem trahunt.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PRudentia congrue a S. Thoma comparatur ad ſynderesim, ſicut ſcientia comparatur ad intellectum principiorum. Quemadmodum enim ſcientia verſatur circa concluſiones rationis ſpeculativæ; ita prudentia circa concluſiones rationis practicæ. Et ſicut nobis naturaliter indita ſunt principia ſpeculabilium, a quibus intellectus procedit ad concluſiones ſpeculativas; ſic etiam naturaliter nobis indita ſunt operabilium principia, a quibus intellectus procedit ad concluſiones practicas. Synderesis ex. gr. verſatur circa hæc principia: *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum, ordo in rebus ſervandus, Deus colendus, æterna tranſitoriis præferenda*; quæ, & id genus alia a Sancto Auguſtino vocantur *regulæ incommutabiles, & ſemina virtutum*. Prudentia autem verſatur circa concluſiones practicas, quæ ex illis inferuntur, & circa actiones, quæ ſunt in ſingularibus, & iis conſentaneæ ſunt.

Con-

Conſectarium Secundum.

II. Quamquam multæ ſint *Prudentiæ* partes ad ejus integritatem pertinentes, omnibus tamen præeminet ea, quæ dicitur *providentia*, a qua prudentia ipſa veluti nomen accepit. Quoniam, ut ſapienter animadvertit S. Thomas hic quæſt. 49. art. 6. ad 1. „ Quandocumque multa requiruntur „ ad unum, neceſſe eſt, unum eorum eſſe prin- „ cipale, ad quod omnia alia ordinantur. Unde „ in quolibet toto neceſſe eſt eſſe unam formalem „ partem, & prædominantem, a qua totum uni- „ tatem habet. Et ſecundum hoc *providentia* eſt „ principaliter inter omnes partes prudentiæ: „ quia omnia alia, quæ requiruntur ad pruden- „ tiam, ad hoc neceſſaria ſunt, ut aliquid recte „ ordinetur in finem. Et ideo nomen ipſius „ prudentiæ ſumitur a *providentia*, ſicut a prin- „ cipaliori ſua parte ". Quapropter de illa permaxime curam habere debemus, ut prudenter agamus.

Conſectarium Tertium.

III. Impoſſibile quidem eſt homini mortali præcavere mala omnia, quæ in hac vita contingere poſſunt: neque ad hoc homo tenetur ex virtute prudentiæ. Sed tamen diſtinguere neceſſe eſt cum D. Thoma hic *art.* 8. *ad* 3. mala, quæ vitanda occurrunt. Quædam enim ſunt, quæ plerumque accidere ſolent: & talia comprehendi ratione valent. Et contra hæc ordinatur *cautio*, quæ prudentiæ pars eſt, ut omnino vitentur, vel ut minus noceant. Quædam vero ſunt, quæ raro, & potius caſualiter contingunt. Hæc autem, cum infinita ſint, ratione comprehendi nequeunt, nec homo poteſt ea præcavere: *Quamvis*, ſubdit Sanctus Doctor, *per officium prudentiæ homo contra omnes fortunæ inſultus ſe diſponere poſſit, ut minus lædatur.*

Conſectarium Quartum.

IV. Prudentiæ proprium eſt non ſolum cavere a vitiis, & a peccati occaſionibus, verum etiam ab hominibus, quorum probitas perſpecta non eſt, & explorata; nec temere cuivis credere, etiamſi bonis verbis blandiatur. Quocirca Jeremiæ cap. 9. dicitur: *Unuſquiſque ſe a proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Et Cap. 12. *Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Quod & Michææ 7. dicitur: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce.* Et Matth. cap. 7. *Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis ſuis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.*

Conſectarium Quintum.

V. At præ cæteris maxima adhibenda cautio eſt in deligendis Magiſtris, Confeſſariis, aut animæ noſtræ Directoribus; ne ſcilicet ex eorum numero ſint, qui doctrinis falſis, & blandis conſcientias hominum ſeducunt, & animas per viam latam, & ſpatioſam ducentes, eas in perditionem æternam præcipites agunt. Hinc Chriſtus Dominus, cum Matth. c. 7. dixiſſet: *Intrate per anguſtam portam; quia lata porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam: Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* cum hæc, inquam, dixiſſet, ſtatim immediate ſubjecit: *Attendite a falſis Prophetis.* Quod & ipſe Apoſtolus Petrus maxime commendat fidelibus, inquiens Epiſt. 2. cap. 3. *Fuerunt pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces.* Quinam ſunt hi *Pſeudoprophetæ*, a quibus attendere? quinam *Magiſtri mendaces*, quos cavere jubemur; niſi qui homines *non per anguſtam, quæ ducit ad vitam*, ſed *per latam, & ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem, viam* deducunt, quos multi ſequuntur, atque adeo *multi intrant per eam*? Sapiens eſt P. Elizaldæ *p.* 2. *lib.* 6. *q.* 4. animadverſio, in falſis Prophetis veteris legis non hæreticos ſolum, ſed & Catholicos notari, atque eos argui, qui falſam morum doctrinam tradunt. *Sciatur*, inquit, *hoc in Eccleſia eſſe Magiſtros falſos, & mendaces, quod in populo Judaico fuere Pſeudoprophetæ ..... Rurſus, ut Hieronymus obſervat, Prophetarum nomen bonis, & malis, veris, & falſis commune eſt.* Præter Hieronymum laudat Auguſtinum, atque Chryſoſtomum, qui expreſſe affirmat: *Prophetæ, de quibus Chriſtus loquitur, Doctores intelliguntur.* His porro Doctoribus, ac Prophetis haud fidere populum debere, monet Deus per Jeremiam dicentem: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.* Vide alia, quæ de hac re diximus in Conſectariis adverſus Probabiliſmum. Ex quibus omnibus colligere oportet, quam caute nos gerere debeamus in delectu Magiſtrorum noſtrorum, ac conſcientiæ Directorum, ut prudens ſit electio noſtra; nec hujus defectu æternæ damnationis periculum incurramus.

Conſectarium Sextum.

VI. Præclare obſervat S. Doctor hic *quæſt.* 50. *art.* 1. *ad* 1. cur virtus *regnativa* ponatur potius ſpecies *prudentiæ*, quam *juſtitiæ*; tametſi peculiaris prærogativa Regis ſit eſſe *cuſtodem juſtitiæ*: quia nempe „ Omnia, quæ ſunt virtutum mora- „ lium, pertinent ad prudentiam, ſicut ad diri- „ gentem: unde & *recta ratio prudentiæ* ponitur „ in definitione virtutis moralis. Et ideo etiam „ executio juſtitiæ, prout ordinatur ad bonum „ commune, quod pertinet ad officium Regis, „ indiget directione prudentiæ. Unde iſtæ duæ „ virtutes ſunt maxime propriæ Regi; ſcilicet „ *prudentia*, & *juſtitia* ſecundum illud Jerem. 23. „ *Regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judi-* „ *cium, & juſtitiam in terra.* Quia tamen diri- „ gere magis pertinet ad Regem, exequi autem „ ad ſubditos; ideo *regnativa* magis ponitur ſpe-

„ cies prudentiæ, quæ eſt directiva, quam juſti-
„ tiæ, quæ eſt executiva“.

Conſectarium Septimum.

VII. Etſi multi ſint, ut animadvertit S. Thomas *art.* 2. *ad* 3. peccatores, & impii, *qui provvidi ſunt in gubernatione familiæ:* dicendum tamen non eſt, in ipſis eſſe prudentiam, etiam illam, quæ *Œconomica* dicitur: quoniam *ad aliqua* quidem *particularia, quæ ſunt in domo diſponenda, poſſunt provide ſe habere; ſed non ad ipſum totum bene vivere domeſticæ converſationis, ad quod præcipue requiritur vita virtuoſa.*

Conſectarium Octavum.

VIII. Prudentia carnis, aſtutia, dolus, & fraus vitia ſunt, quæ ex avaritia præſertim oriuntur, ut colligitur ex S. Gregorio 11. *Moral. cap.* 17. cujus rei hanc aſſignat rationem S. Thomas *qu.* 55. *art.* 8. quia hujuſmodi vitia quamdam habent cum prudentia ſimilitudinem in aliquo rationis actu. Inter alias autem virtutes morales rectæ rationis uſus elucet in juſtitia, quæ in appetitu rationali ſedem habet; adeoque etiam uſus rationis indebitus maxime apparet in vitiis juſtitiæ oppoſitis, cui præſertim avaritia adverſatur. Et ideo prædicta vitia maxime ex avaritia procedunt. Alia ad prudentiam pertinentia conſectaria vide *Tract. cit. cap.* 2.

REFLEXIO.

Multi prudentiæ imaginem, & umbram gerunt: pauci veritatem. Multi veluti prudentes, imo & prudentiſſimi laudantur in hoc ſæculo, qui ſtulti, imo & ſtultiſſimi habentur apud Deum. Quoniam eorum prudentia tota verſatur in rebus temporalibus, & caducis; non autem in ſpiritualibus, ac æternis; adeoque vel prudentia carnis eſt, vel prudentia hujus Mundi, *quæ*, teſte Apoſtolo, *inimica eſt Deo*; *& prudentiæ* nomen nequaquam meretur, ſed imprudentiæ potius, atque ſtultitiæ. Perpende, quæſo, pie Lector, veræ, quam dedimus, prudentiæ notionem, & characteres; & nullam his ineſſe prudentiæ veritatem clare perſpicies. Hæc, ut docet Doctor Angelicus, circa ea potiſſimum verſatur, quæ ad finem totius vitæ noſtræ ordinantur, Deum ſcilicet ultimum omnium finem: Hæc de hoc beatiſſimo fine, ſive de actionibus, quibus ad eum perducimur, conſiliatur, judicat, præcipit, ne ab illo deflectamus: Hæc, ut ait S. Auguſtinus, ſive potius Julianus Pomerius *lib.* 12. de Vita Contempl. „ Res ſpirituales a carnalibus
„ defæcatas illuſtrat, ut homines prudentes, ac
„ ſapientes imminentia mala proſpiciant, ſimul
„ & caveant: nec putent ulla eſſe mala, niſi
„ quæ malos efficiunt, & inter fallacia, & ſoli-
„ da bona, quæ nonniſi ſempiterna ſunt, diſcer-
„ nant. Hæc demum, ne omnes hujus excellentiſſimæ virtutis prærogativas perſequar, hominem edocet, ut ex præteritis argumentum ſumat ad diſponenda futura; ut ex principiis primis, atque certiſſimis congruas concluſiones deducat, ut ea, quæ fortaſſis ignorat, a majorum documentis addiſcat; ut bene ſe habeat in acquirenda recta rerum æſtimatione per ſemetipſum; ut ex iis, quæ novit, per ratiocinationem ad alia, quæ neſcit, procedat; ut ea, quæ ordinantur in finem, cum iis comparet, quæ circumſtant, ne in judicando fallatur. Hæc, & alia ſimilia vera prudentia præſtat, ut finem, quem reſpicit, & in quem ſuas dirigere debet actiones, attingat.

At vero, dum hæc pius Lector attente conſiderat, ut quænam ſint veræ prudentiæ officia, percipiat; nonne neceſſe eſt, ut inde colligat paucos eſſe, qui vere prudentes ſint, & appellari mereantur; permultos autem, qui falſo *prudentes*, ac *ſapientes* ab hominibus reputantur? Quænam etenim pleraque horum conſilia, quænam frequentiora judicia, & quæ exinde conſequuntur deliberationes? Nonne de rebus hujus Mundi, in quibus finem vitæ ſuæ conſtituunt, omnes curas ſuas, atque labores impendunt, quo nempe modo ea, quæ carnis ſunt, aſſequantur, quibus mediis tranſitorias ſibi divitias comparent, quibus viis ad dignitates, & honores aſcendant; & ad hæc, & ſimilia bona acquirenda totum animum adjungunt, ingenium, cogitationes, & quandoque etiam fraudes, dolos, ac perverſas machinationes? Hi plane omnes vera prudentia carent, tametſi prudentes, ac ſapientes vulgo prædicentur. Neque enim in his prudentia vera conſiſtit; adeoque inſipientes potius, & imprudentiſſimi dicendi ſunt; quia ſibi ipſis non conſulunt in iis, quæ ſalutem, & felicitatem æternam ſpectant. Sola prudentia vera in juſtis invenitur, qui ſolum Deum tamquam vitæ ſuæ ultimum finem præſtituentes, omnia conſilia ſua, omneſque actiones huc dirigunt, ut ipſi placeant, & ad vitam illam ſempiternam, quam promiſit diligentibus ſe, continenter aſpirant. Quamquam enim induſtriam illam interdum non habeant, qua ſibi, & aliis providere valeant de omnibus, quæ ad vitæ humanæ rationem pertinent, ea tamen induſtria præditi ſunt, quæ ſola ſufficit ad res ſalutis æternæ procurandas, eaque ſola vera prudentia, non fucata, non apparens, aut imaginaria dici debet; quam Chriſtus Dominus nobis commendat, ac præcipit, dum ait: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.*

Concludamus igitur cum S. Auguſt. verbis in Ep. 52. ad Maced. *In hac vita virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt. Profecto id eligere prudentia eſt .... Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, niſi quo melius nihil invenimus? Hoc Deus eſt: cui ſi diligendo aliquid præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius eſt, quanto magis in illum imus. Imus autem non ambulando, ſed amando; quem tanto habemus præſentiorem, quo eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Tanto proinde homo prudentior erit, quanto amor Dei in corde ipſius purior erit, atque perfectior: quoniam charitas, quæ lumen ſecum ſplendidiſſimum defert, clarius oſtendit, quid fugere, quid diligere debeamus ad finem ultimum conſequendum, quæ media adhibere, quas actiones exequi, & quemnam modum obſervare, ut via re-

cta

ſta ambulemus in Deum, & ad ipſum omnium virtutum actus ordinemus.

CAPUT QUINTUM.

De virtute Juſtitiæ.

D O C T R I N A.

I. *Definitio juſtitiæ tum univerſim, tum ſpecialiter conſideratæ.*
II. *Expoſitio juris, quod eſt objectum juſtitiæ, & a quo nomen deſumit.*
III. *Non uno, eodemque modo tria expoſita jura juſtitia reſpicit.*
IV. *Aliæ diviſiones juris, quas juſtitia intactas cuſtodit.*
V. *Ex his bonitas traditæ definitionis eniteſcit.*
VI. *Species, ſive partes juſtitiæ aſſignantur, & explicantur; ac primum quid ſit juſtitia* legalis.
VII. *Quid juſtitia* diſtributiva, & commutativa.
VIII. *Ex his facile conſtat, quid ſit* injuſtitia, *quæ juſtitiæ opponitur.*
IV. *Varii modi, quibus injuſtum committi poteſt.*
X. *Nullus patitur injuſtum volens. Quo ſenſu hoc intelligendum veniat.*

§. I.

Virtutis Juſtitiæ definitio.

I. DE nobiliſſima virtute juſtitiæ nonnulla hic dicemus; reliqua in aliis peculiaribus Tractatibus expendenda, & diſcutienda erunt. Ea duplex eſt, aut dupliciter diſtingui poteſt, ſcilicet in *univerſalem*, & *particularem*. Juſtitia univerſim conſiderata eſt *conformitas vitæ noſtræ, omniumque noſtrarum actionum ad divinam legem ſive naturalem, ſive poſitivam, aliaſque leges omnes humanas, quæ ex ea derivantur, eidemque conſentiunt*: atque adeo idem eſt, ac ſanctimonia, omneſque virtutes complectitur. Duo ejus officia ſunt his verbis Pſalm. 36. expreſſa: *Declina a malo, & fac bonum*; & de hac juſtitia ſæpe loquuntur Sacræ Litteræ, ut cum inter alia de Sancto Joſeph dicitur: *Joſeph autem cum eſſet juſtus*; ſuper quæ animadvertit Ambroſius: *Juſtitia communis eſt virtus*. De hac modo ſermo eſt.

Juſtitia ſpecialiter accepta, de qua duntaxat nunc eſt diſputatio, definitur a S. Thoma Ambroſium, & Auguſtinum ſecuto, quod ſit

Perpetua, & conſtans voluntas jus ſuum unicuique tribuens.

Hæc definitio, quæ a Theologis communiter probatur, cum actum potius, quam habitum deſignare videatur, paucis immutatis, ita virtuti juſtitiæ aptari poteſt, ſi dicamus, eſſe *habitum, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit*.

II. Ut hanc definitionem luculenter exponamus, *juris* notio, quod unicuique juſtitia tribuit, præmittenda eſt. Variæ ſunt hujuſce vocis acceptiones; illiſque prætermiſſis, quibus interdum *juris* nomine ſignificamus vel diſciplinam, aut ſcientiam legum, vel actum, quo Judex ſententiam pronunciat; unde juri dicundo Præfecti *Judices* appellari conſueverunt: vel etiam locum, ubi jus dicitur, quo ſpectant illæ locutiones, *rapere in jus*, *vocare in jus*, ſimileſque: his, inquam, prætermiſſis, quæ nullam lucem definitioni afferunt, tres aliæ hoc loco paucis exponendæ ſunt. Primum itaque *jus* illud dicitur, quod eſt *æquale, ac debitum alteri*; diciturque *jus proprium uniuſcujuſque*. Jus præterea vocatur *facultas agendi, utendi, fruendi aliqua re*: ac demum *lex ipſa*, quæ declarat, atque præſcribit, quid cuique juris, hoc eſt facultatis, poteſtatis, dominii circa aliquid competat.

III. Porro tria hæc jura reſpicit juſtitia virtus, non uno eodemque modo, ſed paululum diverſo. Lex namque norma, & regula eſt, quam ſequitur *juſtitia*, ſuum cuique tribuendo. Id vero, quod ipſa tribuit, & alteri ſervatum vult, unde & alterius proprium eſt, dicitur *objectum juſtitiæ*, ſive in quod juſtitia tendit, & opus, quod ipſa facit. Ac demum ex ea, quæ alteri competit, facultate, ut aliquid agat, aut habeat, eoque utatur, ac fruatur, ſumit juſtitia veluti cauſam, ſeu conditionem, aut titulum, quo quiſque ſibi quidpiam ſuum efficit. Hujuſce juris, quatenus lex eſt, plures ſunt diviſiones, de quibus egimus in Tractatu *de Legibus*. Quatenus vero vel *facultas* eſt, vel *poteſtas*, aut *titulus*, quo quiſque ſibi quidpiam vindicat, ſuumque facit, alias ſubit diviſiones: vel enim a natura, vel ex hominum actu, vel ex Dei voluntate, hæc ineſt cuique facultas. Demum eodem modo dividi poteſt *jus*; quod eſt æquale, ac debitum alteri, juxta multiplicem legem, multiplicemque titulum, quibus, quid cuique ſuum ſit, præſcribitur, ac determinatur.

IV. Alia præterea eſt diviſio eorumdem jurium, illiuſque maxime, quod eſt facultas, in *perfectum*, & *imperfectum*. Iſtud appellari ſolet *jus ad rem*, quæ nondum habetur: illud autem *jus in re*, quæ habetur. Hinc dominium oritur, quod vocant *proprietatis*, quod tum privatis, & ſingulis convenire poteſt, tum ſingulorum Communitati. Hoc dividitur in *directum*, *utile*, & *plenum*. Dominium *directum* ſola conſtituitur proprietate rei abſque ejuſdem uſufructu, & commodis, ſive utilitatibus, ut patet in *commodato*, *locato*, *feudo*, & *emphiteuſi*, & ſimilibus. Dominium *utile* in uſu, vel fruitione rei poſitum eſt, ſalva ejuſdem ſubſtantia: ac hujuſce veluti ſpecies ſunt *uſus*, *uſusfructus*, *habitatio*, & *ſervitus*. Denique dominium *plenum* rei proprietatem, ejuſque uſum, & fruitionem complectitur, quod variis modis acquiritur ſuo loco declarandis.

Hæc igitur jura omnia intacta, & integra ſervare officium juſtitiæ eſt, ac cuique reddere, quod titulo aliquo ſuum eſt. *Sua* porro cuique jure naturæ vita eſt, quam vivit; *ſua* integritas membrorum, qua pollet; *ſua* temporalia bona, quæ juſte acquiſivit, quibuſque utitur ut vitam agat, ſeque conſervet; *ſuus* honor; *ſua* bona fama, quam ſibi peperit. Hæc omnia ſervat conſtanti voluntate juſtitia, cavetque ab homicidiis, mu-

mutilationibus, furtis, rapinis, violentiis, conviciis, contumeliis, detractionibus, aliiſque id genus iniquitatum flagitiis. *Sua* rurſus cuilibet ſunt jure gentium, quæ primum occupantur, quæ poſſidentur cum proprietate, quæ legitima præſcriptione habentur, quæve acquiruntur per mutuos hominum, ac gentium contractus. *Sua* ſunt etiam Civium, quæ cuique competunt juxta particularia Civitatum, regnorum, aut rerumpublicarum condicta: ac *ſua* demum dici poſſunt cujuslibet Chriſtiani ea, quæ tradita ſunt a Jeſu Chriſto Novi Teſtamenti Conditore ad vitam æternam conſequendam.

His demum & illud adjiciendum cenſeo, *jus naturæ* per cætera quæque diffundi, eademque firmare. Quare poſitis hominum pactis, condictis, contractibus, atque inde conſequente proprietate rerum, tenenter homines, quæ *ſua* cuilibet facta ſunt, tum jure humano, tum jure naturali indemnia ſervare, ac reddere: non minus, ac nemini fas eſt polluere, quam *ſuam* mutuo conſenſu maritus fecit, uxorem; & e converſo: unde adulteria injuſta ſunt, & juſtitiæ adverſantur; ac etiam non minus terræ portionem, quam ante initas ſocietates quiſpiam colendam ſumpſit, ut fructus colligeret ad vitam conſervandam neceſſarios, non abſque injuſtitia alter occuparet. De quibus omnibus plura in loco.

V. Expoſito ergo, quod præcipuum eſt in juſtitiæ definitione, nempe propria materia, ſive objecto ipſius, quod differentiæ locum habet, illamque diſtinguit a cæteris virtutibus; jam clareſcit bonitas definitionis traditæ. Nam cæteræ, quæ præmittuntur particulæ ſe tenent ex parte generis, eaſque communes cum virtutibus cæteris habet juſtitia. Unde curſim eas declaro: nimirum juſtitia dicitur *voluntas*, ſive habitus voluntatem afficiens; nam in voluntate ſedem habet. Additur *perpetua*, *&* *conſtans tribuendi* &c. perpetua quidem, non quod actus, aut habitus ejus *perpetuo* durare debeat; ſed ut conditio indicetur ad perfectæ virtutis rationem, quæ requirit propoſitum ſemper, & in omnibus operandi ſecundum virtutem. *Conſtans* vero, ut ſignificetur, quod in illo propoſito oporteat firmiter permanere. Neque enim idem eſt *perpetuum*, & *conſtans*. Nam *perpetuum* deſignat tantummodo propoſitum, & intentionem ita ſemper operandi: *conſtans* autem addit ejuſdem propoſiti firmitatem.

§. II.

Species, ſive partes juſtitiæ.

VI. Tres communiter aſſignantur juſtitiæ ſpecies, ſive partes; ſcilicet juſtitia generalis, ſeu *legalis*, *diſtributiva*, & *commutativa*. Diviſionem hanc deſumit S. Thomas ex triplici comparatione, quæ conſtitui poteſt in hominum ſocietate; ſi hæc veluti quoddam totum partibus conſtans conſideretur, nempe *partis ad totum*, *totius ad partem*, & *partis ad partem*. Priorem deſcribit ille *quæſt.* 58. *art.* 5. his verbis: „ Juſtitia ordi- „ nat hominem in comparatione *ad alterum*: „ quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno mo- „ do ad alium ſingulariter conſideratum: alio mo- „ do ad alium in communi, ſecundum quod ſci- „ licet ille, qui ſervit alicui Communitati, ſer- „ vit omnibus hominibus, qui ſub Communi- „ tate illa continentur. Ad utrumque ergo ſe „ poteſt habere juſtitia ſecundum propriam ra- „ tionem “.

„ Manifeſtum eſt autem, quod omnes, qui ſub „ Communitate aliqua continentur, comparantur „ ad Communitatem, ſicut partes ad totum. „ Pars autem id, quod eſt, totius eſt. Unde & „ quodlibet bonum partis eſt ordinabile in bo- „ num totius. Secundum hoc ergo bonum cu- „ juslibet virtutis, ſive ordinantis aliquem ho- „ minem ad ſeipſum, ſive ordinantis ipſum ad „ aliquas alias perſonas ſingulares, eſt referibile „ ad bonum commune, ad quod ordinat juſtitia. „ Et ſecundum hoc actus omnium virtutum poſ- „ ſunt ad juſtitiam pertinere, ſecundum quod or- „ dinat hominem ad bonum commune. Et quan- „ tum ad hoc juſtitia dicitur *virtus generalis*. „ Et quia ad legem pertinet ordinare ad bonum „ commune, inde eſt, quod talis juſtitia præ- „ dicto modo generalis dicitur *juſtitia legalis*: „ quia ſcilicet per eam homo concordat legi or- „ dinanti actus omnium virtutum in bonum com- „ mune “.

Hinc non pauci ſunt, qui exiſtimant juſtitiam hanc generalem, ſeu *legalem* ab aliis virtutibus non diſtingui, ſed confundi cum omni virtute, quæ juri, & legibus conſentanea operatur. Nihilominus D. Thomæ ſententia eſt hic *quæſt.* 58. *art.* 6. eam *generalem* appellari, non quod tam late pateat ejus eſſentia, quam virtus quælibet, ſed ratione officii, & efficaciæ: quia ipſa nempe reliquarum virtutum actus ad commune, & publicum bonum referre doceat: *Sicut etiam charitas poteſt dici virtus generalis*, *in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum*, *licet eadem*, *quæ reſpicit bonum divinum ut proprium objectum*, *ſit quædam ſpecialis virtus ſecundum ſuam eſſentiam*.

VII. Ad alias pergo juſtitiæ partes, quæ ſunt *diſtributiva*, & *commutativa*. Agit de utraque Doctor Angelicus *q.* 61. *art.* 2. & ait: „ In di- „ ſtributiva juſtitia datur aliquid alicui perſonæ „ privatæ, in quantum id, quod eſt totius, eſt „ debitum parti: quod quidem tanto majus eſt, „ quanto ipſa pars majorem principalitatem habet „ in toto; & ideo in diſtributiva juſtitia tanto „ plus alicui de bonis communibus datur, quanto „ illa perſona majorem habet principalitatem in „ communitate “. Unde hęc tradi ſolet diſtributivæ juſtitiæ definitio, quod nempe ſit ea, „ quæ ver- „ ſatur in diſtributione communium bonorum, of- „ ficiorum, honorum, præmiorum, & gratiarum, „ ut unicuique conſentanea pro conditione, ſtatu, „ meritis, & dignitate cujuſque tribuantur.

Juſtitia *commutativa* verſatur tota circa res, quæ ſubſunt commerciis, & commutationibus hominum, ſi tamen voces iſtæ late uſurpentur. In his vero redditur aliquid, ut inquit ibidem Sanctus Thomas, ſingulari perſonæ propter rem ejus, quæ accepta eſt, ut maxime patet in emptione, & venditione, in quibus primum invenitur ratio

tio commutationis. Unde hæc eſſe poteſt definitio ipſius, quod nimirum ſit *virtus directiva commutationum, quæ fiunt inter perſonas, æqualitate rerum ſervata*.

Hujuſmodi autem commutationum, quas juſtitia dirigit, aliæ ſunt *voluntariæ*, quibus ultro rem ſuam alter transfert in dominium alterius: & aliæ *involuntariæ* dicuntur, quibus res aliena, vel perſona, invito Domino, uſurpatur, aut læditur. Primi generis octo veluti ſpecies enumerat Sanctus Thomas *q. laud. art.* 3., ſcilicet emptionem, & venditionem, uſumfructum, mutuum, & commodatum, locationem, & conductionem, depoſitum, impignorationem, & fideijuſſionem. Quindecim vero poſterioris recenſet; eæque ſunt furtum, rapina, doloſa occiſio, percuſſio, veneficium, violenta occiſio, incarceratio, verberatio, mutilatio, falſum teſtimonium, detractio, falſa accuſatio, convicium, adulterium, ſervi ſeductio.

§. III.

De vitio injuſtitiæ.

VIII. Ex notione, & ex diviſione juſtitiæ, quam dedimus, & declaravimus, facile colligi poteſt, quid ſit *injuſtitia*, quod eſt vitium ipſi directe oppoſitum. Hinc Sanctus Thomas conſequenter ad doctrinam ſuam 2. 2. *q.* 59. *artic.* 1. duplicem diſtinguit injuſtitiam: quarum altera *illegalis* dicitur, quæ nempe *legali* juſtitiæ opponitur; & hanc definit ſecundum eſſentiam ſuam eſſe ſpeciale vitium, quatenus reſpicit ſpeciale objectum, ſcilicet bonum commune, quod contemnit: Sed *quantum ad intentionem*, ſubdit, *eſt vitium generale*; quia per contemptum boni communis poteſt homo ad omnia peccata deduci: ſicut etiam omnia vitia, quatenus repugnant bono communi, *injuſtitiæ* rationem habent, quaſi ab injuſtitia profecta.

Altero modo *injuſtitia particularis* eſt, ſicut & juſtitia, cui adverſatur, ſecundum ſcilicet inæqualitatem quamdam ad alterum: prout nimirum homo vult amplius habere de bonis, puta divitiis, honoribus, & minus de malis, puta laboribus, & damnis. Atque ita conſiderata injuſtitia materiam, ſive objectum ſpeciale habet: & vitium peculiare eſt virtuti peculiaris juſtitiæ oppoſitum vel *diſtributivæ*, vel *commutativæ*.

Quemadmodum autem juſtitiæ objectum eſt *aliquid æquale in rebus exterioribus*; ita quoque objectum injuſtitiæ eſt aliquid inæquale, prout videlicet alicui attribuitur magis, vel minus, quam ſibi competat. *Ad hoc autem objectum*, inquit S. Thomas *art.* 2., *comparatur habitus injuſtitiæ mediante proprio actu, qui* injuſtificatio *appellatur. Unde contingere poteſt, quod qui injuſtum aliquid facit, non ſit injuſtus*.

IX. Hoc autem, quemadmodum & quæ docere pergit Doctor Angelicus, ſic explicari poſſunt; videlicet, variis modis contingit, aliquem operari, quod injuſtum eſt, primo *ignoranter*; & ſi quidem ignorantia ſit inculpata, nullatenus peccat: ſi vero culpabilis ſit: peccat quidem, ſed non idcirco dicendus eſt *ſimpliciter injuſtus*; quia injuſtum *per ſe*, & *formaliter* non operatur, ſed *materialiter*, & *per accidens*.

Secundo poteſt aliquis, quod injuſtum eſt, committere ex aliqua paſſione iræ, luxuriæ, aliave ſimili. Et qui ita operatur, equidem peccat: ſed non propterea *ſimpliciter* denominatur *injuſtus*. Quoniam, licet agat ex electione objecti, quod ſciens, & volens eligit; non tamen agit ex perfecta deliberatione, & electione *injuſti formaliter*; quia non omnino intendit facere *injuſtitiam*, ſed potius paſſioni ſuæ, aut voluptati ſatisfacere. Neque tamen inde colligas, ex paſſione luxuriæ mœchando cum aliqua muliere uxorata, non peccare etiam contra juſtitiam; ſed luxurioſum potius dicendum eſſe, quam mœchum.

Tertio poteſt aliquis injuſtum agere ex plena, & deliberata electione *injuſti*, quod ipſi placeat: & iſte ſimpliciter, & abſolute dicitur *injuſtus*: quia agere ex plena deliberatione, & electione objecti, quod ſciens, & volens quis eligit citra ignorantiam, & paſſionem, magnum indicium eſt habitus prævalentis in animo ipſius. *Injuſtum* ſiquidem eſſe hic denotat habitum, & ex habitu operantem: neque enim unus actus virtutis denominat hominem ſimpliciter *virtuoſum*: ſicut neque unus actus vitii præſertim ex ignorantia, vel paſſione, elicitus, denominat *vitioſum*.

X. Aliam art. 3. difficultatem verſat S. Thomas, *num* ſcilicet *aliquis poſſit pati injuſtum volens?* eamque ita reſolvit; nimirum, *quod injuſtum per ſe, & formaliter loquendo, nullus poteſt facere, niſi volens, nec pati niſi nolens;* probatque hac ratione: „ Actio de ſui ratione procedit ab agente: paſſio autem ſecundum propriam rationem eſt ab alio: unde non poteſt eſſe idem ſecundum idem *agens*, & *patiens*. Principium autem proprium agendi in hominibus eſt voluntas: & ideo illud proprie, & per ſe homo facit, quod volens facit; & e converſo illud proprie homo patitur, quod præter voluntatem ſuam patitur: quia, in quantum eſt volens, principium eſt ex ſeipſo; & ideo, in quantum eſt hujuſmodi, magis eſt agens, quam patiens “. Ita D. Thomas, qui tamen *per accidens*, & *quaſi materialiter* loquendo, conſenſum poſſe aliquem id, quod de ſe injuſtum eſt, vel *facere nolentem*, ſicut cum quis præter intentionem operatur; vel *pati volentem*, ſicut cum aliquis alteri tribuit amplius, quam ipſi debeat.

Hæc doctrina firmatur vulgata illa regula juris in 6. *Scienti, & volenti non fit injuria*. Quæ tamen regula de illo intelligenda eſt, qui eſt omnino *ſciens*, & *volens*; adeo ut ejus voluntarium admixtum involuntario non ſit, ſed liberum prorſus, atque ſpontaneum; cujuſmodi ſane non eſt, dum quiſpiam ex ignorantia conſentit, vel per violentiam, aut aliam ſimilem injuſtitiam ad conſentiendum adigitur; ut cum latroni mortem minitanti viator nummos tribuit.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Conſectaria.

I. *Quo ſenſu S. Auguſtinus juſtitiam vocat* amorem Deo ſervientem.
II. *Nedum primarius, ſed etiam ſecundarius juſtitiæ actus in ipſius definitione comprehenditur.*
III. *Neceſſe eſt juſtitiam ſemper eſſe* ad alterum.
IV. *Juſtitia* legalis *veram habet, ac propriam juſtitiæ rationem.*
V. *Juſtitia* legalis, *quæ reperitur in Principe, ejuſdem ſpeciei eſt, ac ea, quæ reperitur in ſubditis.*
VI. *Juſtitia particularis, ſive* diſtributiva *ſit, ſive* commutativa, *propriam habet, ac peculiarem materiam in actionibus exterioribus poſitam.*
VII. *Hinc juſtitia per ſe, & primario non verſatur circa paſſiones.*
VIII. *Juſtitia medium non eſt* rationis, *ſed* rei.
IX. *Juſtitia nedum* legalis, *ſed etiam particularis præeminet cæteris virtutibus moralibus, quæ ſedem habent in appetitu ſentiente.*
X. *Speciale peccatum contra juſtitiam* legalem *non eſt quidquid vitioſum agitur, niſi fiat ex contemptu boni communis, vel intentione illud violandi.*
XI. *Unde injuſtitia illegalis ſpeciale quidem peccatum eſt ſecundum eſſentiam: generale vero ſecundum intentionem operantis.*
XII. *Quamvis non improbabile ſit Virgini injuriam non inferri, dum ſciens, ac volens in ſtuprum conſentit: oppoſita tamen ſententia probabilior eſt.*
XIII. *Injuriam patitur tum qui nummos uſurario ſolvit, tum qui pecuniam latroni mortem comminanti tribuit; licet uterque libere hoc faciat.*
XIV. *Injuſtitia ex genere ſuo lethale peccatum eſt; & ſolum ex parvitate materiæ veniale.*

Conſectarium Primum.

I. CUm S. Auguſtinus juſtitiam vocat, ut paſſim id præſtat, *amorem Deo ſervientem*; hoc non eſt intelligendum eo ſenſu, ut virtus non ſit a charitate diſtincta, ſed eo duntaxat, quem exponit S. Thomas *qu.* 58. *art.* 1. *ad* 6. nimirum: „ Sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi; ita etiam in hoc, quod homo ſervit Deo, includitur, quod unicuique reddat, quod debet: adeoque charitas, quæ Deum diligit, ut ſummum bonum, non eſt juſtitia “, ſed virtus ſublimior, quæ illam, quemadmodum & cæteras virtutes, dirigit in finem proprium, omneſque elevat, & maxime perficit.

Conſectarium Secundum.

II. In eo, quod in juſtitiæ definitione diximus, ipſam *tribuere unicuique, quod ſuum eſt*, intelligendus venit nedum primarius, ſed etiam ſecundarius juſtitiæ actus, qui eſt non lædere quempiam, & cum primario penitus cohæret. Fieri namque non poteſt, quod aliquis firmum habeat propoſitum tribuendi cuilibet, *quod ſuum eſt*, ſi aliquem aut lædat, aut lædere velit. Hoc enim eſt jus ſuum cuique tribuere, quod ei debitum eſt, reddere, ſi ipſe non habet; intactum ſervare, ſi habet.

Conſectarium Tertium.

III. Juſtitiam *ad alterum ſemper eſſe* neceſſum eſt: nam juſtitia æqualitatem importat; nihil autem, dum proprie loquimur, eſt ſibi æquale, ſed alteri. Quare inter partes ejuſdem perſonæ, quoties ratio imperat, & vires inferiores obediunt, etſi quædam juſtitiæ ſimilitudo ſit, teſte Auguſtino *lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 21.; ea tamen nonniſi metaphorica juſtitia eſt: quia eſt inter vires, aut facultates ejuſdem perſonæ, vel ſuppoſiti. Ad juſtitiam autem preſſe dictam perſonarum diverſitas requiritur.

Conſectarium Quartum.

IV. Juſtitia *legalis* veram juſtitiæ rationem obtinet. Nam inter Communitatem, & particulares ejus Cives reperitur tum verum debitum, tum ſuppoſitorum diverſitas, ac etiam quædam æqualitas, dum alter alteri præſtat, quod debet; ſecundum leges; adeoque nihil ipſi deficit, quod ad veram, propriamque juſtitiæ rationem pertinet, quamquam minime negari queat, deeſſe aliquid ad ejus perfectionem hoc ipſo, quod omnes ad Communitatem ſpectantes comparentur ad ipſam Communitatem veluti pars ad totum: pars autem id, quod eſt, totius eſt; atque adeo ibi tam perfecta *ad alterum* comparatio non ſit, ſicut eſt inter duos Concives, quorum alter ab altero non pendet. Neque dicas, hujuſce juſtitiæ tranſgreſſionem non obligare ad reſtitutionem: non enim reſtitutio cujuſcumque juſtitiæ actus eſt, ſed *commutativæ*; adeo ut probabile ſit etiam *diſtributivæ* juſtitiæ violationem, quæ vera juſtitiæ ſpecies eſt, non inducere reſtitutionis onus, niſi quatenus cum ea immiſcetur juſtitiæ commutativæ violatio.

Conſectarium Quintum.

V. Ejuſdem ſpeciei eſt juſtitia *legalis*, quæ reperitur in Principe, ac in ſubditis: idem ſiquidem objectum formale reſpicit, ſcilicet *bonum commune*. Equidem Princeps bonum commune reſpicit, ac promovet per rationes univerſaliores quam ſubditi. Verum hoc juſtitiæ ſpeciem non immutat: quemadmodum nec fidei ſpecies, aut natura mutatur ex hoc, quod Prælati per Scripturas, & argumenta ſublimiora de fide judicent: ſubditi autem ſolam Eccleſiæ propoſitionem attendant. Hinc Sanctus Thomas hic *art.* 6. docet quidem, juſtitiam principaliter, & quaſi architectonice eſſe in Principe; *in ſubditis autem ſecundario, & quaſi miniſterialiter:* ſed hæc diverſitas officii potius eſt, quam ſpeciei; nec mutationem niſi numericam actus inducit, cum ad eum-

eumdem finem, bonum nempe Reipublicæ, actus uterque conſpiret.

Conſectarium Sextum.

VI. Juſtitia particularis, *diſtributiva* ſcilicet, & *commutativa* propriam habet, & peculiarem materiam; nimirùm actiones exteriores, prout juxta eas unus alteri coordinatur. Cum enim juſtitia a cæteris virtutibus differat, quod hæ componant, rectumque hominem faciant in ſemetipſo: juſtitia vero in ordine ad alterum; conſequens eſt, quod hæc ordinatio non perficiatur, niſi ſecundum actiones, & res exteriores, in quibus homines ſibi invicem communicare poſſunt.

Conſectarium Septimum.

VII. Atque hinc fit, juſtitiam per ſe, & primario non verſari circa paſſiones: „ Quod quidem, inquit S. Thomas *hic art. 9.* ex duobus „ apparet. Primo quidem ex ipſo ſubjecto juſtitiæ, *quod eſt voluntas*, cujus motus, vel actus „ non ſunt paſſiones; ſed ſolum motus appetitus „ ſenſitivi *paſſiones* dicuntur: & ideo juſtitia non „ eſt circa paſſiones, ſicut temperantia, & fortitudo ..... Alio modo ex parte *materiæ*: „ quia juſtitia eſt circa ea, *quæ ſunt ad alterum*; „ non autem per paſſiones interiores immediate „ ad alterum ordinamur ". Nihil tamen vetat, quin juſtitia paſſiones reſpiciat indirecte ac mediate, ſive mediantibus aliis virtutibus, temperantia, fortitudine &c.

Conſectarium Octavum.

VIII. Sicut medium aliarum virtutum moralium eſt *medium rationis*; ita medium juſtitiæ eſt *medium rei*. Cum *medium* illud ſit, quod inter extrema verſatur, in moralibus autem *extrema* vocentur *exceſſus*, & *defectus*; medium virtutis eſt bonum illud, quod inter exceſſum, & defectum conſiſtit. Si ſola ratio illud conſtituat, ſpectata qualitate perſonæ, *medium rationis* appellatur: ſi vero ſtatuatur ex comparatione *rei ad rem*, ſive per æqualitatem alicujus rei ad alteram, dicitur *medium rei*. Itaque, ut animadvertit S. Doctor hic *art.* 10. cum „ aliæ virtutes morales principaliter conſiſtant circa paſſiones, quarum rectificatio non attenditur, niſi ſecundum comparationem ad ipſum hominem, cujus ſunt paſſiones, prout ſcilicet quod iraſcitur, vel concupiſcit, ut debet, ſecundum diverſas circumſtantias; ideo *medium* talium virtutum non accipitur ſecundum proportionem unius rei ad alteram, ſed ſolum ſecundum comparationem ad ipſum virtuoſum. Et propter hoc in ipſis eſt medium ſolum ſecundum rationem ipſam quoad nos ".

„ At vero materia (ſubdit ille) juſtitiæ eſt „ *exterior operatio*, ſecundum quod ipſa, vel res, „ cujus eſt uſus, debitam proportionem habet ad „ aliam perſonam. Et ideo *medium juſtitiæ* conſiſtit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem. Æquale autem eſt realiter medium inter majus, & minus. Unde juſtitia habet medium rei ". Hic autem advertere opus eſt, interdum mutata perſona mutari etiam *medium* juſtitiæ, non propter diverſam operantis complexionem, ſicut in temperantia; ſed propter ipſam perſonam, quæ mutationi ſubeſt, ex qua debitum, & æqualitas in rebus conſiſtens variatur, ſi nimirum perſonæ qualitas, ſive conditio auget, aut minuit quantitatem rei. Sic majori punitione dignus eſt, qui percutit, aut occidit Principem, quam qui civem privatum; quoniam gravitas delicti, & injuriæ mutatur.

Conſectarium Nonum.

IX. Juſtitia nedum *legalis*, ſed etiam *particularis* præcellit omnibus virtutibus moralibus, quæ in ſentiente appetitu ſedem habent: de his quippe loquitur Præceptor Angelicus hic *art.* 11. Et de *legali* quidem juſtitia nullum eſſe dubium poteſt; quia cum hæc primario, & per ſe ad commune bonum referatur, iſtud bono cujuſvis ſingularis perſonæ præeminet. Quoad juſtitiam vero *particularem* attinet, ejus ſupra cæteras excellentiam primo repetit Sanctus Thomas ex nobiliore ſubjecto, in quo reſidet, nempe voluntate, cum aliarum ſubjectum ſit appetitus ſentiens. Deinde ex parte objecti: aliæ namque virtutes laudantur ſolummodo *ſecundum bonum ipſius virtuoſi*; juſtitia autem laudatur, ſecundum quod virtuoſus ad alium bene ſe habet, & ſic juſtitia quodammodo eſt bonum alterius. Et propter hoc Philoſophus in 1. *Rhet.* tradit: *Neceſſe eſt maxime virtutes eſſe illas, quæ ſunt aliis utiliſſimæ.*

Conſectarium Decimum.

X. Non eſt peccatum ſpeciale contra juſtitiam legalem, quidquid vitioſum agitur, niſi hoc fiat ex contemptu boni communis, vel ex certa intentione contra illud agendi. Nam ſi contemptus, & ejuſmodi intentio prorſus abſint, injuſtitia illegalis non erit vitium diſtinctum ab iis, quæ adverſus illas virtutes perpetrantur, quarum actus exercendi erant ex imperio legalis juſtitiæ, ſed erit quædam generalis omnium peccatorum conditio; ut ſi aliquis vel occidat, vel fornicetur, furetur &c., non ex animo contemnendi legem, vel bono communi adverſandi, ſed ut cupiditati ſuæ obſequatur: tunc enim peccatum ad illas virtutum ſpecies pertinebit, quibus ea vitia opponuntur.

Conſectarium Undecimum.

XI. Ex quo colligi poteſt, *illegalem* injuſtitiam *ſpeciale* quidem vitium eſſe ſecundum eſſentiam ſuam; *generale* vero ſecundum intentionem operantis, quatenus ex animo, vel intentione operantis poteſt unicuique vitio admiſceri, ſi nempe fiat ex contemptu communis boni; ut ſi quis ex. gr. furetur pecuniam non ex paſſione dumtaxat, ſed etiam ex contemptu vel legis, vel boni communis: quod peccatum, utpote

te tunc ſpeciale, in Confeſſione peculiariter aperiendum eſſet.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Quoniam nullus *ſciens*, *&* *volens injuſtum patitur*; qui Virginem voluntarie, ac ſpontanee conſentientem violat, nullam in ipſam committit injuriam. Injuriam tamen parentibus infert, ſub quorum poteſtate eſt, niſi forte & ipſi libere aſſentiantur: eoque in caſu peccatum illud non erit contra juſtitiam, ſed ſolum contra temperantiam. Ita reſpondet Bannez, Silvius, aliique. Verum probabilius alii putant; etiam contra juſtitiam illum peccare: quia Virgo clauſtri ſui virginalis ita domina non eſt, ut de ipſo ad libitum diſponere valeat, de quo alibi.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Injuriam aliquis ab Uſurario patitur uſuras exigente, quamquam eas ipſi libere ſolvat; non enim iſte eſt volens plena, ac perfecta voluntarii ratione, ſicut neque ille, qui latroni mortem minanti pecuniam tribuit. Nam qui vel uſuras ſolvit, vel pecuniam latroni tribuit, ſimpliciter quidem hoc vult, atque eligit, ut ſuæ neceſſitati ſuccurrat; nollet tamen ſolvere, vel tribuere, ſi uſurarius gratis mutuum præſtare vellet, & latro pecuniam non extorqueret.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Injuſtitia de ſe peccatum lethale eſt; quoniam cum alteri ex ſua ratione nocumentum inferat, charitati repugnat. Propter tamen materiæ parvitatem veniale eſt: ſiquidem, ut ait S. Thomas q. 59. art. 4. ad 2., *deficit a perfecta ratione ejus, quod eſt injuſtum facere: in quantum poteſt reputari non eſſe omnino contra voluntatem ejus, qui hoc patitur: puta ſi auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile eſt, quod ille inde non lædatur, nec ei diſpliceat.*

CAPUT SEPTIMUM.

De judicio, prout actus juſtitiæ eſt.

DOCTRINA.

I. *Judicii, quo de agitur, definitio.*
II. *De conditionibus, quæ ad juſtum judicium requiruntur.*
III. *An lethaliter peccet Judex, in peccato mortali ſententiam pronuncians. Doctrina Sancti Thomæ.*
IV. *Quænam ex data doctrina colligantur.*
V. *De judicio ex ſuſpicione profecto. Quid ſit ſuſpicio: quinam ejus gradus.*
VI. *Suſpicio quo ſenſu peccatum lethale ſæpe ſit.*
VII. *Quid de hoc reapſe ſenſerit S. Thomas, oſtenditur.*
VIII. *Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt.*
IX. *Hujus doctrinæ amplior explicatio.*
X. *In judicio publico ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico juxta leges ſcriptas judicandum eſt.*
XI. *Sententia judicis injuſta valorem non habet in foro conſcientiæ.*
XII. *De judicio perverſo propter judiciariæ authoritatis uſurpationem.*
XIII. *Dirimitur controverſia de legibus, ac judiciis Tyrannorum, ſive in* regimine, *ſive in* titulo *ejuſmodi ſint.*

§. I.

De definitione Judicii, *prout hic ſumitur.*

I. JUdicium multiplici in ſenſu ſumi poteſt, ac ſolet; nempe pro determinatione intellectus in quacumque materia, pro cauſis, & negotiis, de quibus eſt judicandum, pro legibus, & mandatis, pro punitione, & condemnatione, pro loco, in quo fertur ſententia Judicis &c. In hac vero quæſt. 50. ſumit illud S. Thomas pro actu ad juſtitiæ virtutem pertinente. Unde ex S. Doctoris doctrina, quam tota quæſtione tradit, judicium, quo de agimus, ita definiri poteſt, quod nimirum ſit

Recta determinatio ejus, quod juſtum eſt; ſive illa fiet per judicem cogentem partes ad æqualitatem ſervandam: ſive per privatas perſonas ferentes de alicujus probitate ſententiam.

Hæc definitio colligitur quoad priorem partem ex art. 1. quoad alteram vero ex artic. 3. & 4. Primum itaque oſtendit S. Thomas, *judicium* eſſe actum juſtitiæ hac ratione, quod ſcilicet „Judicium proprie nominat actum judicis, in quantum judex eſt: judex autem dicitur, quaſi *jus dicens*. Jus autem eſt objectum juſtitiæ, ut ſupra habitum eſt. Et ideo judicium importat ſecundum primam nominis impoſitionem *definitionem*, ſive *determinationem juſti*, ſive *juris*. Quod autem aliquis bene definiat aliquid in operibus virtuoſis, proprie procedit ex habitu virtutis: ſicut caſtus recte determinat ea, quæ pertinent ad caſtitatem. Et ideo judicium, quod importat rectam determinationem ejus, quod eſt juſtum, proprie pertinet ad juſtitiam". Hic tamen animadvertere oportet juxta traditam judicii definitionem, minime requiri ad eſſentialem *judicii* rationem authoritatem Superioris, cum etiam privatis perſonis vera, ac proprie dicta juſti judicii ratio competere valeat: quibus nequaquam adverſari ea, quæ hic habet S. Doctor, nempe *judicium, quod importat definitionem juſti, pertinet ad juſtitiam, ſecundum quod eſt principaliori modo in Præſidente*, infra conſtabit.

§. II.

De conditionibus ad juſtum judicium requiſitis.

II. Ut occaſionem ſumat S. Thomas agendi de conditionibus, quæ ad juſtum judicium requiruntur, inquirit art. 2. *utrum ſit licitum judicare:*

ac tres conditiones eſſe docet, ut *judicium actus juſtitiæ ſit*, neceſſarias: quarum prima eſt, ut *ex inclinatione juſtitiæ procedat*: altera, *ut procedat ex authoritate Præſidentis*; tertia, *ut ſecundum rectam rationem prudentiæ proferatur*. Qualibet autem ex his deficiente, judicium vitioſum eſt. Si prima deſit, *perverſum* erit, aut *injuſtum*: ſi ſecunda, erit *uſurpatum*: ſi tertia, *temerarium*.

Quoad primam ex his conditionibus attinet, ſenſus non eſt, quod judicium, ut actus juſtitiæ ſit, procedere debeat *ex habitu juſtitiæ*: certum quippe eſt, hoc habitu carere poſſe judicem, neque tamen injuſtum, aut perverſum ferre judicium, ſi regulam juſtitiæ, & prudentiæ dictamen ſervet: ſed hoc ſenſu eſt intelligenda, tum quod judicium ferri debeat non contra juſtitiam; tum quod ex affectu, & amore juſtitiæ proveniat; tum demum quod non ex aliqua privata affectione feratur: uno verbo oportet, quod judicium procedat ex inclinatione juſtitiæ, ideſt ſecundum juſtitiæ rectitudinem, ex affectu ſcilicet, ſive intentione reddendi unicuique, *quod ſuum eſt*, proferatur, idque juxta leges, & juſtitiæ regulas. Quæ ſi deſint, judicium dicitur *iniquum*, & eſt mortale peccatum adverſus juſtitiam.

Quoad alteram conditionem ſpectat, adnotandum eſt, *authoritatem* Principis, ſive Præſidentis non ad omne judicium neceſſariam eſſe. Sicut enim privata perſona virtute juſtitiæ gaudere poteſt, ejuſque actum exequi, aliena reſtituendo, aut debita ſolvendo; ita quoque judicando, quod hoc, vel illud fieri debeat juxta regulas juſtitiæ. Sed hæc conditio ad *publicum* duntaxat *judicium* exigitur, cujuſmodi eſt, quod in tribunalibus ſive ſæcularibus, ſive Eccleſiaſticis exercetur. Quoniam ad hujuſmodi judicium vis coactiva neceſſaria eſt, qua is, qui judicat, partes ad obediendum compellere valeat, ſive ad obſervandam ſententiam Judicis. De hoc judicio loqui D. Thomam manifeſtum eſt, cum ad judicandum Superioris authoritatem requirit, ut patet ex *quæſt. 67. art.* 1. ubi ait: *Sicut lex generalis debet habere vim coactivam; ita etiam ſententia Judicis habere debet vim coactivam, per quam conſtringatur utraque pars ad ſervandam ſententiam Judicis.*

Circa tertiam conditionem hæc requirit, ut qui judicium profert, ſervet leges, ac rectitudinem prudentiæ, habita ſcilicet ratione loci, temporis, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum. Alioquin, quamquam, quod juſtum eſt, conſtitueret, ſi tamen id non præſtet, quando, ubi, & quomodo oportet, judicium ipſius vel ſuſpectum erit, vel temerarium.

§. III.

Num lethaliter peccet Judex in peccato lethali ſententiam proferens.

III. Ex his, quæ docet S. Thomas in hoc art. reſpondens ad 3. argumentum, quæſtio ſuboritur haud levis momenti, an ſcilicet peccet Judex lethaliter, dum judicat in peccato mortali exiſtens? Et quidem ejus reſponſio iſtiuſmodi eſt: „ Dicendum, quod illi, qui ſunt in gravibus peccatis, „ non debent judicare eos, qui ſunt in iiſdem „ peccatis, vel minoribus, ut Chryſoſtomus dicit ſuper illud Matth. 7. : *Nolite Judicare*. „ Et præcipue hoc eſt intelligendum, quando illa peccata ſunt publica: quia ex hoc generatur „ ſcandalum in cordibus aliorum. Si autem non „ ſunt publica, ſed occulta, & neceſſitas judicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare. „ Unde Auguſtinus dicit *de ſerm. Domini in Monte* lib. 2. cap. 19. : *Si invenerimus eos ex eodem vitio eſſe, congemiſcamus, & ad pariter conandum invitemus*. Nec tamen propter hoc homo „ ſic ſeipſum condemnat, ut novum condemnationis meritum ſibi acquirat; ſed quia condemnans alium oſtendit ſe ſimiliter condemnabilem eſſe propter idem peccatum, vel „ ſimile “.

IV. Ex hac fulgentiſſima Sancti Thomæ doctrina nonnulla erui poſſunt quoad propoſitam quæſtionem. Primo ſcilicet, Judicem in peccato mortali ex officio ſuo judicantem non ideo peccare, quaſi authoritatem ad judicandum per peccatum amiſerit. Chriſtus enim Matth. 23. non idcirco, quia Scribæ, & Phariſæi peccatores erant, ſuam authoritatem, ac poteſtatem amiſiſſe cenſuit, ſed potius eam retinuiſſe docuit, dicens: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere*. Et Sanctus Petrus fideles admonet, ut Dominis obediant *non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*.

Sequitur ſecundo, Judicem ſive ſæcularem, ſive Eccleſiaſticum, exiſtentem nedum in occulto delicto, verum etiam in publico, ſed ſcandalum non præbente, haud peccare lethaliter, imo nec venialiter quidem, ſi peccatum occultum ſit, & ex officio judicium exerceat, non ex odio, aut ſuperbia, aut aliquo alio pravo affectu. Ita colligitur ex verbis illis Sancti Thomæ: *Si peccata non ſint publica, ſed occulta, & neceſſitas judicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare*. Quod amplius declarat *lect.* 1. *in cap.* 8. Joan. *Si eſt in propoſito peccandi, aut profert ſententiam ut legis miniſter: & ſic non peccat ex hoc, quod ſententiam profert: quamvis peccet ex hoc, quod talia facit, quibus dignus eſt contra ſe ipſum ſimilem ſententiam recipere. Si autem proprio motu, dico, quod proferendo ſententiam peccat: cum non moveatur ad hoc ex amore juſtitiæ, ſed ex aliqua mala radice*. Quod ex aliis etiam locis conſtat. Unde dicendum eſt, S. Thomam correxiſſe, quod antea ſcripſerat *in* 4. *diſt.* 19. *artic.* 2. *quæſt.* 2. peccare nimirum, qui exiſtens in peccato mortali *etiam occulto*, prælationis utitur officio alterum corripiendo, vel quidpiam aliud proprii officii exequendo.

Ratio quoque ad eamdem aſſertionem probandam ſuffragatur. Siquidem hujuſmodi judex ferendo ſententiam ſervat conditiones omnes, quæ ad rectum judicium neceſſariæ ſunt, nam ſufficien-

tem

tem authoritatem habet, ut ſupponimus, & juxta inclinationem juſtitiæ operatur: juris etiam peritia non caret, ſicut neque cauſæ cognitione, nec cæteris aliis, quæ ad recte judicandum moralis prudentia requirit, adeoque nihil eſt, cur judicium ipſius actus moraliter bonus exiſtimari non debeat.

Tertio colligitur, Judicem exiſtentem in peccato mortali non ſolum publico, ſed etiam ſcandaloſo peccatum committere ex genere ſuo lethale: omne namque peccatum, quod ſcandalum parit, ex genere ſuo peccatum lethale eſt, ut alibi dicemus. Hujuſmodi autem Judex aliis ſcandalo eſt: præbet enim occaſionem conquerendi, vel quod Judex in cæteris puniat eadem, quæ ipſe committit; vel quod juſtitia vim non habeat eamdem in Judice, ac in aliis; atque ita juſtitia contemptui exponitur. Negari tamen haud poſſe videtur, hoc Judicis peccatum, licet ex ſe grave ſit, veniale nonnunquam eſſe poſſe ob materiæ levitatem, aut ſi peccatum illud vel nullum, vel exiguum ſcandalum præbeat, veluti ſi ſcandaloſum non fuerit relate ad ſententiam, quam Judex profert, neque ipſam contemptui exponat.

§. IV.

De judicio ex ſuſpicione profecto.

V. Suſpicio, prout eam hic *art.* 3. definit ex Tullio S. Thomas, eſt *quædam opinio mali ex levibus indiciis procedens*, & ex tribus contingere docet. Uno quidem modo ex hoc, quod aliquis in ſe ipſo malus exiſtens, ex hoc ipſo quaſi conſcius malitiæ ſuæ, facile de aliis malum opinatur; juxta illud Eccleſ. 10. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Alio modo ex hoc provenit, quod aliquis male ad alterum afficitur: quoniam, cum aliquis alium contemnit, aut odio habet, aut adverſus eum iraſcitur, aut invidet, ex levibus ſignis permotus de ipſo malum opinari ſolet; quia faciliter quiſque credit, quod appetit. Tertio modo provenit ſuſpicio ex diuturna experientia; qua de cauſa, ut obſervat Philoſophus in 3. Rhetor. *Senes ſunt maxime ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus.* Priores duæ ſuſpicionis cauſæ *ad perverſitatem affectus* pertinent; tertia vero rationem ſuſpicionis imminuit, quatenus *experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis.* Atque adeo concludit S. Doctor, *ſuſpicio vitium quoddam importat; & quanto magis procedit ſuſpicio, tanto magis eſt vitioſum.*

Porro triplicem ſuſpicionis gradum diſtinguere oportet cum eodem Angelico Præceptore. Et primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis incipiat de alterius probitate dubitare: & hoc quidem *veniale, ac leve peccatum eſſe* definit; *Pertinet enim*, inquit, *ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur*, ut habetur in Gloſ. ad illud 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare.*

Alter gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis; &, ſi de aliquo gravi peccato concipiatur, peccatum mortale eſt, quatenus non eſt ſine proximi noſtri contemptu, qui charitati repugnat. Unde Gloſſa ibidem ſubdit: *Si ergo ſuſpicionem vitare non poſſumus, quia homines ſumus, judicia tamen, ideſt definitiones, firmaſque ſententias continere debemus.*

Tertius tandem gradus eſt, cum aliquis Judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum; & hoc directe ad judicium pertinet, & peccatum mortale eſt, & juſtitiæ adverſatur.

VI. Hæc quamvis ſatis aperta videantur, nihilominus inter Theologos diſſidium eſt, num ſuſpicio ad rationem mortalis peccati, ſaltem aliquando, pertingat. Sed hanc controverſiam, ac, ſi qua eſt, difficultatem diſcuti facile poſſe arbitror, diligenter perpenſa S. Thomæ doctrina. Unde primum aſſero: ſuſpicari, vel etiam judicare quidpiam mali de proximo, quoties ad ſuſpicionem, vel judicium, quod firmam adhæſionem intellectus importat, formandum cauſæ ſunt ad hoc ſufficienter moventes, nullum peccatum eſſe: ſiquidem hujuſmodi ſuſpicio, aut judicium conforme tunc eſt prudentiæ, atque adeo rectum. Neque hic temporis habenda ratio eſt ſive brevis, ſive diuturni, quo ſuſpicio, vel judicium duravit, ſi eædem cauſæ moventes perſiſtant.

2. Si judicium temerarium ſit, hoc eſt, conceptum ſine ſufficiente motivo, quod ex rei qualitate, conditione perſonæ, & circumſtantiis maxime pendet, peccatum lethale eſt, attenta gravitate mali, circa quod judicium verſatur: quia tunc proximo gravis infertur injuria; nec leve fieri poteſt, niſi ex imperfectione actus, ſi nempe deſit plena advertentia, ut in reliquis id genus peccatis contingit.

3. Suſpicio *temeraria*, ideſt ex levibus, & inſufficientibus motivis concepta, ſive opinionem imprudentem mali, ſive dubitationem proprie dictam ſecum afferat, ex genere ſuo peccatum lethale eſt; ſolumque veniale fit vel propter materiæ parvitatem, vel propter imperfectionem actus haud plene deliberati.

VII. Hoc aſſertum, de quo duntaxat diſſenſio videtur eſſe penes Theologos, ex tradita D. Thomæ doctrina perſpicue colligi mihi videtur. Cum enim tres gradus *ſuſpicionis* diſtinxiſſet, in primo non comprehendere dubitationem, & opinionem plene deliberatam, ſed eam tantum, quæ levis eſt, ac veluti repentina, primuſque rationis motus, ſatis conſtat ex eo, quod illam veluti definiens ait, quoties *ex levibus indiciis dubitare quis incipit*; ubi conſulto non dixit, *quando dubitat*, ſed *quando dubitare incipit*, ut nempe ſignificet, ad hunc gradum, quem ſolum *veniale peccatum* eſſe docet, non pertinere ſuſpicionem, aut dubitationem, quæ eſt omnino deliberata, & perfecta, ſed illam tantum, quæ eſt imperfecta, repentina, & indeliberata. De hac enim, non autem de altera loqui compertum eſt.

Præterea de ſuſpicione hujuſce primi gradus S. Thomas Auguſtinum ſequutus affirmat; ipſam *pertinere ad humanam tentationem, ſine qua vita iſta*

non

non ducitur. Porro certum eſt, ſolas leves, ac repentinas ſuſpiciones ad hujuſmodi *tentationem humanam* pertinere; quoniam eæ ſuſpiciones, quę prorſus deliberatæ ſunt, non ad fragilitatem humanam, ſed ad diabolicam tentationem referuntur.

Demum ex reſponſione S. Thomæ *ad 2. argum.* & ex *articulo ſequenti* liquido apparet, in eo primo gradu non complecti opinionem plene deliberatam. Scribit enim art. 4. *Ex hoc ipſo, quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, indebite contemnit ipſum, & injuriatur ei*. Hoc autem articulo 3. docet *peccatum mortale eſſe* contemnere proximum, eique injuriam inferre; adeoque in primo gradu non loquitur, niſi de ſuſpicione indeliberata.

Profecto ſi ſuſpicionis proprie dictæ notionem penitus expendamus, aliter loqui non poſſumus. Quid enim ſuſpicio ſit, jam vidimus ex ipſo S. Doctore, nempe *opinio mali de proximo ex levibus indiciis procedens: opinari* autem de gravi peccato proximi ex levibus, & inſufficientibus indiciis, nonne eſt injuriam in corde noſtro ipſi inferre, eumque contemnere? Injuriam autem ſine cauſa proximo inferre, eumque contemnere, quis neget ex genere ſuo grave eſſe peccatum?

Id confirmari poteſt ex pluribus Scripturarum locutionibus, quæ quidem principaliter damnant temerarium de proximi peccato judicium, quod certam importat, ac definitam ſine juſta, ac ſufficienti cauſa ſententiam; ſed ſimul etiam comprehendere omnem illam dubitationem, ac malam opinionem deliberatam, planeque voluntariam, ex levibus indiciis ita cognitis conceptam, dubitare vix poteſt, præſertim cum hoc in ſenſu intelligantur, & explicentur a Sanctis Eccleſiæ Patribus, qui nedum certa, ac firma temeraria judicia de proximorum noſtrorum pravitate execrantur, ſed etiam malas opiniones, quæ tanta certitudine, ac firmitate non gaudent, in quas homines frequentius incurrunt, & ex quibus plerumque derivantur detractiones, murmurationes, aliaque, quæ tum charitati, tum juſtitiæ opponuntur.

§ V.

Num dubia in meliorem partem interpretari debeamus.

VIII. Quæſtionem hanc verſat S. Thomas hic *art.* 4. eamque affirmative reſolvit; & hac brevi quidem, ſed efficaci ratione confirmat: „ Sicut „ dictum eſt, ex hoc ipſo, quod aliquis habet „ malam opinionem de alio abſque ſufficienti cau- „ ſa, injuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus „ autem debet alium contemnere, vel nocumen- „ tum quodcumque inferre abſque cauſa cogen- „ te. Et ideo ubi non apparent manifeſta indi- „ cia de malitia alicujus, debemus eum ut bo- „ num habere “.

Huic doctrinæ favent inter alios Eccleſiæ Doctores Sancti Auguſtinus, & Bernardus. Prior namque *lib. 2. de ſerm. Dom. in mont. cap.* 18. ad illa Chriſti Domini verba apud Matth. cap. 7. *Nolite judicare &c.* ſubjicit: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*. Alter vero, nimirum S. Bernardus ſerm. 40. in Cant. *Etiamſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum: magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes; puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum*.

Favet etiam illud pervulgatum juris naturæ principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Nemo autem vult, actiones ſuas dubias in partem deteriorem accipi, ſed potius in meliorem. Ex quo naturali principio deducta ſunt duo alia juris poſitivi: *Cum jura partium ſunt obſcura, reo favendum potius eſt quam actori .... In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*.

IX. Hæc doctrina, ut facile quiſque perſpicit, intelligenda eſt de dubiis circa probitatem, aut pravitatem proximi noſtri, adeoque de dubiis, quæ perſonas ſpectant; non autem de dubiis, quę ſpectant res ſecundum ſe conſideratas abſque ullo ad perſonas reſpectu. Quandoquidem dubia de rebus, ex. gr. *Sitne licitus, an illicitus hujuſmodi contractus*, non in meliorem, ſive benigniorem partem interpretanda ſunt, ſed ſuis ponderibus æſtimanda. In hoc enim judicio nullum ſubeſt periculum nocendi alteri. In judicio autem de perſonis, ubi non res cum re, ſed cum perſona, vel ejus intentione comparatur, veritas ab iis ſolum quærenda eſt, quorum intereſt, & ita quidem ut nulla ipſi perſonæ injuria fiat. Hinc Sanctus Thomas in *reſp. ad* 2. ait: *In judicio, in quo de rebus judicatur, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei; ſed attenditur ſolum bonum judicantis, ſi vere judicet, vel malum, ſi falſo: quia verum eſt bonum intellectus; falſum autem eſt malum ipſius. Sed in judicio, quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, vel malum ex parte ejus, de quo judicatur:* an videlicet judicio proximus honoretur, vel contemnatur, & injuriam patiatur in bona exiſtimatione, ad quam jus habet. Et hoc jus, quod quilibet habet ad ſuam famam, ſive bonam de ſemetipſo opinionem, quamdiu contrarium manifeſto non conſtet; ſufficiens ratio eſt, ut dubia in meliorem partem interpretari debeamus; aut *poſitive*, meliori ſcilicet parti aſſentiendo, ſi indicia levia ſint; aut ſaltem *negative*, ſuſpendendo nimirum actum judicii, ſi indicia æque utrinque gravia fuerint.

§. VI.

In judicio publico, quod in Tribunalibus ſive ſæcularibus, ſive eccleſiaſticis exercetur, ſemper juxta leges ſcriptas judicandum eſt.

X. Hæc aſſertio traditur a S. Thoma hic *artic.* 5., ac luculenter probatur his verbis: „ Judicium nihil aliud eſt, quam quædam defini- „ tio, vel determinatio ejus, quod juſtum eſt. „ Fit autem aliquid juſtum dupliciter: uno modo „ ex

„ ex ipſa natura rei; quod dicitur *jus naturale*: „ alio modo ex quodam condicto inter homines, „ quod dicitur *jus poſitivum*. Leges autem ſcribuntur ad utriuſque juris declarationem; aliter „ tamen, & aliter. Nam legis ſcriptura jus quidem naturale continet, ſed non inſtituit. Non „ enim habet robur ex lege, ſed ex natura. „ Jus autem poſitivum ſcripturam legis & continet, & inſtituit, dans ei authoritatis robur. „ Et ideo neceſſe eſt, quod judicium fiat ſecundum legis ſcripturam: alicquin judicium „ deficeret vel a juſto naturali, vel a juſto „ poſitivo “.

Gemina tradit Gregorius II. q. 3. l. *Summopere* ſtatuens, *ut, cauſis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc divina, & humana lex revolvatur: & tunc ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remota perſonarum acceptione, definitiva proferatur ſententia*. Quod & antea prædocuerat S. Auguſtinus de legibus humanis loquens his verbis, *Quamquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt; tamen, cum fuerint inſtitutæ, atque firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas*.

Advertendum tamen, prout advertit etiam Doctor Angelicus, diſtinctione aliqua opus eſſe inter leges naturales, & humanas, quod illæ, utpote quæ jus naturæ continent, quod nulli mutationi obnoxium eſt, ſed immutabile ſemper manet, ita Judices obligant, ut juxta ipſas judicare ſemper debeant. Humanæ vero, quæ mere poſitivæ ſunt, nec jus naturæ implicant, caſus aliquos admittunt, in quibus ſecundum ipſas judicare non oporteat, prout exponit *in reſp. ad* 1., *&* 2. *argument.*

Et quidem cum ſibi primo loco objeciſſet, *Legem ſcriptam humanam, quod injuſtum eſt, aliquando continere*; reponit, quod hæc, ſicut nullum robur præſtat juri naturali, ita nec poteſt hujuſce robur imminuere, vel auferre: *quia nec voluntas poteſt immutare naturam*. Atque adeo ſi ſcriptura legis humanæ aliquid contineat contra jus naturale, ſecundum eam judicandum non eſt, prout jam diximus *in Tract. de Legibus*.

Alterum argumentum erat, quod cum judicium verſetur circa caſus ſingulares, lex humana ſcripta eos omnes comprehendere nequit. Reſpondet vero admittendo, quod leges humanæ, quæ ſunt recte poſitæ, in aliquibus caſibus deficiant, in quibus ſi lex ſcripta ſervaretur, eſſet contra Legislatoris mentem, & ideo in his caſibus judicandum non eſſe juxta litteram legis, ſed potius juxta mentem Legislatoris. Vide quæ loco citato dicta ſunt.

XI. Hic vero inſtitui a Theologis quæſtio ſolet, num ſententia judicis *injuſta* valorem habeat in foro conſcientiæ, cum nempe injuſta eſt ex natura rei, & cauſæ, qua per errorem, ſecundum allegata, & probata, contra facti veritatem aliquis re, vel jure ſuo privatur. Qua in quæſtione nonnulli diſtinguunt inter cauſas ſæculares, & eccleſiaſticas; ac de prioribus quidem affirmant, injuſtam ſententiam non eſſe validam *in foro conſcientiæ*; ſecus autem de poſterioribus. Mihi vero videtur, tum in cauſis ſæcularibus, tum in eccleſiaſticis eamdem militare rationem, adeoque Judicis ſententiam, quæ citra dubium injuſta eſt, quæcumque ea ſit, ſive declarativa, ſive privativa, tametſi *ſecundum allegata, & probata* pronuncietur, nullam habere vim *in foro conſcientiæ*, hoc eſt neque aliquem privare re, vel jure ſuo, neque alteri jus verum conferre.

Aſſertum hoc in eo principio fundatur Angelici Doctoris, quod habet hic *quæſt.* 70. *art.* 4. *ad* 2. ſcilicet *Injuſtum judicium non eſt judicium*: adeoque res in eodem ſtatu relate ad conſcientiam *ſe habere debet, ac ſi nullum judicium ſecutum fuiſſet*. Quod principium amplius explicatur ac roboratur ex definitione ipſius *judicii*, quam ex ipſo tradidimus, quod nimirum *nihil aliud ſit, quam quædam definitio, ac determinatio ejus, quod juſtum eſt*. Porro *injuſta* ſententia determinat id, quod reipſa eſt *injuſtum*; ideo namque *injuſta* vocatur. Igitur nullum in foro conſcientiæ valorem obtinet, ac ſi lata non eſſet. Et ſane ſententia judicis quid aliud eſt, niſi quædam quaſi lex in aliquo particulari facto: lex autem injuſta non eſt vera lex, caretque virtute obligandi conſcientiam; adeoque neque *injuſta* ſententia judicis talem vim obtinere poteſt.

§. VII.

De judicio perverſo propter authoritatis uſurpationem.

XII. Ex iis, quæ docuit *art.* præcedente hujus *quæſt.* 60. ſubinfert S. Thomas reſolutionem circa judicium per uſurpationem authoritatis redditum, quod definiri poteſt, *illud eſſe, quod exercetur abſque legitima authoritate in perſonam, quæ vel judicanti ſubjecta non eſt, vel ſaltem non in iis cauſis, in quibus ab eo judicatur*. Qui enim ita judicat, authoritatem, qua caret, ſibi uſurpat.

Igitur hocce judicium *perverſum eſſe*, hac ratione declarat. Judicium namque in Tribunalibus, ut rectum ſit, juxta leges ſcriptas ferendum eſt. Ille autem, qui judicium pronunciat, legis edictum quodammodo interpretatur, ipſumque applicat ad hoc, vel illud particulare negotium. Ejuſdem porro authoritatis eſt legem interpretari, ac legem condere: adeoque, ſicut lex condi nequit, niſi publica authoritate, ita nec niſi publica authoritate vel Principis, vel illius, cui eam Princeps commiſit, judicium ferri poteſt; quæ quidem ſe extendit ad omnes, qui communitati ſubjiciuntur. Unde concludit: *Et ideo, ſicut injuſtum eſſet, ut aliquis conſtringeret alium ad legem ſervandam, quæ non eſſet publica authoritate ſancita; ita etiam injuſtum eſt, ſi aliquis compellat aliquem ferre judicium, quod publica authoritate non fertur*.

Hæc ratio ſi perpendatur, objectionem ſolvit, quæ fieri poteſt, ſibique proponit S. Thomas, quod ſcilicet nihil depereat rectitudini juſtitiæ ex hoc, quod alii etiam publica authoritate carentes id, quod juſtum eſt, determinent. Nam pro-

pronunciatio ſola veritatis *non importat compulſionem ad hoc, quod ſuſcipiatur, ſed liberum eſt unicuique eam recipere, vel non recipere, prout vult. Sed judicium importat quamdam compulſionem: & ideo injuſtum eſt, quod aliquis judicetur ab eo, qui publicam auctoritatem non habet.*

XIII. Verum occaſione hujus reſolutionis controverſia ſubnaſcitur, quoad judicia, & leges Tyrannorum; num hæc ita perverſa cenſenda ſint, ut iiſdem populus obtemperare minime teneatur. Cui quæſtioni ut ſatisfaciamus, duo in primis Tyrannorum genera diſtinguenda ſunt. Alii namque ſunt Tyranni in ſolo *regimine*, ſive in adminiſtratione regni, cujus domini ſunt aliquo legitimo jure; quatenus illud adminiſtrant non ſecundum jus, & æquitatem, ſed inique gubernant, & non ad populorum commune bonum, ſed ad bonum, utilitatem, & cupiditatem propriam referunt omnia. Alii dicuntur Tyranni *in titulo*; utpote qui regnum, ſeu Principatum nec jure hæreditario, nec populi electione, nec alio juſto titulo ſibi competentem vi, aut dolo uſurparunt, vel uſurpare conantur. Hi duplicis generis eſſe poſſunt: alii ſiquidem regnum tyrannice uſurpatum jam poſſident, & in eo pacifice imperant, Republica non amplius reluctante, ſive propter defectum virium, ſive propter aliam quamcumque cauſam: Alii vero regnum nondum pacifice obtinent, ſed obtinere conantur, Republica vel adhuc contradicente, vel armis etiam ſe illis opponente. Quibus poſitis

Dicendum primo eſt: juſta judicia, ſicut etiam juſtæ leges illius, qui *ſolo regimine* Tyrannus eſt, haud propterea *perverſa* ſunt, ſed populum obligant, ut hiſce judiciis, & legibus ſeſe ſubjiciat. Tyrannus quippe hujuſmodi verus Princeps eſt, ac legitima auctoritate ferendi leges juſtas, & ſecundum eas judicandi potitur. Idemque dicendum de legibus, & judiciis ſecundum allegata, & probata editis ab eo Tyranno, qui tyrannice quidem regnum uſurpavit, at, ceſſante jam violentia, paceque fruente Republica, imperat: tunc enim ſaltem tacite in hujuſmodi leges, & judicia conſentit Respubiica, ſuoque conſenſu his auctoritatem, & robur attribuit. Atque hæc profecto D. Thomæ ſententia eſt, qui *in* 2. *ſent. diſt.* 44. *quæſt.* 2. *art.* 2. docet, *Eum, qui per violentiam dominium ſurripit, non effici verum dominum, niſi poſtea dominus efficiatur vel per conſenſum ſubditorum, vel per authoritatem Superioris.* Si autem verus Princeps eſt, veruſque Dominus, jam leges legitime rogare poteſt, ac ferre judicia, queis populi ex conſcientia ſubdantur, eiſque obediant.

Dicendum eſt ſecundo: Si Tyrannus, qui nondum Principatum, aut Regnum obtinet, ſed illud invadit, ut eo potiatur, reſiſtente legitimo Domino, aut Republica, judicia ferat, quantumlibet juxta allegata, & probata ferantur, *perverſa ſunt*, nullamque proinde habent obligandi vim. Evidens ratio eſt: quia nec in illo eſt authoritas gubernandi, nec in populo parendi neceſſitas propter Reipublicæ bonum, quod hoc requirat. Hinc D. Thomas loco laudato ſcribit: *Qui per violentiam prælationem accipiunt, non ſunt veri Prælati: Unde nec eis obedire tenentur ſubditi.* Vide plura de hoc argumento in libro, quem edidi pro *Defenſione doctrinæ Sancti Thomæ circa Tyrannicidium.*

CAPUT OCTAVUM.

CONSECTARIA.

I. *Quoties in judicando violatur juſtitia, ſive æqualitas, judicium injuſtum eſt, nullumque jus alteri tribuit.*

II. *Dum in judicio ſervatur æqualitas, nunquam peccatur contra juſtitiam.*

III. *Licet agere in judicio contra raptorem, quin Chriſti ſententiæ repugnemus.*

V. *Error Wiclephi eſt aſſerere, ſententiam Judicis in peccato mortali exiſtentis nullius eſſe roboris, & authoritatis.*

V. *Suſpicio, & judicium temerarium peccata ſunt juſtitiæ oppoſita.*

VI. *Non obligant tamen ad reſtitutionem proprie acceptam.*

VII. *Quoties ſufficientes cauſæ ſuppetunt ſive ad ſuſpicandum, ſive ad judicandum, nullum judicium, aut ſuſpicio peccatum important. Quænam leves, quænam graves, ac ſufficientes cauſæ exiſtimandæ ſint.*

VIII. *Oportet attente diſtinguere cogitationes, quæ ſæpe in mentem incidunt de alterius malo, a ſuſpicione veri nominis.*

IX. *Vir timoratæ conſcientiæ regulariter metuere non debet de conſenſu præſtito cogitationibus judicium de proximi probitate ſpectantibus.*

X. *Falſa dicenda eſt Cajetani ſententia, ſuſpicionem quantumvis temerariam nunquam eſſe mortale peccatum.*

XI. *Materia* gravis, *circa quam verſatur ſuſpicio, aut judicium temerarium, per ſe eſt peccatum mortale*: per accidens *autem eſt materia levis peccati.*

XII. *Interdum, attentis circumſtantiis, ipſum peccatum veniale objectum eſt judicii temerarii graviter mali.*

XIII. *Semper ſuppetit ſufficiens cauſa interpretandi dubia in meliorem partem.*

XIV. *In cauſis eccleſiaſticis beneficiorum nulla ſententia injuſta vim habet in foro conſcientiæ.*

XV. *Bona fides in omnibus cauſis non ſuffragatur in conſcientia, ſi injuſta ſit.*

XVI. *Hinc qui per injuſtam ſententiam re ſua ſpoliatus eſt, illam omni licito modo recuperare poteſt.*

Conſectarium Primum.

I. JUdicium dicitur *iniquum*, & peccatum lethale eſt contra juſtitiam, quoties, regulis, aut legibus juſtitiæ poſthabitis, violatur æqualitas alteri debita: atque adeo, qui per ejuſmodi ſententiam novit ſibi attributam eſſe rem alienam, in conſcientia reſtituere tenetur, quamvis alter non appellaverit a ſententia Judicis, vel non appellaverit tempore opportuno: quoniam is neque per Judicis ſententiam re ſibi debita ſpolia-

 tur,

tur, neque eam amittit per omiſſionem appellationis, niſi forte ille, cui adjudicata eſt, bona fide proceſſerit, & legitimo tempore eam præſcripſerit.

Conſectarium Secundum.

II. Si judicium æqualitatem non violet, ſed ex aliquo pravo affectu proferatur; poterit quidem eſſe peccatum lethale ex prava illa affectione, qua profertur; at non eſt contra juſtitiam, nec reſtitutionis obligationem inducit. Unde Judex, qui latronem, aut homicidam juxta allegata, & probata mortis reum, morte condemnat ex privata cupiditate, vel odio, ſolum peccat contra charitatem, & graviter quidem, ſi criminoſa illa affectio peccatum lethale fuerit; ſed tamen ad reſtitutionem damnorum non tenetur.

Conſectarium Tertium.

III. Cum Dominus Matth. 5. ait: *Ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; non prohibet in judicio agere, ſive pro rebus noſtris aut conſervandis, aut recuperandis, ſive pro damno, ſi quod illatum eſt, reſarciendo: ſed monet tantummodo, debere ita eſſe animo comparatos, ut quamcumque injuriam potius ſuſtinere velimus, quam aut privata authoritate ulciſcamur, aut aliter charitati injuriam faciamus: atque adeo, ſi quis in judicio, aut extra, nobis velit auferre tunicam, etiam pallium, aliaque bona amittere parati potius eſſe debemus, quam litigando ſalutem animæ noſtræ in diſcrimen adducere. De hac Chriſti ſententia legendus eſt S. Auguſtinus *Epiſt.* 5.

Conſectarium Quartum.

IV. Error fuit Wiclephi in Concilio Conſtantienſi damnatus aſſerere, Judicem in peccato mortali exiſtentem authoritatem hoc ipſo judicandi amittere, ſicut & Principem, ac Prælatum dominium, aut juriſdictionis poteſtatem. Repugnat enim ſententiæ tum Chriſti Domini: *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo &c.*; tum Apoſtoli Pauli jubentis ad Rom. 13. ut *omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; tum etiam Petri præcipientis, ut obediamus Dominis *etiam dyſcolis*.

Conſectarium Quintum.

V. Suſpicio, ac judicium temerarium peccata ſunt contra juſtitiam. Hoc ſatis aperte docet S. Thomas hic art. 3. ad 3. cum ait: *Tunc judicium ſuſpicioſum directe ad injuſtitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit: & tunc eſt peccatum mortale. Judicium autem interius pertinet ad injuſtitiam, ſecundum quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem: ſicut concupiſcentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.* Et certe cum ſuſpicio, & judicium temeraria rium per ſe ordinentur ad honorem, & famam proximo auferendam, ſitque origo, & fundamentum judicii exterioris; hoc ſatis eſt, ut dicantur eſſe contra juſtitiam, ſicut contra juſtitiam ſunt ea interiora peccata, quæ ad exteriores actus injuſtitiæ ordinantur.

Conſectarium Sextum.

VI. Ex hoc, quod ſuſpicio temeraria, ſive ex levibus, & inſufficientibus indiciis concepta, ſit contra juſtitiam, haud ſequitur eam obligare ad reſtitutionem proprie acceptam. Quandoquidem peccata juſtitiæ oppoſita non inducunt onus reſtituendi, niſi in externum opus proceſſerint, eo quod cæteroquin nullum damnum externum illatum ſit. Si autem reſtitutionem minus proprie ſumamus, ejuſmodi ſuſpiciones, atque judicia ad illam quadantenus obligant. Cum enim ex iis interius injuſte auferatur bona exiſtimatio de proximo in mente judicantis, oportet judicia illa, aut ſuſpiciones veluti quædam damna tamquam injuſta removere, ac vel bonam de proximo opinionem concipere, vel dubia in partem meliorem interpretari.

Conſectarium Septimum.

VII. Quoties cauſæ ſufficientes ſuppetunt ſive ad ſuſpicandum, ſive ad judicandum, nullum judicium, aut ſuſpicio peccatum important: bene vero, ſi ſufficientes, aut graves minime ſint, ſed leves, ſive inſufficientes. At vero quænam graves, quænam leves cauſæ hujuſmodi dicendæ erunt, adeoque quænam indicia levia, quænam gravia, paucis declarare opus eſt ex communiore Authorum doctrina. *Levia* ſunt, quæ, ſpectata rei geſtæ, ac perſonæ qualitate, atque aliis circumſtantiis, idonea non ſunt ad movendum virum juſtum, ac prudentem ad dubitandum, ſuſpicandum, vel judicandum de proximo. *Gravia* vero, quæ, iis omnibus conſideratis, probum, ac prudentem virum ad male de eodem opinandum movere poſſunt. Nam cum materia iſthæc moralis ſit, & id, quod relate ad unam perſonam *leve* eſt, relate ad aliam *grave* eſſe queat; definiri aliter nequit *gravitas*, aut *levitas* indicii, niſi ex viri prudentis, ac probi judicio: qui in primis præter *facti* circumſtantiam attendit etiam circumſtantiam *temporis*; ut ſi quis videat aliquem nocte, vel clanculum alienam domum perforantem, ſcalas apponentem, per feneſtras intrantem, ſufficiens hoc indicium eſt, ut exiſtimet, illum quidpiam mali moliri, nempe aut furtum, aut aliquid nefarium ſcelus. Si autem id cernat fieri pleno die, aliis promiſcue aſpicientibus, ſufficiens ad ſuſpicandum argumentum non eſt, cum alia de cauſa id præſtare facile velit.

Loci quoque circumſtantia attendenda eſt, veluti ſi in oppido, ubi multa homicidia, ac latrocinia committi ſolent, videas aliquos hoc illuc cum armis circumcurſare, ad quos non pertineat vel civitatem cuſtodire, vel malefactores capere, *non leve* indicium eſt, ut judices, quod aliquem aut interficere velint, aut percutere, aut bona aliena diripere. Similiter ſi adoleſcentem, & adoleſcentulam conſpicias vel noctu, vel in obſcuro

loco

loco ſe laſcive amplexantes, quos noſti conjugatos non eſſe, *grave* fundamentum habes, ut judices, aut certe ſuſpiceris de illorum pudicitia: ſecus autem, ſi eoſdem videas ſecreto loquentes, nec aliquid inhoneſte agentes.

Tertio maxime eſt conſideranda circumſtantia *perſonæ*; tum ejus, de qua judicamus, tum alterius, a qua commiſſi delicti narrationem accepimus. Nam indicium, quod in aliquo *grave* eſt, in altero eſt *leve*. Sic ſi perſona, de qua judicatur, conſuevit aliquod perpetrare peccatum, minora ſigna ſufficiunt, ut male de ipſo judicemus quoad illam peccati materiam; quæ plene non ſufficiunt neque ad judicandum, neque ad ſuſpicandum de alia. Sic ſi juvenis petulans, procax, ac mulieroſus cum meretrice colloquia miſceat, *grave* indicium præbet, cur de ipſius libidine judicemus; non ita vir gravis, & probus, bonæque famæ apud omnes, ſi cum eadem loquatur: potius enim tunc cogitare debemus, ejuſmodi locutionem ad rectum aliquem, & honeſtum finem referri. Quoad perſonam autem alterius delictum referentem, ſi pia ſit, nec aliis detrahere, aut falſos rumores ſpargere ſolita, neque ullam inimicitiam gerat, aut indignationem adverſus aliam, *grave* fundamentum præſtat, ut de delicto ab alio commiſſo judicare poſſimus, præſertim ſi iſte vulgaris homo ſit, ac probabile ſimilia commiſſurum. Si vero hic quoque probus fuerit, nec ulla unquam culpa in eo genere notatus, ſufficiens fundamentum non eſt ad male de eo judicandum, aut etiam ſuſpicandum, ſed ut ſummum ad dubitandum; quo in caſu judicium ſuſpendere debemus, & juxta regulam juris *favere reo potius*, *quam actori*; quia *melior* tunc eſt famam ſuam *poſſidentis conditio*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Attente diſtinguamus oportet ſuſpicionem veri nominis a meris cogitationibus, quæ ſæpe in mentem incidunt, nec iis, etiam imperfecte, adhæremus, & cum ea ſæpe confundi ſolent ab hominibus parum in hac doctrina peritis. Nam vera ſuſpicio judicium, licet imperfectum, aut opinionem importat ex levibus indiciis conceptam. Sæpe autem cogitationes, quæ mentem noſtram incurrunt de aliquo alterius peccato, hujuſmodi judicium imperfectum non afferunt: unde veræ ſuſpiciones non ſunt, adeoque immunes ab ea culpa, qua vera ſuſpicio non caret.

Conſectarium Nonum.

IX. Si quis timoratæ conſcientiæ eſt, curamque gerit propriæ ſalutis, regulariter metuere non debet de mortali culpa, dum non meminit ſe conſenſum præſtitiſſe cogitationi, quam de gravi malo proximi habuit, quamvis forte diu illa cogitatio duraverit: quoniam prudenter exiſtimare poteſt, vel ſe non conſenſiſſe, vel ſufficientia indicia habuiſſe ad ſuſpicandum, aut dubitandum, præſertim ſi poſtquam advertit dubitationem, haud abs ſe illam depellere potuit. Contra vero qui non ita de ſalute ſua ſolicitus eſt, ſed libere vitam aliorum carpere ſolet, ſi dubius eſt, an tali cogitationi aſſenſum præbuerit, timere merito debet de mortali; & ſaltem ſub dubio de illa ſe in confeſſione accuſare? probabile namque tunc eſt aſſenſum præbuiſſe. Unde notant Theologi eximii, raro viros timoratos incidere in lethalem culpam judicii temerarii, tametſi ſæpe hujuſmodi moleſtas cogitationes patiantur; ſiquidem vel ad voluntatis conſenſum non pertingunt, vel ſi repentinus aliquis conſenſus occurrere videatur, plene deliberatus non eſt.

Conſectarium Decimum.

X. Falſa dicenda eſt ſententia Cajetani in Commentario ad *art.* 3. S. Thomæ, quam tradit etiam in Summa verbo *Judicium temerarium*, & verbo *Suſpicio*, quem ſequuntur Navarrus, aliique docentes ſuſpicionem, quantumvis *temerariam*, ſeu ex nullis, aut ex levibus ſignis, & indiciis conceptam, etiam cum firma æſtimatione, nunquam eſſe mortale peccatum, quamdiu intra ambiguitatis limites conſiſtit. Falſitas hujus ſententię ſatis conſtat ex dictis, & ex recte expoſita Sancti Thomæ mente, prout ſupra animadverſum eſt.

Conſectarium Undecimum.

XI. Materia *gravis*, circa quam verſatur ſuſpicio, aut judicium temerarium, per ſe quidem, & ex natura ſua peccatum mortale eſt: quia is, de quo judicatur peccaſſe mortaliter, cenſetur eſſe infamis coram Deo, utpote Dei inimicus; *per accidens* autem veniale quandoque eſt: quia nonnulla peccata ſunt, quæ quorumdam hominum vitio aut opinione, pro infamibus non reputantur, neque illa committentes inde verecundiæ argumentum ſumunt, aut famam, & honorem ſuum lædi putant, quamvis ea committere ab aliis judicentur: atque adeo ejuſmodi peccata, licet in ſe materia gravis, gravis tamen apud aliquos non æſtimantur, neque ſuſpicio, aut judicium temerarium de talibus perſonis, quod illa peccata commiſerint, peccatum mortale eſt; ut ſi quis de homine vino dedito ex indiciis levibus judicet, quod inebriatus fuerit, vel de laſcivo, & perdito juvene, quod puellam ad malum ſollicitaverit, de milite rixoſo, quod alium ad duellum provocaverit, aut etiam in duello interfecerit &c.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Nedum peccatum mortale, ſed etiam interdum veniale materia gravis eſſe poteſt ſuſpicionis, aut judicii temerarii, conſiderata videlicet perſonæ, & facti conditione. Quædam namque ſunt venialia peccata, quæ ob ſtatum, & qualitatem perſonæ, de qua temerarium judicium fertur, plurimum detrahunt bonæ ipſius æſtimationi, ejuſque famam non leviter commaculant, adeout rationabiliter ægrius ferret, talem de ſe ipſo exiſtimationem haberi, quam ingentem ſibi auferri pecuniæ ſummam. Quapropter temerarium de his perſonis judicium, quemadmodum etiam detractio, mortale peccatum eſſet, ut ſi te-

temere ſuſpiceris, aut judices de Epiſcopo, quod mendax ſit, aut mendaciis proferendis aſſuetus: quod ſanctimonialis, aut pudica mulier noctu vanos frequenter ſermones miſceat cum adoleſcentibus; quod Religioſus probus, ac gravis in conſuetudine habeat violare leges, & conſtitutiones ſui Ordinis, aut cum ſæcularibus libentius converſetur, quam cum viris Religioſis, aut tempus in rebus ad ſtatum ſuum minime pertinentibus inaniter terat &c.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Dum evidens proximi malum non eſt, nec in ſeipſo, nec in ſuis indiciis, ſemper ſuppetit juſta, ac ſufficiens ratio, ut ea, quæ dubia mala ſunt, in meliorem partem interpretari debeamus. Hæc autem juſta, ac ſufficiens ſic interpretandi ratio ad bene judicandum de proximo, eſt ipſum jus, quod quiſque habet ad ſuam famam, ſive ut bona de ſe opinio concipiatur, aut conſervetur; quoties argumenta contraria malum eſſe manifeſte non probant.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. In cauſis eccleſiaſticis quorumcumque beneficiorum ſententia injuſta, ſive declarativa ſit, ſive privativa, valorem non habet in foro conſcientiæ, neque vere beneficium transfert in eum, cui adjudicata cauſa eſt; adeoque cum primum ipſe noverit, ſententiam fuiſſe injuſtam, tenetur beneficium reſignare, aliumque, in cujus favorem ferri ſententia debuiſſet, monere de injuſtitia, quam patitur. Eadem quippe ratio a Sancto Thoma producta pro cauſa civili, quod *injuſtum judicium non eſt judicium*, pro eccleſiaſtica militat.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. In omnibus cauſis tum civilibus, tum eccleſiaſticis bona fides actoris, & teſtium non ſuffragatur in foro conſcientiæ, ſi ſententia deprehendatur injuſta. Hæc enim valorem, quo caret ſententia, non confert, cum in falſa præſumptione fundetur, neque juſtam efficiat illam, dum conſtat eſſe injuſtam: ſed præſtat tantummodo, ut a peccato excuſetur, nec reſtituere teneatur, qui v. g. fundum, aut beneficium ex illa ſententia conſecutus eſt, expenſas, aut fructus bona fide perceptos, & conſumptos. De quo alibi dicemus.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Hinc ſequitur illum, qui per injuſtam ſententiam re ſua ſpoliatus eſt, eam poſſe recuperare omni licito modo, quo poteſt, dummodo ſcandalum abſit, aut periculum inferendi alteri damnum; nec qui eam poſſidet, jam legitime præſcripſerit. Quod ſi actor, qui ſententiam ſibi favorabilem obtinuit, litem mala fide intentaverit, nunquam poteſt rem ſibi adjudicatam preſcribere.

CAPUT NONUM.

De Juſtitia Diſtributiva.

DOCTRINA.

I. *Juſtitiæ* diſtributivæ *notio prout diſtinguitur a commutativa.*
II. *Agitur de præcipuo, quod juſtitiæ* diſtributivæ *opponitur, vitio; nimirum* acceptione perſonarum. *In quo hæc conſiſtat, declaratur.*
III. *De perſonarum acceptione in bonis ſpiritualibus diſpenſandis. Dignior in foro conſcientiæ ſemper eligendus eſt.*
IV. *In foro tamen exteriore ſufficit eligere dignum.*
V. *Caſus ab hac generali regula excipiendus.*
VI. *Quænam neceſſaria ſint, ut prudens judicium formetur de idoneitate alicujus ad ſpiritualia recte adminiſtranda. Sive quid requiratur in perſonis eligendis. Primum & ſecundum requiſitum eſt legitimus torus, & ætas legitima.*
VII. 3. *Tonſura Clericalis.* 4. *Cœlibatus.*
VIII. 5. *Immunitas a cenſura, irregularitate, & hæreſi.*
IX. 6. *Morum probitas.* 7. *Litteratura ſufficiens.*
X. *Exactior diſcuſſio de obligatione eligendi digniorem ad beneficia.*
XI. *Caſus aliqui excepti referuntur.*
XII. *Num qui promovet minus dignum, digniore prætermiſſo, ad aliquem reſtitutionem teneatur.*
XIII. *De perſonarum acceptione in officiis, & rebus ſæcularibus diſtribuendis.*
XIV. *De perſonarum acceptione in exhibitione honoris, & reverentiæ.*
XV. *De acceptione perſonarum in ferendis judiciis.*

§. I.

Notio juſtitiæ diſtributivæ prout a commutativa diſtinguitur.

I. PAuca quædam ex D. Thoma de juſtitia, prout *diſtributiva* eſt, nobis expendenda ſuperſunt in hoc Tractatu. Nam, ut jam monuimus, quæ ad commutativam pertinent, ſpeciali tractatione opus habent. Igitur *in juſtitia diſtributiva*, inquit S. Thomas q. 61. art. 2. *datur aliquid alicui privatæ perſonæ, in quantum id, quod eſt totius, eſt debitum parti.* Quapropter diſtributiva juſtitia conſiderat dignitatem perſonæ, ut conſtituat æqualitatem ad ſe pertinentem, ſervetque proportionem & rerum diſtribuendarum, & perſonarum, quibus illæ diſtribuendæ ſunt; ut ſcilicet tanto amplius bonorum communium uni, quam alteri tribuatur, quanto dignitas unius major eſt dignitate alterius: æqualiter autem diſtributio fiat, ſi æqualis eſt dignitas. In hoc proinde commutativa juſtitia a diſtributiva ſecernitur, quod illa reſpiciat æqualitatem rei ad rem, pretii ad mercem, mercedis ad laborem, ſolutionis ad debitum; adeoque haud neceſſe eſt, quod attendat perſonæ dignitatem ad æqua-

æqualitatem ſibi propriam conſtituendam. Sed hoc aliquando præſtare debet, quoties videlicet id neceſſarium ſit ad cognoſcendam æqualitatem damni, vel injuriæ, ut juxta illam æqua compenſatio fiat: cum enim ex perſonæ dignitate augeatur injuria, etiam pœna augeatur, oportet.

Hinc ſequitur, *medium* juſtitiæ non eodem modo accipi in juſtitia diſtributiva & commutativa. In commutativa namque medium ſumitur ſecundum abſolutam æqualitatem, quæ proportio *arithmetica* appellatur, hoc eſt ſecundum æqualitatem rei ad rem. In diſtributiva vero ſecundum æqualitatem proportionis, quæ *geometrica* dicitur; ut nimirum, quemadmodum aliqua perſona excedit aliam in merito, vel dignitate, ita etiam res, quæ uni confertur, excedat rem, quæ confertur alteri. „ In juſtitia diſtributiva, *inquit S. Thomas* „ *hic art.* 12. non accipitur medium ſecundum æ„ qualitatem rei ad rem, ſed ſecundum propor„ tionem rerum ad perſonas ..... Et ideo tale „ medium eſt ſecundum geometricam proportio„ nalitatem, in qua attenditur æqualitas non ſe„ cundum quantitatem, ſed ſecundum proportio„ nem . . . . Sed in commutationibus redditur „ aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem e„ jus, quæ accepta eſt, ut maxime patet in em„ ptione, & venditione “.

Ex hoc oſtendit S. Doctor *art.* 3. materiam quidem *remotam* utriuſque juſtitiæ eſſe eamdem, *proximam* vero diverſam. Nomine enim materiæ *remotæ* intelligitur uſus quorumdam exteriorum vel rerum, vel perſonarum, vel etiam operum: & hæc materia ſunt utriuſque juſtitiæ diſtributivæ, & commutativæ; utraque enim circa talia verſatur. At *proxima* materia intelligitur ea, quæ conſiſtit in ipſis actionibus principalibus, quibus utraque juſtitia utitur, perſonis, rebus, & operibus; atque ita inſpecta alia utrobique materia eſt. *Nam diſtributiva juſtitia eſt directiva diſtributionum: commutativa vero Juſtitia eſt directiva commutationum, quæ attendi poſſunt inter duas perſonas*, ut ait S. Thomas, qui poſtea varias commutationes recenſet, quæ tamen non dividunt commutativam juſtitiam in diverſas ſpecies, ſicut neque variæ diſtributiones juſtitiam diſtributivam: idem quippe formale objectum in omnibus eſt.

§. II.

De præcipuo, quod juſtitiæ diſtributivæ opponitur, vitio; perſonarum *nempe* acceptione: *In quo ea conſiſtat.*

II. Perſonarum acceptio, quamvis in bonam partem ſumi quandoque ſoleat etiam in divinis Scripturis, hic tamen pro vitio quodam accipitur juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum; ac definiri poteſt

Peccatum, quo in his, quæ juxta juſtitiam conferenda ſunt, non habetur ratio meriti, vel idoneitatis ejus, cui aliquid confertur, ſed aliqua cauſa attenditur huic impertinens, & extrinſeca.

Explicatur. Dicimus primum *de his, quæ conferenda ſunt ſecundum juſtitiam: acceptio* namque *perſonarum* locum non habet in iis, quæ conferuntur ex gratia. Unde Deus nemini ex *juſtitia* debitor eſt; & ea, quæ creaturis ſuis confert, ex gratia confert. Adduntur aliæ particulæ, quæ ex D. Thoma facile colliguntur. Nam *in reſp. ad* 1. *artic.* 1. *hujus quæſt.* 63. ait: *In acceptione perſonarum conſiderantur conditiones, quæ non faciunt ad rem.* Et in corp.: *Conſiſtit*, inquit, *æqualitas diſtributivæ juſtitiæ in hoc, quod diverſis perſonis diverſa tribuuntur ſecundum proportionem ad dignitatem perſonarum.* Si ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ, propter quam aliquid eſt ei debitum, eique propterea confert, ſecundum diſtributivam agit: ſecus autem, ſi aliam conſiderat, propter quam res debita non eſt; *Puta ſi aliquis promoveat aliquem ad Magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ, hic attenditur cauſa debita, non perſona: ſi autem aliquis conſideret in eo, cui aliquid confertur, non id, propter quod id quod ei datur, eſſet ei proportionatum, vel debitum, ſed ſolum hoc, quod eſt ille homo, puta Petrus &c., hic eſt acceptio perſonæ: quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam, quæ faciat eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ. Ad perſonam autem refertur quæcumque conditio non faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono; puta ſi aliquis promoveat aliquem ad prælationem, vel magiſterium, quia eſt dives, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt perſonæ acceptio.*

Recte autem, ac ſapienter ſubinde monet Sanctus Præceptor contingere, aliquam perſonæ conditionem eam dignam reddere reſpectu unius rei, non autem reſpectu alterius: ſicut conſanguinitas aliquam dignam efficit, ut ea potius hæres patrimonii inſtituatur, quam alia; non vero ut ipſi Prælatio Eccleſiaſtica conferatur. *Et ideo eadem conditio perſonæ in uno negotio conſiderata facit acceptionem perſonæ, in aliis autem non facit.*

Porro *acceptionem perſonarum* ſic expoſitam peccatum eſſe, jure tum naturali, tum poſitivo prohibitum, facile convincitur. Et quidem prohibitum eſſe jure naturæ patet; ſiquidem juſtitiæ diſtributivæ repugnat. Quemadmodum enim naturale jus juſtitiam diſtributivam ſervandam præcipit, ita & injuſtitiam ipſi adverſantem vetat. Profecto cum æqualitas diſtributivæ juſtitiæ in hoc ſita ſit, quod perſonis diverſis diverſa beneficia tribuantur juxta proportionem ad merita, ſive ad dignitatem earumdem: hæc proportio in perſonarum acceptione violatur. Quidpiam enim alicui confertur non propter ejus dignitatem, vel cauſam ad rem pertinentem, ſed propter aliam rei eidem extraneam: adeoque acceptio perſonarum peccatum eſt; & quidem ex genere ſuo lethale, quemadmodum injuſtitia. Propter tamen materiæ parvitatem veniale quandoque eſt, ut ſi in menſa locus minus dignus aſſignetur digniori &c. Eamdem veritatem tradunt Sacræ Litteræ, ut cum Levit. 19. dicitur: *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis;* Deut. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam;* & alia ſimilia.

§. III.

De acceptione perſonarum in bonis ſpiritualibus diſpenſandis.

III. Peccatum eſſe perſonarum acceptionem in rebus ſpiritualibus diſpenſandis, & tanto quidem gravius, quam quæ in diſpenſandis temporalibus contingit, toto *art.* 2. *hujus quæſt.* declarat, ac probat Sanctus Thomas; quia perſonarum acceptio peccatum eſt, quatenus juſtitiæ opponitur. Quanto autem in rebus excellentioribus aliquis juſtitiam violat, tanto gravius peccat: atque adeo, cum ſpiritualia temporalibus longe præcellant, gravius peccatum eſt perſonarum acceptio in ſpiritualium diſpenſatione, quam in temporalium.

Peculiari dignum obſervatione eſt, quod hic ſubjicit S. Doctor inquiens: „ Quia perſonarum „ acceptio eſt, cum aliquid perſonæ attribuitur „ præter proportionem dignitatis ipſius, conſiderare oportet, quod dignitas alicujus poteſt attendi dupliciter: Uno modo ſimpliciter, & ſecundum ſe; & ſic majoris dignitatis eſt ille, „ qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis: Alio modo per comparationem ad bonum „ commune. Contingit enim quandoque, quod „ ille, qui eſt minus ſanctus, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, „ vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid „ hujuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium „ principaliter ordinantur ad utilitatem communem, ſecundum illud 1. Corinth. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*; ideo „ quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi, qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur: ſicut „ etiam & Deus gratias gratis datas quandoque „ concedit minus bonis “.

Quoties ergo ad aliquod ſpirituale officium eligere oportet, qui dignior, attentis omnibus circumſtantiis ad commune bonum pertinentibus, æſtimatur, præferendus omnibus eſt; adeo ut peccet, qui minus dignum aliis anteponit. Verum ob tertium, quod ſibi S. Thomas objicit, ac ſolvit, argumentum, quædam addere conſultum erit. Argumentum hoc erit: „ Secundum jura ſufficit eligere bonum; non autem requiritur, „ quod aliquis eligat meliorem. Sed eligere minus bonum ad aliquid altius, videtur ad acceptionem perſonarum pertinere. Ergo perſonarum acceptio non eſt peccatum in ſpiritualibus “. Quid autem reſpondet? „ Dicendum, „ quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere „ bonum, nec oportet eligere meliorem: quia „ ſic omnis electio poſſet habere calumniam; ſed „ quantum ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt „ eligere meliorem vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia, ſi poteſt „ haberi magis idoneus erga aliquam dignitatem, „ & alius præferatur, oportet, quod hoc ſit propter aliquam cauſam: quæ quidem ſi pertineat „ ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui „ eligitur, magis idoneus. Si vero non pertineat ad negotium, id, quod conſideratur, ut „ cauſa, erit manifeſte *acceptio perſonæ* “.

IV. Forum itaque exterius, ſive jus eccleſiaſticum, ſaltem ordinarie, non permittit in controverſiam deduci electionem, vel proviſionem alicujus, quoties electus, vel proviſus idoneus inventus eſt judicio eorum, quorum id eſt examinare: & hoc, quia facile electio quælibet calumniari, & impugnari poſſet, aditusque latiſſimus aperiretur perpetuis litibus, atque querelis illorum, qui ſive vere, ſive falſo ſibi minus dignum prælatum eſſe putarent. Sed non propterea declarat, quod Præſentator, vel Collator ſecurus ſit in conſcientia, quodque officio ſuo ſatisfecerit, ſi digno quidem beneficium contulerit, ſed digniore prætermiſſo. Unde idem S. Doctor *quodl.* 8. *art.* 6. aſſerit, Decretalem illam, quæ ſatis eſſe tradit eligere dignum, non loqui quantum ad forum conſcientiæ, ſed quantum ad forum contentioſum, in quo non improbatur electio ex hoc, quod alius melior inveniri queat, dummodo electus ſit idoneus: *Alias electio omnis calumniam pateretur*.

V. Caſus attamen aliquis ab hac generali regula excipiendus videtur ob Conſtitutionem editam a S. Pio V. anno 1567. ubi firmare magis cupiens, quæ ſtatuerat Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ita ordinavit: *Ut autem non ſolum dignis, ſed magis idoneis repertis juxta ejuſdem Concilii decretum Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus, & eadem authoritate decernimus, quod ſi Epiſcopus minus habilem, poſthabitis magis idoneis, elegerit, poſſint hi, qui rejecti fuerint, a mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum; vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium appellare: ac præelectum ad novum examen coram ipſo appellationis Judice, & examinatoribus provocare. Et conſtito prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis authoritate noſtra (quatenus collatio ad Epiſcopum, a quo appellatum fuit, ſpectaret) conferatur: alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, proviſio, vel inſtitutio ſpectabit.*

Ex quibus conſtat, in peculiari caſu, in quo de beneficio *parochiali* agitur, fieri poſſe appellationem ab Electore, qui minus idoneum ad illud elegit, modo a Summo Pontifice præſcripto. Hic tamen caſus perquam raro contingit; quia nemo præſumere jure debet de majore ſua idoneitate; niſi forte qui appellat, ſit aliqua alia perſona, quæ apprime conſcia ſit de utriuſque meritis, ac dignitate. Notandum autem eſt, quod ſi caſus contingat, ut minus dignus ad parochiale beneficium præ digniore electus fuerit, electio non eſt ipſo facto irrita; neque enim Pontifex eam impugnari permittit, quaſi de jure nulla foret, ſed tamquam quæ irritari valeat. Quin potius ſubdit: *Hæc tamen appellatio interpoſita non impediat, aut ſuſpendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni: & proviſus ab eadem* Ec-

Eccleſia, *cauſa appellationis hujuſmodi pendente*, *non amoveatur*.

§. IV.

Quænam neceſſaria ſint, *ut prudens formetur judicium de idoneitate alicujus ad ſpiritualia recte adminiſtranda*.

IV. Innocentius III. Cap. *Cum nobis* tit. de Elect. & elect. poteſt., de idoneitate ad recte adminiſtranda ſpiritualia loquens, tribus eam præcipue conſtare æſtimavit. Ait enim: *Tria ſunt in perſona electi præcipue requirenda; videlicet ætas legitima*, *morum honeſtas*, *& litteratura ſufficiens*. Ex hoc tamen nequaquam excludit alia etiam requiri, quæ forte, utpote notiora, non expreſſit. Ut igitur complectamur omnia, hæc ſunt, quæ ex Authoribus afferuntur.

Primo requiritur *legitimus torus*. Nam qui ex illegitimo toro nati ſunt, niſi diſpenſatio intercedat, hoc ipſo ad obtinendum ſpirituale beneficium inhabiles judicantur, ſive hoc impedimentum publicum ſit, ſive occultum: & in hoc impedimento ſolus Papa diſpenſat ſive ad ſacrum Ordinem, ſive ad aliquam dignitatem, ſive etiam ad beneficium curatum. Quoad minores autem Ordines, ſicut & beneficium ſimplex, cui Ordo ſacer non ſit annexus, diſpenſare poteſt etiam Epiſcopus, prout habetur *Cap.* 15. qui tit. *de fil. Presb.* in 6. Quod ſi rationem inquiras, cur illegitimi a beneficiis arceantur? Reſponſio eſt, arceri propter ignominiam quamdam, qua coram hominibus aſperſi ſunt. Facile quippe eſt, ut quorum origo contemnitur, vita quoque, & doctrina contemnantur. Quare de filiis Clericorum ex illegitimo matrimonio natis Concilium Tridentinum ſtatuit *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. ut in Eccleſia, ubi patres eorum beneficium habent, vel habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium habere non poſſint: nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, aut obtinuerunt, habere: nec reciprocæ reſignationes in eorum filiorum favorem a parentibus factæ illis proſint.

Secundo requiritur *ætas legitima*; quæ diverſa eſt juxta diverſitatem beneficiorum, quæ in Eccleſia conferuntur. Nam ad Epiſcopatum ætas expleta triginta annorum exigitur, ut Cap. *Cum in cunctis* tit. de Elect. & elect. poteſt. Ad dignitates Epiſcopatu inferiores, curam tamen animarum habentes, & generatim ad quæcumque beneficia curata vigeſimus quintus annus ſaltem inchoatus ſtatutus eſt Cap. eodem §. *inferiora*, & in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *Cap.* 12., ac inſuper Cap. *Licet Canon* eodem tit. de *Elect.* in 6. ubi expreſſe decernitur, collationes de Parochialibus Eccleſiis iis de cætero faciendas, qui vigeſimum quintum annum non attigerint, viribus omnibus carere. Verum, cæteris paribus, qui majoris ætatis ſunt, reliquis præferendos eſſe conſultum eſt. Ad alias dignitates, vel perſonatus, quibus cura animarum non incumbit, annus vigeſimus ſecundus requiritur ex Concilio Tridentino laudato *Cap.* 12. quod de dignitatibus, & perſonatibus in ſolis Eccleſiis Cathedralibus, non autem Collegiatis intelligunt plures Authores; aliis tamen etiam pluribus diſſentientibus, quorum ſententia probabilior videtur. Ad Præbendam Pœnitentiarii in Eccleſiis Cathedralibus Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *C.* 8. exigit, ut quis ſit annorum quadraginta, ſeu qui alias aptior pro qualitate loci reperiatur.

Quoniam vero idem Concilium eodem Cap. 12. ſtatuit, ut Canonicatus omnes Eccleſiæ Cathedralis adnexum habeant Ordinem aut Presbyterii, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus, requiritur ſaltem, ut annus vigeſimus primus ſit inchoatus, ſi præbenda ſubdiaconalis ſit: ſi autem diſtinctio facta non ſit, quæ Præbendæ quem Ordinem habere debeant, ut aliquis ſit capax alicujus talis Canonicatus, ſaltem vigeſimum primum annum inchoaſſe debuit, ut in fine ipſius poſſit ordinari Subdiaconus. Quoad Canonicatus vero in aliis Eccleſiis, & alia quæcumque beneficia ſimplicia, requiritur juxta ejuſdem Concilii Decretum *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. & ſufficit, quantum ad valorem attinet, annus decimus quartus, iſque inchoatus. Reliqua, quæ ad hanc materiam pertinent, vide apud Canoniſtas.

VII. Tertium, quod requiritur ad idoneitatem, eſt *tonſura clericalis*, ut Cap. *Ex litteris* tit. de Tranſact. *in Eccleſia* tit. de Inſtit. Debet autem eſſe collata a proprio Epiſcopo: alioquin is, qui tonſuram ab alieno Epiſcopo accepit ſine litteris dimiſſoriis, vel ſine Summi Pontificis diſpenſatione, incapax eſt beneficii ex Cap. *Illud*, & ex Cap. *Si quis auſus* diſt. 71. ubi ordinatio ab alieno Epiſcopo facta decernitur irrita, quoad uſum videlicet, & privilegium Ordinis: quia conditio deeſt jure Eccleſiaſtico ad valorem requiſita.

Requiritur quarto loco *Cœlibatus*. Nam conjugati Eccleſiaſtica beneficia conſequi nequeunt, aut jam conſecuta retinere, ut Cap. *Si quis* tit. de Cleric. Conjug., adeo ut beneficium ſtatim amittat, qui validum Matrimonium contrahit, ejuſque beneficium vacet. Beneficium tamen non amittit, qui ſola contrahit ſponſalia, eo quod hæc hominem non conſtituant in ſtatu, qui cum beneficio compati nequeat: ſolum quippe matrimonium transfert hominem ab Eccleſiaſtico ſtatu ad ſæcularem.

VIII. Quinta conditio eſt, eum, qui beneficium aſſequitur, nulla eſſe cenſura innodatum. Collatio ſiquidem beneficii facta excommunicato excommunicatione majore, ipſo jure nulla eſt C. *Poſtulaſti* tit. de Cleric. Excom. ſicut & ejus electio, vel præſentatio juxta communem opinionem. Neque refert, an ejus excommunicatio denunciata fuerit, an publica, vel occulta, an de illa, qui excommunicatus eſt, conſcius ſit, an ignarus; modo conſtet, ipſum vere excommunicatum eſſe, quando vel eligebatur, vel ei beneficium conferebatur. Et quamvis abſolutio ab ea cenſura poſtmodum impetretur, haud propterea collatio ipſi prius in excommunicatione exiſtenti facta valida redditur, ſed opus eſt nova collatione, ut legitimus eſſe queat beneficii poſſeſſor, te-

teneturque ad fructus, ſi quos ipſe percepit, reſtituendos. Doctrinam hanc confirmat Summorum Pontificum, aliorumque Collatorum praxis, qui, quoties beneficium alicui conferant, ſolent ad cautelam eum abſolvere ab excommunicatione ad effectum collationis conſequendum: Hujuſmodi enim abſolutio ſuperflua foret, ſi excommunicatio ipſo jure collationem non impediret.

Sextum requiſitum eſt, ut irregularis non ſit, qui recipit beneficium. Nam irregularitas omnis, quæ præcedit collationem beneficii, eam invalidam reddit ipſo jure, ſi hæc ſubſequatur. Cum enim irregularitas efficiat hominem inhabilem ad Ordinem, ejuſque uſum, efficit etiam inhabilem ad beneficium, quod adnexum quodammodo Ordini eſt, ita ſcilicet, ut vel debeat, vel poſſit congruo tempore a beneficiario ſuſcipi. Hinc bigami, & cæci incapaces beneficii ſunt, tum quia ſunt irregulares, tum quia ea corporis aptitudo in beneficiario requiritur, quæ ad officium decenter obeundum neceſſaria eſt.

Septimum, quod requiritur, eſt immunitas ab hæreſi non ſolum propria, ſed etiam parentum. Neque enim ſoli hæretici, ſed etiam eorum parentes, immo etiam receptatores, defenſores, & fautores, ipſorumque filii ad uſque ſecundam generationem, ad beneficia Eccleſiaſtica inhabiles declarantur C. *Quicumque* §. hæretici, & cap. *Statutum* 2. tit. de hæret. in 6. Imo illi etiam, qui ad hæreticorum preces, & officia beneficium ſcienter obtinent, ad illud, & ad alia impoſterum conſequenda ſunt incapaces, C. eodem *Quicumque* §. ad hæc.

IX. Octava ad beneficium obtinendum requiſita conditio eſt probitas morum, ut ſcilicet gravibus peccatis deditus non ſit, nec propter crimina infamis. Quamquam enim beneficii collatio criminoſo viro facta valida ſit, ſi crimen haud ſecum afferat irregularitatem, non tamen conferre licet. Jure etenim naturæ decet miniſtros Dei, & Eccleſiæ probos eſſe, fideles, & irreprehenſibiles. Hinc Alexander III. C. *Cum in cunctis* tit. de Elect. ait: *In cunctis ſacris Ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſteriis ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum ſcientia ſunt inquirenda*. Et Conc. Trident. morum probitatem ſummopere requirit *ſeſſ.* 14. *c.* 1. *de Reform.* & aliis in locis. Sane Eccleſiaſticorum exempla maximi momenti ſunt ad pravam ſæcularium vitam corrigendam, & ad decorem Eccleſiæ Dei. Unde electio ad beneficium, etiam cui animarum cura, aut Sacramentorum adminiſtratio non adnectitur, alicujus malæ converſationis, & vitæ, valde probabile eſt peccatum eſſe mortale, dum præſertim officium circa cultum Dei, & obſequia divina verſatur.

Poſtrema tandem conditio eſt *litteratura ſufficiens*, quæ non eadem requiritur in eligendis ad beneficia, ſed diſpar eſt juxta beneficiorum diverſitatem: aliud enim minorem, aliud majorem exigit, prout dicemus alibi. Illud ſolum hic adverto, collationem beneficii, quodcumque illud ſit, factam homini penitus illiterato, nullam eſſe ex C. *Illiteratos* diſt. 36. C. *Cum in cunctis* tit. de elect., & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. decernente, ut proviſio facta iis, qui ætatem, & cæteras habilitates non integre habent, ſit irrita.

Cæterum, ut recta æſtimatio fiat de majore alicujus dignitate, ut beneficium ipſi conferatur, ſatis non eſt unam, vel alteram perpendere conditionem, aut qualitatem, ſed omnes accurate conſiderandæ ſunt, quæ in diverſis perſonis illud petentibus, vel oblatis deprehenduntur, & conferendæ cum fine principali ſtatus, vel officii vacantis. Neque enim ſemper eſt aptior, qui melior eſt, & doctior, aut eloquentior, ſed qui, omnibus ponderatis, utilior eſt ad finem, ad quem tale officium, vel beneficium ordinatur, ut diximus. Atque inde eſt, quod ſæpe merito aliis præferuntur quidem vel prudentes, vel nobiles, aut Eccleſiæ famulatum præſtantes: quia majori poſſunt eſſe Eccleſiæ adjumento vel per conſilium ſapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel per majorem in Eccleſiæ negotiis obeundis dexteritatem, ac peritiam.

§. V.

An liceat ad Eccleſiaſtica beneficia eligere dignum, digniore prætermiſſo?

X. Hactenus tamquam certum poſuimus, illicitum eſſe eligere, aut promovere dignum ad beneficia, digniore reſpective prætermiſſo. Verum, quoniam hæc controverſia magni momenti eſt, ideo certius comprobanda, magiſque confirmanda. Et hanc quidem apertam eſſe Sancti Thomæ ſententiam ex verbis jam laudatis, præter alia loca, apertiſſime conſtat; ejuſdemque ſententiæ ſunt S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 20., Adrianus in 4. tit. de Reſt., Cajetanus verbo *Acceptio perſonarum*, Dominicus Soto *lib.* 3. *q.* 6. *artic.* 2., & alii communiter Theologi, ſi paucos fortaſſis excipias.

Hæc autem evincitur in primis ex Sacrorum Canonum authoritate. Nam ex Cap. *Licet* §. 8. q. 1. dicitur: *Sciant omnes, & certi ſint, quod qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium*. Innocentius III. Cap. *Ut noſtrum* lib. 5. Decret. tit. 12. *Non ex affectu*, ſcribit, *ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum & officium, & beneficium in perſonam magis idoneam diſpenſare*. Quemadmodum enim ait Auguſtinus epiſtola 29.: *Nec ſane, quantum arbitror, putandum eſt, leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedendi, ac ſtandi* (de qua Jac. 2.) *ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat, eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, atque ſanctiore?*

Diſerta quoque verba ſunt Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. C. 1. *de Refor.* de illis agentis, penes quos poteſtas eſt Epiſcopos eligendi, & aſſerentis, *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed co-*

eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. Et *cap.* 18. de proviſionibus Eccleſiarum Parochialium agens præcipit, examen per examinatores Synodales fieri, & ex iis, qui fuerint judicati idonei, deinde *Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Quod ſi beneficium jurispatronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non ad alium pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo erit facienda; tum Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat.*

Id quoque rationes admodum efficaces confirmant: tum quia primo, ut ex D. Thoma ad 3. vidimus, qui promovet dignum, prętermiſſo digniore, peccatum committit *acceptionis perſonarum*, adeoque contra juſtitiam diſtributivam; quod ex genere ſuo mortale eſt. Tum quia neque collator beneficiorum, neque præſentator, neque alius quiſpiam dominus eſt bonorum Eccleſiæ, ſed duntaxat adminiſtrator, & diſpenſator: diſpenſator autem *fidelis* eſſe debet in officio ſuo, ut ait Apoſtolus 1. *ad Cor.* 4.: Fidelis vero diſpenſator non eſt, qui, cum poſſit, dominum ſuum de meliore miniſtro non providet. Tum tertio, quia beneficia principaliter inſtituta ſunt ad utilitatem Eccleſiæ: adeoque qui beneficia diſpenſandi poteſtatem habent, ex officio ſuo tenentur utilitati Eccleſiæ conſulere tum in aliis, tum in iis, quæ ad eam diſpenſationem pertinent; pręferendo nimirum digniores, magiſque idoneos ad utilitatem Eccleſiæ promovendam.

XI. Hic tamen advertere neceſſe eſt, contingere poſſe, quod ſive Collatores, ſive Præſentatores, ſive Electores beneficiorum a gravi, & quandoque etiam a levi peccato excuſentur, dum minus dignum digniori præferunt. Caſus autem, qui ab Authoribus frequentius afferuntur, ſunt hi: primo ſi diſparitas dignitatis vel nulla, vel admodum exigua ſit: Secundo ſi liberum Collatori, vel Inſtitutori non ſit conferre alteri, vel alium inſtituere, quam ſibi pręſentatum a Patrono. Tunc enim Patronus tantummodo in culpa eſt, ſi minus idoneum pręſentet, cum digniorem pręſentare poſſit. Quod ſi nec ipſe alium pręſentare valeat, a culpa uterque immunis erit.

Tertio: ſi beneficium ex inſtitutione per Eccleſiam legitime confirmata, vel acceptata alicui ex certa familia, vel oppido conferendum ſit, aut ſi ex Canonum Decreto quiſpiam de Eccleſiæ gremio eligi debeat; haud peccant, etiamſi aliunde aptiorem invenire poſſent. Cęterum ſi de beneficiis curam animarum habentibus agatur, nefas eſſe videtur, ea ita inſtituere, ut futuris temporibus ſemper aliquis dignus aſſumi debeat de familia, vel oppido, quamvis notabiliter dignior aliunde reperiatur: neque hæc conditio ab Eccleſia acceptanda eſt. Secus vero res ſe habere videtur, quando aliquis eligendus eſt de gremio Eccleſiæ, quia plerumque qui de Eccleſiæ gremio ſunt, utiliores eſſe ſolent ejuſdem bono.

Quarto: quoties duo ſimul beneficia vacant, alterum ſimplex, & pingue, alterum parochiale, ac tenue; illud minus digno conferri poteſt; iſtud autem digniori citra culpam, ſi nimirum dignior huic Eccleſiæ neceſſarius ſit: utilitas quippe Eccleſiæ præ oculis ſemper habenda eſt, & privatæ præferri debet.

Quinto: ſi fundator beneficii parochialis præſentet ad illud perſonam dignam, prętermiſſa digniore, a peccato videtur excuſandus, tum quia bona ſua diſtribuere poteſt pro ſua voluntate; tum quia C. *Monaſterium* 16. q. 7. hoc ipſi ab Eccleſia indulgetur fortaſſe, ut ex hoc fideles ad fundanda Eccleſiaſtica beneficia facilius alliciantur. Tum demum quia ad digniorem eligendum non tenetur ex juſtitia diſtributiva: hæc enim locum habet in diſtributione bonorum communium, non autem in gratuita largitione propriorum.

Sexto tandem excuſandus non eſt a peccato, qui digno beneficium reſignat, digniore prętermiſſo: quoniam licet is collator non ſit, aut patronus beneficii, cauſa tamen eſt, cur beneficium illud minus idoneo conferatur; qui autem cauſa damni eſt, damnum feciſſe videtur: neque ſolum ii peccant, qui ipſum opus peccati faciunt, ſed etiam qui vel cauſa ſunt, ut fiat, vel facientibus conſentiunt.

Quamquam vero tum Canones, tum Concilium Tridentinum, dum conſtituunt, digniores ad beneficia Eccleſiaſtica promovendos eſſe, expreſſe loquantur de beneficiis curatis, ſive curam animarum habentibus; idem tamen dicendum videtur de promovendis ad beneficia ſimplicia. Licet enim ratio ex Eccleſiæ utilitate deſumpta, cui providere promotor tenetur, in his locum non habeat: attamen militat ſemper ratio generalis juſtitiæ diſtributivæ, quæ obligat diſtribuentem communia bona, ut digniores ſemper pręferat, qui, ſpectatis circumſtantiis, tales deprehenduntur.

XII. Unum vero hic quæri facile poteſt; ſcilicet, an qui dignioribus prętermiſſis, dignos promovent ad Eccleſiaſticum beneficium, ad aliquam reſtitutionem teneantur, quibuſque ea facienda ſit. Ad quod communior reſponſio eſt, eos teneri reſtituere non quidem dignioribus, ſed Eccleſiæ. Et ratio utriuſque eſt, quia relate ad digniores ſola per hoc juſtitia diſtributiva violatur, quæ onus reſtitutionis non inducit. Relate vero ad Eccleſiam, etiam commutativa juſtitia læditur: ſunt enim cauſa damni, quod Eccleſia patitur ex eo, quod beneficiario digniſſimo culpa ipſorum careat, atque ſubinde ea utilitate majori, propter quam beneficia inſtituta ſunt. Id explicari, & confirmari exemplo poteſt Œconomi, cui ex officio incumbit conducere idoneos operarios ad Patrisfamiliæ vineam ſub juſta mercede excolendam, qui ſi operarios digniores prętermittens eligat dignos, ad nullam reſtitutionem tenetur dignioribus faciendam: ſed ſi quid damni inde domino proveniat, illud ei reſarcire tenetur, cujus rem negligenter curavit. Igitur Eccleſiaſticorum quoque beneficiorum diſpenſator, ſi minus dignos eligat, non dignioribus, quos prętermiſit, ſed Eccleſiæ manet obligatus.

§. VI.

§. VI.

De Perſonarum acceptione in officiis, & rebus temporalibus diſtribuendis.

XIII. Ea, quæ de perſonarum acceptione dicta ſunt, quoad diſtributionem bonorum Eccleſiæ, locum etiam habere quoad diſtributionem officiorum, & bonorum ſæcularium dubitandum non eſt. Par ſiquidem ratio in utraque concurrit. Verum ut hæc veritas clariore in luce collocetur, duplicis generis publica bona, quæ diſpenſari poſſunt, diſtinguenda ſunt. Quædam directe, & immediate in bonum civium ordinantur, ut proventus alicujus Civitatis, aut Communitatis ad hoc legati, ut ſingulis incolis diſtribuantur juxta proportionem indigentiæ, meritorum, aut dignitatis uniuſcujuſque. Alia directe, & immediate inſtituta ſunt in bonum communitatis, ut officia publica, & ſtipendia iis adnexa. Quæ prioris generis ſunt, ex juſtitia commutativa illis debentur, quibus diſtribuenda committuntur; atque adeo, qui in eorum diſtributione a juſtitia deflectit, conferendo alicui minus, quam oporteat, ad reſtitutionem tenetur, utpote infidelis diſpenſator. Quæ vero ſunt generis poſterioris, non debentur huic, aut illi ex juſtitia commutativa, ſed tantum diſtributiva; adeoque qui in his diſtribuendis minus dignos dignioribus præfert, non tenetur ad reſtitutionem illis, quos prætermiſit, faciendam. Sed ſi magni momenti officia ſint, lethaliter peccat, dum minus dignos dignioribus anteponit: & ſiqua exinde damna Reipublicæ obveniant, reſarcire tenetur. Ratio eſt, quia in re gravi contra fidelitatem Reipublicæ debitam operatur: & ex commutativa juſtitia procurare tenetur Reipublicæ bonum, ipſique de melioribus, quantum poteſt, miniſtris providere, cum ad hoc ſtipendia, & tributa recipiat.

Atque hinc cautiſſime ſe gerere debet Reſpublica, quoties officia ſua venditioni exponit: & in hoc ſequi oportet D. Thomæ monitum in *Opuſc. de Regimine Judæorum* ad Duciſſam Brabantiæ, in quo hæc habet: „ Cum Ballivis, & Of„ ficialibus veſtris nihil committatis, niſi tempo„ ralis officium poteſtatis; non video, quare hu„ juſmodi officia non liceat vobis vendere, dum„ modo talibus vendatis, de quibus poſſit præſu„ mi, quod ſint utiles ad talia officia exercenda: „ & non tanto pretio vendantur officia, quod re„ cuperari non poſſint ſine gravamine veſtrorum „ ſubditorum. Sed tamen talis venditio expediens „ non videtur; quia contingit frequenter, quod il„ li, qui eſſent magis idonei ad hujuſmodi offi„ cia exercenda, ſunt pauperes, ut emere poſſint. „ Et ſi ſunt divites, illi, qui meliores ſunt, „ talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lu„ cra ex officio acquirenda". Ut autem hæc venditio licita ſit, hæ conditiones concurrere debent: 1. ut vendens authoritatem habeat vendendi, cujuſmodi ſunt Reges, & Principes abſoluti: 2. ut quantum fieri poteſt, digniori vendantur: 3. ut vendantur moderato pretio: 4. ut hæc venditio ad publicam utilitatem referatur.

§. VII.

De acceptione perſonarum in exhibitione honoris, & reverentiæ.

XIV. Nedum in officiis temporalibus, ſed etiam in exhibitione honoris, & reverentiæ locum habere peccatum *acceptionis perſonarum*, docet Præceptor Angelicus *art.* 3. hujus quæſt. 63. Ut autem hoc oſtendat, hanc doctrinam præmittit: „ Honor eſt quoddam teſtimonium de virtute ejus, „ qui honoratur. Et ideo ſola virtus eſt debita „ cauſa honoris. Sciendum tamen, quod aliquis „ poteſt honorari non ſolum propter virtutem „ propriam, ſed etiam propter virtutem alte„ rius: ſicut Principes, & Prælati honorantur, „ etiamſi ſint mali, in quantum gerunt perſonam „ Dei, & Communitatis, cui præſident ..... „ Et eadem ratione parentes, & domini ſunt ho„ norandi propter participationem divinæ dignita„ tis, qui eſt omnium pater, & dominus. Senes „ autem ſunt honorandi propter ſignum virtutis „ quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque „ deficiat ..... Divites autem honorandi ſunt „ propter hoc, quod majorem locum in Commu„ nitatibus obtinent".

Ex hoc colligendam relinquit affirmativam reſponſionem, quod ſcilicet etiam in exhibitione honoris, & reverentiæ contingere queat peccatum acceptionis perſonarum. Cum enim ſola virtus vel propria, vel ejus, cujus aliquis perſonam, vel ſimilitudinem gerit, cauſa debita ſit honoris, & reverentiæ, ſi quiſpiam honoretur, ubi nulla ſimilis cauſa invenitur, ſed tantum propter aliquid, quod eum honore dignum non efficit, ut ſi dives e. g. honoretur ſolummodo propter divitias, acceptionis perſonarum peccatum eſt; mortale quidem, ſi fiat cum gravi contemptu pauperum, aut aliorum, quibus potius debebatur honor, qui diviti defertur: veniale autem, ſi in rebus levioribus dives honoretur præ paupere, atque ita humano affectu reſpectus ad divitias habeatur.

§. VIII.

De acceptione perſonarum in judiciis ferendis.

XV. Acceptionem perſonarum habere locum in judiciis, eamque criminoſam eſſe, probat S. Thomas *art.* 4. & ultimo hujuſce quæſtionis tum authoritate Scripturæ Proverb. 18. dicentis: *Accipere perſonam impii non eſt bonum, ut declines a veritate judicii*; tum brevi hac, & ſolida ratione: *Judicium*, inquit, *eſt actus juſtitiæ, prout judex ad æqualitatem juſtitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppoſitam facere poſſunt. Perſonarum autem acceptio inæqualitatem quamdam habet, in quantum attribuitur alicui perſonæ aliquid præter proportionem ſuam, in qua conſiſtit æqualitas juſtitiæ. Et ideo manifeſtum eſt, quod per perſonarum acceptionem judicium corrumpitur.*

Obvia objectio eſt, quod ſcilicet *acceptio perſonarum* ad juſtitiam *diſtributivam* pertineat: judicia autem ad commutativam juſtitiam referantur.

tur. Hanc autem ſapienter ſolvit idem S. Doctor *ad* 1. ubi judicium dupliciter conſiderari poſſe docet: nimirum quoad ipſam rem judicatam; atque ita judicium communiter ad commutativam juſtitiam pertinet, ſimulque ad diſtributivam. *Poteſt enim*, ait, *judicio definiri*, *qualiter aliquid commune ſit diſtribuendum in multos*, *& qualiter alteri unus reſtituat*, *quod ab eo accepit*. Sed alio modo conſiderari poteſt, *quantum ad ipſam formam judicii*, *prout ſcilicet judex etiam in ipſa commutativa juſtitia ab uno accipit*, *& alteri dat*: *& hoc pertinet ad diſtributivam juſtitiam*. *Et ſecundum hoc in quolibet judicio locum habere poteſt acceptio perſonarum*.

Hujus doctrinæ occaſione inquiri a quibuſdam ſolet, num quoties opiniones inter duos litigantes pro utraque parte ſint *æque probabiles*, judex cauſam alteri adjudicare valeat citra perſonarum acceptionem. Qua in quæſtione Probabiliſtæ plures affirmantem ſententiam tuentur. Cæterum hæc ſententia reprobanda omnino eſt, aliaque tenenda, quæ docet, minime licere Judici, dum opiniones litigantium utrinque probabiles ſunt, nec una altera probabilior apparet, pro hac potius parte ſententiam pronunciare, quam pro altera; ſive de jure agatur, ſive de facto: ſed tunc ex juſtitia teneri ad rem, ſive pretium ipſius ex æquo dividendum inter partes; quoniam judex ad jus dicendum conſtitutus eſt: in propoſito autem caſu æquale jus eſt in utraque parte. Neque reponas, Judicem tunc eſſe liberum ad eligendam opinionem, quam maluerit. Non enim hac libertate fruitur, quoties agitur de præjudicio alterius; atque adeo, ſicut liber non eſt, ut neutri litigantium adjudicet rem, de qua agitur; ita quoque non eſt liber, ut rem totam adjudicet alteri, uti placuerit: ſed curare debet, ut res dividatur, aut certe partes invicem componantur. Vide ea, quæ notantur ab Authoribus circa ſecundam propoſitionem damnatam in Decreto Innocentii XI.

CAPUT DECIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Juſtitia vindicativa*, *quæ eſt in Judice*, *non ad* diſtributivam, *ſed* commutativam *pertinet*.
II. Perſonarum acceptio *locum non habet in iis*, *quæ gratis conferuntur*.
III. *Sapiens S. Thomæ animadverſio circa collationem beneficiorum factam conſanguineis*.
IV. *Diſpenſatio*, *quæ fit cum divitibus*, *ac potentibus*, *ut contrahant matrimonium in gradu prohibito*, *a vitio* acceptionis perſonarum *purgari poteſt*.
V. *Etiam abſque hoc vitio eliguntur aliqui de gremio Eccleſiæ ad beneficia*.
VI. *Propoſitio merito ab Eccleſia damnata circa collationem beneficiorum parochialium factam minus dignis*.
VII. *Aliæ propoſitiones*, *quæ in damnata continentur*.
VIII. *Concilium Tridentinum præcipiens curata beneficia conferenda eſſe dignioribus*, *novum jus non condidit*, *ſed antiquum declaravit*.
IX. *Non eſt excuſandus a peccato minus dignus concurrens ad beneficium cum manifeſte digniore*.
X. *Quamvis exceſſus dignitatis unius præ alio levis appareat*, *digniori conferendum eſt beneficium*.
XI. *Indignus nunquam eligendus*. *Caſus tamen occurrere poteſt*, *ut pro digno ſuffragium ferre liceat*.
XII. *Leſſii*, *Malderi*, *aliorumque improbanda ſententia*, *qui digno etiam præ digniore reſignari poſſe beneficium docent*.
XIII. *Etiam Examinatores tenentur Epiſcopo digniorem proponere pro beneficio*.
XIV. *S. Thomæ doctrina circa injuſte impedientes aliquem a beneficio conſequendo*.
XV. *Magna cura adhibenda eſt ab iis*, *qui eligunt ad beneficia*, *ſive officia tum eccleſiaſtica*, *tum ſæcularia*.
XVI. *Quinam dignitatum*, *aut officiorum* ambitus *a Principe permitti*, *quinam tamquam illicitus*, *& perniciosſus prohiberi poſſit*, *ac debeat*.
XVII. *Falſæ*, *& abſonæ quorumdam Probabiliſtarum opiniones*, *quoad judicia de bonis temporalibus*, *quæ fieri poſſe concedunt*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. JUſtitia vindicativa, quæ eſt in Judice, non ſolum reſpectu boni communis, ſed etiam relate ad bonum particulare partis læſæ, non pertinet ad juſtitiam *diſtributivam*, ſed *commutativam*. Ita expreſſe docet S. Thomas hic quæſt. 80. artic. unico ad 1.: *Vindicta*, inquit, *quæ fit authoritate publicæ poteſtatis*, *pertinet ad juſtitiam commutativam*: *ſed vindicta*, *quam quis facit proprio motu*, *non tamen contra legem*, *vel quam quis a Judice requirit*, *pertinet ad virtutem juſtitiæ adjunctam*: quia ſcilicet, quamvis juſtum requirat, non tamen exigit ex debito ſaltem legali.

Conſectarium Secundum.

II. Illud attendi debet, duplici modo aliquid alteri conferri poſſe; alio modo ad *liberalitatem* pertinente; quo nempe gratis datur, quod ei non debetur: ſicut eſt collatio munerum gratiæ, quæ conferuntur a Deo. Et in hac collatione locum non habet perſonarum acceptio: quia quilibet abſque injuſtitia poteſt de ſuo alteri tribuere, quidquid vult. Alio modo ad *juſtitiam* pertinente, quo ſcilicet aliquis tribuit alicui, quod ei debetur; & circa tales contributiones attenditur *perſonarum acceptio*, cum nimirum res communitatis non eo modo diſtribuuntur, quo diſtribui deberent.

Conſectarium Tertium.

III. Quoad conſuetudinem attinet Prælatorum quorumdam, dignitates, aut beneficia eccleſiaſtica ſuis conſanguineis conferentium, diligenter ponderanda eſt S. Thomæ doctrina, quam habet hic *quæſt*. 63. *art*. 1. *ad* 1. ubi ſic ait: „ Circa conſanguineos Prælati diſtinguendum eſt: quando-
„ qui-

„ quidem enim ſunt minus digni & ſimpliciter, „ & per reſpectum ad bonum commune. Et „ ſic ſi dignioribus præferantur, eſt *peccatum* „ *acceptionis perſonarum* in diſpenſatione ſpiri- „ tualium, quorum Prælatus eccleſiaſticus non „ eſt dominus, ut poſſit ea dare pro libito; „ ſed diſpenſator ſecundum illud ad Corinth. „ 4.: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti,* „ *& diſpenſatores myſteriorum Dei*. Quandoque „ vero conſanguinei Prælati eccleſiaſtici ſunt „ æque digni, ut alii. Et ſic licite poteſt „ abſque perſonarum acceptione conſanguineos „ ſuos præficere: quia ſaltem in hoc præemi- „ nent, quod de ipſis magis confidere poteſt, „ ut unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent. „ Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimitten- „ dum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent, „ etiam præter dignitatem, bona Eccleſiæ con- „ ſanguineis dandi".

Conſectarium Quartum.

IV. Diſpenſatio, quæ ſæpe fit cum divitibus, & potentibus, quod in gradu prohibito matrimonium contrahant, quæ fieri non ſolet cum pauperibus, a vitio *acceptionis perſonarum* purgari facile poteſt. Quoniam cum iis non diſpenſatur eo titulo, quod divites, aut potentes ſint: hoc enim eſſet *acceptio perſonarum*; ſed propter publicas cauſas, puta propter fœdera ineunda, propter diſſenſiones componendas, aliaſve ſimiles rationes communi bono admodum utiles; quæ cauſę raro, aut vix occurrunt in pauperibus, aut plebejis.

Conſectarium Quintum.

V. Nullum quoque redolet acceptionis perſonarum vitium, quod juxta ſtatuta quarumdam Eccleſiarum non eligantur ad aliquam dignitatem, aut beneficium Eccleſiaſticum, niſi qui de gremio Eccleſiæ, ſive Communitatis fuerint. Nam, ut inquit D. Thomas hic ad 4.: *Ille, qui de Eccleſiæ gremio aſſumitur, ut in pluribus, conſuevit eſſe utilior, quantum ad bonum commune: quia magis diligit Eccleſiam, in qua eſt enutritus.* Hinc veteres Canones Cap. *Nec emeritis*, Cap. *Nullus*, Cap. *Obitus &c.* præſcribunt, ut ex ipſa Eccleſia eligatur, quando illic invenitur aliquis idoneus, modo magna diſparitas ex alia parte non intercedat, vel ſi non niſi indignus inveniatur.

Conſectarium Sextum.

VI. Jure, meritoque ab Innocentio XI. damnata eſt ſequens propoſitio in Decreto n. 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus.* Nullam ex his explicationem pati præceptum Concilii Tridentini, immo quamlibet aperte cum ejus mente pugnare, clariſſime patet ejuſdem verba legentibus.

Conſectarium Septimum.

VII. Ex memoratæ propoſitionis damnatione liquido ſequitur, damnatas pariter eſſe ſequentes duas PP. Filliucii, & Thomæ Tamburini, quorum prior hæc docet *tract.* 41. *in Append. c.* 4. *n.* 18.: „ Dico quinto, ſententiam, quæ cenſet ſatis „ eſſe dignos eligere ad beneficia, quæ non dantur „ in concurſu, eſſe probabilem ex Tridentino „ *ſeſſ.* 7. *cap.* 3. *de Reform.* dicente: *Conferantur* „ *dignis*; & univerſali æſtimatione in creatione „ beneficiariorum, & Cardinalium, Epiſcoporum, „ & Abbatum &c. qui ſi inter dignos habentur, „ laudatur elector, & electio. Non laudaretur „ autem communiter, ſi mala eſſet, & peccatum „ mortale".

Alter vero, nimirum Tamburinus hæc ſcribit *lib.* 8. *c.* 4. §. 4. *n.* 5.: „ Aſſero ſecundo, omnia „ beneficia, ſive majora, ut Cardinalatus, & Epi- „ ſcopatus, ſive minora, ut Canonicatus, & Ca- „ pellania, ſive curam animarum habentia, ut „ Abbatia, & Parochia, ſive non habentia, ut „ prædictus Canonicatus, & Capellania, & cætera beneficia, quæ *ſimplicia* nominantur, ab- „ ſtrahendo ab his, quæ dantur in concurſu; „ aſſero, inquam, ſatis eſſe ad vitandum morta- „ le, ſi conferantur dignis, & idoneis, eſto prę- „ termittantur digniores, vel digniſſimi". Quam aperte hujuſmodi theſes in damnata propoſitionę comprehendantur, nemo non videt.

Conſectarium Octavum.

VIII. Dicendum eſt, Tridentinum Concilium, cum illam obligationem decrevit, novam legem non impoſuiſſe, ſed antiquam tantum declaraſſe, quæ ex lege naturali oritur. Equidem Concilium loquitur ſolum de Epiſcopatibus, ac de Eccleſiis curam animarum habentibus, dum ſtatuit, ea beneficia dignioribus eſſe conferenda. Quia tamen eadem ratio eſt de cæteris beneficiis, etiam ſimplicibus præſertim majoris momenti, uti ſunt Canonicatus, Decanatus &c. idcirco mortaliter peccant, qui dignioribus dignos præferunt, niſi forte materiæ parvitas quandoque excuſet a gravi culpa.

Conſectarium Nonum.

IX. Si minus dignus cum eo concurrat, qui certe, ac manifeſte eſt dignior, a lethali culpa excuſandus non videtur. Siquidem quantum de ſe eſt, ex una parte digniorem impedit; ex alia cauſam examinatoribus, aut patronis præbet peccandi mortaliter in ſui promotione. Dixi tamen *certo, & manifeſte*: quoniam ſi alterius major dignitas, aut idoneitas obſcura, vel dubia fuerit, putetque minus dignus, poſſe Examinatores quidpiam in altero agnoſcere, ob quod eum judicent vel æque, vel minus dignum, non peccat, bona fide Examinatoribus, aut Prælati judicio ſe ſubjiciens, ut ipſi judicent de ſua dignitate.

Con-

Conſectarium Decimum.

X. Tametſi graves Authores doceant, non peccare, niſi ut ſummum leviter Electorem, qui confert beneficium minus digno, quoties exceſſus dignitatis alterius levis eſt: quia tamen hæc materia confinia præfinita non habet, & res eſt plena periculi, ne levis nobis inter utrumque dignitatis diſparitas videatur, quæ cæteroquin gravis facile poteſt eſſe, ſaltem relate ad Eccleſiæ utilitatem, quæ maxime ſpectanda eſt; ideo in hoc judicio quoties aliquis abſolute, aut relative dignior conſtat, licet exceſſus dignitatis modicus eſſe videatur ad alium comparatus, illum ſemper præferendum putarem, nec a gravi peccato abſolverem, qui aliter ſe gereret.

Conſectarium Undecimum.

XI. Quoties major eligentium pars in alicujus promotionem concurrere cernitur, nihilque te profuturum cognoſcis, ſi illi ſuffragium deneges, tunc diſtinguere oportet. Vel enim qui promovetur, indignus a te judicatur; & tunc ſuffragium omnino denegare debes: quoniam nunquam licet indignum eligere; nec in ejus electionem concurrere, quamvis nihil ſuffragio tuo proficias. Vel ſuffragium digno præbendo, indigni electionem impedire potes: tunc vero ſuffragium licite præbes; quia ſic Eccleſiæ bono conſulis eo meliori modo, quo vales, &, quantum in te eſt, digniorem in hac circumſtantia eligis. Quod ſi ſuffragia videas prævalere pro perſona quidem digna, ſed digniore prætermiſſa; non excuſaris, ſuffragium tuum pro ea ferendo, quia iniquæ aliorum electioni conſentis. Nec quidquam contra valet, quod mox dictum eſt, quoad electionem indigni; in quo caſu ſuffragium pro digno, etiam prætermiſſo digniore, dari poteſt, ne eligatur indignus. Diſparitas quippe eſt, quia in eo caſu Eccleſiæ provides eo modo, qui tibi poſſibilis eſt, & in illis circumſtantiis dignior ille redditur: quod in caſu præſenti ſecus ſe habet.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Improbanda eſt ſententia Leſſii, Malderi, Azorii, aliorumque, quos ſequuntur etiam Salmanticenſes, reſignari poſſe beneficium digno, etiam prætermiſſo digniore. Quandoquidem etſi reſignans Collator non ſit, vel Patronus beneficii, cauſa tamen eſt, cur beneficium illud minus idoneo conferatur. Qui autem cauſam damni præſtat, damnum præſtitiſſe videtur: adeoque ſive cognati ſint, ſive amici, qui hujuſmodi reſignationem procurant, graviter delinquunt, niſi rationabiles cauſæ concurrant, quæ a peccato excuſent. Hinc reprobari debent permutationes illæ, ſive renunciationes beneficiorum, quibus aliqui ſenes magna, & pinguia beneficia reſignant in favorem nepotum, & amicorum exiguæ eruditionis, ac virtutis; huc ſpectantes, tum ut ipſis ante mortem provideant, tum ne hujuſmodi beneficia extra ſuam familiam, aut amicos conferantur.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Examinatores ad beneficia tenentur proponere Epiſcopo, aut ſuffragiis adprobare, quem ex Candidatis, & examinatis digniorem putaverint. Ideo enim inſtituti ſunt, ut illorum curâ major, minorve concurrentium habilitas ad beneficia deprehendatur. Sicut enim Epiſcopus inveſtigare tenetur majorem concurrentium dignitatem, aut idoneitatem, & huic aſſequendo fini utitur Examinatorum opera, & induſtria; ita hi debent ingenue veritatem manifeſtare per examen deprehenſam, ut meliorem eligat. Quare in Bulla *Cum illud* edita a Benedicto XIV. præſcribit Pontifex, *in concurſu teneri Examinatores, judices eſſe non tantum doctrinæ, ſed & cæterarum dotum, quæ neceſſariæ ſunt ad parochiale officium.*

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Quoad reſtitutionem faciendam ei, qui injuſte prætermittitur in concurſu ad beneficium, attendenda eſt ſæpius S. Thomæ doctrina 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4. ubi ſic ait: „ Aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat præbendam multipliciter. Uno modo juſte, puta ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ procuret, quod detur alicui perſonæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo injuſte, puta ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujuſmodi: & tunc ſi impedit, ne præbenda detur digno, conſulens, quod non detur; antequam ſit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotiis ſecundum arbitrium ſapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri: ſi vero jam firmatum ſit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret quod revocetur, idem eſt, ac ſi jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem ".

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Magna cura adhibenda eſt in electione ſive ad beneficia eccleſiaſtica, quæcumque ea ſint, ſive ad officia, aut dignitates ſæculares tum ab iis, qui eligunt, aut conferunt dignitates, tum ab iis, qui ſuffragia ſibi, vel alteri conquirunt. Si enim in hac re utilitatem propriam, vel alterius duntaxat ſpectent, ſi carnem, & ſanguinem reſpiciant, non autem majorem utilitatem, aut commodum ſive Eccleſiæ, ſive Communitatis; indubium eſt, quod ſeipſos gravi culpa obſtringant. Quapropter oportet ſemper inſpicere finem, propter quem illud beneficium, aut officium, ſive dignitas conferatur; ac juxta illum, omni privato affectu ſemoto, definire coram Deo, quænam ad ipſum perſona ſit aptior, ac dignior,

gnior, circumſtantiis omnibus ſpectatis, quæ occurrere poſſunt, ac ſolent: eumque eligere, vel eidem ſuffragia conferre.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Nedum fas eſt, ſed etiam ſæpe expediens, ac laudabile Principibus, ac Reipublicæ adminiſtratoribus, juramento prohibere *ambitum* in honoribus, ſive dignitatibus ſibi, aut amicis procurandis. Nomine *ambitus*, vulgo *officio*, vel *broglio*, de quo in legibus Romanæ Reipublicæ frequens mentio, poteſt intelligi dupliciter; nimirum primo quædam meritorum expoſitio, & ſupplicatio a Candidato facta iis, qui ſuffragia conferunt ad dignitatem, quæ precatio eo unice ſpectat, ut ſuffragatores memoria teneant Candidati merita, eaque diligenter expendant: & hujuſmodi *ambitus* licitus de ſe eſt, nec prohiberi ſolet. Secundo nomine *ambitus* intelliguntur ea officia, quibus præter expoſitionem meritorum, ſimplicemque precationem, qua Candidatus rogat, ut ſuffragatores infixa memoria teneant merita ſua, addit peculiaria obſequia, promiſſiones, pacta, retributionem, munera, aliaque, quæ ſuffragatorum animos movent ad præſtandum votum, non intuitu meritorum Candidati, ſed proprii commodi ex tali voto reportandi. Hic autem *ambitus* prohiberi poteſt in Republica a Principe, ac reapſe jure, ac merito prohibetur: Quoniam diſtributivæ juſtitiæ ſummopere infeſtus eſt. Impedit enim, ne præmia dignis, aut dignioribus tribuantur, imo etiam viam latiſſimam aperit ad promovendos indignos cum magno communis boni detrimento. Nam ſi vel ignorantes, qui neſciunt, vel ignavi, qui non valeant juſtitiam commutativam, aut vindicem adminiſtrare, ad dignitates, aut officia ſubleventur; nonne neceſſe eſt, ut damna plurima conſequantur, perturbationes, ſcelerum, ac ſceleſtorum impunitas, virtutis, ac proborum hominum depreſſio &c.?

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Circa judicia, quæ de aliorum bonis in Tribunalibus exercentur, non ſolum tamquam falſæ, ſed etiam tamquam abſonæ, & legibus juſtitiæ aperte pugnantes rejiciendæ ſunt opiniones, quæ ſequuntur, quorumdam maxime Probabiliſtarum: Valentiæ, qui *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. ita ſcribit: *Dico quinto. Si Judex reputaret utramque ſententiam* (duorum litigantium) *eſſe probabilem, licite poteſt propter amicum ſecundum illam judicare, quæ amico magis favet.*

P. Dicaſtilli *lib.* 2. *tract.* 1. *diſput.* 10. *dub.* 9. dicentis: *Licet judici ſequi opinionem minus probabilem, dummodo vere probabilis ſit, relicta probabiliore, & ſecundum illam adjudicare, amico, vel conſanguineo.* Et pro hac laudat etiam *P. Salam, & pleroſque.*

P. Fagundez *Tract.* 8. *diſp.* 7. *ſect.* 12. docet: *Judex tam ſupremus, quam inferior, cæteris paribus ex parte facti, poteſt judicare ſecundum opinionem probabilem ex parte juris, relicta probabiliore, ac proinde ferre ſententiam pro ea parte, cui minus probabiliter favent jura, leges, & rationes.* Ejuſdem ſententiæ eſt P. Eſcobarius, qui *T.* 1. *Theol. Mor. lib.* 2. *ſect.* 12. *probl.* 14. ait: *Judex reputans unam ſententiam eſſe probabiliorem, debet, & non debet juxta illam judicare;* ſive ſequi permittit, quam Judex mavult. Hanc quoque ſententiam tradit Sanchez, licet cum aliqua limitatione. De his alibi plura.

REFLEXIO.

Nobiliſſimam inter omnes virtutes morales, prudentia tantum excepta, eſſe *juſtitiam* prædicant Gentiles Philoſophi, agnoſcunt Eccleſiæ Patres, profitentur unanimi conſenſione Theologi. Et ſane, ſi eam aliquanto latius accipiamus, ſimulque conſideremus & ſedem, quam tenet, & officium, quod exercet, cunctis dignitate, ac merito præeminere nemo in dubium verterit. Reſidet illa in voluntate facultatum humanarum omnium principe, atque regina; quod nulli competit cæterarum moralium virtutum. Officium ipſius eſt reddere cuique, quod debitum eſt; atque adeo nedum quod debemus proximis noſtris, verum etiam quod debemus ſummo omnium Domino Deo; imo quadam, nec profecto impropria ratione, & quod debemus nobiſmetipſis. Nam tametſi ſint aliæ virtutes, quæ vel officia erga Deum, vel actuum noſtrorum erga nos ipſos rectitudinem inſpiciunt, & dirigunt; nihilominus qua ratione debitum aliquod implicant, ad juſtitiam quadantenus pertinere non immerito dicuntur. Qua de cauſa Doctor Angelicus S. Thomas 2. 2. *q.* 122. *art.* 1. præcepta omnia Decalogi ad juſtitiam revocat, atque ſapienti animadverſione declarat: cum enim juſtitia ſit, quæ hominem ordinat ad alterum, ut cuique reddat, quod debet; præcepta omnia Decalogi eo tendunt, ut unuſquiſque id accurate perficiat, quod alteri debet. Nam tria prima præcepta Religionis officia præſcribunt, quæ Deo debemus: reliqua ſeptem, quæ debemus aliis. In his autem omnibus, quæ etiam nobis ipſis debemus, continentur. Hinc S. Pater Auguſtinus injuſtitiam expendens, quam committit, qui ſe, & omnia ſua Deo non refert, a quo accepit omnia, ſervitque potius aliis, quam unico, & vero Domino ſuo, ſic arguebat *lib.* 19. *de Civit. Dei C.* 21.: *An qui furtum ejus aufert, a quo emptus eſt, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris, injuſtus eſt; & qui ſe ipſum aufert dominanti Deo, a quo factus eſt, & qui malignis ſervit ſpiritibus, juſtus eſt?*

Omnia igitur, quæ debita ſunt omnibus fideliter, ac ſtudioſe reddamus, ut legem impleamus. Reddamus proximo, quod ſuum eſt: reddamus Deo, quod ipſi omni jure debetur, timorem, honorem, amorem: Atque hæc ſi exacte præſtiterimus, reddemus etiam nobis quod debitum eſt. Neque enim fieri poteſt, ut dum Deum timemus, honoramus, ac ſuper omnia diligimus, noſmetipſos recte non amemus; aut aliquid omittamus eorum, quæ tum circa proximum, tum circa nos præſtare debemus. Hæc eſt illa integra, ac perfecta *juſtitia*, quam a Chriſto Domino *eſurire*, ac *ſitire* jubemur in hoc calamitoſo exilio, in hac val-

valle miſeriæ, *in terra* hac *deſerta*, *invia*, *&* *inaquoſa*; & qui eam *eſuriunt*, *&* *ſitiunt*, *beati* prædicantur. Hæc eſt illa juſtitia, *a qua*, inquit idem S. Doctor in Pſal. 61., *ſi recedis*, *injuſtus es: ad quam ſi accedis, juſtus es. Te recedente, non deficit: te accedente, non creſcit. Sed ubi eſt?* ſequitur ille. *Tranſcende omnia creata. Vade illuc, ubi ſemel locutus eſt Deus: & ibi invenies fontem juſtitiæ. Ex illo fonte profluit ille ordo juſtitiæ, ut ſerviens Deo animus recte corpori imperet, & in ipſo animo Domino Deo ſubjecta ratio recte imperet libidini, cæteriſque vitiis.* Dei ejuſdem erudiente nos gratia, id præſtare dicimus, quod Auguſtini Diſcipulus S. Proſper, ſeu potius Julianus Pomerius ex illo *lib. 3. de Vit. Contempl. cap.* 43. fuſius, ac luculentius exponit dicens: „ Si in hac vita juſtitiam co„ namur implere, cujus juſtitiæ opus eſt pro„ prium *ſua cuique tribuere*, Deo nos, a quo „ ſumus facti, reddamus: nec dominari ea no„ bis, quibus naturaliter præpoſiti ſumus, „ permittamus. Dominetur vitiis ratio: ſub„ jiciatur corpus animæ, animus Deo: & im„ pleta eſt hominis tota perfectio. Ac per hoc „ & juſtitiæ facti participes, ſua cuique tribui„ mus, ſi inferiora melioribus, & virtutibus „ carnalia oblectamenta ſubdamus: & ſicut vi„ ventia vita carentibus, ſenſibilia viventi„ bus, intellectualia ſenſibilibus, immortalia mor„ talibus ratiocinando præponimus; ita bene vi„ vendo voluptuoſis utilia, utilibus honeſta, ſan„ ctis perfecta omnia præferamus ..... Hic eſt „ ordo naturæ, atque juſtitiæ, quem qui tenere „ voluerit, & obſervare, perfectionem vitæ *actua*„ *lis* complebit "; & ad illam ſempiternam beatitudinem perveniet, quam Deus eſurientibus, ac ſitientibus juſtitiam repromiſit.

CAPUT UNDECIMUM.

De Fortitudine, & adjunctis virtutibus, vitiiſque oppoſitis.

DOCTRINA.

I. *Fortitudinis definitio, ac materia.*
II. *Actus fortitudinis duo; aggredi, & ſuſtinere.*
III. *Pericula, quæ fortitudo maxime reſpicit, ſunt pericula mortis.*
IV. *Quænam ſint fortitudinis partes.*
V. *Inter omnes Chriſtianæ fortitudinis actus præſtantiſſimus eſt martyrium.*
VI. *Aliæ quoque in martyrio virtutes emicant.*
VII. *Quænam ad martyrium conditiones requirantur.*
VIII. *Plures martyrii gradus diſtinguere oportet, magis minuſve perfectos.*
IX. *Non aggreſſione, ſed paſſionis tolerantia martyrium perficitur.*
X. *Vitia fortitudini oppoſita paucis exponuntur.*
XI. *De quatuor virtutibus fortitudini adjunctis; ac primum de magnanimitate, & vitiis oppoſitis.*
XII. *De magnificentia, ac vitiis contrariis.*
XIII. *De patientia. In quo proprie conſiſtat.*

XIV. *Pulcherrima S. Auguſtini* de patientia *doctrina.*
XV. *Vitia patientiæ oppoſita.*
XVI. *De perſeverantia, prout virtus eſt, & prout ſpeciale quoddam donum Dei.*
XVII. *De vitiis, quæ perſeverantiæ opponuntur.*

§. I.

Quid ſit Fortitudo; quænam ejus materia, & actus.

I. Tertia inter virtutes, quæ *cardinales* appellantur, *fortitudo* eſt, de qua fuſe agit per plures quæſtiones Doctor Angelicus S. Thomas, ex quo pauca tantum decerpam, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinere poſſunt. Hæc dupliciter ſumi poteſt; ſcilicet prout abſolute importat quamdam animi firmitatem: atque ita inſpecta generalis quædam eſt conditio virtutum omnium; ad omnes quippe requiritur firmiter, & immobiliter operari. Secundo vero accipitur, prout exprimit duntaxat firmitatem in ſuſtinendis, & repellendis iis, in quibus maxime difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in gravibus periculis. Unde hæc eſt ex Tullio tradita, & a S. Thoma probata 2. 2. *q.* 123. *art.* 2.

Definitio Fortitudinis.

Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.

Hæc definitio clara ſatis eſt; & ex ea conſtat, ipſam nedum eſſe virtutem, ſed etiam virtutem ſpecialem, utpote quæ materiam habet, ſive objectum determinatum.

Hanc fortitudinis determinatam materiam dividit S. Doctor art. 3. in *mediatam*, *&* *immediatam*. Poſteriorem conſtituit *in timoribus*, *&* *audaciis*: priorem autem *in periculis*, & *laboribus*; quia *res periculoſæ*, *&* *actus laborioſi non retrahunt voluntatem a via rationis*, niſi vel nimium incutiendo timorem, quo plus æquo formidamus, vel audaciam excitando, qua immoderate, & imprudenter in eoſdem labores, ac pericula inſurgimus. *Et ideo*, inquit ad 2., *oportet, quod fortitudo ſit immediate circa timores, & audacias: mediate autem circa pericula, & labores, ſicut objecta prædictarum paſſionum*; ne videlicet vel nimium timendo, vel nimium audendo a rationis regula deflectamus.

II. Duo numerantur fortitudinis actus, nempe *aggredi*, *&* *ſuſtinere*: quorum prior honorabilior quidem, ac ſplendidior apparet: ſed alter, utpote difficilior, reipſa præſtantior eſt. Rem demonſtrat S. Thomas quæſt. laudata *art.* 6. inquiens: „ Fortitudo eſt magis circa timores re„ primendos, quam circa audacias moderandas. „ Difficilius enim eſt timorem reprimere, quam „ audaciam moderari: eoquod ipſum periculum, „ quod eſt objectum audaciæ, & timoris, de ſe „ confert aliquid ad repreſſionem audaciæ; „ ſed operatur ad augmentum timoris. *Aggre*„ *di* autem pertinet ad fortitudinem, ſecundum

„ quod

„ quod moderatur audaciam. Sed *ſuſtinere* ſequitur repreſſionem timoris. Et ideo principalior „ actus fortitudinis eſt *ſuſtinere*, ideſt immobiliter ſiſtere in periculis, quam aggredi “.

III. Pericula, quæ fortitudo vel aggreditur, vel ſuſtinet, ſunt præ cæteris pericula mortis, ut hac eleganti ratione oſtendit idem S. Thomas *art.* 4.: „ Ad virtutem fortitudinis pertinet, ut „ voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur a „ bono rationis propter timorem mali corporalis. „ Oportet autem bonum rationis firmiter tenere „ contra quodcumque malum: quia nullum bonum corporale æquivalet bono rationis. Et ideo oportet, quod fortitudo animi dicatur, „ quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala: quia qui ſtat „ firmus contra majora, conſequens eſt, quod ſtet „ firmus contra minora; ſed non convertitur. „ Et hoc etiam ad rationem virtutis pertinet, „ ut reſpiciat ultimum. Maxime autem terribile inter omnia corporalia mala eſt mors, quæ „ tollit omnia corporalia bona . . . . . Et ideo virtus fortitudinis eſt maxime circa timores „ periculorum mortis “. Itaque, ut magis ille theſim ſuam declarat in *reſp. ad* 1., bene ſe habet fortitudo in omnibus adverſis tolerandis; non tamen ex tolerantia quorumlibet adverſorum *reputatur homo ſimpliciter fortis, ſed ſolum ex hoc, quod bene tolerat etiam maxima mala: ex aliis autem dicitur homo fortis ſecundum quid*. Eadem nempe eſt fortitudo, quæ mala omnia difficilia vel aggreditur, vel ſuſtinet. Quæ vires exerit contra minora mala, parva eſt: major, perfectiorque efficitur, cum majoribus ſeſe malis opponit. Tunc vero perfectiſſimum gradum attingit, quæ parata eſt malis ipſius mortis ſuſtinendis, quæ malorum omnium terribilius eſt.

Cauſa, ſive *finis*, cui ſervire debet fortitudo periculorum aggreſſione, & perpeſſione malorum, maximeque mortis omnium terribilium, in bono rationis, ſeu in honeſtate, & virtute poſita eſt. Id namque expoſcit generalis conditio virtutis, quæ rationalem animum bene diſponit ad honeſtatem. Id ſibi vendicant proprii fortitudinis, ſicut etiam temperantiæ characteres, quorum munus eſt, ut ſentientis appetitus impetus cohibeant, ne ſuperior animæ pars a bono rationi convenienfe declinet. Fortitudinis enim materia ſeipſa indifferens eſt. Unde vel perpeti mortem, ut advertit S. Thomas hic quæſt. 124. art. 3., *non eſt laudabile ſecundum ſe*, ſolaque honeſtate, veluti fine, præſtituta virtutis opus efficitur. Ac demum cum bonum duntaxat rationis ſit vita pretioſius, nemini licet niſi illius cauſa aggredi, aut ſuſtinere pericula mortis, quæ vitam eripit. Hinc fortitudo dicenda non eſt, quæ ſervit iniquitati, aut bonis delectabilibus ancillatur, ſolamque ut ſummum ſpeciem, aut ſimilitudinem fortitudinis habet, ſed re caret, ac ſplendore virtutis.

§. II.

Partes Fortitudinis.

IV. Quænam ſint *fortitudinis partes*, aſſignat idem S. Doctor hic *quæſt.* 128. hac præclara doctrina; primumque ſtatuit, nullas eſſe hujus virtutis partes *ſubjectivas*, prout eſt ſpecialis virtus, *eoquod non dividitur in multas virtutes ſpecie differentes, quia eſt circa materiam valde ſpecialem*. Non aliæ ergo partes aſſignari valent, niſi *quaſi integrales*, & *potentiales*. „ *Integrales* „ quidem (inquit) ſecundum ea, quæ oportet „ concurrere ad actum fortitudinis: *Potentiales* „ autem, ſecundum quod ea, quæ fortitudo obſervat circa difficillima, ſcilicet circa pericula „ mortis, aliquæ aliæ virtutes obſervant circa „ quaſdam alias materias minus difficiles: quæ „ quidem virtutes adjunguntur fortitudini, ſicut „ ſecundariæ principali. Eſt autem, ſicut ſupra „ dictum eſt, duplex fortitudinis actus; ſcilicet „ *aggredi*, & *ſuſtinere*. Ad actum autem aggrediendi duo requiruntur, quorum primum pertinet ad animi præparationem, ut ſcilicet aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum. Et quantum ad hoc ponit Tullius *fiduciam*. Unde dicit, quod *fiducia eſt, per* „ *quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certæ* cum ſpe collocavit “.

„ Secundum autem pertinet *ad operis executionem*, ne ſcilicet aliquis deficiat in executione „ illorum, quæ fiducialiter inchoavit. Et quantum ad hoc ponit Tullius *magnificentiam*. Unde dicit, quod *magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio*, ideſt executio, ut ſcilicet amplo propoſito adminiſtratio non deſit. Hæc ergo duo „ ſi coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, ſcilicet ad pericula mortis, erunt quaſi „ partes integrales ipſius, ſine quibus fortitudo eſſe non poteſt. Si autem referantur ad „ aliquas alias materias, in quibus eſt minus „ difficultatis, erunt virtutes diſtinctæ a fortitudine ſecundum ſpeciem ſuam; tamen adjungentur ei, ſicut ſecundarium principali: ſicut „ *magnificentia* a Philoſopho *in* 4. *Ethic.* ponitur circa magnos ſumptus; *magnanimitas* autem, quæ videtur idem eſſe fiduciæ, circa magnos honores “.

Pergit ſubinde ad alium actum fortitudinis, qui eſt *ſuſtinere*, ad quem duo requiruntur: „ Quorum primum eſt, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per triſtitiam, „ & decidat a ſua magnitudine. Et quantum ad „ hoc ponit *patientiam*. Unde dicit, quod *patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſa, rerum arduarum, aut difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*. Aliud autem eſt, ut ex diuturna difficilium paſſione homo non fatigetur „ uſque ad hoc, quod deſiſtat ſecundum illud „ Hebr. 12: *Non fatigemini animis veſtris deficientes*. Et quantum ad hoc ponit *perſeverantiam*.

„ Un-

„ Unde dicit, quod *perſeverantia eſt in ratione* „ *bene conſiderata ſtabilis*, *& perpetua permanſio.* „ Hæc etiam duo ſi coarctentur ad propriam ma- „ teriam fortitudinis, erunt partes quaſi integra- „ les ipſius. Si autem ad quaſcumque materias „ difficiles referantur, erunt virtutes a fortitudi- „ ne diſtinctæ, & tamen ei adjungentur, ſicut „ ſecundariæ principali". Nihil diſtinctius, ac luculentius exprimi poterat.

Ex hac præclariſſima doctrina habes partes *fortitudinis*, tum prout eam integrant, tum prout eidem adjunguntur. Habes etiam virtutum harum adjunctarum germanam notionem expreſſam in ipſarum traditis definitionibus. Illud ſolum addendum puto, *fiduciam*, *magnanimitatem*, ſive magnificentiam, & *perſeverantiam* afficere appetitum, qui dicitur *iraſcibilis*, ejuſque paſſiones cohibere, ne propter operum arduitatem aut nimium effrænes, aut plus æquo deficientes ab arce rationis, & officio virtutis animum deturbent. *Patientia* vero bene diſponit appetitum, qui *concupiſcibilis* appellatur: mœrores namque, ac triſtitias ad hanc animi partem attinentes comprimit, ac moderatur, ut hiſce paſſionibus compreſſis, maliſque patienter toleratis, ſui compos mens ſit, propriaque officia liberius operentur cæteræ virtutes.

§. III.

De Martyrio, præcipuo Fortitudinis actu.

V. Inter omnes Chriſtianæ fortitudinis actus præſtantiſſimum eſſe Martyrium, tenendum omnino eſt. Equidem non deſunt ex Theologis, qui negent, illud eſſe fortitudinis opus; ac virtutis illius actum conſtituunt, cujus gratia mors ipſa ſuſtinetur. Sed adverſa S. Thomæ, meliorumque Theologorum ſententia eſt, quibus ſuffragatur Sanctorum Patrum authoritas, nempe Cypriani *Epiſt.* 10. *ad Mart. & Confeſſ.*, Ambroſii *lib.* 1. *de Offic.*, Chryſoſtomi *hom.* 5. *in Matth.*, Auguſtini *lib.* 1. *de morib. Eccleſ. cap.* 22. *&* 23., aliorumque, eamque ſatis inſinuant Sacræ Litteræ pluribus in locis, maximeque Apoſtolus *ad Hebræos* 11. de martyribus inquiens, *fortes factos eſſe in bello* contra fidei perſecutores.

S. Thomas eam declarat, ſuadetque *quæſt.* 124. *art.* 1. in reſp. *ad* 1., ubi hæc habet: *In actu fortitudinis duo ſunt conſideranda, quorum unum eſt bonum, in quo fortis firmatur, & hoc eſt fortitudinis finis. Aliud eſt firmitas, qua quis non cedit contrariis prohibentibus ab illo bono: & in hoc conſiſtit eſſentia fortitudinis. Sicut autem fortitudo civilis firmat animum hominis in juſtitia humana, propter cujus conſervationem mortis pericula ſuſtinet; ita etiam fortitudo gratuita* (ſive Chriſtiana) *firmat animum hominis in bono juſtitiæ Dei, quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti, ut dicitur* ad Rom. 3. *Unde Martyrium comparatur ad fidem, ad charitatem, cæteraſque virtutes, ſicut ad finem; ad fortitudinem autem, ſicut ad habitum elicientem.*

Hanc aſſertionem ita declaratam probat ſubinde inquiens: „ Ad fortitudinem pertinet, ut con- „ firmet hominem in bono virtutis, & maxime „ contra pericula, & præcipue contra pericula „ mortis, & maxime ejus, quæ eſt in bello „ (quod ſupra jam demonſtraverat). Manifeſtum „ eſt autem, quod in martyrio firmiter homo con- „ firmatur in bono virtutis, dum fidem, & ju- „ ſtitiam non deſerit propter imminentia pericu- „ la mortis, quæ etiam in quodam certamine par- „ ticulari a perſecutoribus imminent". Nemo hæc omnia negaverit; adeoque manifeſtum eſt, quod martyrium ſit fortitudinis actus, & quidem præcipuus.

VI. Fateor tamen quam lubenter, alias in Martyribus etiam emicare virtutes, charitatem, fidem, patientiam, eaſque omnes, quæ ab improbis hominibus impugnari poſſunt: ſed illas omnes vel comites fortitudinis eſſe, vel ſe habere tamquam fines, quibus fortitudo ſervit, docet S. Thomas. De fide ſic diſſerit ille artic. 2. ad 1.: *Fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono juſtitiæ Dei, quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti, ut dicitur ad Rom. 3.: & ſic martyrium comparatur ad fidem, ſicut ad finem, in quo aliquis confirmatur.* Charitatem locum habere ſtatuit *in reſp. ad* 2. his verbis: *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, ſicut primum, & principale motivum per modum virtutis imperantis: fortitudo autem ſicut motivum per modum principii elicientis: & inde eſt, quod martyrium eſt actus charitatis ut imperantis; fortitudinis autem ut elicientis. Quod autem ſit meritorius, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus.* Denique *reſp. ad* 3. comitem fortitudinis *patientiam* facit in martyrio: nam principalior actus fortitudinis eſt *ſuſtinere*, ad quem pertinet martyrium. Et quia *patientia* deſervit fortitudini ex parte actus principalis, qui eſt *ſuſtinere*, inde eſt, quod patientia maxime in martyrio commendatur.

§. IV.

Conditiones ad Martyrium requiſitæ.

VII. Prima, quæ ad Martyrium conditio requiritur, eſt ſtatus gratiæ, vel idonea, & ſufficiens ad gratiam diſpoſitio, ſcilicet *charitas*. Ut enim diſertiſſime docet Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Hinc qui affectu inhæret ad peccatum mortale, indiſpoſitus eſt, ut ei martyrium proſit ad ſalutem: ſola namque charitas eſt, quæ ſicut cæteros actus noſtros, ita & martyrium ipſum reddit æternæ vitæ meritorium.

Conditio altera eſt perpeſſio mortis ob profeſſionem fidei, vel alterius virtutis Chriſtianæ. *Martyres* enim, inquit S. Thomas hic quæſt. 124. *dicuntur quaſi teſtes, quia ſcilicet corporalibus ſuis paſſionibus uſque ad mortem teſtimonium perhibent veritati; non cuicumque, ſed veritati, quæ ſecundum pietatem eſt, quæ per Chriſtum nobis innotuit. Unde & martyres Chriſti dicuntur quaſi teſtes ipſius. Hujuſmodi autem eſt veritas fidei. Et ideo cujuslibet martyrii cauſa eſt fidei veritas.* At vero *omnium virtutum opera, ſecundum quod referuntur*

in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit, quod Deus hujuſmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Et ſecundum hoc poſſunt eſſe martyrii cauſa. Unde & B. Joannis Baptiſtæ martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterii mortem ſuſtinuit.

Hoc amplius declarat in reſp. *ad* 1. Cum enim ſibi objeciſſet, *Chriſtianum* aliquem ex eo vocari, quod fidem Chriſti profitetur; adeoque ſolum Chriſti fidem conferre martyrii gloriam; reſpondet, quod „ Chriſtianus dicitur, qui Chriſti eſt. Dicitur autem aliquis eſſe Chriſti non ſolum ex eo, quod habet fidem Chriſti; ſed etiam ex eo, quod ſpiritu Chriſti ad opera virtuoſa procedit, ſecundum illud ad Rom. 8.: *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et etiam ex hoc, quod ad imitationem Chriſti peccatis moritur ſecundum illud ad Galat. 5.: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. Et ideo ut Chriſtianus patitur, non ſolum qui patitur pro fidei confeſſione, quæ fit per verba, ſed etiam quicumque patitur pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Chriſtum: quia hoc totum pertinet ad fidei profeſſionem ".

Tertia conditio ad martyrium requiſita eſt pœna mortis a perſecutore illata. Equidem multiplici pœna carceris, exilii, proſcriptionis bonorum, tormentis inchoari martyrium concedendum omnino eſt; ſed illud ſola morte conſummari aſſerimus cum D. Thoma dicente hic art. 4.: „ Martyr dicitur quaſi *teſtis fidei* Chriſtianæ, per quam nobis viſibilia pro inviſibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebr. 11. Ad martyrium ergo pertinet, ut homo teſtificetur fidem, ſe opere oſtendens omnia præſentia contemnere, ut ad futura, & inviſibilia bona perveniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum ſe opere oſtendit corporalia cuncta deſpicere. Conſueverunt enim homines & conſanguineos, & omnia bona poſſeſſa contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conſervent . . . Et ideo ad perfectam rationem martyrii requiritur, quod aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum.

§. V.

Plures Martyrii gradus diſtinguuntur.

VIII. Itaque morte martyrium conſummatur. Sed quoniam pœnæ, quæ propter Chriſti fidem inferuntur, multiplici modo ad mortem perducunt, plures martyrii gradus diſtinguere oportet magis, minuſque perfectos. Primus, ac ſupremus eſt, cum pœna ob Chriſti confeſſionem illata mortem infert, eamque ſuſtinet Martyr. Gradus alter partes duas complectitur, quas declarat S. Thomas *lib.* 4. *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 3. his verbis: „ Si aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat, & ſupervivat; non eſt dubium, quod aureolam meretur; ſicut de Beata Cecilia patet, quæ triduo ſupervixit, ac de multis Martyribus, qui in carcere ſunt defuncti. Et alter, ſi ex vulnere lethali ſuſcepto moriatur. Lethale namque vulnus, quod neceſſario mortem infert, pro morte ipſa computatur; quique ſuſtinet lethale vulnus, nedum deſiderio, ſed opere externo mortem pati dicitur, quamquam eadem ſuſpenditur ad aliquot dies, aut divino miraculo impeditur ".

Tertium gradum tenet martyrium eorum, quibus applicata ſunt inſtrumenta, quæ vi ſua inferunt lethalem morbum, ac lethale vulnus, demumque mortem; quamvis non ſolum mors, ſed etiam lethales diſpoſitiones divinitus impediuntur. Hoc martyrii genus in pueris Hebræis, qui in ardentem fornacem conjecti fuerunt; in Joanne Evangeliſta in olei ferventis dolium immiſſo, & in aliis a Deo ſpecialiter protectis, commendant Sancti Patres.

Denique quartus gradus eorum eſt, qui propter Chriſti confeſſionem coram Tyrannis editam, plagis, cruciatibus, carceribus, bonorum ſpoliatione affecti, in iiſdem vita demum functi ſunt: de quibus ait S. Doctor: *Qualitercumque afflictio propter Chriſtum illata uſque ad mortem continuetur, ſive mors inde ſequatur, ſive non, aliquis martyr efficitur, & aureolam meretur*. Sunt & alii, qui licet in nullo ex his gradibus martyrii inveniantur, a Patribus tamen martyrum nomine, ſed minus preſſe accepto, celebrantur. Unde nec aureola martyrii a Deo inſigniuntur.

IX. Ex his omnibus ſponte fluit, non aggreſſione, ſed paſſione Martyrium perfici. Quotquot enim martyrii preſſe dicti gradus recenſuimus, paſſionum tolerantiam exhibent, non pugnam, non reſiſtentiam contra Tyrannos. Hinc Canon 60. Concilii Eliberitani prohibet, eos in numero Martyrum recenſeri, qui ultro, & non laceſſiti idola deſtruentes occidebantur. Et ratio eſt, tum quia temeritatem quamdam, & præſumptionem redolet, ſe ultro ingerere tentationi graviſſimæ; cum potius memores nos eſſe oporteat fragilitatis humanæ, ideoque a Chriſto jubeamur, *vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*; & non pauci, qui ultro ſe ingeſſerunt, in tormentis defecerint: tum quia, ut ait S. Petrus Alexandrinus canone nono, *Scriptum eſt in Evangelio Marc.* 13. *Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis vapulabitis. Tradent, dixit; non vos ipſos tradetis; & ad Reges, & Principes ducemini propter nomen meum: non vos ipſos ducetis*. Quod etiam confirmant S. Cyprianus, atque ex ipſo S. Auguſtinus lib. 1. *cont. Gaudentium* cap. 31.

Hoc tamen intelligere oportet *citra ſpecialem Spiritus Sancti inſpirationem*. Legimus namque de multis ſanctis viris, ac fœminis, quorum exempla nefas eſt in ſuſpicionem adducere, quod ultro ſe ad martyrium obtulerint; ex impulſu videlicet Spiritus Sancti, qui aliquando animum movet ſupra ordinariam operandi regulam.

Occurrere pariter poſſunt aliquando circumſtantiæ quædam, in quibus ſe ultro offerre martyrio laudabile ſit: primo nempe ad erigendum animum martyrum in paſſione deficientium; ſecundo ut ingentem ruinam fidelibus alioquin imminentem avertamus; tertio dum infideles ex hoc convertendos prævidemus, vel fideles alioqui a fide de-

defecturos confirmandos; quarto ut Tyranni audaciam, feritatem, ac perſecutionis impetum compeſcamus; quinto demum quoties id exigat Dei gloria, & cauſa publica magni momenti.

§. VI.

De vitiis Fortitudini oppoſitis.

X. De his agit Sanctus Thomas hic *quæſt.* 125. & duobus ſequentibus: nos autem curſim attingemus. Primum vitium, quod immediate fortitudini opponitur, *timor* eſt, ſive *timiditas*, quæ poſita eſt in motu quodam animi inordinato, quo quiſpiam ea mala refugit, quæ recta ratio præſcribit eſſe ſuſtinenda; adeo ut illicitum aliquid committere malit, quam ea ſuſtinere. De hoc timore loquutus eſt Chriſtus, cum dixit Marth. 10.: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus;* & Apoſtolus Petrus 1. cap. 3.: *Si quid patimini propter juſtitiam, beati: timorem autem eorum ne timueritis.*

Peccatum eſſe duntaxat veniale timorem, ſi conſiſtat in ſolo appetitu ſenſitivo, definit Sanctus Thomas *art.* 3. Si autem ad appetitum rationalem pertingat, tunc veniale eſſe, vel mortale docet juxta qualitatem delicti, quod ex eo timore homo committit, vel paratus eſt committere. Hinc qui ex tormentorum timore fidem, cum debet, non profitetur coram Tyranno, graviter peccare dubium non eſt.

Vitium alterum fortitudini oppoſitum vocatur a S. Thoma *intimiditas*; & vocari etiam ſolet *vacuitas timoris*: qua nempe quiſpiam mortis, aliorumve malorum pericula non timet, ubi, quando, vel quomodo timere oportet; quod procul dubio eſt contra rectam rationem. Sicut enim vitam temporalem, eaque, quæ illi conſervandæ neceſſaria ſunt, amare debemus; ita, quæ his adverſantur, fugere, ac timere, quoties, & quomodo fugienda ſunt. Hujus vitii, ſive motus inordinati cauſa triplex eſſe ſolet; ſcilicet 1. *ſuperbia*, qua quis talem, ac tantam de ſe ipſo æſtimationem habet, ut neminem putet ipſi poſſe nocere, juxta illud Prophetæ Abdiæ: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo: quis detrahet me in terram?* 2. *Defectus rationis*, ſive ſtoliditas mentis, ob quam quiſpiam non percipit, quibus periculis, aut damnis ſit obnoxius: adeoque ſecurus manet omnium malorum, atque eorum etiam, in quæ facillime incidere valet. Nam, ut ait Salomon Proverb. 24: *Sapiens timet, & declinat a malo: ſtultus tranſilit, & confidit.* Tertia cauſa eſt, quod quis vitam, aliaque vitæ bona negligat, aut minoris, quam par eſt, æſtimet. Qui enim aliquid parvi æſtimat, illud amittere non pertimeſcit. Eſt autem hoc vitium peccatum mortale, ſi aut ex cauſa mortaliter peccaminoſa proveniat, aut propter illud magno ſe periculo mali incurrendi exponat ſine juſta cauſa: peccatum tamen non eſt diſtinctum ab eo, unde provenit, vel cui ſe temere exponit.

Tertium vitium huic cognatum, quod fortitudini opponitur, eſt *audacia:* quæ non hic ſumitur, prout ſimpliciter quædam paſſio eſt, ſed quatenus importat exceſſum paſſionis illius, qua aliquis nimium ſibi præfidit in periculis invadendis, aut aggrediendis. Unde cum rectæ rationis regulam excedat, procul dubio vitioſa eſt, atque adeo peccatum: cumque importet immoderantiam circa materiam fortitudinis, ad quam pertinet moderari audacias, conſequens eſt, quod eidem opponatur.

§. VII.

De virtutibus Fortitudini adjunctis.

XI. Quatuor eſſe virtutes fortitudini adjunctas jam ex D. Thoma notavimus, quas ipſe pluribus quæſtionibus declarat, atque illuſtrat; nempe *fiduciam*, ſive *magnanimitatem*; hanc enim *fiduciæ* nomine intelligit: *magnificentiam*, *patientiam*, & *perſeverantiam*; ex quibus pauca, quæ ad legitimam eorum notionem hauriendam conferre queunt, delibabimus. Ac primum

De Magnanimitate.

„ *Magnanimitas*, inquit S. Præceptor hic *quæſt.* „ 129. *art. primo*, ex ſuo nomine importat quamdam extenſionem animi ad magna. Conſideratur autem habitus virtutis ad duo. Primo ad materiam, circa quam operatur. Alio modo ad actum proprium, qui conſiſtit in debito uſu talis materiæ. Et quia habitus virtutis principaliter ex actu determinatur, ex hoc principaliter dicitur aliquis *magnanimus*, quia habet animum ad aliquem magnum actum".

„ Aliquis autem actus poteſt dici dupliciter „ *magnus*. Uno modo ſecundum proportionem: alio modo abſolute. *Magnus* quidem poteſt dici actus ſecundum proportionem, etiam qui conſiſtit in uſu alicujus rei parvæ, vel mediocris: puta, ſi aliquis illa re optime utatur. Sed ſimpliciter, & abſolute *magnus* actus eſt, qui conſiſtit in optimo uſu rei maximæ".

„ Res autem, quæ in uſum hominis veniunt, ſunt res exteriores, inter quas ſimpliciter maximum eſt honor; tum quia propinquiſſimum eſt virtuti, utpote teſtificatio quædam exiſtens de virtute alicujus; tum etiam quia Deo, & optimis exhibetur; tum etiam quia homines propter honorem conſequendum, & vituperium vitandum, alia omnia poſtponunt. Sic autem dicitur aliquis *magnanimus* ex his, quæ ſunt magna abſolute, & ſimpliciter: ſicut dicitur aliquis *fortis* ex his, quæ ſunt difficilia ſimpliciter. Et ideo conſequens eſt, quod magnanimitas conſiſtat circa honores". Hæc ille magnanimitatis notionem diſertiſſime exponens.

Magnanimitatem eſſe virtutem, & quidem ſpecialem oſtendit deinde *art.* 3. & 4. Et quidem virtutem eſſe, ex idea virtutis elucet: quoniam *ad rationem virtutis humanæ pertinet, ut in rebus humanis bonum rationis ſervetur, quod eſt proprium hominis bonum. Inter cæteras autem res humanas exteriores honores præcipuum locum tenent.* Et

Et ideo magnanimitas, quæ modum rationis ponit circa magnos honores, eſt virtus.

Quod autem non communis virtus ſit, ſed ſpecialis, liquet ex eo, quod ad ſpecialem virtutem requiratur, ut modum rationis conſtituat in aliqua determinata materia. Hoc autem magnanimitati convenire, compertum eſt: modum ſiquidem rationis conſtituit circa materiam determinatam, ſcilicet circa honorem, qui ſecundum ſe conſideratus, bonum quoddam peculiare eſt. Quia tamen honor eſt cujuslibet virtutis præmium, ideo ex conſequenti ratione ſuæ materiæ reſpicit etiam omnes virtutes.

Vitia, quæ huic virtuti opponuntur per exceſſum ſunt *præſumptio*, quæ eſt nimia confidentia, qua quis ea aggreditur, quæ vires ſuas excedunt. *Ambitio*, quæ conſiſtit in appetitu inordinato honoris, cum ſcilicet aliquis honores nec oblatos, nec debitos appetit, vel ad eos mediis illegitimis pervenire nititur, aut etiam illegitime oblatos, aut minime debitos affectat, ac ſuſcipit. *Inanis gloria*, ſcilicet immoderata gloriæ cupiditas contra rationis, legiſque divinæ ordinem, de qua alibi. Per defectum autem opponitur *puſillanimitas*, quæ vitium eſt, quo quis res magnas, quibus gerendis eſt aptus, aut magnos honores, quibus dignus eſt, legitime oblatos, ex animi parvitate, & nimia dejectione refugit: vel authoritatem ſuam, dignitatem, honorem, privilegia tueri negligit, quatenus ad Dei gloriam, & commune bonum id neceſſarium, & utile eſt.

De Magnificentia.

XII. Proxima magnanimitati virtus *magnificentiæ* eſt, quæ ad magna opera in exteriori materia magnis ſumptibus perficienda juxta rationis, ac divinæ legis regulam animum inclinat. Hæc duplex eſt, publica ſcilicet, & privata. *Publica*, cum ad publicos uſus magni ſumptus conferuntur; idque vel ad uſus pios, veluti ad ſacrificia, & publicas preces, cujuſmodi ſunt extructio, & dotatio Templorum, fundatio Monaſteriorum, Collegiorum, Xenodochiorum &c.: vel ad uſus politicos, Reipublicæ nimirum augendæ, conſervandæ, aut decorandæ cauſa, ut ædificatio horreorum publicorum, armamentarii, fori, portarum, murorum Civitatis, inſtructio claſſis, vel navium bellicarum, ad Rempublicam defendendam, ejuſque gloriam promovendam.

Privata *magnificentia* eſt, cum magnifica munera alicui privato tribuuntur, vel magnifice fiunt, quæ ad proprium uſum, vel dignitatem pertinent, quatenus id exigit gradus proprius, aut conditio. Quamquam enim vir magnificus in his, quæ propriam perſonam ſpectant, ſumptus moderetur, quia bonum privatum magnum non eſt; ſi quid tamen in his, quæ ad proprium gradum, aut dignitatem pertinent, magnum videatur; id etiam exequitur *magnifice* in his præſertim operibus, quæ debent eſſe diuturna. Et quia, ut ait S. Thomas art. 2. ad 3. *nullus finis humanorum operum eſt adeo magnus, ſicut honor Dei; ideo magnificentia præcipue magnum opus facit in ordine ad Deum. Unde Philoſophus 4. Ethic. dicit:* Honorabiles ſumptus ſunt maxime, qui pertinent ad divina ſacrificia. *Et circa hoc maxime ſtudet Magnificus: & ideo magnificentia conjungitur ſanctitati: quia præcipue ejus effectus ad religionem, ſive ſanctitatem ordinatur.*

Huic virtuti per defectum vitium opponit S. Thomas *quæſt.* 135. quod *parvificentiam* vocat: qua pecuniæ nimius amator deficit a recta proportione, quam ratio decori exigit inter ſumptus, & opus, quod peragendum eſt; aut minus elargitur, quam perſonæ, vel ejus dignitati conveniat. *Magnificus* videlicet primario intendit magnitudinem operis; ſecundario autem magnitudinem ſumptus, quam non refugit, ut magnum opus perficiat. *Parvificus* e contra præcipue ſumptus parvitatem intendit, ex conſequenti vero parvitatem operis, quam non recuſat. Hoc vitium, ut animadvertit S. Thomas, veniale plerumque peccatum eſt. Fieri tamen ex aliqua circumſtantia poteſt mortale, puta ſi aliqua ratione voti, aut juramenti &c. ad magnum ſumptum faciendum obſtrictus fuerit.

Vitium autem, quod magnificentiæ opponitur per exceſſum, appellatur ab eodem S. Thoma *conſumptio*, quæ aliud non eſt, niſi indecora, & inepta, ſive nimia ſumptuum profuſio: & in eo conſiſtit, quod quiſpiam excedat proportionem, quæ debet eſſe, ſumptuum ad opus decore perficiendum, veluti ſi ad opus magnum ſumptus augeat, ſupra quam vel res poſcat, vel decorum patiatur: aut ſi ad res parvas magnos ſumptus impendat. Quod vitium ex genere ſuo veniale peccatum eſt; ſed non raro mortale evadit; ut quando quis inepte ſua bona conſumit ob inanem gloriam mortalem, aut quando deberet vel creditoribus pro ſolutione debitorum, vel pauperibus in neceſſitate exiſtentibus ſua bona tribuere: ſicut etiam quando ob hoc grave aliis detrimentum infert.

De Patientia.

XIII. Inter virtutes fortitudini adjunctas cæteris eminet *patientia*. Cum enim duplex ſit fortitudinis actus, *aggredi* ſcilicet, & *ſuſtinere*, hic utpote altero difficilior, ita quoque nobilior eſt, atque præſtantior. Ea definitur a Tullio *honeſtatis, aut utilitatis cauſa rerum arduarum, & difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio;* a Sancto Auguſtino autem *lib. de Patient.* cap. II. virtus, qua *mala æquo animo toleramus, ne animi bona deſeramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

Hanc virtutem inter excellentiores, magiſque neceſſarias computari quis dubitet? dum legit Scripturas eam maximopere commendantes, ejuſque neceſſitatem in hac mortali, & miſera vita ſæpe adſtruentes. Sic Chriſtus Dominus Luc. 21. Apoſtolis, aliiſque fidelibus dixit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*: quia nempe *poſſeſſio*, ut declarat Sanctus Thomas *quæſt.* 136. *art.* 2. *ad* 2. importat *quietum dominium*; *& ideo per patientiam dicitur homo ſuam animam poſſidere, in quantum radicitus evellit paſſiones adverſitatum,*

rum, *quibus anima inquietatur*. Hinc etiam Jac. 1. dicitur: *Patientia opus perfectum habet*; quem textum ſic egregie commentatur idem S. Doctor *ad* 1. dicendo, quod *patientia dicitur habere opus perfectum in adverſis tolerandis*, *ex quibus primo procedit triſtitia*, *quam moderatur patientia*: *ſecundo ira*, *quam moderatur manſuetudo*: *tertio odium*, *quod tollit charitas*; *quarto injuſtum nocumentum*, *quod prohibet juſtitia*. *Tollere enim principium uniuſcujuſque eſt perfectius*. Hinc etiam a S. Gregorio Magno *hom.* 15. *in Evang.* patientia vocatur *radix*, *& cuſtos omnium virtutum*; quatenus removet triſtitiam, quæ impedit, ne virtutes in nobis cauſentur, & conſerventur.

XIV. S. Auguſtinus, qui *de patientia* integrum librum edidit, aliqua obſervat ſcitu admodum neceſſaria: ac inter alia veram, & Chriſtianam patientiam, quæ ſola virtus eſt, docet *cap.* 6. eſſe diſtinguendam a falſa ex cauſa patiendi. „ Quando cauſa, *inquit*, bona eſt; tunc iſta, *patientia ſcilicet*, vera eſt: quando illa non polluitur cupiditate, tunc a falſitate iſta diſtinguitur. Cum vero illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim, ſicut omnes, qui ſciunt, ſunt participes ſcientiæ, ita omnes, qui patiuntur, ſunt participes patientiæ: ſed qui paſſione recte utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur “. Unde Chriſtus non omnes, *qui perſecutionem patiuntur*, beatos prædicat; ſed qui *patiuntur propter juſtitiam*.

At præſtat audire, quæ etiam habet Sanctus Pater cap. 9. & 10.: „ Quamvis patientia virtus ſit animi, partim tamen ea utitur animus in ſe ipſo, partim vero in corpore ſuo. In ſe ipſo utitur patientia, quando illæſo, & intacto corpore aliquid, quod non expediat, vel non deceat, facere, aut dicere quibuslibet adverſitatibus, aut fœditatibus rerum, ſeu verborum ſtimulis incitatur; & patienter mala omnia tolerat, ne ipſe mali aliquid opere, vel ore committat. Per hanc patientiam ſuſtinemus, etiam dum corpore ſani ſumus, quod inter hujus ſæculi ſcandala beatitudo noſtra differtur. Unde dictum eſt: *Siquod non videmus*, *ſperamus*, *per patientiam expectamus*. Hac patientia S. David opprobria conviciantis toleravit; &, cum facile poſſet ulciſci, non ſolum non fecit, verum & alium pro ſe dolentem, commotumque compeſcuit: & poteſtatem regiam magis adhibuit prohibendo, quam exercendo vindictam. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commotis zizaniorum permixtione ſervis, & volentibus ea colligere, dixit reſpondiſſe Patremfamilias: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*. Oportet enim patienter ferri, quod feſtinanter non oportet auferri. Hujus & ipſe patientiæ præbuit, & demonſtravit exemplum, quando ante paſſionem corporis ſui diſcipulum ſuum Judam, priuſquam oſtenderet traditorem, pertulit furem “.

„ Alius eſt patientiæ modus, quando ipſe animus quæcumque moleſta, & gravia in ſui corporis paſſionibus perfert, non ſicut ſtulti, vel maligni homines propter adipiſcenda vana, vel ſcelera perpetranda; ſed ſicut a Domino definitum eſt, *propter juſtitiam*. Utroque modo Sancti Martyres certaverunt. Nam & impiorum opprobriis ſaturati ſunt, ubi animus corpore intacto quaſdam veluti plagas ſuas integer ſuſtinet; & in corporibus vincti ſunt, incluſi ſunt, fame ac ſiti affecti ſunt, torti ſunt, ſecti ſunt, dilaniati ſunt, incenſi ſunt, trucidati ſunt: & pietate immobili ſubdiderunt Deo mentem, cum paterentur in carne quidquid exquirenti crudelitati venit in mentem “. Et alia plura ibi perſequitur de hoc argumento S. Doctor.

Patientiam hanc, quæ vere Chriſtiana patientia eſt, haberi non poſſe ſine auxilio gratiæ, eleganti ratione probat ex eodem Auguſtino S. Thomas hic *art.* 3. quoniam, ut ille ait, *vis deſideriorum facit tolerantiam laborum*, *& dolorum*: *& nemo niſi pro eo*, *quod delectat*, *ſponte ſuſcipit ferre*, *quod cruciat*. Nam triſtitiam, & dolorem, ſubjicit Angelicus, ſecundum ſe abhorret animus. Unde nunquam ea perpeti eligeret propter ſe, ſed ſolum propter finem. Unde oportet, quod illud bonum, propter quod aliquis vult mala perpeti, ſit magis volitum, & amatum, quam bonum illud, cujus privatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus. Quod autem aliquis bonum gratiæ præferat omnibus naturalibus bonis, ex quorum amiſſione dolor cauſari poteſt, ad charitatem pertinet, quæ Deum ſuper omnia diligit: atque adeo patientia, prout virtus eſt, a charitate cauſatur, quæ nonniſi per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris. Unde ſine gratiæ auxilio ſicut non habetur charitas, ita neque Chriſtiana patientia.

XV. Patientiæ duo vitia opponuntur, ſicut & cæteris virtutibus, per exceſſum, & per defectum; nimirum *inſenſibilitas*, & *impatientia*. Vitioſa quippe *inſenſibilitas* eſt, humanæque rationi diſſentaneum, nec propriis malis tangi, nec alienis: cum id duritiei indicium ſit, veræque amicitiæ, & vitæ politicæ indecorum. Vitioſa quoque *impatientia*, qua quis nimium dolet, aut queritur de malis, quæ ipſum circumveniunt aut ex hominum pravitate, aut ex hujus calamitoſæ vitæ conditione; vel etiam propter ea ſive a fide Chriſti, ſive a recto virtutis tramite deflectit; quod ſæpe contingit in iis præſertim, qui hujus vitæ bonis nimio amore affecti ſunt.

De Perſeverantia.

XVI. Quarta tandem fortitudini adjuncta virtus *perſeverantia* eſt, quæ dupliciter accipitur a Theologis, & ab eorum Principe S. Thoma; ſcilicet prout virtus, & prout peculiare donum Spiritus Sancti. Prout *virtus* conſideratur a Sancto Thoma hic *quæſt.* 137. licet etiam eam prout *donum* conſideret, præſertim artic. 4. *Virtutis* perſeverantiæ definitio hæc eſſe poteſt: nimirum *habitus*, *per quem homo firmum propoſitum gerit perſiſtendi in opere bono ad uſque illius conſummationem*; *ac reipſa perſiſtit*, *non obſtantibus moleſtiis*, *ac difficultatibus ex actus diuturnitate provenientibus*. Hanc eſſe ſpecialem virtutem conſtat ex

ex ſpeciali objecto, quod inſpicit ipſa ; nempe boni operis peragendi diuturnitatem, & timorem defatigationis, quem moderatur, & cohibet ; tametſi pro materia reſpicere poſſit quarumlibet virtutum actus, in quibus eligit conſtanter permanere.

De hac decernit S. Thomas *art.* 2. ipſam fortitudini adnecti veluti ſecundariam principali : *art.* vero 3. conſtantiam ad perſeverantiam pertinere ; ac demum *art.* 4. ubi quærit, *an perſeverantia indigeat auxilio gratiæ ?* ita reſpondet: *Perſeverantia dupliciter dicitur ; uno modo pro ipſo habitu perſeverantiæ, ſecundum quod eſt virtus : & hoc modo indiget dono habituali gratiæ, ſicut & cæteræ virtutes infuſæ. Alio modo poteſt accipi pro actu perſeverantiæ durante uſque ad mortem. Et ſecundum hoc indiget non ſolum gratia habituali, ſed etiam gratuito Dei auxilio, conſervantis hominem in bono uſque ad finem vitæ. Quia cum liberum arbitrium de ſe ſit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præſentis vitæ, non ſubeſt poteſtati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut ſe immobiliter in bono ſtatuat, licet ſit in poteſtate ejus, quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in noſtram poteſtatem electio, ſed non executio.*

De hoc ſæpe agit S. Auguſtinus, ac præcipue in lib. *de Dono perſeverantiæ*; & Concilium Arauſicanum tamquam Eccleſiæ dogma definivit cap. 10.: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Concilium etiam Tridentinum *ſeſſ.* 6. *Can.* 22. anathema tulit in omnes, qui oppoſitum aſſeruerint, inquiens : *Si quis dixerit, juſtum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Sed de his Theologi de Schola *in Tract. de Gratia.*

XVII. Duo vitia perſeverantiæ ſunt oppoſita ; alterum per *defectum*, ſcilicet *animi mollities*; alterum per *exceſſum*, videlicet *pertinacia*, ſeu *pervicacia*. Mollities vitium eſt, quo quis ex amore voluptatis, ſeu vitæ mollis, & delicatæ conſuetudine, labores, ac difficultates bonorum operum ſuſtinere refugit ; quod vitium frequentiſſimum eſt inter homines, adeoque pauci ſunt, qui in bono opere perſeverent. Pertinacia eſt vitium, quo quis contra regulam rationis in ſententia propria, rebuſque ſuſceptis firmiter perſiſtit, nulla habita ratione difficultatum, aut etiam conſilii, vel judicii prudentum virorum, quæ ab earum proſecutione prohibere merito deberent. Quod profecto fatuæ ſuperbiæ argumentum eſt: Nam, ut ſcribit Seneca lib. 4. de Benef. *Non eſt levitas a cognito, & damnato errore diſcedere ; & ingenue fatendum eſt*, Aliud putavi, deceptus ſum. *Hæc vero ſuperba ſtultitia perſeverantia eſt*, Quod ſemel dixi, qualecumque eſt, firmum, ratumque ſit. *Non eſt turpe cum re mutare conſilium.*

CAPUT DUODECIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Omnia virtutum opera, prout quædam ſunt proteſtationes fidei, poſſunt eſſe martyrii cauſa.*

II. *Martyres vocandi non ſunt, qui moriuntur in bello contra Infideles.*

III. *Non omnis tamen reſiſtentia, ſive contra pugnatio palmam martyrii eripit.*

IV. *Martyria charitatis, caſtitatis, mortificationis, compaſſionis &c. minus proprie hoc nomine decorantur.*

V. *Hinc falſitatis convincitur ſententia Raynuudi, aliorumque aureolam martyrii tribuentium iis, qui immoriuntur inſerviendo peſtilentia afflatis.*

VI. *Licet laudabile abſolute non ſit honorem appetere, quibuſdam tamen in caſibus laudabile eſſe poteſt.*

VII. *Audiendi non ſunt aliqui Caſuiſtæ, qui ſicut propter voluptatem, ita & propter honorem, in eo ſiſtendo, nos agere poſſe exiſtimant.*

VIII. *Magnanimitas nullatenus adverſatur humilitati.*

IX. *Perperam ab aliquibus magnanimitas cum præſumptione confunditur.*

X. *Doctrina Sancti Thomæ ad veram* ambitionis *notionem habendam ; prout magnanimitati opponitur.*

XI. *Non quivis honoris contemptus laude dignus eſt ; ſed ille, qui recta ratione regulatur.*

XII. *Non omnes, qui dura, & adverſa perferunt, Chriſtianæ patientiæ virtute potiuntur.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. OMnia virtutum opera poſſunt eſſe martyrii cauſa, prout ſunt proteſtationes quædam fidei, per quam nobis innoteſcit, quod Deus hujuſmodi opera a nobis requirit. At obſervatione dignum eſt, non omnem virtutum relationem ad Deum, ut ad finem duntaxat, ſatis eſſe, ut opera virtutum ſint fidei proteſtationes, & cauſa martyrii : ſed requiri relationem earumdem in Deum revelantem, quem videlicet fide credimus, opera virtutum a nobis expoſcere, noſque pro eis remunerari. Hinc Martyres dicendi non ſunt, qui pro amicitia, pro bono communi, pro caſtitate &c. mortem aliquando ſubeunt, tametſi ſibi, ſuæque morti gloriam Dei finem præfigant.

Conſectarium Secundum.

II. Cum non aggreſſione, ſed paſſione martyrium perficiatur, Martyres vocandi minime ſunt milites, qui etiam pro fidei defenſione cum pura intentione dimicant, ſi in ejuſmodi bello a Muhamedanis, Hebræis, aliiſque vel hæreticis, vel infidelibus occidantur. Licet enim plurimum ob piam hanc intentionem mereantur, non tamen ut Martyres ab Eccleſia reputantur. Quia magis quærunt infideles occidere, quam ab ipſis necem pati.

pati. Hinc cum Phocas, & Nicephorus Imperatores magno ſtudio contenderent, ut milites, quos in bello adverſus fidei hoſtes interfici contigiſſet, in Martyrum albo ponerentur, reſtiterunt Orientis Epiſcopi aſſerentes, minime his hujuſmodi nomen convenire; pluresque cauſas produxerunt, quibus a ſuo propoſito Principes illos revocarunt, ut narrat Baronius.

Conſectarium Tertium.

III. Nihilominus non omnem reſiſtentiam, ſive contra pugnationem martyrii palmam eripere, docet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *ad* 11. his verbis: *Cum quis propter bonum commune non relatum ad Chriſtum mortem ſuſtinet, aureolam non meretur. Sed ſi hoc referatur ad Chriſtum, aureolam merebitur, & Martyr erit, utpote ſi rempublicam defendat ab hoſtium impugnatione, qui fidem Chriſti corrumpere moliuntur, & in tali defenſione mortem ſuſtineat*: ubi plane tolerantia mortis conjuncta eſt juſtæ defenſioni, quæ ſine aliqua aggreſſione non habetur. Sed declarat ille præterea, aggreſſionem non ideo fieri debere, ut vita propria defendatur, ſed ut fides Jeſu Chriſti ab hoſtibus impugnata vindicetur; licet eadem aggreſſione defenſio quoque fiat propriæ vitæ tamquam neceſſariæ ad pugnandum pro Fide, & Eccleſia. Quo in caſu etiam cæteræ, quas pro Martyrio recenſuimus, conditiones deeſſe non debent.

Conſectarium Quartum.

IV. Martyria charitatis, mortificationis, caſtitatis, compaſſionis, & ſi qua ſunt alia, martyria minus proprie dici debent, & per ſolam ſimilitudinem. Diſertam de re hac habemus S. Thomæ ſententiam 2. 2. *quæſt.* 324. *art.* 4. *ad* 1. ubi verba quædam Hieronymi, vel potius Sophronii, aut certe alterius antiqui Scriptoris Mariam Virginem martyrem appellantis, & Gregorii Magni martyrium in pace, qua fruimur, extra perſecutionis occaſionem agnoſcentis, expendens ait: *Illæ authoritates, & ſi quæ ſimiles inveniuntur, loquuntur de martyrio per quamdam ſimilitudinem.* Verum rem hanc declarat amplius *lib.* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 3. docens, martyrium Mariæ Virginis proprie dici non poſſe: ſiquidem corporis paſſio, veritas fidei, vel morum impugnata, confeſſio ejuſdem, perſecutio in odium Chriſti mota Martyrem faciunt; quæ omnia deſunt paſſioni Mariæ, quæ ſpiritu, non corpore paſſa eſt, nullum fidei, vel morum veritatis, quam negare cogeretur, teſtimonium edidit, nec Judæorum contra ſemetipſam perſecutiones ſuſtinuit. Præterea, quos ipſa perferebat, dolores non inferebat perſecutor exterior; ſed amor interior, qui unione affectiva eam in Chriſtum dilectum transformando, Chriſti ærumnas, & plagas ejus corpori impoſitas in Mariæ ſpiritum transferebat, faciebatque compatientem Martyri Chriſto, non vere, ac proprie Martyrem.

Conſectarium Quintum.

V. Si quæ modo obſervata ſunt, diligenter perpendantur, perſpicue apparet falſitas ſententiæ, quam acriter defendit Theophilus Raynaudus in ſuo libro *de Martyrio per peſtem*; eamque etiam tradidere Cornelius a Lapide, aliique, quibus placet, eos, qui pure ex chriſtiana charitate immoriuntur miniſterio lue affectorum, eſſe abſque improprietate ulla vere Martyres, dignoſque martyrii aureola. Hanc, inquam, ſententiam conſtat eſſe falſam, & noviter in Eccleſiam invectam: & ſimilitudinem quidem martyrii hujuſmodi ſanctis viris, qui heroicum charitatis actum exercent, libenter concedimus; ſed veritatem, ac proprietatem negamus. Nec quidquam aliud addendum exiſtimo ad ſententiam hanc refellendam. Satis namque ſuperque ſunt, quæ hactenus fuere diſputata.

Conſectarium Sextum.

VI. Non eſt abſolute laudabile quovis modo appetere honores, ac dignitates: ſed laudabile fieri interdum poteſt, dum nempe illa appetuntur eo modo, quo recta ratio appetenda eſſe præſcribit; ſi nempe homo temporales honores appetat ad Reipublicæ utilitatem, eoſque in ſe non valde æſtimet, ſolumque magni ducat, qui a Deo expectantur. Hinc Sanctus Thomas *q.* 129. *art.* 1. *ad* 3. ait: *Hoc modo magnanimitas eſt circa honores, ut videlicet ſtudeat facere ea, quæ ſunt magno honore digna; non tamen ſic, ut pro magno æſtimet humanum honorem*; & propter hunc operetur.

Conſectarium Septimum.

VII. Quapropter audiendi non ſunt aliqui Caſuiſtæ, quos inter Burgaberius, qui ſicut docent agere poſſe hominem propter voluptatem in ea ſiſtendo; ita etiam propter honorem cum debita moderatione quæſitum. Sicut enim appetitus voluptatis, & divitiarum propter ſe illicitus eſt, prout jam demonſtravimus; ita quoque appetitus honoris, & gloriæ; docetque S. Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 13. *ſanius videre, qui & amorem laudis vitium eſſe cognoſcit.* Nec dubium eſt, appetitum honoris propter ſe *ad ambitionem* pertinere, magnanimitatemque eo ipſo deſinere eſſe virtutem, quo magna operatur propter honorem tamquam finem. *Neque enim eſt vera virtus*, ut ait idem S. Pater cap. 12. *niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt.*

Conſectarium Octavum.

VIII. Non eſt ullo modo putandum, magnanimitatem, & humilitatem ſibi invicem adverſari: quin potius amico fœdere conſociantur. Quod facile conſtat, ſi utriuſque virtutis notiones, & characteres apprime conſiderentur. Nam, ut egregie obſervat S. Thomas *quæſt.* 129. *artic.* 3.

ad

ad 4. „ In homine invenitur aliquid magnum, „ quod ex dono Dei poſſidet; & aliquis defe- „ ctus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. „ Magnanimitas ergo facit, quod homo ſe ma- „ gnis dignificet ſecundum conſiderationem do- „ norum, quæ poſſidet ex Deo. Humilitas au- „ tem facit, quod homo ſeipſum parvi pendat „ ſecundum conſiderationem proprii defectus. Si- „ militer etiam magnanimitas contemnit alios, „ ſecundum quod deficiunt a donis Dei: non „ enim tantum alios appretiatur, quod pro eis „ aliquid indecens faciat. Sed humilitas alios „ honorat, & ſuperiores æſtimat, in quantum in „ eis aliquid ſuſpicit de dono Dei. Unde dici- „ tur in Pſal. 14. de viro juſto: *Ad nihilum de-* „ *ductus eſt in conſpectu ejus malignus*; quod per- „ tinet ad contemptum magnanimi: *Timentes au-* „ *tem Dominum glorificat*; quod pertinet ad ho- „ norationem humilis. Et ſic patet, quod ma- „ gnanimitas, & humilitas non ſunt contraria, „ quamvis in contraria tendere videantur: quia „ procedunt ſecundum diverſas conſiderationes“. Locupletiſſimum hujus rei habemus exemplum in Beatiſſima Virgine Maria, quæ, ſalva ſumma humilitate ſua, agnoſcebat, ac profitebatur, quæ *fecerit ſibi magna, qui potens eſt;* propter quod *beatam* ipſam prædicaturæ eſſent *omnes generationes*: eodemque tempore elicebat, *reſpexiſſe Deum humilitatem ancillæ ſuæ*; in ejuſque miſericordiam referebat omnia, quæ a Deo munificentiſſime acceperat.

Conſectarium Nonum.

IX. Ne *magnanimitatem*, quæ virtus eſt, cum *præſumptione*, quæ eſt vitium ipſi oppoſitum, ut ſæpe fieri ſolet, confundamus, præ oculis habeamus oportet S. Thomæ doctrinam, quam tradit hic *quæſt.* 130. *art.* 2. his verbis: „ Magna- „ nimitas conſiſtit in medio; non quidem ſecun- „ dum quantitatem ejus, in quo tendit, quia „ tendit in maximum: ſed conſtituitur in me- „ dio ſecundum proportionem ad propriam facul- „ tatem: Non enim in majora tendit, quam ſibi „ conveniant. Præſumptuoſus autem quantum „ ad id, in quod tendit, non excedit magnani- „ mum: ſed multum quandoque ab eo deficit. „ Excedit autem ſecundum proportionem ſuæ „ facultatis, quam magnanimus non tranſcendit. „ Et hoc modo opponitur præſumptio magnani- „ mitati per exceſſum“.

Conſectarium Decimum.

X. Inter vitia, quæ magnanimitati opponuntur, ac peculiari digna conſideratione ſunt, *ambitio* eſt, quæ late vagatur, ac ſub ſpecioſo virtutis velamine plurimos fallit. Ut itaque ejus deformitas, atque inordinatio clare detegatur, perpendenda ſunt, quæ luculenter tradit S. Præceptor *quæſt.* 131. *art.* 1. cujus verba oculis ſubjicio, ut germana hujuſce vitii notio omnibus patefiat: „ Honor, inquit, importat quamdam „ reverentiam alicui exhibitam in teſtimonium „ excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem ho- „ minis duo ſunt attendenda. Primo quidem, „ quod illud, ſecundum quod homo excellit, „ non habet homo a ſeipſo, ſed eſt quaſi quid- „ dam divinum in eo: & ideo ex hoc non de- „ betur ei principaliter honor, ſed Deo. Secun- „ do conſiderandum eſt, quod illud, in quo homo „ excellit, datur homini a Deo, ut ex eo aliis „ proſit. Unde in tantum debet homini place- „ re teſtimonium ſuæ excellentiæ, quod ab aliis „ exhibetur; in quantum ex hoc paratur ſibi „ via ad hoc, quod aliis proſit.

„ Tripliciter autem appetitum honoris contin- „ git eſſe inordinatum: uno modo per hoc, quod „ aliquis appetit teſtimonium de excellentia, „ quam non habet; quod eſt appetere honorem „ ſupra ſuam proportionem. Alio modo per hoc, „ quod honorem ſibi cupit, non referendo in „ Deum. Tertio per hoc, quod appetitus ejus „ in ipſo honore quieſcit, non referens hono- „ rem ad utilitatem aliorum. *Ambitio* autem im- „ portat inordinatum appetitum honoris. Un- „ de manifeſtum eſt, quod ambitio ſemper eſt „ *peccatum*“. Ex quibus patet facile in peccata prolabi, qui honores quærunt, ob aliquam ex his inordinationibus, quæ in eorum appetitu inveniuntur. Verum de hoc argumento infra latius dicemus.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non quivis honoris contemptus ex doctrina ejuſdem S. Thomæ laudabilis eſt, ſed ille duntaxat, qui recta ratione regulatur. Merito enim vituperantur ii, qui ita honorem contemnunt, ut nihil ipſum omnino curent, etiam quoties honorem ſervandum eſſe ratio præſcribit. Quapropter honorem ſuum cordi habere unuſquiſque debet, ubi, quando, & quomodo id exigit proximi ſalus, vel alia ipſius utilitas: Item quoties proprii officii conditio hoc requirit, & maxime honor, & gloria Dei. Cavendum tamen eſt, ne quis ita honorem quærat, ut vel bona faciat, vel mala omittat ſolum, aut præcipue propter honorem, qui expectatur ab hominibus.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Ad patientiam, quæ virtus eſt, minime pertinet tolerantia malorum, quæ perferunt plures, ut cupiditates ſuas expleant, vel etiam ut temporalia bona adipiſcantur. Ut enim ſcribit S. Auguſt. lib. de patient. cap. 2. *Patientes proprie dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferendo committere. In illis autem, qui mala ſuſtinent, ut mala faciant, nec miranda, nec laudanda eſt patientia, quæ nulla eſt: ſed miranda duritia, neganda patientia.*

REFLEXIO.

Multos ex Gentilibus celebravit Antiquitas; multos nunc etiam celebrat hominum opinio veluti heroica fortitudine ſpectatiſſimos viros, quos tamen ſi penitius contemplemur, ſpeciem quidem, & umbram fortitudinis habuiſſe aut habe-

re,

re, non rem ipſam, ac veritatem, fateri omnino neceſſe eſt. Neque enim eorum, quos homines admirantur, fortitudo iis characteribus prædita eſt, ſine quibus, ſicut nulla virtus eſt, ita neque ulla veri nominis fortitudo. Sola Chriſtiana Religio veros peperit ac parit hujuſce virtutis heroas: ſola charitas Chriſti fecit, ac facit; charitas, inquam, illa, quæ ſola *fortis* eſt, & *fortis* quidem, teſtante Scriptura, *ut mors ipſa*, quę vincit omnia, quinimo & morte ipſa fortior. Nam qui corde perfecto Deum amat, nec mortem, nec ſupplicia etiam terribiliora metuit; ſed impavidus corpus ſuum Tyrannis, ac tortoribus objicit, ut in eo genus omne crudelitatis exerceant; nec horret flammas, ac vulnera, nec in tormentis etiam acerbioribus deficit. *Quis nos ſeparabit*, clamabat ferventiſſimus ille Dei amator Paulus, *a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neqae futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei.*

Præclaræ hujus, vereque Chriſtianæ fortitudinis, quam charitas roboravit, firmavitque in atrocioribus ſuppliciis, eximium exemplum enituit in tot Martyribus, qui Eccleſiæ faſtos illuſtrant. Etenim ea numquam pertuliſſent tormenta, quæ non ſine ingenti horrore vel legere, vel meminiſſe fas eſt, niſi illos Dei charitas, ac Spiritus Sancti virtus, ac fortitudo in pœnis ſolidaſſent. Quoniam, ut ſcribit S. Auguſtinus lib. *de patient.* cap. 4. *Vis deſideriorum*, quibus ferebantur in Deum, *fecit tolerantiam laborum. Nam nemo niſi pro eo, quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre, quod cruciat:* tuncque Dei electio (lib. de Nat. & grat. c. 70.) *maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita.* Hæc eſt vera fortitudo, quę in Martyribus maxime eluxit, & quam in ipſis tot præconiis concelebrat S. Cyprianus *ep.* 8. ſic ipſos alloquens: *Quibus vos laudibus prædicem, fortiſſimi Martyres? Robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis; ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt . . . . . Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera. Quale illud fuit ſpectaculum Domino! quam ſublime! quam magnum! . . . . Pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accipit coronam de conſummatione virtutis.* Eaſdem quoque Martyrum laudes fuſe perſequitur S. Ephrem Syrus, quas brevitatis gratia prætereo.

Sed illud formidandum nobis magnopere eſt, quo Sanctus iſte Pater ſuam orationem concludit: *Quam ergo nos, quæſo, fratres, in die extremi Judicii excuſationem apud Deum habebimus, qui abſque ulla perſecutionis atrocitate, tormentorumque vi charitatem Dei, vitamque noſtram uſque adeo negligimus, atque tam profundo torporis, atque deſidiæ ſomno demerſi ſumus?* Cui concinens S. Gregorius Magnus, dum conſiderat ea, quæ pro Chriſti fide infracto animo, & invicta fortitudine pertulerunt vel ipſæ tenerrimæ Virgines, *hom.* 11. *in Evang.* hæc appoſite ſubdit: *Recte per Salomonem dicitur:* Fortis eſt ut mors dilectio; *quia ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam, quem perfecte abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit. Nec enim ſancta hæc N. mori pro Domino potuiſſet in corpore, ſi prius a terrenis deſideriis mortua non fuiſſet in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta deſpexit, præmia calcavit. Quid inter hæc nos barbati, & debiles dicimus, qui ire ad regna cæleſtia puellas per ferrum videmus? quos ira ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui ſi adipiſci regna cælorum per bella perſecutionum non poſſumus, hoc ipſum nobis turpe ſit, quod Deum nolumus ſaltem per pacem ſequi.* Hæc ſedulo cogitare debemus, & alia mente defigere, ne deficiamus in laboribus, & adverſitatibus, quas in hac vita tolerare neceſſe eſt, pro æterna vita adipiſcenda.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Temperantia, ac virtutibus adjunctis.

DOCTRINA.

I. *Definitio, & indoles temperantiæ.*

II. *Temperantiæ objectum, officium, & regula, quam in delectationibus tactus præſcribit.*

III. *De partibus temperantiam integrantibus.*

IV. *De virtutibus temperantiæ ſubjectis; ac primum de abſtinentia.*

V. *De jejunio, & variis ejus ſpeciebus.*

VI. *De ſobrietate, ſive abſtinentia a potu immoderato.*

VII. *Quid ſit caſtitas? Ejus excellentia, maximeque caſtitatis virginalis.*

VIII. *Nedum virginitas illicita non eſt; ſed etiam admodum laudabilem eſſe omnino tenendum.*

IX. *Quid ſit pudicitia, & in quo ea conſiſtat.*

X. *De partibus temperantiæ, quas* potentiales *S. Thomas appellat; ſive de virtutibus, quæ ipſi adjunctæ ſunt: ac primum de continentia.*

XI. *De clementia.*

XII. *De manſuetudine.*

XIII. *De modeſtia.*

XIV. *De taciturnitate.*

§. I.

De Temperantiæ definitione, indole, & regula, quam præſcribit.

I. QUarta, ac poſtrema virtutum moralium, quæ *cardinales* dicuntur, *temperantia* eſt, quæ latiore quadam ſignificatione uſurpa-

ta

ta definiri ſolet *virtus*, *quæ juxta legem divinam & rectam rationem paſſiones humanas moderatur*, *ac regit*. Atque hoc ſenſu non ſemel illam accipit S. Auguſtinus, veluti cum *lib.* 83. *qq. quæſt.* 31. eam ita definit: *Temperantia eſt rationis in libidinem*, *atque in alios non rectos impetus animi firma*, *& moderata dominatio*; juxta quam definitionem *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 21. ſcribit: *Habet vir temperans in hujuſmodi rebus mortalibus*, *& fluentibus vitæ regulam*, *utroque Teſtamento firmitatem*; *ut eorum nihil diligat*, *nihil per ſe appetendum putet*, *ſed ad vitæ hujus*, *atque officiorum neceſſitatem*, *quantum ſat eſt*, *uſurpet utentis modeſtia*, *non amantis affectu.* Verum ſic accepta ſpecialis virtus non eſt. Hoc enim præſtant etiam cæteræ morales virtutes in propria materia: nam & fortitudo affectum timoris cohibet, ne declinet in vitium; & juſtitia animum avocat a furtis, & injuriis &c.

Preſſius autem conſiderata *temperantia*, ac prout eſt quædam peculiaris virtus, hæc ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 141. *art.* 3. tradi poteſt

Definitio Temperantiæ.

Temperantia eſt virtus præcipue conſiſtens circa paſſiones tendentes in bona ſenſibilia, *ſcilicet circa concupiſcentiam*, *& delectationem*: *ex conſequenti autem circa triſtitias*, *quæ contingunt ex abſentia talium delectationum*.

Explicatur definitio, ac probatur ex doctrina, quam ibidem tradit S. Doctor inquiens: *Ad virtutem moralem pertinet conſecutio boni rationis contra paſſiones rationi repugnantes*. *Affectus hujuſmodi*, *qui rationem perturbant*, *alii proſequuntur ſenſibilia*, *& temporalia bona*, *alii refugiunt ſenſibilia*, *& temporalia mala*. Illi rationi repugnant maxime per immoderantiam, ſecundum quod appetitus ſenſitivus in ea bona tendit non ſecundum modum rationis: iſti contrariantur eidem *maxime ſecundum diſceſſum*, *prout aliquis refugiendo mala*, *quæ interdum concomitantur bonum rationis*, *per conſequens diſcedit ab ipſo bono rationis*. Affectus poſteriores regit fortitudo virtus, *quæ primo firmitatem præſtat contra nimios timores*; *ac ſecundo temperat audaciam*, *quæ aggreditur terribilia ſub ſpe alicujus boni*. Igitur par quoque admittenda virtus eſt, ſcilicet *temperantia*, cujus præcipuum munus ſit concupiſcentias comprimere, ac præterea contra nimias triſtitias animum muniat. Qui enim *non immoderate concupiſcit*, *conſequens eſt*, *ut moderate ſperet*, *ac moderate de abſentia concupiſcibilium triſtetur*.

Experimento proprio compertum habemus, ſenſus omnes concupiſcentia, ac delectatione aliqua affici, animumque ex omni ſenſu haurire voluptatem. Sic *aures* delectantur cantu, *oculi* rerum pulchritudine, & elegantia, *nares* odoribus, *lingua* ſapore, & *tactus* cibi, potuſque deliciis, & blanda tactilium ſenſatione. Num ergo circa has omnes delectationes virtus temperantiæ verſatur? Sanctus Thomas de hac quæſtione agit *art.* 4., docetque, temperantiam proprie verſari *circa delectationes ciborum*, *& circa delectationes venereorum*, quibus tactus, & guſtus afficiuntur; adeoque ejus principale munus eſſe eas regere, ac moderari: idque probat ratione ex ipſa indole, ac natura temperantiæ deducta: „ Ita, inquit, eſt temperantia circa concupiſcentias, & delectationes, ſicut fortitudo eſt circa timores, & audacias. Fortitudo autem eſt circa timores, & audacias reſpectu maximorum malorum, quibus ipſa natura extinguitur, quæ ſunt pericula mortis. Unde ſimiliter temperantia oportet, quod ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum “.

„ Et quia delectatio conſequitur operationem, tanto aliquæ delectationes ſunt vehementiores, quanto conſequuntur operationes magis naturales. Maxime autem naturales animalibus ſunt operationes, quibus conſervatur natura individui per cibum, & potum, & natura ſpeciei per conjunctionem maris, & fœminæ. Et ideo circa delectationes ciborum, & potuum, & circa delectationes venereorum eſt proprie temperantia. Hujuſmodi autem delectationes conſequuntur ſenſum tactus (quo nomine etiam *guſtum* intelligit). Unde relinquitur, quod temperantia ſit circa delectationes tactus “; dum nempe preſſe ſumitur. Circa autem concupiſcentias, & delectationes aliorum ſenſuum, ut viſus, auditus, & odoratus haud proprie temperantia verſatur, ſi ſenſibilia eorum ſpectentur, quatenus delectabilia ſunt propter ſui convenientiam: quia ſcilicet ſunt vel pulchra, vel ſonora, vel odorifera; non vero quoad oblectationem, ſive delectationem tactus. Sed ſi ad hujuſmodi tactus delectationem referantur, ad amorem nimirum, vel deſiderium alimenti, aut venereorum, circa illorum ſenſibilium delectationes, & concupiſcentias temperantia quoque verſatur, ſed ſecundario, & ex conſequenti, non autem principaliter.

II. Ex quibus intelligi facile poteſt, quodnam ſit temperantiæ objectum, & quodnam ejus officium. Temperantiæ ſcilicet objectum aliud *materiale* eſt, ac *remotum*, quod conſiſtit in uſu earum rerum, quæ ad naturæ conſervationem, & propagationem neceſſariæ ſunt, ac etiam in ejuſmodi rebus. *Formale* autem, & *proximum* eſt talium rerum amor, & voluptas, ſive delectatio ex perceptione ipſarum proveniens: atque inde officium temperantiæ eſt hujuſmodi cupiditates, ac delectationes moderari, ſive comprimere, ne a mediocritate, aut regula per legem Dei, ac rationis præſcripta recedant.

Regulam hanc, quam temperantia in delectationibus tactus præſcribit, deſumendam eſſe ſecundum neceſſitatem vitæ præſentis docet Sanctus Thomas *art.* 5. Siquidem juxta ſolemne, ac generale illud principium: *Eorum*, *quæ ordinantur ad finem*, *regula eſt ipſe finis*. Omnia autem, quæ tactui, aut guſtui delectabilia ſunt, & in uſum hominis veniunt, ordinantur ad ſublevandam aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſeu indigentiam; adeoque cum illorum finis ſit vitæ præſentis neceſſitas ſublevanda, temperantia non aliam

aliam regulam ſequi debet niſi vitæ neceſſitatem; ut ſcilicet iis delectabilibus utatur, quando, & juxta modum, quem neceſſitas vitæ requirit. Neceſſitatem vero non eam ſolam intelligere oportet, ſine qua res aliqua nullatenus eſſe poteſt; ſed eam etiam, ſine qua convenienter non eſt, ſpectatis nimirum omnibus circumſtantiis ſtatus, honeſtatis, officii, opulentiæ, dignitatis, ſanitatis &c.

Porro ſicut alius finis eſt in uſu alimentorum, qui alius non eſt, niſi conſervatio individui; & alius in uſu venereorum, qui eſt conſervatio ſpeciei per propagationem: idcirco alia pariter eſt regula temperantiæ in uſu utrorumque. Quatenus enim verſatur in eſculentis, & potulentis, ejus regula ordinaria eſt bona corporis valetudo, & mentis ad operationes ſuas diſpoſitio: ad hunc enim finem ſumi debent alimenta; adeoque nec amplius, nec minus; nec alio modo, quam ſecundum rectam rationem ad hunc finem expediat. Quatenus vero verſatur in venereis, temperantiæ regula eſt extra quidem matrimonium penitus ab eis abſtinere; eoquod ſolum matrimonium ad propagationem prolis inſtitutum ſit: in Matrimonio autem eatenus illo uti, quatenus procreatio prolis conſequatur.

§. II.

Temperantiæ partes integrales.

III. Tria veluti genera partium cujuſque cardinalis virtutis diſtinguit S. Thomas: quarum alias vocat *integrales*, alias *ſubjectivas*, alias *potentiales*. Partes *integrales* dicuntur quædam conditiones ad virtutem aliquam requiſitæ. Partes *ſubjectivæ* ſunt diverſæ ejuſdem ſpecies. Partes demum *potentiales* ſunt virtutes acceſſoriæ, ſive adjunctæ, quæ non verſantur circa materiam virtutis principalis, ſed quodam ſimili modo alias materias reſpiciunt; ſive, ut ait D. Thomas, *quæ modum, quem principalis virtus obſervat circa aliquam principalem materiam, eumdem obſervat in quibuſdam aliis materiis, in quibus non eſt ita difficile.*

Itaque duæ ſunt partes veluti integrales temperantiæ, *verecundia*, & *honeſtas*: quoniam hæ duæ conditiones ſunt illam complentes. Verecundia eſt *timor*, *&* *horror turpitudinis*, *&* *vituperii intemperantiam comitantis*: quæ quidem proprie loquendo virtus non eſt, ſed perfectio virtutis, licet quandoque a Santis Patribus *virtus* appelletur. De hac pulchre Sanctus Ambroſius diſſerit *lib.* 1. *Offic. cap.* 18. *&* 43. inquiens: *Ordo vitæ nobis tenendus eſt, & a verecundia prima quædam fundamenta ducantur, quæ ſocia, & familiaris eſt mentis placiditati, proterviam fugitans ab omni alieno luxu, ſobrietatem diligit, honeſtatem fovet . . . . . Pulchra virtus eſt verecundia, & ſuavis gratia, quæ non ſolum in factis, ſed in ipſis ſpectatur ſermonibus, ne modum tranſgrediaris loquendi, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus: ſpeculum enim mentis plerumque in verbis refulget . . . . . Eſt & in oculis verecundia, ut nec videre viros fœmina, nec videri velit. Eſt etiam in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia &c.*

Verecundiæ opponitur *inverecundia*, de qua ibid. S. Ambroſ. ait: *Inverecundum eſt ſenſim ambulando imitari hiſtrionicos geſtus, & quaſi quædam fercula pomparum, ut quotieſcumque gradus transferunt, modulos quoſdam ſervare videantur. Inverecundum quoque curſim ambulare, niſi cum cauſa exigit alicujus periculi, vel juſta neceſſitas. Eſt geſtus probabilis, in quo ſit ſpecies authoritatis, gravitatiſque pondus . . . . Multo magis inverecundum eſt ſiquid turpe ore exeat: non enim cibus coinquinat hominem, ſed injuſta obtrectatio, ſed verborum obſcœnitas. Hæc enim vulgo pudori ſunt . . . Partes corporis, quas natura tegere jubet, detegere, aut ſpectare. Si caſu aperiantur, confunditur verecundia: ſi ſtudio, impudentia æſtimatur* &c.

Quoad *honeſtatem* attinet, quæ eſt pars altera *integralis* temperantiæ, docet S. Thomas *quæſt.* 145. *art.* 1. *&* 2. eam idem eſſe cum *virtute*, *&* *decoro*; illamque attribui potius temperantiæ, quam cæteris virtutibus probat: *Quia honeſtas eſt quædam ſpiritualis pulchritudo: pulchro autem opponitur turpe; oppoſita autem maxime ſe invicem manifeſtant. Et ideo ad temperantiam ſpecialiter honeſtas pertinere videtur: quia id, quod eſt homini turpiſſimum, & indecentiſſimum, repellit; ſcilicet brutales voluptates. Unde & in ipſo nomine temperantiæ maxime intelligitur bonum rationis, cujus eſt moderari, & temperare concupiſcentias pravas. Sic ergo honeſtas, prout ſpeciali quadam ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars ejus non quidem ſubjectiva, ſed ſicut virtus adjuncta, ſive pars integralis ipſius, ſicut quædam ejus conditio.* Huc ſpectant, quæ habet Apoſtolus 1. Corinth. 14.: *Omnia veſtra honeſte, & ſecundum ordinem fiant.* Et Ambroſius loco laudato cap. 43. &c. *Quærendum in omni actu, quid perſonis, quid temporibus conveniat, atque ætatibus. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud ſeni, aliud in periculis, aliud in rebus ſecundis. Non mediocre eſt rebus ſingulis modum ſervare, atque impartiri ordinem, in quo vere prælucet illud, quod decorum dicitur; quod ita cum honeſto conjungitur, ut ſeparari non queat. Siquidem & quod honeſtum, decet; & quod decet, honeſtum eſt.*

§. III.

Virtutes Temperantiæ ſubjectivæ, ſive ſpecies ipſius.

IV. Quatuor ſunt ſpecies temperantiæ, ſcilicet *abſtinentia*, *ſobrietas*, *caſtitas*, *&* *pudicitia*. Cum enim virtutes ab objecto ſpeciem recipiant, temperantiæ ſpecies diſtinguendæ ſunt juxta materiæ, ſive objecti varietatem. Quia vero temperantia verſatur circa delectationes guſtus, & tactus; ſive cibi, & potus, ac venereorum, *abſtinentia* moderatur delectationes, quæ percipiuntur in cibo: *ſobrietas* delectationem potus: *caſtitas* delectationem conjunctionis carnalis:

pu-

pudicitia delectationem amplexuum, aliorumque tactuum ad carnalem conjunctionem diſponentium. De his paucis adnotare lubet.

De Abſtinentia.

Abſtinentia juxta nominis ſui ſignificationem nihil aliud exprimit, niſi *ſubtractionem ciborum*. Duplici ergo in ſenſu ſumi poteſt nomen *abſtinentiæ*, nimirum primo, quatenus abſolute ciborum ſubtractionem deſignat. Et hoc modo abſtinentia non importat neque virtutem, neque actum virtutis, ſed aliquid indifferens. Secundo ſumitur *abſtinentia* pro ſubtractione cibi juxta rectam rationem regulata. Tunc vero ſignificat vel habitum virtutis, vel actum: ad virtutem quippe pertinet, ut homo a cibis abſtineat, *prout oportet*, inquit S. Thomas hic quæſt. 146. art. 1. *pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudine, ſive neceſſitate*. Hinc hæc abſtinentiæ poteſt eſſe definitio; quod nempe ſit *ſubtractio cibi facta ſecundum dictamen rectæ rationis ad ſpiritualem animi utilitatem*.

Varios abſtinentiæ gradus Divina Scriptura commemorat. Primus eſt, quando ab omni cibo abſtinetur ad tempus, ut fecit Moyſes, ac deinde Chriſtus Dominus ad uſque dies quadraginta; & alii, qui vel tribus, vel quatuor, vel pluribus diebus in Sacris Litteris jejunaſſe leguntur. Ab omni namque cibo per aliquod tempus abſtinebant.

Alter gradus eſt, quo a quibuſdam cibis perpetuo abſtinetur; quo pacto ab aliquibus cibis juſſi ſunt Hebræi abſtinere, & abſtinent nunc etiam plures viri religioſi.

Tertius eſt, quo a quibuſdam cibis abſtinetur ad certum tempus; quemadmodum Apoſtoli juſſerunt Gentiles abſtinere *a ſanguine, & ſuffocato*, ut habetur *Act.* 15.

Quartus gradus eſt, quo vel ſemper, vel ad tempus abſtinetur a certo genere potus, ut Sanſon, Judith &c., & Sacerdotes miniſtrantes ad altare.

V. De jejunio, quod peculiaris quædam abſtinentia eſt, ſubinde *quæſt.* 147. agit S. Thomas; circa quod illud in primis obſervandum eſt, quatuor jejuniorum genera diſtingui: *metaphoricum* ſcilicet, *naturale*, *morale*, & *eccleſiaſticum*. Metaphoricum, ſive ſpirituale idem eſt, ac abſtinentia a quibuslibet vitiis, & peccatis, ad quod nos hortatur Petrus Apoſtolus in priore ſua Epiſtola cap. 2. dum ſcribit: *Obſecro vos tamquam advenas, & peregrinos abſtinere a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam*. De hoc jejunio loquitur Sanctus Auguſtinus *tract.* 17. *in Joannem* dicens: *Jejunium magnum, & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi.*

Jejunium *naturale* importat omnimodam abſtinentiam, poſt mediam noctem, ab iis, quæ guſtari poſſunt; adeo ut qui ita jejunat, nihil omnino a media nocte ſumpſerit cibi, potus, medicinæ, aut cujuslibet alterius rei, quæ per modum cibi, vel potus ſumatur. Sumi autem quidpiam intelligitur, quoties deglutitur, ſive in ſtomachum tranſmittitur. Si vero tantum lingua, vel palato ita guſtetur, ut non deglutiatur, ſumptum eſſe minime cenſetur; adeoque naturale jejunium non ſolvitur: ac proinde nec celebrationem Miſſæ, aut Communionem impedit.

Jejunium *morale* eſt illa cibi, ac potus temperantia, quæ ſervatur juxta dictamen rectæ rationis. Hoc jejunium etiam Ethnici ſaltem meliores ſervaverunt, quorum plures Hieronymus recenſet *lib.* 2. *contr. Jovinian. cap.* 9. ac ſervant etiam non raro Infideles.

Tandem jejunium *eccleſiaſticum* ab Innocentio IV. Cap. *Cum ex eo* de obſervat. jejun. deſcribitur *abſtinentia victus, ſeu victualium ſecundum ordinationem Eccleſiæ ſive ſcripto, ſive conſuetudine approbata*. De hoc, cum *de præceptis Eccleſiæ*.

Generatim loquendo jejunium eſſe actum virtutis, ſic oſtendit art. 1. S. Doctor: „ Quia ex „ hoc aliquis actus virtuoſus eſt, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum. „ Hoc autem convenit jejunio. Aſſumitur enim „ jejunium principaliter ad tria. Primo quidem „ ad concupiſcentias carnis reprimendas: Unde „ Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 6. *In jejunio, in* „ *caſtitate*; *quia per jejunia caſtitas conſervatur*. „ Ut enim Hieronymus dicit lib. 2. contr. Jovin. *Sine cerere, & baccho friget venus*, ideſt „ per abſtinentiam cibi, & potus tepeſcit luxuria. Secundo aſſumitur ad hoc, quod *mens* „ *liberius elevatur ad ſublimia contemplanda*. Unde dicitur *Daniel.* 19. quod poſt jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a „ Deo. Tertio *ad ſatisfaciendum pro peccatis*. „ Unde dicitur Joel. 2. *Convertimini ad me in* „ *toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, &* „ *planctu* “.

Id confirmat authoritate Sancti Auguſtini in ſerm. *de Orat. & jejun.* dicentis: *Jejunium purgat animam, mentem ſublevat, propriam carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit.* Ex quo evidenter conſequitur, jejunium eſſe virtutis actum.

Ob ſalutares hoſce fines, planeque neceſſarios homini in hac vita degenti jejunium cadere nedum *ſub præcepto eccleſiaſtico*, verum etiam *ſub præcepto juris naturalis*, certa eſt nedum S. Thomæ, ſed etiam omnium Patrum, ac meliorum Theologorum ſententia. Et de præcepto quidem eccleſiaſtico res eſt omnibus exploratiſſima; illudque in loco explicandum erit. Sed & ſub præcepto naturali contineri, diſerte affirmat Sanctus Thomas hic *artic.* 3. dicens: *Jejunium in communi cadit ſub præcepto legis naturæ*; cujus fundamentum ex eo ſumitur, quod naturalis ratio præſcribit, ut unuſquiſque, qui remedio indiget, illo uti debeat: jejunium autem remedium eſt admodum opportunum ad plures fines ſpirituales, maximeque ad comprimendam rebellionem carnis noſtræ adverſus ſpiritum. Hinc Auguſtinus *de utilit. jejun.* loquens cap. 3. ait: *Si jumento forte inſideres, ſi equo utereris, qui te geſtando poſſet præcipitare; nonne, ut ſecurus iter ageres, cibaria ferenti ſubtraheres, &*

fame

fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea jumentum meum eſt; iter ago in Jeruſalem: plerumque me rapit, & de via conatur excutere. Via autem mea Chriſtus eſt: ita exultantem non cohibebo jejunio?

De ſobrietate.

VI. Sobrietas, prout generatim ſumitur, ſignificat animi moderationem, ſive ſtatum mentis ſibi præſentis, nullaque paſſione, aut perturbatione a menſura deflectentis. Quia vero temperantia a potu nimio præcipue inſervit ad ſtatum mentis integre conſervandum, idcirco temperantia a potu nomen *ſobrietatis* ſibi peculiariter vindicavit. De hac diſſerit Præceptor Angelicus tota *quæſt.* 149. ex qua pauca ſeligo. Primum quod docet, hoc eſt, *materiam ſobrietatis* eſſe *potum*: quia virtutes, quæ ab aliqua generali virtutis conditione denominantur, eam ſpecialiter materiam reſpiciunt, in qua & difficillimum, & optimum eſt eam conditionem integram conſervare. Cum autem *ſobrietatis* nomen a menſura, ac moderatione ſumatur, eamque ſervare in potu optimum, ac difficillimum ſit, ſobrietas ſibi ſpecialiter vendicat nimium potum, qui inducere ebrietatem valet, veluti materiam, quam moderatur, ut in eo menſuram ſervet, quam recta ratio præſcribit. Unde Eccleſ. 31. legitur: *Sanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* „ Et ideo (*concludit*) ſpecialiter „ ſobrietas attenditur circa potum, non quem- „ cumque, ſed eum, qui ſua fumoſitate natus eſt „ caput conturbare, ſicut vinum, & omne, quod „ inebriare poteſt “. Ex hoc autem conſequitur, ipſam ſpecialem eſſe virtutem, quia ſpeciale objectum reſpicit, nempe moderationem in potu, qui ebrietatem cauſare poteſt.

De Caſtitate.

VII. Partem illam temperantiæ, quæ *caſtitas* appellatur, definit S. Thomas 2. 2. quæſt. 151. art. 1. & 3. *quæ concupiſcentiam caſtigat, utiturque moderate licitis delectationibus, quæ venereæ dicuntur.* Ea dividitur in caſtitatem *conjugalem*, quæ abſtinet ab illicitis voluptatibus, licitaſque admittit in conjugio ob finem procreandæ prolis: in caſtitatem *vidualem*, quæ cohibet animum, ne delectationes, quarum experimentum in conjugio habitum eſt, impoſterum quærat: in caſtitatem *communiter dictam*; cujus eſt affectum continere a venereis delectationibus extra conjugium: ac demum in caſtitatem *virginalem*; in qua, ut inquit Sanctus Thomas quæſt. 152. artic. 3. „ id quod eſt formale, & completi- „ vum, eſt propoſitum perpetuo abſtinendi a de- „ lectatione venerea; materiale autem eſt inte- „ gritas carnis abſque omni experimento venereæ „ delectationis.

Virtutis caſtitatis excellentia, ac perfectio conſtat tum ex fortitudine, quam comitem habet; neque enim caſtus unquam eſſe homo poteſt, niſi fortiter impetus concupiſcentiæ ſuſtineat, ac ſubigat: tum quia legem carnis, ſive rebellionem ipſius legi mentis, & ſpiritus ſubjiciat: tum ex fine ejuſdem, qui eſt ſanctitas corporis, & ſpiritus. Denique tanto excellentior caſtitas eſt, quanto graviora ſunt luxuriæ mala, a quibus liberat, & quanto majora bona, quæ ſecum affert. Mens etenim caſta multo melius percipit ea, quæ ſunt Dei, quam animalis homo, qui ea non intelligit. Atque hinc eſt, quod Sanctus Joannes Evangeliſta præ cæteris in contemplandis ſublimibus Chriſtianæ Religionis Myſteriis excelluerit, altiuſque tribus aliis erexerit prædicationem ſuam.

At quamvis tres priores caſtitatis partes ſuo decore, & eximio quidem fulgeant; maximam tamen pulchritudinem prodit *virginitas* inter omnes ſicut difficilior, ita quoque præſtantior. Hanc ſub oculos ponit S. Thomas *quæſt.* 152. *artic.* 1., facta comparatione ad ea, quæ ſunt in venerea completa delectatione, qua prorſus abſtinet virginitas. Tria in ea contingunt. Primum eſt, quod accidit in corpore; ſcilicet carnis integritatis violatio, ſeu reſeratio ſigilli virginalis in fœminis, quodcumque demum illud ſit, quod virgines a maritatis, & corruptis diſtinguit: non enim de virginitatis ſigillo conveniunt inter ſe artis medicæ, ſive anatomicæ Profeſſores. Aliud autem eſt, *in quo conjungitur id, quod eſt animæ, cum eo, quod eſt corporis; ſcilicet reſolutio ſeminis delectationem ſenſibilem cauſans.* Tertium denique ſe habet duntaxat ex parte animæ; ſcilicet *propoſitum perveniendi ad talem delectationem.* Horum primum *per accidens ſe habet ad moralem actum* (inquit Sanctus Thomas) *qui non conſideratur per ſe, niſi ſecundum ea, quæ ſunt animæ.* Unde neque in maribus apparet, & poteſt in feminis contingere ſine voluntaria corruptela. Alterum *materialiter ſe habet ad actum moralem*; hoc eſt materia eſt, ac objectum illius actionis, quæ dicitur *moralis*: quia *ſenſibiles paſſiones animæ ſunt materia moralium actuum*, qui vel eiſdem utuntur, vel abutuntur. Tertium tandem *ſe habet formaliter, & completive: quia ratio moralium in eo, quod eſt rationis, completur.*

„ Quia ergo, ſubdit, virginitas dicitur per re- „ motionem prædictæ corruptionis, conſequens „ eſt, quod integritas membri corporalis *per ac-* „ *cidens* ſe habeat ad virginitatem: ipſa autem „ immunitas a delectatione, quæ conſiſtit in ſe- „ minis reſolutione, ſe habet *materialiter*; Ipſum „ autem propoſitum perpetuo abſtinendi a tali „ delectatione, ſe habet *formaliter*, & completi- „ ve in virginitate “. Hinc reſpondens ad tertium, quod ſibi objecerat, argumentum docet: *Si contingat, quod per alium modum aliquo caſu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quam ſi corrumpatur manus, aut pes.*

VIII. Virginitatem non eſſe illicitam, ut quidam impuri hæretici docuerunt, ſed licitam, atque laudabilem, dogma Fidei eſt; idque tum ex exemplo Chriſti, ac Beatiſſimæ ejus Matris, multorumque Sanctorum comprobatur, tum ex eo, quod nihil illicitum cadit ſub conſilio. Virginitatem autem ſub conſilio cadere, conſtat ex verbis

bis Apoſtoli ajentis 1. ad Corinth. cap. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*: Et poſtea: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem*. Ratio autem id confirmat; quia nimirum ex illa habetur, ut utamur iis quæ ſunt ad finem juxta eam menſuram, quæ congruit fini. Quemadmodum autem bona exteriora ordinantur ad bonum corporis tamquam ad aliquem finem; ita bona corporis ordinantur ad bonum animæ, & ad bona vitæ contemplativæ. Sicut ergo ad rectitudinem rationis pertinet, ut bonis exterioribus quis utatur ſecundum illam menſuram, quæ competit corpori; ita quoque ut utamur bonis corporis ſecundum menſuram, quæ convenit bono animæ. Sed abſtinere ab exterioribus rebus, ut conſulamus ſaluti corporis, bonum eſt, ac laudabile. Igitur ſimiliter bonum eſt, & laudabile abſtinere a delectationibus corporalibus, ut bonum animæ procuremus, & liberius vacemus veritatis contemplationi.

Nec ſolum licitam, & laudabilem eſſe virginitatem, ſed etiam matrimonio præferendam, veluti fide certum tenere debemus adverſus Jovinianum, ac nuperos Lutheranos. Nam, ut ait S. Auguſtinus in lib. *de Virgin.* cap. 19. *Et certa ratione, & SS. Scripturarum authoritate nec peccatum eſſe nuptias invenimus; nec eas bono aut virginalis continentiæ, aut etiam vidualis æquamus*.

Siricius quoque Papa Jovinianum cum ſuis Diſcipulis condemnavit *in Epiſt.* 80. apud S. Ambroſium dicens: *Nos ſane nuptias non aſpernantes accipimus, quibus velamine interſumus; ſed Virginum nuptias Deo devotas majore honorificentia veneramur*. Demum ut alia omittam, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *Can.* 10. anathema tulit in eum, qui dixerit ſtatum conjugalem præferendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus; & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio.

De Pudicitia.

IX. Pudicitiam, quæ poſtrema eſt inter virtutes temperantiæ ſubjectas, ad caſtitatem ſpecialiter pertinere, non quaſi virtus ſit a caſtitate omnino diſtincta, ſed quia quamdam exprimit caſtitatis circumſtantiam, docet S. Thomas hic *quæſt.* 151. *art.* 4., cujus ea ratio eſt: „ Quod nomen *pudicitiæ* a pudore ſumitur, in quo verecundia ſignificatur. Et ideo oportet, quod pudicitia proprie ſit circa illa, de quibus homines maxime verecundantur. Maxime autem verecundantur homines de actibus venereis, ut Auguſtinus dicit *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 18., in tantum quod etiam concubitus conjugalis, qui honeſtate nuptiarum decoratur, verecundia non careat: & hoc ideo, quia motus genitalium membrorum non ſubjicitur imperio rationis, ſicut motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo non ſolum de illa commixtione venerea, ſed etiam de quibuſcumque ſignis ejus &c. Et ideo pudicitia attenditur proprie circa venerea, & præcipue circa ſigna venereorum, ſicut ſunt aſpectus impudici, oſcula, & tactus. Et quia hæc magis ſolent deprehendi, ideo pudicitia magis reſpicit hujuſmodi exteriora ſigna: caſtitas autem magis ipſam veneream delectationem. Et ideo pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſtitatis circumſtantiam quamdam. Interdum tamen unum pro alio ponitur "; caſtitas ſcilicet pro pudicitia, & pudicitia pro caſtitate, ut etiam poſuere plures Eccleſiæ Patres, ac præſertim S. Auguſtinus.

§. IV.

De partibus Temperantiæ, quas potentiales *S. Thomas appellat, ſive de virtutibus adjunctis Temperantiæ.*

X. De partibus temperantiæ *potentialibus*, ſive virtutibus ipſi adjunctis fuſe pertractat Angelicus Doctor per plures quæſtiones a q. 155. De quibuſdam ex ipſis pauca nos agemus, potiuſque earumdem ſolas notiones aſſignabimus.

Continentia.

Continentia hoc loco non ſumitur pro virtute, qua quis ab omni abſtinet venerea delectatione, & cum ipſa confunditur caſtitate virginali, aut viduali: ſed pro virtute quadam, qua homo ſtrenue obſiſtit pravis delectationibus, quæ vehementer ipſum ad malum ſollicitant. Ita tamen continentia, inquit S. Thomas, virtus eſt, ut quanto *ſtrictius* accipitur, tanto ſit major ac perfectior virtus. Dum ſimpliciter, & abſolute ſumitur, circa concupiſcentias delectationum tactus verſatur tamquam proprium objectum, quia illæ maxime impellunt ad aliquid proſequendum adverſus rationem. Circa concupiſcentias autem pravas aliarum rerum non abſolute dicitur *continentia*; ſed cum adjecta expreſſione certæ materiæ, veluti *continentia iræ*, *continentia avaritiæ*, *continentia honoris*, quemadmodum docuit Ariſtoteles.

Clementia.

XI. Hæc virtus eſt, qua animus ad lenitatem in exigenda pœna propendet, ſive eſt lenitas ſuperioris adverſus inferiorem, aliquid ex debita pœna remittentis, prout id patitur ratio juſtitiæ, ſpectatis ſcilicet circumſtantiis facti, cauſæ, perſonæ, aliiſque. Nec ſolum pœnas reis debitas moderatur; ſed quandoque etiam juſtis de cauſis præſtat, ut omnino remittantur: ſicut fecit Chriſtus Dominus cum adultera muliere, cui pœnam juxta legem debitam remiſit dicens: *Nemo te condemnavit, mulier; nec ego te condemnabo: vade, & jam noli amplius peccare.*

Man-

Manſuetudo.

XII. Affinis clementiæ *manſuetudo* eſt; eaque definiri poteſt virtus, quæ moderatur iram juxta dictamen rectæ rationis, ut ſcilicet homo non iraſcatur, niſi quando, quoties, quam ob cauſam, & quomodo oportet. Hanc virtutem præ cæteris docuit Chriſtus Dominus, dum ſe ejuſdem exemplum propoſuit dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde;* quam & maxime commendavit inquiens: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* De hac S. Baſilius in pſal. 33. ſcribit: *Maxima omnium virtutum manſuetudo eſt, eo quod in beatitudinum numerum relata eſt.* Et in Conſtit. Monaſt. cap. 14. *Manſuetudo patientiæ mater eſt, quæ conjuncta benignitati, præſtantiſſimam omnium virtutum charitatem* efficit. Et S. Joan. Chryſoſt. hom. 19. in epiſt. ad Rom. *Quomodo poterit quis fieri filius Dei? ſi manſuetudinem erga conviciatores oſtenderit? Nihil enim ita conformem Deo facit, ac iſta virtus. Ideo Paulus, cum dicit:* Imitatores Dei eſtote, *ad hoc dicit, ut iſti ſtudeamus virtuti.*

Modeſtia.

XIII. Modeſtia virtus eſt, quæ interiores, & exteriores hominis actiones, in quibus modum ſervare non adeo difficile eſt, moderatur. Externos corporis motus componit, ut nihil in eis ſit, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod interioris hominis deceat ſanctitatem. *Amictus* namque *corporis*, ut dicitur Eccleſ. cap. 19. *& riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo.* Efficit hæc virtus, ut *nihil torvum, nihil elatum ſit in oculis*, ut cum Ambroſio loquar lib. de Virginibus, *nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum ſit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac tanquam lucernæ lux intus poſita foris luceat.* Circa alia quatuor modeſtia quoque verſatur; nempe circa appetitum celſitudinis, quam refrænat *humilitas*: circa amorem ſciendi, quem moderatur *ſtudioſitas*, ne nimium excedat: circa apparatum exteriorem, qui fit in veſtibus, ſupellectili, & aliis hujuſmodi: & circa ludos, & jocos. Quamquam enim joci, & ludi ad quamdam animi ex contemplatione, & vehementi attentione defeſſi quietem utiles ſint; in eorum tamen uſu tria præcipue ſunt cavenda; primum ne hujuſmodi delectatio quæratur in actionibus, aut verbis turpibus, vel noxiis; ſecundo ne gravitas animi omnino reſolvatur; ac tertio ut ludi congruant perſonæ, tempori, loco. Hæc autem virtus *Eutrapelia* frequentius appellari ſolet: de qua poſtea; ſicut & de modeſtia in exteriore apparatu.

Taciturnitas.

XIV. Hæc virtus ſermones regulat, ac moderatur juxta illud pſal. 38. *Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: poſui ori meo cuſtodiam.* Quæ verba expendens S. Ambroſius lib. 2. de Officiis ait: „ Sapiens ergo, qui „ novit tacere. Ideo ſancti amabant tacere... Quis „ eſt enim, qui non delinquat in lingua ſua? Et „ ideo Pſalmiſta, quia neminem videbat ſanctum, „ os ſervare poſſe ab immunditia ſermonis, ipſe „ ſibi ſilentio legem poſuit innocentiæ, ut tacen„ do culpam declinaret, quam vix effugere poſ„ ſet loquendo. Quid igitur mutos eſſe nos opor„ tet? Minime: eſt enim tempus tacendi, & tem„ pus loquendi. Deinde, ſi pro otioſo verbo „ reddimus rationem; videamus, ne reddamus „ & pro otioſo ſilentio *&c.* Igitur alliga ſermo„ nem tuum *&c.* ſit reſtrictior, & ripis ſuis co„ erceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. „ Sit ori tuo oſtium, ut claudatur ubi, & quan„ do oportet; & obſeretur diligentius.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Vitiis oppoſitis Temperantiæ, ac virtutibus adnexis.

DOCTRINA.

I. *Doctrina S. Thomæ præmiſſa de vitiis temperantiæ oppoſitis.*

II. *Duo ſunt temperantiæ oppoſita vitia; inſenſibilitas, & intemperantia.*

III. *De vitio incontinentiæ, quod proprie conſiſtit in illicitis delectationibus tactus.*

IV. *De vitio curioſitatis, quod ſtudioſitati opponitur. In quo ſitum illud ſit.*

V. *Quadrupliciter hoc vitium incurritur ex parte cognitionis* intellectivæ.

VI. *Duobus autem modis ex parte cognitionis* ſenſitivæ.

VII. *Vitium iſtud nonnunquam peccatum mortale eſt.*

VIII. *De vitio modeſtiæ oppoſito, prout illa conſiſtit in actibus externis; ac primum de ludo. Quo pacto* ludus *accipiatur.*

IX. *Ludus moderatus licitus eſt, ac virtutis actus. S. Thomæ doctrina.*

X. *Vitium damnabile eſt, dum requiſitas conditiones non ſervat. Quænam hæ ſint, exponitur.*

XI. *Doctoris Angelici doctrina, quoad exceſſum in ludo, obſervanda.*

XII. *Mens S. Doctoris quoad hiſtriones, & artem hiſtrionatus, clara in luce collocatur.*

XIII. *Immunes a culpa non ſunt, qui principaliter ludunt propter lucrum.*

XIV. *De vitio modeſtiæ oppoſito, prout hæc ſpectat exteriorem apparatum. Decens, & moderatus laudabilis eſt, ac actus virtutis.*

XV. *Immoderatus ſemper eſt vitioſus. Ex duplici capite immoderatio procedit.*

XVI. *Etiam* per defectum *peccatur aliquando contra hanc modeſtiæ partem.*

XVII. *De vano, ac ſuperfluo mulierum ornatu.*

S. Thomæ doctrina de hoc argumento propoſita, & explicata.

XVIII. *Quænam ex hac S. Præceptoris doctrina certo colligantur.*

XIX. *Si Scriptura, ac Patres conſulantur, grave ſæpe peccatum eſſe vanum, & immoderatum mulierum ornatum, aſſerere neceſſum eſt.*

XX. *Extrema in hac materia rigoris, & laxitatis devitanda. S. Antonini judicium.*

§. I.

De vitiis Temperantiæ oppoſitis generalis doctrina.

I. NOn de omnibus quidem vitiis, quæ temperantiæ, ac virtutibus eidem adnexis opponuntur, hic agendum ſumimus, quoniam de quibuſdam, & quidem præcipuis juxta methodum, quam nobis præſtituimus, opportunius alibi differendum erit: ſed de aliquibus duntaxat, de quibus in aliis tractatibus diſputatio habenda non eſt. Ac primum quæ temperantiæ generatim inſpectæ oppoſita ſunt, exponimus D. Thomam ſecuti, qui de hoc argumento differens 2. 2. *quæſt.* 142. *artic.* 1. ſolidam hanc, atque elegantem doctrinam præmittit; unde huic materiæ lux maxima affulget. Sic ergo ait, „ Omne illud, quod contrariatur ordini naturali, eſt vitioſum. (*En generale principium*). Natura autem delectationem appoſuit operationibus neceſſariis ad vitam hominis. Et ideo naturalis ordo requirit, ut homo in tantum hujuſmodi delectationibus utatur, quantum neceſſarium eſt ſaluti humanæ, vel quantum ad conſervation em individui, vel quantum ad conſervationem ſpeciei. Si quis ergo in tantum delectationem refugeret, quod prætermitteret ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſervationem naturæ, peccaret, quaſi ordini naturali repugnans. Et hoc pertinet ad vitium *inſenſibilitatis* “.

Subdit tamen appoſite Sanctus Doctor, ne quis ſua doctrina abutatur: „ Sciendum tamen, quod ab hujuſmodi delectationibus conſequentibus hujuſmodi operationes quandoque laudabile, vel etiam neceſſarium eſt abſtinere propter aliquem finem: ſicut propter ſanitatem corporalem aliqui abſtinent a quibuſdam delectationibus ciborum, potuum, & venereorum: & etiam propter alicujus officii executionem; ſicut athletas, & milites neceſſe eſt a multis delectationibus abſtinere, ut officium proprium exequantur. Et ſimiliter pœnitentes ad recuperandam animæ ſanitatem abſtinentia delectabilium, quaſi quadam diæta utuntur: & homines volentes contemplationi, & rebus divinis vacare, oportet, quod ſe magis a carnalibus deſideriis abſtrahant. Nec aliquid prædictorum ad inſenſibilitatis vitium pertinet: quia ſunt ſecundum rationem rectam “.

II. Hac præmiſſa doctrina, duo ſunt vitia, quę temperantiæ generatim conſideratæ opponuntur; *intemperantia* ſcilicet, & *inſenſibilitas*. Illa opponitur per exceſſum, iſta per defectum. Inſenſibilitas tunc dicitur, quando aliquis ita delectationes guſtus, & tactus refugit, & averſatur, ut nolit eis uti, quando, ubi, quomodo, vel quantum iis utendum eſſe recta ratio præſcribit. Adverſus quippe naturalem ordinem delinquit, qui renuit eas operationes exequi, quæ ad vitam neceſſaria ſunt: adeo ut ſi quis ad vitandam delectationem, quam in ſumendo cibo experitur, hunc ſumere penitus nollet, peccaret mortaliter, ſuæque ipſius mortis, quæ inde conſequeretur, reus eſſet; quemadmodum etiam ſiquis ob eamdem cauſam haud vellet uxori petenti reddere debitum. Sed hoc vitium valde rarum eſt inter homines.

Frequentius longe eſt vitium *intemperantiæ*, quo videlicet delectationes ſenſiles, ac præcipue guſtus, & tactus appetuntur, aut quæruntur *plus, quam oportet, ubi, quando, vel quomodo non oportet* juxta rectæ rationis regulam. *Puerile* hoc vitium tum ab Ariſtotele, tum a S. Thoma appellatur *hic art.* 2. non ea de cauſa, quod puerorum proprium ſit, ſed quia homines efficit pueris effrænatis ſimillimos. Sicut enim puer ordinem rationis non attendit, ſed naturam animalem unice ſequitur; adeoque non id appetit, quod ſecundum rationem honeſtum eſt, ſed quod turpe, aut intemperans: ita quoque homo, qui intemperantiæ vitio ſe abſtrahi, & abduci ſinit.

Præ cæteris quibuſque vitiis intemperantiam eſſe maxime exprobrabilem oſtendit ſubinde *art.* 4. tum quia maxime derogat dignitati, & excellentiæ humanæ, cum voluptates ſenſibiles communes ſint brutis animalibus, & propter eas homo *comparetur jumentis inſipientibus, & ſimilis illis efficiatur*; tum quia in actibus intemperantiæ nihil, ſicut in aliis quibuſdam vitiis, elucet ingenii, nihil virtutis, nihil quod hominem deceat, quin potius ex hoc vitio abjiciatur ad inferiora, ſervuſque reddatur rerum viliſſimarum juxta illud 2. Apoſtoli Petri c. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*.

§. II.

De vitio incontinentiæ.

III. Quum de vitiis, quæ opponuntur abſtinentiæ, & caſtitati, *gula* ſcilicet, & *luxuria* ſermonem alibi ſimus habituri, idcirco ad illa progredimur, quæ ſunt oppoſita virtutibus temperantiæ adjunctis; ac primum ad vitium continentiæ oppoſitum, nimirum *incontinentiam*. Vitium hoc ad animam proprie pertinet, quæ proprie, & per ſe incontinentiæ cauſa eſt. Siquidem quantumlibet vehementes ſint paſſiones in appetitu concupiſcibili, ſufficiens tamen incontinentiæ cauſa non ſunt: poteſt enim homo, dum viget uſus rationis, iis paſſionibus ſemper reſiſtere, ne voluntas conſentiat. Equidem ex corporis temperamento inſurgunt in appetitu ſentiente, qui reſidet in organo corporeo, paſſiones valde vehementes: quia tamen qualiſcumque complexio corporis occaſionem tantum incontinentiæ præbet, non cauſam;

ſam; propterea non ad corpus referenda incontinentia eſt, ſed ad animum, qui eſt proprie dicta cauſa ipſius.

Hæc autem *incontinentia* proprie, & ſimpliciter ſumpta, quæ nempe verſatur circa illicitas delectationes tactus, peccatum eſt ex duplici capite; ſcilicet tum quia per eam deſerit homo rectæ rationis judicium; tum quia incontinens ſenſualitati obſequens ſe ipſum turpibus, atque homine indignis voluptatibus immergit. Minus tamen grave peccatum eſſe docet Sanctus Thomas hic *art.* 3. peccatum ex incontinentia, quam ex intemperantia commiſſum. Quoniam ubi major eſt inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi majus peccatum eſt. In eo autem, qui intemperatus eſt, eſt major inclinatio voluntatis ad peccandum, quam in incontinente: incontinens enim non peccat, niſi ab aliqua paſſione tentatus, & abreptus; intemperans vero etiam paſſionem prævenit, eligitque peccare: unde ejus voluntas longe corruptior eſt. Hujus diſcriminis ſignum in eo ſe prodit, quod qui per incontinentiam peccat, ſtatim peccati ſui pœnitere ſolet; non autem is, qui peccat per intemperantiam, cum hic potius ex eorum numero ſit, qui, ut Scriptura loquitur, *lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

§. III.

De vitio Curioſitatis.

IV. Studioſitati, quæ virtus eſt temperantiæ adjuncta, & appetitum ſciendi, vel cognoſcendi moderatur, opponitur per exceſſum vitium *curioſitatis*, quæ ſi generaliter conſideretur, pro objecto reſpicit quæcumque fieri poſſunt, vel cognoſci, vel acquiri, immo & ea, quæ haud licet agere, cognoſcere, vel acquirere: atque adeo ſic accepta denotat ſuperfluam curam circa res aliquas cognoſcendas. Si vero preſſius accipitur, definiri poteſt *nimius, aut ſuperfluus appetitus ſciendi*; habetque pro objecto cognitionem, ſeu cognitionis deſiderium, & curam, quæ rectæ rationis menſuram prætergreditur. Sed quia duplex cognitio eſt, *intellectiva* altera, altera *ſenſitiva*; ideo de utraque quæſtionem movet S. Thomas hic *quæſt.* 67.

Primum itaque ſtatuit *art.* 1. aliter judicandum eſſe de ipſa cognitione veritatis: & aliter de appetitu, & ſtudio veritatis cognoſcendæ. Et quidem ipſa cognitio veritatis ex ſe bona ſemper, ac laudabilis eſt. *Sed ipſe appetitus, vel ſtudium cognoſcendæ veritatis poteſt habere rectitudinem, vel perverſitatem.* Hoc autem contingit ex duplici capite: altero, *prout aliquis tendit ſuo ſtudio in cognitionem veritatis, prout per accidens jungitur ei malum: ſicut illi, qui ſtudent ad ſcientiam veritatis, ut exinde ſuperbiant ... Similiter etiam illi, qui ſtudent addiſcere aliquid ad peccandum, vitioſum ſtudium habent, ſecundum illud Jerem.* 9. Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt.

V. Altero ex capite vitium eſſe poteſt in appetitu ſciendi *ex ipſa inordinatione appetitus, & ſtudii ad diſcendam veritatem. Et hoc quadrupliciter.* Primo nempe, ſi quis animum intendat cognitioni minus proficuæ, minuſque neceſſariæ, ut ea addiſcere negligat quæ vel neceſſaria ſunt, vel magis utilia; veluti ſi ſupervacaneis aut Philoſophorum, aut Theologorum quorumdam diſputationibus ſeſe applicet, in iiſque tempus inſumat, nihil curans, ſi Theologus ſit, Scripturarum libros, & Sanctorum Patrum lectionem: aut, ſi ſit Juriſconſultus, leges, & Canones Juris ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtici. Adverſus hos eſt illud Apoſtoli 2. ad Timoth. ſcribentis cap. 1. *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones devita ſciens, quia generant lites.* Et illud ad Tit. 3. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: Sunt enim inutiles, & vanæ.*

Secundo: quatenus ſtudet aliquis addiſcere ab eo, a quo non licet: quemadmodum contingit in iis, qui aliqua futura a Dæmonibus, vel a Magis perquirunt. Unde S. Auguſtinus in lib. de vera Relig. cap. 19. ait: *Neſcio, an Philoſophi impedirentur a fide vitio curioſitatis in percontandis Dæmonibus.*

Tertio: quoties homo appetit veritatem cognoſcere circa creaturas, non referendo ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei, quales erant illi Philoſophi, de quibus Apoſtolus loquitur: *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Unde loco laudato ſcribit Auguſtinus, quod *in conſideratione creaturarum non eſt vana, & peritura curioſitas coercenda: ſed gradus ad immortalia, & ſemper manentia faciendus.*

Quarto tandem, quatenus aliquis animum applicat ad veritatem cognoſcendam ſupra proprii ingenii facultatem: quoniam ex hoc facile homines in errores labuntur. Quapropter Eccleſiaſt. 3. monet Sapiens: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus.* Et poſtea ſequitur: *Multos enim ſupplantavit ſuſpicio eorum, & in vanitate detinuit ſenſus eorum.* Hinc etiam Proverb. 25. dicitur: *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria.*

VI. Quod ſpectat vitium curioſitatis *circa cognitionem ſenſitivam*, obſervat primum S. Doctor, cognitionem hanc ad duo ordinari. *Uno modo,* inquit, *tam in hominibus, quam in aliis animalibus ordinatur ad corporis ſuſtentationem: quia per hujuſmodi cognitionem homines, & alia animalia vitant nociva, & conquirunt ea, quæ ſunt neceſſaria ad corporis ſuſtentationem. Alio modo ſpecialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel ſpeculativam, vel practicam.* Quo poſito duplex in ea vitium contingere decernit. Primo quatenus ſenſitiva cognitio non ordinatur ad aliquid utile, ſed potius ab aliqua utili conſideratione hominem avertit. Unde Auguſtinus *lib.* 10. *Confeſſ. c.* 35. ait: *Canem currentem poſt leporem jam non ſpecto, cum in circo ſit: an vero in agro, ſi caſu tranſeam, avertit*

tit me fortaſſe ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe convertit illa venatio : & niſi, jam mihi demonſtrata infirmitate mea, cito admoneas, virtus hebeſcit.

Altero modo vitioſa eſt hujuſmodi cognitio, ſi directe, vel interpretative ordinetur ad aliquod peccatum, vel peccandi periculum : cujuſmodi ſunt curioſæ inſpectiones perſonarum diverſi ſexus, ludorum, & ſpectaculorum, in quibus obſcœna repræſentantur, inquiſitiones de aliorum factis ex animo, ut proximi famæ detrahatur, vel alicui moleſtia creetur.

VII. Quamquam autem curioſitas, dum ex objecto ſuo tantummodo conſideratur, peccatum veniale ſit; non raro tamen mortale peccatum eſſe poteſt. Et primo quidem *ratione materiæ*; ut ſi res, vel cognitio ipſius de ſe graviter illicita ſit, vel admodum noxia, aut periculoſa, vel ſi facultatem ingenii longe excedat, neque Deus eam revelaverit, & tamen eam quis ingenio ſuo comprehendere nitatur. Ita lethaliter peccant, qui pacto inito cum Dæmone vel expreſſo, vel tacito quærunt aliqua cognoſcere; item qui libros de Amoribus tractantes legunt cum periculo conſentiendi turpibus delectationibus; qui Fidei myſteria naturæ viribus aſſequi conantur &c.

Secundo *ratione formæ*, ſeu *modi* : ut quando interdictum ab aliqua lege eſt legere, videre, aut audire aliqua; & nihilominus iis legendis, videndis, aut audiendis intenditur. Qua de cauſa lethaliter peccant, qui legunt libros prohibitos, qui ſcire volunt, quæ ad ſigillum Sacramentalis Confeſſionis pertinent: Religioſi e Monaſteriis exeuntes ad audiendas leges, vel medicinæ præcepta; & excommunicationem etiam incurrunt, ſi intra duos menſes ad monaſterium non revertantur.

Tertio *ratione medii illiciti*, quod ad ſciendum quidpiam adhibetur: veluti ſiquis alium ad peccatum mortale, aut ad detegendum naturale ſecretum inducere velit, ut eam, quam quærit, cognitionem aſſequatur.

Demum *ratione gravis detrimenti*, aut pravi effectus conſequentis : ut ſi pro ſtudio rerum, quæ neceſſariæ non ſunt, negligat aliquis, quæ ſub mortali ſcire tenetur, ut quæ fidem ſpectant, vel proprium ſtatum, & officium; aut ſi ex appetitu immoderato ſciendi, quodcumque mortale peccatum committat.

§. IV.

De vitio Modeſtiæ oppoſito, prout in exterioribus motibus conſiſtit; ac præſertim de ludo.

VIII. Quemadmodum modeſtia moderatur, ac regit exteriores corporis motus; ita, quidquid inordinatum, & incompoſitum eſt in hiſce motibus, modeſtiæ opponitur. Quia vero de hoc genere modeſtiæ agens S. Thomas quæſt. 168. ſermonem præſertim habet *de ludo*, & vitiis ejuſdem; ideo nos quoque de hoc argumento agemus valde neceſſario, propter ejuſdem frequentes, graveſque abuſus, qui in ipſo contingunt. Hic autem advertere opus eſt, quod tametſi *ludus*, *jocus*, & *luſus* ſæpius invicem confundantur; differunt tamen inter ſe. Nam *ludus* proprie dicitur in factis: *jocus* in verbis, & *luſus* ad voluptatem referri ſolet: quia ſolius voluptatis cauſa ſit, non aliqua lucri ſpe, aut periculo damni; quod tunc frequentius appellatur *ludus*, de quo ſermo erit in Tractatu *de Juſtitia*.

IX. Quidquid ſit de nominis acceptione, *ludum*, prout ad honeſtam voluptatem ordinatur, ad modeſtiam, quæ in externis motibus ſervanda eſt, revocat Doctor Angelicus; ſicut ad vitium eidem oppoſitum, ſi modum, aut menſuram excedat, aut alio fine aſſumatur. Et quidem ludum poſſe eſſe virtutis actum, ita primum oſtendit *art. 2.* inquiens: „ Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non poteſt continue laborare propter hoc, quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur; ita etiam eſt ex parte animæ, cujus etiam eſt virtus ſimilis ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando ultra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; præſertim quia in operationibus animæ ſimul etiam laborat corpus, in quantum ſcilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini. Et ideo, quando anima ſupra ſenſibilia elevatur, operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſive homo intendat operibus rationis practicæ, ſive ſpeculativæ: magis tamen ſi operibus contemplationis intendat; quia per hoc magis a ſenſibilibus elevatur: quamvis forte in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ major labor corporis conſiſtat . . . . Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem; ita etiam oportet, quod fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem ".

Hac ſolida generali doctrina præmiſſa, pergit S. Doctor ad ejuſdem applicationem, & ait: „ Quies autem animæ eſt delectatio, ut ſupra habitum eſt, cum de paſſionibus ageretur. Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermiſſa intenſione ad inſiſtendum ſtudio rationis . . ., . Hujuſmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur niſi delectatio animalis, vocantur *ludicra*, vel *jocoſa*. Et ideo neceſſe eſt talibus interdum uti, quaſi ad quamdam animi quietem ".

Hoc confirmat Sanctus Thomas authoritate Ariſtotelis 4. *Ethic.* dicentis; quod *in hujus vitæ converſatione quædam requies cum ludo habetur* : adeoque interdum laudabile eſt, & moraliter etiam naturæ noſtræ neceſſarium, ut hiſce jocis, aut ludis utamur. Et tunc hujuſmodi moderati joci, vel ludi ad eam modeſtiæ partem revocantur, quæ græce vocatur *eutrapelia*, *quam nos*, inquit

inquit Angelicus, *poſſumus dicere jucunditatem*, *vel urbanitatem*, *aut comitatem*.

X. Ex notione *virtutis* fas eſt facile intelligere, quid ſit vitium ipſi oppoſitum, quod propter affinitatem ſæpe a multis cum virtute confunditur. In quod vitium incurrunt ii, qui conditiones non ſervant ad honeſtum jocum, vel ludum neceſſarias. Primo nempe, dum animi relaxationem, aut delectationem quærunt verbis, aut operationibus turpibus, aut alteri injurioſis, vel quomodolibet nocivis; dum ſcilicet vel obſcœna, vel alteri damnoſa in materiam luſus, aut joci vertuntur. Unde Tullius lib. I. Offic. *duplex*, ait, *eſt jocandi genus*: *unum illiberale*, *petulans*, *flagitioſum*, *obſcœnum*; *alterum elegans*, *urbanum*, *ingenioſum*, *facetum*. Primum ſolet eſſe grave peccatum, niſi materiæ levitas a gravi quandoque excuſet: alterum ad virtutem pertinet.

Secundo: ſi per jocos, aut ludos animæ gravitas omnino reſolvatur; neque enim ludicris, aut jocoſis vacare licet amplius, quam oporteat. Quare peccant, qui ita ludis, vel jocis intendunt, ut in ea delectatione finem ultimum ſibi conſtituere videantur: quorum ſane non paucos invenire eſt, qui totum nempe, aut fere totum in ludis vitæ tempus conſumunt. Hos redarguit vel ipſe Tullius lib. laudato: *Neque enim ita generati a natura ſumus*, *ut ad ludum*, *& jocum facti eſſe videamur*, *ſed ad ſeveritatem potius*, *& ad quædam ſtudia graviora*, *atque majora*. Peccant etiam ob hujus conditionis defectum, qui tametſi in ludicris actionibus finem ultimum non conſtituant, nimium ſe dedunt ludi voluptati, adeo ut rectæ rationis limites tranſiliant. Nam, ut idem Tullius ait, *ludo*, *& joco uti quidem licet*, *ſed ſicut ſomno*, *& quietibus cæteris tum*, *cum gravibus*, *ſeriiſque rebus ſatisfecerimus*: *ipſumque genus jocandi non profuſum*, *nec immodeſtum*, *ſed ingenuum*, *& facetum eſſe debet*.

Tertio peccant, qui ludis, & jocis, quamvis ſecundum ſe moderatis, honeſtis, & perſonæ, loco, ac tempori congruentibus ita utuntur, ut non omnino obſervent alias circumſtantias, quæ ad actum virtuoſum generatim conſideratæ deſiderantur; quas vix, aut nunquam obſervant, qui huic voluptati ſtudere ſolent.

XI. Verum in hac re præſtat afferre doctrinam Doctoris Angelici, qui defectus in ludo, prout ad voluptatem aſſumitur, egregie de more patefacit *art.* 2. ubi quærit, *an in ſuperfluitate ludi poſſit eſſe peccatum?* Sic autem reſpondet: „In omni eo, quod eſt dirigibile ſecundum rationem; *ſuperfluum* dicitur, quod regulam rationis excedit. Diminutum autem dicitur aliquid, ſecundum quod deficit a regula rationis. Dictum eſt autem, quod ludicra, ſive jocoſa verba, vel facta ſunt dirigibilia ſecundum rationem. Et ideo ſuperfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter: uno modo ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludum . . . quando ſcilicet utitur aliquis cauſa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum: quæ de ſe ſunt *peccata mortalia*. Et ſic patet, quod exceſſus in ludo eſt peccatum mortale".

„Alio autem modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundum defectum debitarum circumſtantiarum; puta cum aliqui utuntur ludo vel temporibus, vel in locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, ſeu perſonæ. Et hoc quidem quandoque *poteſt eſſe peccatum mortale* propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis uti non refugit. Quandoque autem eſt *peccatum veniale*; puta ſi aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere".

XII. Difficultatem in hac materia faceſſere poſſunt, quæ habet S. Thomas in reſponſione ad tertium argumentum. Ibi objecerat ille: *Maxime hiſtriones in ludo videntur ſuperabundare*, *qui totam ſuam vitam ordinant ad ludendum*. *Si ergo ſuperabundantia ludi eſſet peccatum*, *tunc omnes hiſtriones eſſent in ſtatu peccati*. *Peccarent etiam omnes*, *qui eorum miniſterio uterentur*; *vel qui eis aliqua largirentur*, *tamquam peccati fautores*: *quod videtur eſſe falſum* &c.

Quid vero ad hoc argumentum reponit ille? „Dicendum, inquit, quod, ſicut dictum eſt, ludus eſt neceſſarius ad converſationem humanæ vitæ. Ad omnia autem, quæ ſunt utilia converſationi humanæ, deputari poſſunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum. Nec ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis. Et quantumvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad ſe ipſos, & ad Deum, alias habent ſerioſas, & virtuoſas operationes . . . . Unde illi, qui moderate eis ſubveniunt, non peccant; ſed juſte faciunt, mercedem miniſterii eorum eis tribuendo. Si qui autem (ſubjicit) ſuperflue ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos homines, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes. Unde Auguſtinus dicit ſuper Joan., *quod donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane*, *non virtus*".

Hoc S. Doctoris teſtimonio abutuntur nonnulli, ad patrocinium Comœdiarum, ac Spectaculorum Theatralium illud pertrahentes, quæ hodiedum in uſu ſunt. Sed perperam omnino. Nam tametſi nomen *hiſtrionum* commune ſit cum illis, qui & olim apud Gentiles ita appellabantur, & nunc quoque appellantur; re tamen longe differunt ab iis, qui ævo D. Thomæ, proximiſque temporibus obtinebant; quemadmodum jam plures antiquitatis ſcrutatores obſervarunt, & ex ipſo S. Thomæ textu evidenter colligitur.

A ſæculo nempe Æræ Chriſtianæ XIII. ſublatis publicis Theatris, qui *hiſtriones* vocabantur, in privatis domibus verſus recitare conſueverunt, inſtrumentis muſicis adhibitis, ad populi levamen; prout etiam modo aliqui in vicis, aut domibus faciunt ad ſubſidium ſibi aliquod conquirendum. De his itaque *hiſtrionibus* cum aliis illius temporis Theologis Sanctus Thomas loquutus eſt; *non eſſe* nempe *illicitum ſecundum ſe hiſtrionum officium, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, nec illos eſſe in ſtatu peccati: dummodo moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis*. Et nunc quoque illicitum non foret, ſi hujuſmodi conditiones ſervarentur. Cæterum quia temporum progreſſu, abuſus in hoc officio plurimi introduci cœperunt, & hiſtriones, & quæ aſſumuntur ad delectationem, frequentius verba, & facta turpia, & obſcœna ſunt, vel flagitioſa, quæ peccare potius docent, quam a peccato animum avertant; idcirco jure a melioribus Theologis hiſtrionis officium tamquam pravum reprobatum eſt, ac reprobari meretur.

XIII. Cum animi recreatio, aut ſolamen ſit finis, ad quem ludus ordinatur, conſequitur, non ſine culpa eſſe, qui ludit principaliter propter lucrum; vel lucrum in ipſo ludo nimium avide quærit. Eſt enim in hoc quædam ordinis perverſio, dum quod ad aliquem finem ſuapte natura ordinatur, ad alium detorquetur. Damnandi tamen non ſunt, qui ludentes præter honeſtum animi ſolamen exiguum aliquod lucrum adjiciunt, quod tamquam finem non intendunt. Cæterum caute in hoc ſe gerere oportet: quoniam experientia ſatis frequenti conſtat, nihil minus ſæpius intendi, quam animi levamen, quoties lucrum proponitur, maxime ſi lucrum pecuniarum ſit. Videmus quippe tunc ludentes tanto mentis ardore in ludum incumbere ad victoriam aſſequendam, ut nihil aliud cogitent, quam evadere victores. Hinc in his, qui ita ludunt, admodum raro ludus actus virtutis eſt: quod ſi virtutis actus non eſt; non poteſt non eſſe niſi actus aliqua vitii labe corruptus. Sed de ludo lucratorio alibi dicemus.

§. V.

De vitiis, quæ Modeſtiæ *opponuntur, prout ſpectat exteriorem apparatum.*

XIV. Duobus articulis, quibus conſtat *quæſtio* 169. hujus ſecundæ ſecundæ partis, totam Sanctus Thomas materiam abſolvit, quæ modeſtiam ſpectat in exteriori apparatu, obſervandam, ac vitia, quæ eidem ita conſideratæ opponuntur; quos explicare, & aliquantulum illuſtrare præſtat, ut in re admodum neceſſaria vera doctrina innoteſcat.

Quod igitur primum quærit, hoc eſt: *utrum in exteriori apparatu poſſit eſſe virtus, & vitium;* primumque profert Sancti Ambroſii authoritatem ex lib. 1. de Offic. cap. 19. ubi ait: *Decor corporis non ſit affectatus, ſed naturalis, ſimplex, neglectus magis, quam expolitus, non pretioſis, & albentibus adjunctus veſtimentis, ſed communibus, ut honeſtati, vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitoris*. Ex qua colligit, in exteriori cultu *virtutem eſſe poſſe, & vitium*. Nimirum corporis ornamenta inſtituta ſunt nedum ad naturam fovendam, ac a temporis injuriis protegendam, ſed etiam ad ſtatum, conditionem, ac ſexus diſtinctionem indicandam. Unde ſicut in corpore phyſico membrorum diſtinctio eſt, & diſpoſitio cuique parti corporis conveniens; ita quoque congruum fuit, ut corpus politicum ſuis membris conſtet, quæ ſignis, & ornatibus diſtinguantur, ut ex partium varietate, & idonea diſpoſitione utriuſque corporis phyſici, atque politici pulchritudo conſurgat. Hinc membra, quæ in corpore utroque altius eminent, ac nobiliora ſunt, ornatiora cæteris eſſe rerum naturæ conforme eſt; adeoque ut viri nobiles, & Magiſtratus cultioribus præ aliis veſtibus induantur, ut ſui ſtatus, aut officii dignitas manifeſtetur. Quod Sanctus Thomas approbat in reſp. ad 2. hiſce verbis: *Illi, qui in dignitatibus conſtituuntur, vel etiam Miniſtri Altaris pretioſioribus veſtibus, quam cæteri, induuntur, non propter ſui gloriam, ſed ad ſignificandam excellentiam ſui miniſterii, vel cultus divini: & ideo in eis non eſt vitioſum.* Addit tamen, eiſdem, qui dum Altari miniſtrant, convenienter utuntur pretioſis veſtibus, *competere vilibus veſtibus uti, dum alios verbo, & exemplo ad pœnitentiam hortantur, ſicut fecerunt Prophetæ*.

XV. At vero ſi exterior apparatus virtutis actus eſt, dum eam, quæ par eſt, ſpectata conditione, ac dignitate cujuſcumque, moderationem ſervat; ita vitioſus efficitur propter hujus defectum: quod ex duplici capite contingit. *Uno quidem modo*, inquit Sanctus Thomas, *per comparationem ad conſuetudinem hominum, cum quibus aliquis vivit; quoniam*, ut ait Sanctus Auguſtinus, *quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt* &c. *Turpis enim eſt pars univerſo ſuo non congruens*. Ut ſi quis erigeret magnifica ædificia, & ea ornaret pretioſiore ſupellectili, vel majore ſervorum comitatu uteretur, quam ſui ſtatus conditio, vel hominum conſuetudo ferat.

Alio modo poteſt eſſe immoderantia in uſu talium rerum ex inordinato affectu utentis: Ex quo quandoque contingit, quod homo nimis libidinoſe talibus utatur, ſive ſecundum conſuetudinem eorum, cum quibus vivit, ſive præter eorum conſuetudinem. In his etenim, inquit S. Auguſtinus lib. 3. de doctrin. Chriſt. *Non rerum uſus, libido tamen utentis in culpa eſt*. Hinc S. Gregorius Magnus *hom.* 40. *in Evang.* ſcribit: *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet: nemo quippe veſtimenta pretioſa* (hoc eſt ſupra ſuum ſtatum, & dignitatem) *niſi ad inanem gloriam quærit; videlicet ut honoratior cæteris eſſe videatur*.

Porro

Porro inordinatum hujuſmodi affectum tripliciter contingere notat S. Præceptor. Primum ex hoc, quod *aliquis ex ſuperfluo cultu veſtium hominum gloriam quærit, prout ſcilicet veſtes, & alia hujuſmodi pertinent ad quemdam ornatum.* Secundo, quatenus *homo per ſuperfluum cultum veſtium quærit delicias, ſecundum quod veſtis ordinatur ad corporis fomentum.* Tertio, prout *nimiam ſollicitudinem apponit ad nimium veſtium cultum, etiamſi non ſit aliqua inordinatio ex parte finis.*

XVI. Quemadmodum autem vitioſa inordinatio per exceſſum eſſe poteſt in cultu veſtium, aliorumque, quæ ad externum apparatum pertinent; ita pariter eſſe poſſe per defectum, hoc eodem articulo docet S. Thomas. *Uno quidem modo*; inquit, *ex negligentia hominis, qui non adhibet ſtudium, vel laborem ad hoc, quod exteriori cultu utatur, ſecundum quod oportet .... Alio modo, quod ipſum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat. Unde dicit Auguſt. in lib. 2. de ſerm. Dom.* in Monte, *non in ſolo rerum corporearum nitore, atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus lutuoſis eſſe poſſe jactantiam, & eo periculoſiorem, quod ſub nomine ſervitutis Dei decipit.* Ac ſtatim: *Qui in profeſſione Chriſtianitatis inuſitato ſquallore, ac ſordibus intentos in ſe oculos hominum facit, cum id voluntarie faciat, neceſſitate patiatur; ex cæteris ejus operibus poteſt conjici, utrum id contemptu ſuperflui cultus, an ambitione aliqua faciat: quia & ſub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcipit.*

§. VI.

De vano mulierum ornatu.

XVII. Quamquam ea, quæ modo dicta ſunt de apparatu exteriore, non minus ad mulieres, quam ad viros pertineat; peculiarem tamen ſermonem de ornatu mulierum inſtituendum putavit S. Thomas hoc titulo; *utrum ornatus mulierum ſit ſine peccato mortali?* Quandoquidem præter ea, quæ utrique ſexui communia ſunt, ſpeciale quidpiam occurrit circa mulierum ornamenta; quod videlicet muliebris cultus viros ad libidinoſos affectus plurimum provocare ſoleat, eique ſexui magis familiare ſit tum pulchritudinem, tum ornatum affectare, ut experientia liquet.

Quid in hac valde implexa quæſtione doceat laudato articulo S. Thomas; primum aperio; quędam ſubinde adjiciam ad doctrinæ ſuæ, ac veritatis ampliorem declarationem. In primis itaque diſtinguit mulierem conjugatam a ſoluta: Ac de illa docet, licite operam dare ornatui moderato, *ut viro ſuo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur*; ſcilicet ne eam fortaſſe maritus faſtidiat, ac dimiſſo affectu uxoris propriæ, pravum erga alienam mulierem amorem concipiat. Unde 1. *ad Cor.* dicitur, quod *mulier, quæ nupta eſt, cogitat, quæ ſunt Mundi, quomodo placeat viro*; quod clarius inſinuat 1. ad Timoth. c. 2. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: Per quod* ſubdit Sanctus Thomas ad 2. *datur intelligi, quod ſubtilis, & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus.*

Quod ſi etiam in eo ornatu, ad hunc finem aſſumpto placendi viro ſuo, mulier excedat, nonniſi venialiter peccabit; modo ille ex aliquo alio capite illicitus non ſit, ex. gr. ſcandali aliorum, aut gravis damni familiæ, de quo poſtea. Quoniam dum exceſſus eſt in re, ſeu appetitu rei, quæ non eſt ex ſe mala, nec ex alio capite mala evadit, exceſſus ejuſmodi per ſe loquendo non eſt, niſi veniale peccatum.

De aliis vero mulieribus ita ſubinde docet S. Thomas: *Illæ mulieres, quæ virum non habent, nec volunt habere, vel ſunt in ſtatu non habendi; non poſſunt abſque peccato* (lethali, de quo loquitur) *appetere, placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum: quia hoc eſt dare eis incentivum peccandi. Et ſi quidem hac intentione ſe ornent, ut alios provocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant: ſi autem ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc eſt de viris. Unde Auguſtinus dicit in Epiſt. ad Poſſidium*: „ Nolo, ut de ornamentis auri, vel veſtis præproperam habeas „ in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque conjugati ſunt, neque conjugari cupientes „ cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi „ autem cogitant, quæ ſunt Mundi, quomodo „ placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis: niſi quod capillos nudare fœminas, quas „ etiam velare Apoſtolus jubet, nec maritatas „ decet ". *In quo tamen caſu*, ſubdit, *poſſent aliquæ a peccato excuſari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, ſed propter contrariam conſuetudinem; quamvis talis conſuetudo non ſit laudabilis.*

XVIII. Ex hac S. Thomæ doctrina plura habemus, quæ facem veritati in hac obſcura materia ſplendidiſſimam accendunt. Habemus primo, licere mulieribus conjugatis ſe ſtudio aliquo ornare ob hunc finem, qui rationis ordini conſentaneus eſt, ut placeant viris ſuis, eoſque avertant ab alienarum mulierum amore.

Habemus ſecundo, idem licitum eſſe puellis, quæ matrimonio jungi volunt, ut ſibi honeſtum amorem concilient, dummodo in ornatu non excedant, neque periculum ſit, ut alios ad peccandum alliciant, aut ille ſit immoderatus, & meretricius.

Habemus tertio, mulieribus, quæ nec viros habent, quibus placere debeant, nec habere volunt, vel in ſtatu non ſunt habendi, ut Virgines, quæ Deo ſe manciparunt, maximeque Moniales, nullo modo convenire nimium corporis ornatum: &, ſi illum adhibeant, *ut placeant virorum aſpectibus*, ad concupiſcentiam in illis excitandam, aut immoderato cultu corporis ſui incentivum peccandi præbeant, ſemper mortaliter peccare.

Habemus quarto, mulieres ſe ſuperflue ornantes, non intentione provocandi alios ad venerem, ſed vel ex quadam animi levitate, vel ex quadam vanitate mulieribus familiari, ut nempe de

pulchritudine, & corporis ſui elegantia laudentur, *quandoque ſolum peccare venialiter*, ut ait Sanctus Thomas; qui conſulto uſus eſt hac limitatione *quandoque*; quoniam ſæpe contingit, ex alio capite eſſe peccatum mortale, ut dicemus.

XIX. Profecto ſaltem frequenter grave peccatum eſſe vanum, & immoderatum mulierum ornatum, ſive Scripturas, ſive Patres conſulamus, affirmare neceſſe eſt. His quippe locutionibus adverſus illum utuntur, quæ mulieres æternæ ſalutis ſuæ ſollicitas ab eo maxime deterrere deberent. Vehemens admodum comminatio eſt, quam intentat Iſaias *cap.* 3. Judæorum fœminis ſuperfluo ornatu comptis, quem ipſe deſcribit his verbis: *Et dixit Dominus: pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant* &c. *& compoſito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Quæ verba, quantum vana hæc ornamenta Deus abominetur, ſatis enunciant.

Quam facile homines ad laſciviam attrahant ornatæ mulieres, inſinuat Sapiens *Eccleſiaſtes* cap. 9. dum ait: *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit ..... Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt: colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Paria habet cap. 42. *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Sanctus quoque Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 3. his verbis muliebrem ornatum perſtringit, de mulieribus dicens: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Alia prætereo; ſicut etiam Sanctorum Patrum ſententias, quorum duntaxat indicabo loca; Tertulliani lib. *De cultu fœminar.* cap. 11. Cypriani lib. *de Diſcipl. & Hab. Virginum.* S. Auguſt. *lib.* 3. *de Doctr. Chriſt.* cap. 12. S. Joan. Chryſoſt. *homil.* 17. *in Matth.* S. Greg. Mag. *hom.* 40. *in Evang.* Qui omnes ita vituperant, ac damnant ſuperfluum mulierum ornatum, ut ſatis manifeſtent, illum a gravi peccato immunem, generatim loquendo, non exiſtimaſſe.

XX. Verum hac in re extrema devitanda eſſe cenſeo, adeo ut nec mulieres ob exceſſum ornamentorum præcipiti judicio lethalis peccati ſontes arguamus, nec etiam nimia facilitate a peccato abſolvamus. Malitia namque ſive gravis, ſive levis hujuſce criminis colligenda eſt ex pluribus circumſtantiis, quæ ſubeſſe ſolent; nempe ex fœminarum ſtatu, conſcientia, morum integritate, aut pravitate, ex expenſis, quæ propter ornatum fiunt, ex conditione familiæ, aliiſque. Quare ſubſcribo prudenti judicio Sancti Antonini Archiepiſcopi Florentini ita loquentis: „ Quantum ad ipſum ornatum in ſe, duo poſſunt ibi vitia inveniri; ſcilicet ſuperfluitas expenſæ, quæ pertinet ad prodigalitatem: & incentivum, & excitativum libidini, ad quod illud inducit. Et quantum ad ſuperfluitatem, quúm non omnis prodigalitas ſit mortale, ſed aliquando, & frequentius veniale; ideo iſto reſpectu non poterit illud judicari mortale, niſi fuerit valde evidens, & enormis exceſſus. Quantum autem ſit ille exceſſus quoad ſuperfluitatem ornatus, qui faciat mortale, fateor me neſcire dare regulam generalem, nec de facili poſſe dari, nec reperio aliquem dediſſe. Unde prudentiæ, & arbitrio boni viri relinquendum eſt. In quantum vero ipſe ornatus mulieris eſt provocativus ad luxuriam, videtur ibi diſtinguendum de occaſione data ſufficienter, vel accepta. Poterit autem eſſe tantus exceſſus, quod erit ibi occaſio etiam data ex parte mulieris ſe ornantis. Quale autem ſit iſte exceſſus, ut mortale valeat judicari, ad arbitrium boni viri videtur dimittendum. *Boni viri*, dico, non ſolum in conſcientia, ſed in ſufficienti peritia circa hujuſmodi. Sed ex his, quæ notat Alexander de Ales, non de facili debent hujuſmodi mulieres de mortali condemnari “.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

CONSECTARIA

Duorum præcedentium Capitum.

I. *Delectationes ſenſibiles homini non conveniunt, niſi ſint juxta rationem.*

II. *Cum homo ſuſtentare corpus debeat, non poteſt ab omnibus corporeis delectationibus abſtinere.*

III. *Neceſſitas humanæ vitæ, quæ regula temperantiæ eſt, dupliciter attenditur;* ſimpliciter *nempe, &* moraliter.

IV. *Graviter peccat adverſus temperantiam, qui delectatur vel comeſtione carnis humanæ, vel potu humani ſanguinis: nec iis uti licet etiam in caſu neceſſitatis.*

V. *Jejunium naturale non frangitur, niſi aliquid ſumatur, quod vel nutriat, vel nutrire queat.*

VI. *Interdum jejunium ob circumſtantias vitioſum efficitur.*

VII. *Præceptum naturale jejunii nonnumquam obligat præter tempus ab Eccleſia conſtitutum.*

VIII. *Peccant aliquando mortaliter, qui inordinato affectu feruntur in ſtudium veritatum, etiam ad intellectualem cognitionem pertinentium.*

IX. *A peccato immunes ſæpe non ſunt joci, & ludi.*

X. *Ludere propter lucrum etiam moderatum non eſt ſine aliqua culpa.*

XI. *Licet exterior apparatus vilior, quam deceat,*

non

non ſit approbandus; *ſuppetere tamen cauſæ poſſunt*, *cur laudabilis ſit*.

XII. *Muliebris ornatus*, *qui de ſe ad luxuriam provocat*, *ſemper eſt lethale peccatum*.

XIII. *Etiam ob ſola gravia incommoda*, *quæ ſæpe familiæ affert muliebris ornatus*, *grave peccatum eſt*.

XIV. *Mulieres ſine peccato non utuntur fucis*, *ac pigmentis ad pulchritudinem ementiendam*.

XV. *Quorumdam Caſuiſtarum de hac re rejicienda ſententia eſt*.

XVI. *Peccato non caret*, *quod vir muliebri*, *aut mulier virili veſte utatur*.

XVII. *Caute ſe gerere debet Confeſſarius in directione mulierum*, *vanis ac ſuperfluis ornamentis utentium*.

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUum natura appetat, quod ſibi eſt conveniens, delectationes ſecundum ſe hominis appetitui conveniunt. *Quia vero*, ut animadvertit Sanctus Thomas q. 141. art. 1. *homo in quantum hujuſmodi*, *eſt rationalis*, *conſequens eſt*, *quod delectationes ſint homini convenientes*, *quæ ſunt ſecundum rationem*. *Et ab his non retrahit temperantia*, *ſed potius ab his*, *quæ ſunt contra rationem*. Ex quo colligitur, quod uti delectationibus juxta temperantiæ regulam, contrarium non eſt inclinationi humanæ naturæ, immo conveniens: contrarium tamen eſt *inclinationi naturæ beſtialis*, *non ſubjectæ rationi*; quam inclinationem homo ſequi non debet.

Conſectarium Secundum.

II. „ Quia ratione homo uti non poteſt (verba ſunt Sancti Thomæ hic *q*. 142. *art*. 1. *ad* 2.) ſine ſenſitivis potentiis, quæ indigent organo corporali, neceſſe eſt, quod homo ſuſtentet corpus ad hoc, quod ratione utatur. Suſtentatio autem corporis fit per operationes delectabiles. Unde non poteſt eſſe bonum rationis in homine, ſi abſtineat ab omnibus delectationibus. Secundum tamen quod homo in exequendo actum rationis plus, vel minus indiget corporali virtute, ſecundum hoc plus, vel minus neceſſe habet delectabilibus corporalibus uti. Et ideo homines, qui hoc officium aſſumpſerunt, ut contemplationi vacent, & bonum ſpirituale, quaſi quadam ſpirituali propagatione, in alios tranſmittant, a multis delectabilibus laudabiliter abſtinent, a quibus illi, quibus ex officio competit operibus corporalibus, & generationi carnali vacare, laudabiliter non abſtinent “. Seria meditatione Angelica hæc doctrina digna eſt.

Conſectarium Tertium.

III. Neceſſitas humanæ vitæ, quæ eſt temperantiæ regula, dupliciter attendi poteſt, ſcilicet *ſimpliciter* & *moraliter*, quatenus eſt aliquid vitę humanæ conveniens: temperantiæ autem regula nedum primam, ſed alteram etiam neceſſitatem reſpicit. Unde temperatus recte appetit tum ea, ſine quibus e. g. ſanitas haberi non poteſt, tum illa, quæ ad bonam corporis valetudinem conferunt. „ Alia vero, *inquit S. Thomas art*. 6. *ad* 2. *quæſt*. *citatæ*, quæ ad hoc non ſunt neceſſaria, poſſunt dupliciter ſe habere. Quædam enim ſunt impedimenta ſanitatis, vel bonæ habitudinis. Et his temperantia nullo modo utitur: hoc enim eſſet peccatum contra temperantiam. Quædam vero ſunt, quæ non ſunt his impedimenta: & his moderate utitur pro loco, tempore, & congruentia eorum, quibus convivit. Et ideo Philoſophus dicit, quod *etiam temperatus appetit talia delectabilia*; quæ ſcilicet non ſunt neceſſaria ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem, non impedimenta his exiſtentia “.

Conſectarium Quartum.

IV. Cum juxta D. Thomam hic *art*. 6. *ad* 3. temperantia reſpiciat neceſſitatem quantum ad convenientiam vitæ, & etiam quantum ad convenientiam honeſtatis, ad peccatum contra temperantiam referri debet, quod quis delectetur vel comeſtione carnium humanarum, vel potu humani ſanguinis, aut peccatis carnalibus, quæ propter turpitudinem, & horrorem, quem ingerunt, *innominabilia* dicuntur. Hinc illicitum ſemper eſt, ac mortale peccatum veſci carne humana, ſaltem extra graviſſimam neceſſitatem. An vero hac neceſſitate urgente eiſdem carnibus veſci liceat, diſputant Authores. Nihilominus probabilior mihi ſententia eſt nunquam licere: quia ſemper hoc cum hominis natura pugnare videtur, & ſemper veluti ferinum quoddam, atque immane habitum eſt, quod aliqui ejuſmodi alimento uterentur, etiam in arctiſſima obſidione civitatum. Unde in obſidione Samariæ, quæ refertur 4. *Reg*. *cap*. 6. in qua *venundabatur caput aſini octoginta argenteis*, *& quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis*, neque Eliſeus, neque alius quiſpiam legitur conſuluiſſe populo fame oppreſſo, ut humanis cadaveribus, quæ præſto eſſe poterant, veſcerentur.

Conſectarium Quintum.

V. Jejunium naturale non frangitur, niſi aliquid ſumatur, ac ſaltem in via ſit, ut trajiciatur ad ſtomachum, quod vel nutriat, vel ad nutriendum idoneum ſit; uti ſunt quilibet cibus, potus, medicinæ, & quidquid ſumitur per modum cibi, vel potus, quemadmodum tradit S. Thomas *in* 4. *diſt*. 8., & Adrianus pariter *in* 4. dicens: *Jejunium naturale eſt carentia cibi*, *& potus ſuſcepti in ſtomacho*, *vel in via ad ſtomachum*. Unde ſi quis vel caſu, vel data opera deglutiret glandem plumbeam, vel partem ferri, videtur non fregiſſe naturale jejunium.

Conſectarium Sextum.

VI. Quamquam jejunium ex genere ſuo ſit actus virtutis, vitioſum tamen ſæpe efficitur ex circum-

cumſtantiis adjunctis. Hinc merito reprobavit Deus *Iſai.* 58. Hebræorum jejunium de cauſa, quam expreſſit dicens: *Ecce in diebus jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*; & paulo poſt: *Ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impio*. Quod exponens S. Gregorius in Paſtor. inquit: *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incaſſum ergo per abſtinentiam corpus atteritur, ſi inordinatis motibus dimiſſa mens vitiis diſſipatur*. Et Sanctus Auguſtinus in ſerm. 230. de orat. & jejun.: *Jejunium verboſitatem non amat, divitiarum ſuperfluitatem judicat, ſuperbiam ſpernit, eleemoſynam commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere, quod eſt infirmum, & fragile*.

Conſectarium Septimum.

VII. Quoniam ex doctrina S. Thomæ *jejunium in communi cadit ſub præcepto legis naturæ*; ſiquidem ex naturali ratione tenetur quiſque ad ea media adhibenda, quæ neceſſaria ſunt triplici fini jejunii expoſito, maximeque ad cohibendas concupiſcentias carnis noſtræ: ex hoc colligere oportet, quod jejunio, etiam præter tempora ab Eccleſia ſtatuta, uti debeamus eo modo, tempore, & quantitate, qua ad illum præſertim finem obtinendum neceſſe eſt. Qui carnem magis effrænem experitur, majore, aut frequentiore jejunio opus habet, ut eam comprimat. In hujuſmodi autem jejunio non requiritur, ut eam formam, & modum ſervet, qui in jejunio Eccleſiaſtico præſcribitur: ſed formam illam, modumque jejunandi obſervare debet, qui carni in officio continendæ magis idoneus eſt, ab iiſque potiſſimum cibis abſtinere, qui ejuſdem rebellionem fovere poſſunt. Hæc doctrina a Confeſſariis, & Directoribus animarum diligenter advertenda eſt.

Conſectarium Octavum.

VIII. Peccant, & nonnumquam mortaliter, qui nimio, & inordinato appetitu feruntur in ſtudium veritatum etiam ad intellectualem cognitionem pertinentium; tum quia ſæpe, quæ ſui ſtatus & officii propria ſunt, omittunt, aut valde negligunt, ob curioſitatis effectum, quo aliis minus utilibus veritatibus pernoſcendis totum, aut fere totum tempus impendunt: tum etiam quia tanto erga ſtudium amore quandoque afficiuntur, ut illud tamquam finem ultimum ſibi præfigant, non minus ac voluptuoſi delectationem, aut avari divitias: tum demum quia plerumque cognitiones, quas acquirere peroptant, non referunt in Deum ſummam, & perfectiſſimam veritatem. Hinc D. Thomas hic *quæſt.* 67. *art.* 1. *ad* 1. obſervat, *bonum quidem hominis conſiſtere in cognitione veri: non tamen ſummum hominis bonum conſiſtere in cognitione cujuslibet veri, ſed in perfecta cognitione ſummæ veritatis: & ideo eſſe poſſe vitium in cognitione aliquorum verorum, ſecundum quod talis appetitus non debito modo ordinatur ad cognitionem ſummæ veritatis, in qua conſiſtit ſumma felicitas*.

Conſectarium Nonum.

IX. Tametſi joci, & ludi moderati liciti ſint, ac honeſti; frequentius tamen illiciti evadunt ob carentiam circumſtantiarum, quæ ad eos honeſtandos neceſſariæ ſunt. Certe qui hæc animi oblectamenta nimium frequentant, ſine culpa non ſunt. Nam, ut ait Tullius in lib. 1. de offic. *Non ita generati a natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora*. Quare a peccato non ſunt immunes, qui plures horas diei in jocis, ac ludis etiam citra aliorum damnum inſumere ſolent: eo præſertim, quod hi vix indigeant hoc remedio ad levamen animi ſerioſis ſtudiis defatigati; ac ludo non propter finem levandi animum, ſed propter ludum ipſum, ac delectationem, quam in eo percipiunt, duntaxat utantur. Unde oportet, ut illud ejuſdem Tullii ob oculos ſemper habeamus; nimirum: *Ludo, & joco uti quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tum cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus*.

Conſectarium Decimum.

X. Ludere propter lucrum principaliter intentum, non eſt ſine aliquo peccato ſaltem veniali (non loquor modo de ludis violentis, in quibus magna pecuniarum ſumma ſorti exponitur; ſed de ludis ordinariis). Finis namque ludi ſola animi curis aliis defeſſi recreatio eſt, aut ſolamen; non lucrum: adeoque pervertit ordinem, & ludum a ſuo nativo fine detorquet, qui lucrum principaliter intendit. Quælibet autem in actionibus noſtris inordinatio peccatum aliquod ſecum affert. Quapropter tamquam falſa rejicienda eſt ſententia Cardinalis de Lugo, aliorumque Probabiliſtarum, qui in ludo principaliter ad lucrum ordinato nullam peccati labem agnoſcunt.

Conſectarium Undecimum.

XI. Peccari quidem poteſt, ſaltem venialiter, *per defectum* contra *modeſtiam* in exteriore apparatu ſervandam; ut ſiquis ex. gr. externo veſtitu per negligentiam viliore, quam debeat, uteretur. Vitioſum tamen non eſt, ut quiſpiam adhibeat vel habitum, vel externum alium apparatum viliorem, quam conſuetudo ferat eorum, cum quibus vivit, ob aliquem finem virtuoſum, dummodo & ſocialem vitam non perturbet, & abſit ab illo jactantia omnis, aut inanis gloria, aut alia quævis intentio prava; ſed pura, ac rationabili intentione moveatur, veluti ad ſui humiliationem, ad corporis macerationem, ad agendam pœnitentiam, ad ædificationem proximi. Hinc reprehenſione digni non ſunt, qui in Cœnobiis Religioſorum degentes vilem habitum geſtant, modo talem non aſſumant, qui notabiliter ab habitu aliorum differat.

Con-

Conſectarium Duodecimum.

XII. Muliebris ornatus, ſi hujuſmodi ſit, ut de ſe ad luxuriam alliciat, & provocet, ſemper eſt peccatum mortale. Talis eſſe ſolet ornatus, qui *meretricius* dicitur, ex eo quod illo utantur meretrices ad pertrahendum homines ad turpem ſui amorem. Quare ſi ornatum ſimilem adhibeant etiam aliæ mulieres honeſtæ, licet eamdem pravam intentionem non habeant, nihilominus graviter peccant: quia ſcandali occaſionem proximo præbent. Audiamus, quid de hac re ſenſerit Magnus Sanctus Carolus in monitis ad Confeſſarios italico ſermone conſcriptis, quæ latine reddo: *Peccat etiam lethaliter mulier in modo ſe ornandi, veluti ſi ornatus ad laſciviam inducat aut de ſe, aut interpretative, ſive communi hominum interpretatione; ſicut etiam, quamvis de ſe non inducat, ſi agnoſcat ipſa, aut cum fundamento dubitet, occaſione talis ſe ornandi modi, haud conſueti inter alias ſui ſtatus perſonas, aliquem ad inhoneſtum ſui amorem inductum iri.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Immodicus mulierum ornatus non infrequenter lethale peccatum eſt ob gravia, quæ ex illo proficiſcuntur, incommoda. Hoc conſectarium expono, afferendo pauca quædam ex pluribus, quæ habet de hoc argumento Sanctus Bernardinus Senenſis *ſerm.* 46. *artic.* 2. de vano, & immoderato ornatu mulierum verba faciens: „ Nocent, inquit, hujuſmodi mulieres pauperibus devoratis, quibus illa, quæ expenduntur „ in pompis, & jocalibus, atque vanitatibus „ ſuis, reſtitui deberent. Devoravit enim illos „ Pater ſuus, ſive Maritus per uſuras, rapinas, „ furta, ſimonias, aut per quaſcumque concuſſiones. Pereunt illi fame, frigore, & nuditate: nubileſque puellæ expoliatorum clauſæ, & „ innuptæ retinentur in domo, laceratis veſtibus, vix carnes operientes, verecundæ, & „ timidæ vix coram aliquo comparentes. Parvuli panem petunt &c. Et tu vanitatis inſatiabilis lupa, ſanguinem pauperum cum cauda „ per terram trais, faſtoſas pompas jactanter oſtentas ".

Neque hic conſiſtunt mala, quæ ex immoderatis mulierum ornamentis, & pompis non raro proveniunt. Eadem referre perſequitur *artic.* 3. idem Sanctus Bernardinus dicens: „ Ex vanitatibus veniunt mala temporalia. Nam qui diligenter advertit, ex multitudine expenſarum, „ quæ in vanitatibus fiunt, primo ceſſant juſta „ lucra: ſecundo creſcunt temporalia damna: tertio cogunt ad hæc prædicta continuanda. Primo quidem ceſſant juſta lucra. Nam pecunia, „ quæ expenditur in ſuperfluis indumentis, in „ monilibus, in annulis, in coronis, in lapidibus pretioſis, atque in ſuperfluis aliis ornamentis, mortua perſeverat, quæ quidem poteſt eſſe lucroſa in mercaturis, in poſſeſſionibus &c., „ & in aliis quibuſcumque &c. ": aliaque plura ibidem habet, quæ prætereo. Quæ ergo mulier, ob nimium ornamentorum appetitum, ac ſtudium, aut horum, aut aliquorum ex his cauſa malorum eſt, a mortali peccato immunis nullatenus eſſe videtur.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Abſque peccato fucis, aut pigmentis, mulieres, aut etiam viri vultum ſuum non adulterant, ut pulchritudinem ementiantur. Ita D. Thomas hic *q.* 169. *art.* 2. *ad* 2. ubi ait: „ Mulierum fucatio eſt quædam ſpecies fictionis, „ *quæ non poteſt eſſe ſine peccato*. Unde Auguſtinus dicit in epiſt. ad Poſſid. *Fucari pigmentis, quo rubicundus, vel candidior appareas, „ adulterina fallacia eſt: qua non dubito, etiam „ ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis*, (ſcilicet maritis) *permittendæ ſunt fœminæ ornari „ ſecundum veniam, non ſecundum imperium*. „ Non ſemper tamen (ſubdit) talis fucatio eſt „ cum peccato mortali; ſed ſolum quando fit „ propter laſciviam, vel in Dei contemptum: in „ quibus caſibus loquitur Cyprianus (cujus locum ſibi objecerat). Sciendum tamen (addit „ ſtatim), quod aliud eſt fingere pulchritudinem „ non habitam, & aliud occultare turpitudinem „ ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujuſmodi "; quod permittere videtur. Cæterum ad ſolam majorem pulchritudinem conciliandam, etiamſi alius deſit pravus affectus, pingere fucis, aut coloribus vultum, ſemper aliquod peccatum eſſe juxta doctrinam S. Thomæ dicendum omnino eſt, utpote *quamdam fictionis ſpeciem*.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Hinc tamquam falſa repudianda eſt aliquorum Caſuiſtarum ſententia, qui fucare pigmentis vultum ad pulchritudinem ementiendam, nullum eſſe peccatum pertendunt, ſed actionem indifferentem, non S. Thomam ſecuti, ſed potius P. Leſſium, qui *lib.* 4. *cap.* 4. præter alia, quæ de mulierum vanis ornamentis tradit a veritate aliena, hæc habet: *Denique pingere faciem, eique varios colores inducere, non eſt per ſe malum, ſed indifferens: ſimiliter per hoc intendere, pulchritudinem artificio juvare, ac exornare opus naturæ. Ergo nihil hic mali, niſi ratione exceſſus in affectu, & uſu rei indifferentis.*

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Peccato quoque non caret, quod mulier virili, vel vir muliebri veſte utatur. Ut enim docet Sanctus Thomas hic *art.* 1. & *art.* 2. *ad* 3. „ Cultus exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem. Et ideo vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo: & præcipue, „ quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur in lege . . . . . Poteſt tamen „ quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab „ ho-

„ hoſtibus, vel propter defectum alterius veſti-
„ menti, vel propter aliquid aliud hujuſmodi “. Quod ſi abſque ſimili cauſa hæc habitus mutatio fiat, ſed ſolum ex quadam levitate animi, & abſit tam ſcandalum quam intentio, periculumque libidinis, non excedit culpam venialem. Nec objici poteſt, prohibitionem factam in lege *Deuteron. c.* 22. iis verbis eſſe conceptam, ut grave peccatum indicare videatur. Prohibetur enim, *ne mulier inducatur veſte virili*, *nec vir veſte fœminea*; additurque immediate: *Abominabilis enim eſt apud Deum, qui facit hæc*; quæ plane locutio plus, quam veniale peccatum deſignat. Reſpondetur enim, præceptum illud conſiderari poſſe, ac debere & ut *poſitivum*, ſive *cæremoniale*; quatenus ea mutatio veſtium tunc temporis prohibebatur, ut Judæi averterentur a cultu Idololatriæ, in quo Gentiles tali habitus mutatione utebantur, quemadmodum loco eodem advertit S. Thomas: & quatenus eſt *morale*, ſive *naturale*, prout ea veſtis mutatio quamdam inordinationem importat. Sub priore conſideratione lethale peccatum erat: Sed quia præcepta *cæremonialia* legis jam obligare deſiverunt; ideo nunc tota obligatio non mutandi habitum repetenda eſt ex ſola lege morali, ſeu naturali, quæ non eſt ſub gravi culpa, dum mutatur habitus ex ſola levitate, aut vanitate citra ſcandali periculum.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Caute ſe gerere debet Confeſſarius in directione mulierum vanis, ac ſuperfluis ornamentis utentium, ne imprudenter aut in nimium rigorem, aut laxitatem declinet. Si cultus, aut ornatus ejuſmodi ſit, ut vel ex ſe, vel ex circumſtantiis ad libidinem provocet, licet hac intentione careant, abſolutionem denegare ipſis debent, dum ab illo abſtinere abnuunt. Similiter ſi expenſæ, quas in hiſce ornamentis faciunt, aut ſuperent domus facultates, aut propter eas debita non ſolvant, aut ea non reſtituant, quæ reſtituere tenentur, aut alia id genus incommoda obveniant, quæ gravis peccati materia ſint, deneganda ipſis abſolutio eſt. Quod ſi nullum ex his damnum interſit, ſed ſola vanitatis, aut levitatis culpa locum habeat in hiſce, quæ adhibent, ornamentis, etiam, atque etiam hortetur, ut tales deferant vanitates, quæ minime decent Chriſtianas mulieres, quarum proprius decor debet eſſe modeſtia in omnibus ſuis actibus, maximeque in veſtitu juxta illud Apoſtoli, præſcribentis 1. *ad Timoth. cap.* 2. mulieribus, ut *ornent ſe cum verecundia*, *& ſobrietate*, *non in tortis crinibus*, *aut auro*, *aut margaritis*, *vel veſte pretioſa*, *ſed quod decet mulieres*, *promittentes pietatem per opera bona*. Quod ſi tamen eas deferere nolint, non propterea a Sacramentis arceat; ſed ad frequentem Communionem non eſſe admittendas exiſtimarem.

REFLEXIO.

Quamquam *temperantia* non omnium etiam moralium virtutum nobiliſſima ſit, cæteris tamen omnibus nemo, quantum quidem arbitror, negaverit magis eſſe neceſſariam homini in hac vita mortali conſtituto, ac tum rationali, tum corporea natura conſtanti; adeoque turbidis, vehementibuſque paſſionum motibus, quæ brutorum animalium propriæ ſunt, indeſinenter obnoxio. Hæc enim ſola virtus eſt, quæ maxime cohibet appetitum ſentientem ab iis rebus, in quas turpiſſime fertur; quæ continet, ſedatque effrænes concupiſcentiæ cupiditates, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a lege Dei, & a fructu bonitatis illius. Hæc ſola, quæ moderatur, & comprimit illecebroſas voluptates guſtus, ac tactus, cæterorumque etiam ſenſuum, ne a rectæ rationis norma deſciſcat. Hæc demum eſt, quæ ſenſilibus omnibus delectationibus veluti certam regulam præſtituit hujus vitæ neceſſitatem, ut ſcilicet eis duntaxat utamur, quantum neceſſitas vitæ requirit. Unde S. Auguſtinus *lib. de Morib. Eccleſ. c.* 21. illud præclare ſcripſit: *Habet vir temperans in hujuſcemodi rebus mortalibus*, *& fluentibus vitæ regulam utroque Teſtamento firmatam*, *ut eorum nihil diligat*, *nihil per ſe appetendum putet*, *ſed ad vitæ hujus*, *atque officiorum neceſſitatem*, *quantum ſat eſt*, *uſurpet utentis modeſtia*, *non amantis affectu*.

At enim vero ecquis eſt inter homines etiam Chriſtianos, ac etiam virtutis, & honeſtatis deſiderio flagrantes, qui regulam hanc, quam temperantia præſcribit, exacte accurateque cuſtodiat? Quis eſt, qui a lenociniis, atque blanditiis voluptatis, quæ, ut Tullius ait, *in omni ſenſu implicata inſidet*, ſe ſe ſatis tueatur? Qui ab ejus inſidiis ſe omnino ſeduci non ſinat, & laqueos effugiat, quos illa ſub ſpecioſo *neceſſitatis* velamine perpetuo tendit? Hoc erat, quod magnopere angebat eumdem S. Auguſtinum, quemadmodum in ſuis Confeſſionum libris Deum alloquens querebatur; ac proderit hic ſenſus ejus afferre, ut inde diſcamus, quanta nos cura, ac ſollicitudine a voluptate capitali temperantiæ hoſte, & callidiſſimis ejus inſidiis, atque fraudibus cavere debemus, ne nos a divinæ legis, ac rectæ rationis inviolabili regula abducat.

Sic itaque ajebat ille *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 31. de voluptate in edendo, & bibendo primum loquens:
„ Hoc me docuiſti, Domine, ut quemadmodum
„ medicamenta, ſic alimenta ſumpturus acce-
„ dam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex in-
„ digentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi
„ inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim
„ tranſitus voluptas eſt: & non eſt alia, qua
„ tranſeatur, quam quo tranſire cogit neceſſi-
„ tas. Et cum ſalus ſit cauſa edendi, & bi-
„ bendi, adjungit ſe tamquam pediſſequa pe-
„ riculoſa jucunditas: & plerumque præire co-
„ natur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cau-
„ ſa me facere vel dico, vel volo; nec idem
„ modus utriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis
„ eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum

„ ſit, utrum neceſſaria corporis cura ſubſidium pe-„ tat, an voluptaria cupiditatis fallacia miniſte-„ rium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit in-„ felix anima, & in eo præparat excuſationis pa-„ trocinium, gaudens non apparere, quid ſatis „ ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis „ obumbret negotium voluptatis. His tentatio-„ nibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexte-„ ram tuam ad ſalutem meam; & ad te refero „ æſtus meos: quia conſilium mihi de hac re non-„ dum ſtat. Audio vocem jubentis Dei mei: *Non* „ *graventur corda veſtra in crapula*, *&* *ebrietate*. „ Ebrietas longe eſt a me: miſereberis, ne appro-„ pinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſur-„ repit ſervo tuo: miſereberis, ut longe fiat a „ me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu „ des ".

„ Audivi & aliam vocem tuam: *Poſt concupi-„ ſcentias tuas non eas*, *&* *a voluptate tua aver-„ tere*. Audivi & illam ex munere tuo, quam „ multum amavi: *Neque ſi manducaverimus*, „ *abundabimus*; *neque ſi non manducaverimus*, *dee-„ rit nobis*. Hoc eſt dicere: nec illa res me co-„ pioſum faciet, nec illa ærumnoſum. Audivi & „ alteram: *Ego enim didici*, *in quibus ſum ſuffi-„ ciens eſſe*, *&* *abundare novi*, *&* *penuriam pati* „ *novi*. *Omnia poſſum in eo*, *qui me confortat*. „ Ecce miles caſtrorum cæleſtium, non pulvis, „ quod nos ſumus &c. Nec ille in ſe potuit, „ quia idem pulvis fuit: quem tamen dicentem „ afflatu tuæ inſpirationis adamavi. *Omnia poſſum* „ (inquit) *in eo*, *qui me confortat*. *Conforta me*, „ *ut omnia poſſim* &c. Audivi alium rogantem, ut „ accipiat: *Aufer a me*, inquit, *concupiſcentias* „ *ventris*. Unde apparet, ſancte Deus meus, te „ dare &c. ... Itaque fræni gutturis temperata re-„ laxatione, & conſtrictione tenendi ſunt. Et quis „ eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulum „ extra metas *neceſſitatis*? Quiſquis eſt, magnus „ eſt: magnificet nomen tuum. Ego autem non „ ſum, quia peccator homo ſum ".

Quam multi ex iis etiam Chriſtianis, qui (non ſicut plures, qui ita ventri ſerviunt, ut Deus eorum venter ſit) pietatem colunt, & mortificationi ſtudent, eadem cum veritate fateri poſſunt, quæ S. Auguſtinus fortaſſis ex humilitate confeſſus eſt. Ego certe ingenue fateor, me ſæpe ſub prætextu neceſſitatis a voluptate in edendo, ac bibendo abreptum fuiſſe, & eos limites prætergreſſum eſſe, quos temperantiæ regula præſcribit: idemque mecum plures alii candide fatebuntur. At pergamus, & quædam etiam de voluptate, quæ ſe immiſcet in auditu, atque viſu (ut de tactu nunc omittam) & nos ultra regulam pertrahit, cum eodem Auguſtino obſervemus. „ Voluptates aurium (ita cap. „ 33. ſubinde ſcribit) tenacius me implicaverant, „ & ſubjugaverant; ſed reſolviſti, & liberaſti me. „ Nunc in ſonis, quos animant eloquia tua, cum „ ſuavi, & artificioſa voce cantantur, fateor, ali-„ quantulum acquieſco, non quidem ut hæream, „ ſed ut ſurgam, cum volo &c. Sed delectatio „ cordis mei, cui mentem enervandam non opor-„ tet dari, ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus „ non ita comitatur, ut patienter ſit poſterior, ſed „ tantum quia propter illam meruit, admittitur. „ Ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio „ &c.... Reſtat (cap. 34.) voluptas oculorum no-„ ſtrorum carnis meæ &c., ut concludamus tenta-„ tiones concupiſcentiæ carnis, quæ me adhuc „ pulſant ingemiſcentem, & habitaculum meum, „ quod de cælo eſt, ſuperindui cupientem. Pul-„ chras formas, & varias, nitidos, & amœnos co-„ lores amant oculi. Non teneant hæc animam „ meam: teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona „ quidem valde; ſed ipſe eſt bonum meum, non „ hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus: „ nec requies ab eis datur mihi, ſicut datur a vo-„ cibus canoris aliquando ... Reſiſto ſeductionibus „ oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus „ ingredior viam tuam: & erigo ad te inviſibiles „ oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos ". Hactenus Auguſtinus præter alia plura, quæ ibidem interſerit.

Ex his Sancti viri confeſſionibus colligamus oportet, pugnandum nobis continuo eſſe adverſus voluptatem, quæ ſeſe inſerit in actionibus ſenſuum noſtrorum; noſque ſeducere nititur, ne regulam temperantiæ ſequamur: adeo ut ipſorum objectis utamur pro relevanda neceſſitate hujus vitæ, non iiſdem fruamur; ſive voluptatem, quam in iiſdem experimur, non quæramus propter ipſam voluptatem, quam percipimus, ſed propter honeſtatem, ſive propter operationes honeſtas, atque homine, maximeque Chriſtiano dignas, cujus vita Magiſtro ſuo conformis eſſe debet: illudque animo identidem revolvamus, quod, ſicut de omni verbo otioſo reddenda nobis ratio Deo eſt, ita & de omni voluptate, non ſecundum rectæ rationis regulam quæſita, aut percepta: & quo magis in hac vita ſenſuum voluptatibus fruemur, eo graviora nobis ſubeunda ſupplicia manent in altera, juxta illud Apocalypſeos: *Quantum glorificavit ſe*, *&* *in deliciis fuit*, *tantum date illi tormentum*, *&* *luctus*.

DISSERTATIO III.

DE PECCATIS IN GENERE.

Quemadmodum virtutibus vitia, ita virtutum actibus opponuntur peccata, quæ a regula deflectunt, quam ſervant virtutes. Propterea, cum de virtutibus, vitiiſque oppoſitis, quantum quidem methodus patiebatur, quam nobis propoſuimus, ſermonem habuerimus, ſtatim de peccatis agendum eſſe mihi viſum eſt, in genere *primum conſideratis, ac poſtmodum* in ſpecie, *prout ſcilicet ea complectitur peccata, quæ* capitalia *appellari ſolent. Hanc autem Diſſertationem in plura Capita de more tribuemus, primumque, quæ univerſalia ſunt in hac materia, explicabimus.*

CAPUT PRIMUM.

De Peccati definitione, ac diviſione.

DOCTRINA.

I. *Peccati definitio a SS. Auguſtino, & Thoma tradita explicatur, ac illuſtratur.*

II. *Potius per oppoſitionem ad legem æternam, quam ad humanam rationem definiri peccatum debuit.*

III. *Peccatum Deum offendit, eique injuriam irrogat: Ex quo potiſſimum capite hæc Dei offenſa proveniat.*

IV. *Alia plura capita, ex quibus offenſa Deo per peccatum illata adaugetur.*

V. *Plures peccatorum diviſiones deſcribuntur.*

VI. *Quædam in diviſionem peccati ex* fragilitate, & malitia *animadverſiones. Peccatum ex fragilitate, ſive infirmitate idem eſt, ac ex paſſione.*

VII. *In quo conſiſtat peccare* ex malitia. *Doctrina S. Thomæ de hujuſmodi peccato.*

VIII. *Quicumque ex habitu peccat, peccat ex certa malitia. Alius S. Thomæ textus propoſitus, & explicatus.*

IX. *De præcipuis peccati effectibus. Primus peccati effectus* macula *eſt, quam in anima peccantis relinquit.*

X. *Quid ſit, aut in quo hæc macula conſiſtat, exponitur.*

XI. *Effectus alter eſt reatus pœnæ, quam quiſque peccando promeretur.*

XII. *Pœna peccato mortali debita æterna eſt. Prima hujuſce Catholicæ veritatis probatio a S. Thoma propoſita.*

XIII. *Altera probatio ejuſdem, qua æquitas æternæ pœnæ demonſtratur.*

XIV. *Illuſtratur hujus probationis efficacia.*

XV. *Eadem ratio alio modo proponitur.*

XVI. *Tertia S. Thomæ ratio ad eamdem veritatem comprobandam.*

§. I.

Definitio Peccati.

I. PLures traduntur ab Eccleſiæ Patribus, & a S. Thoma peccati definitiones juxta varios reſpectus, ſub quibus illud ſpectari poteſt. Cæteris omiſſis, eam affero, quam ex D. Auguſtino deſumpſit, probavitque Angelicus Doctor 1. 2. q. 71. art. 6. nimirum

Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.

Optimam eſſe hanc peccati definitionem, ex eo facile conſtat, quod & peccata omnia complectitur, & peccati naturam manifeſtat. Atque in primis hæc definitio complectitur nedum omne peccatum mortale *oris*, *cordis*, & *operis*, cum dicitur *dictum*, *factum*, vel *concupitum*; verum etiam quodcumque veniale peccatum. Quamquam enim peccatum iſtud non ſit contra finem legis, eo quod non deſtruat charitatem, nec diſſolvat amicitiam cum Deo, quæ finis legis eſt; quo ſenſu plerumque affirmat S. Thomas, veniale peccatum *non eſſe contra, ſed præter legem*: vere tamen eſt contra inhibitionem legis, adeoque vere contra legem. Siquidem lex ex. gr. non furandi non tantum furtum vetat unius, aut plurium aureorum, ſed etiam unius, aut paucorum aſſium: & ſimiliter lex non mentiendi non ſolum prohibet mendacium pernicioſum, ac grave, verum etiam jocoſum, & leve &c. Nihilo ſecius, cum peccatum abſolute nominamus, intelligi debet de peccato lethali, quod antonomaſtice dicitur *peccatum*.

Facillime quoque definitio eadem aptatur peccato omiſſionis. *Affirmatio* quippe, & *negatio*, inquit S. Thomas ad 1. *reducuntur ad idem genus*: adeoque ad factum contra legem reducitur *non factum*; *non dictum*, & *non concupitum* ad dictum, & concupitum contra legem eandem.

Denique eadem definitio ea etiam peccata comprehendit, quæ committuntur contra leges humanas ſive eccleſiaſticas, ſive civiles: quæcumque enim fiunt contra leges humanas, fiunt etiam ſaltem mediate contra legem æternam,

ex

ex qua humanæ leges obligandi vim obtinent, & per quam etiam præſcribitur obediendum eſſe Superioribus legitime præcipientibus.

Sed & optime quoque allata definitio naturam, ſive eſſentiam peccati generatim ſumpti declarat. Nam, ut docet Sanctus Thomas, „ Peccatum nihil aliud eſt, quam *actus humanus malus*. Quod „ autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc „ quod eſt voluntarius; ſive ſit voluntarius, quaſi a voluntate *elicitus*, ut ipſum *velle*, vel „ *eligere*: ſive quaſi a voluntate *imperatus*, ut „ exteriores actus vel locutionis, vel operationis. Habet autem actus humanus, quod „ ſit malus ex eo, quod caret debita commenſuratione. Omnis autem commenſuratio cujuſcumque rei attenditur per comparationem „ ad aliquam regulam, a qua ſi divertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex; una propinqua, & homogenea, ſcilicet ipſa *humana ratio*: alia vero eſt „ prima regula; ſcilicet *lex æterna*, quæ eſt quaſi „ *ratio Dei*.

Qua ex doctrina ſubinde concludit, & undequaque perfectam oſtendit poſitam ab Auguſtino peccati definitionem, inquiens: *Et ideo Auguſtinus in definitione peccati poſuit duo; unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit:* dictum, vel factum, vel concupitum: *aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit*: contra legem æternam.

II. At vero, opponat aliquis, cum peccatum, ut ex poſita S. Thomæ doctrina liquet, ſit etiam contra regulam humanæ rationis, quæ propinquior eſt lege æterna; quare non potius ex oppoſitione ad humanam rationem formalis peccati ratio deſumitur.

Appoſita ad hanc objectionem S. Thomæ reſponſio eſt *ad* 5. dicentis: „ Quod a Theologis conſideratur peccatum præcipue, ſecundum quod eſt offenſa contra Deum, a Philoſopho autem morali ſecundum quod contrariatur rationi. Et ideo Auguſtinus convenientius definit peccatum ex hoc, quod eſt *contra legem æternam*, quam ex hoc, quod eſt *contra rationem*; præcipue cum per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, ſicut in iis, quæ ſunt fidei ". Ubi illud advertere proclive eſt, duos illos reſpectus ad legem æternam, & ad rationem humanam, haud invicem in peccato poſſe ſejungi reipſa, ut ſejungunt peccati *philoſophici* defenſores, de quo poſtea; ſed ſolummodo per intellectum noſtrum unum, non alterum reſpectum conſiderantem.

§. II.

Peccatum Deum offendit.

III. Hæc peccati contrarietas ad legem æternam Dei eidem omnino eſſentialis palam quidem facit turpitudinem ejus; ſed hæc amplius elucet, ſi alium obſervemus peccati characterem ex illo manantem, quod ſcilicet Deum offendit, ipſique injuriam irrogat; non equidem *effective*, quod nempe ipſi Deo in ſe noceat: hoc enim eſt impoſſibile; ſed *affective*, ſive in affectu peccantis. Unde in Sacris Litteris peccata ſæpe vocantur *offenſiones*, *injuriæ*, *injuſtitiæ*: idque ſatis aperte fluit ex ipſa tradita peccati definitione. Si namque peccatum eſſentialiter, & ex propria ſua natura eſt contra legem æternam, plane eſt contra ipſum Deum Legislatorem, & contra ejus voluntatem; cum in omni lege contineatur voluntas illam ferentis. Porro ſi peccatum eſt contra Deum Legislatorem, ejuſque voluntatem, non poteſt non eſſe injuria, & offenſa ipſius: ſiquidem negare Superiori præcipienti debitam ſubjectionem, & obedientiam, eſt ipſum parvi pendere, adeoque offendere, & injuriam irrogare.

IV. Augetur offenſæ ratio, quæ in peccato eſt, ex aliis capitibus. Peccator namque nedum offendit Deum, ut Legislatorem, ſed etiam ut juſtum Judicem, nihil pertimeſcendo pœnas, & ſupplicia, quæ legis ſuæ tranſgreſſoribus comminatur. Offendit ut teſtem, non reverendo præſentiam, ac majeſtatem ejus, in cujus oculis peccat. Offendit ut ſumme bonum, cui neceſſe eſt, ut malum omne culpæ diſpliceat, & cui magna infertur injuria, dum ipſi bonum creatum præponitur. Offendit etiam Deum ut ultimum omnium finem: quoniam per peccatum a Deo avertitur vero ultimo fine rerum omnium, maximeque creaturæ rationalis, & convertitur ad commutabile bonum, quod finis rationem habere nequit. Quæ duo poſtrema capita aſſignat etiam Angelicus Doctor *quæſt.* 28. *de Verit. artic.* 2. his verbis: *Quicumque rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, injuriam ei facit, & tanto amplius, quanto res eſt dignior. Quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit; quod facit omnis mortaliter peccans; ex hoc ipſo, quantum ad effectum ſuum, præponit creaturam Creatori; diligens plus creaturam, quam Creatorem. Igitur* &c. Præterea etiam offendit peccator Deum ut ſupremum, & univerſalem Dominum creaturæ præſertim intellectualis, cui jure ſervitutis debita eſt omnis actio ejuſdem. Demum offendit Deum ut benefactorem, & amicum, cui nefas eſt poſt innumera ab eo recepta beneficia ingratum ſe exhibere, atque inimicum. Hæ autem omnes, quæ in peccato ſunt, offenſæ divinæ rationes virtualiter continentur in iis duabus, quibus conſideratur Deus ut Legislator, & ut ultimus finis, ut Theologi obſervant.

§. III.

Peccati diviſio.

V. Multæ afferri poſſunt, ac ſolent peccati diviſiones, quas curſim innuemus potius, quam explicabimus. Nam de iis, quæ ſcitu neceſſariæ magis ſunt, fuſius infra nobis agendum erit. Itaque prima peccati diviſio eſt in peccatum *originale*, & *perſonale*. Originale dicitur, quod ex culpa

culpa primi noſtri parentis Adam in nos derivatur. Perſonale eſt, quod propria peccantis voluntate committitur. Hoc duplex eſt, nempe *actuale*; actus ſcilicet inordinatus, & regulis morum diſſentaneus: & *habituale*; macula nempe ex peccato actuali in anima relicta, poſtquam prava ejus voluntas tam actu, quam virtute deſiit.

Secunda diviſio eſt in peccatum *mortale*, & *veniale*. Mortale vocatur ex eo, quod animæ mortem inferat, hoc eſt privationem gratiæ ſanctificantis, quæ animæ vita eſt, quemadmodum anima eſt vita corporis. Veniale vero appellatur ex eo, quod *veniam* facile meretur, nec animæ mortem infert, nec divinam amicitiam diſſolvit.

Tertio dividitur in peccatum *commiſſionis*, quod in tranſgreſſione præcepti negativi conſiſtit, illud agendo, quod prohibetur; & in peccatum *omiſſionis*, quo tranſgredimur præceptum affirmativum, ea non agendo, quæ fieri præcipiuntur, juxta illud S. Auguſtini lib. de perfect. Juſtit. cap. 3. *Duobus modis conſtat omne peccatum; ſi aut fiant illa, quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ jubentur*.

Quarta diviſio ſumitur ex ipſa definitione peccati, traditurque expreſſe a S. Hieronymo *cap.* 18. *in Ezech.* videlicet in peccatum *cordis*, *oris*, & *operis*. Cum enim *peccatum* ſit *dictum*, *factum*, *vel concupitum contra legem æternam*; concupitum contra legem eſt peccatum *cordis*: dictum contra eamdem eſt peccatum *oris*; ac demum factum eidem repugnans eſt peccatum *operis*.

Dividitur quinto in peccatum *in Deum*, *in proximum*, & *in ſeipſum*. Equidem peccata omnia ſunt contra Deum: nam omnia Deum offendunt; & etiam contra peccantem, quatenus ipſi detrimentum inferunt. Nihilominus aliqua ſunt, quæ adverſantur virtuti regulanti homines *in ordine ad Deum*, & ad ea, quæ Deum immediate reſpiciunt; cujuſmodi ſunt, quæ Deo detrahunt debitum amorem, honorem, aut reverentiam, ut odium Dei, ſacrilegium, infidelitas &c. Alia, quæ ſunt contraria virtuti regulanti hominem *in ordine ad ſeipſum*; ſive regulanti paſſiones hominis juxta rationem, qualia ſunt luxuria, gula, avaritia &c. Denique ſunt alia, quæ contrariantur virtuti regulanti hominem *in ordine ad proximum*; ut ea, quæ lædunt jus proximi, vel humanam ſocietatem.

Sexto dividitur peccatum in *proprium*, & *alienum*. Proprium dicitur, quod peccans ipſe committit; alienum vero, quod committunt alii noſtro conſilio, juſſu, exemplo, patrocinio, adulatione, diſſimulatione, vitioſo ſilentio, omiſſione correctionis, aliiſque modis.

Eſt & alia peccati diviſio a S. Gregorio Magno tradita *lib.* 18. *Moral.* in peccatum *carnale*, & *ſpirituale*. Peccata *carnalia* ſumuntur in Scriptura nonnunquam latiore ſignificatione; nempe vel pro peccatis omnibus, quæ ex ſenſu procedunt, ſicut Apoſtolus *ad Galat.* 1. inter opera carnis reponit iras, rixas, diſſenſiones &c. vel pro quibuſcumque peccatis, quæ verſantur circa exteriorem, & corpoream materiam; unde idem Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. inter carnalia peccata recenſet avaritiam. Preſſe tamen peccata *carnalia* dicuntur, quæ carnalem delectationem pro objecto habent, & in carne conſummantur, uti ſunt gula, & luxuria. Peccata *ſpiritualia* in delectatione ſpirituali, ſive in animo complentur, ut ſuperbia, & inanis gloria.

Poſtrema tandem peccati diviſio eſt in peccatum *ex ignorantia*, & *infirmitate*, & *ex malitia*. Peccata *ex ignorantia* ſunt, quæ ex culpabili cognitionis, & advertentiæ defectu proveniunt: de quibus fuſe alibi diſſeruimus. Peccata *ex infirmitate* appellantur, quæ committuntur ex gravi aliqua tentatione inſurgente, aut ex commotione antecedente ſentientis appetitus voluntatem ad conſenſum trahentis. Peccata *ex malitia* vocantur, quæ voluntas nullius antecedentis paſſionis impulſu, ſed ſe ipſa deliberate movente committit.

§. IV.

Animadverſiones quædam in diviſionem peccatorum ex fragilitate, *ſive infirmitate*, & ex malitia.

VI. Quoniam de cæteris peccatorum diviſionibus vel dictum alibi ſatis eſt, vel poſtmodum dicendum erit; juvat hic paulo attentius immorari in explicanda, & tradenda legitima notione peccatorum, quæ *ex fragilitate*, aut infirmitate, & *ex malitia* perpetrantur, de quibus infra ſermo non redibit. De utroque peccato diſſerit S. Thomas *p.* 2. ac de peccato quidem *ex fragilitate* commiſſo *q.* 77. præſertim *art.* 3. ubi quærit, *utrum peccatum, quod eſt ex paſſione, debeat dici* (ſive convenienter dicatur) *ex infirmitate*. Cui quæſtioni affirmative reſpondet, & reſolutionem ſuam ita exponit, ac probat.

„ Cauſa (inquit) peccati propria eſt ex parte „ animæ, in qua principaliter eſt peccatum. Pot- „ eſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudi- „ nem infirmitatis corporis. Dicitur autem corpus „ hominis eſſe infirmum, quando debilitatur, vel „ impeditur in executione propriæ operationis „ propter aliquam inordinationem partium cor- „ poris; ita ſcilicet, quod humores, & membra „ hominis non ſubdantur virtuti regitivæ, & mo- „ tivæ corporis: unde & membrum dicitur eſſe „ infirmum, quando non poteſt perficere operatio- „ nem membri ſani; ſicut oculus, quando non „ poteſt clare videre . . . . . Sicut autem par- „ tes corporis dicuntur eſſe inordinatæ, quando „ non ſequuntur ordinem naturæ: ita & partes „ animæ dicuntur eſſe inordinatæ, quando non „ ſubduntur ordini rationis. Sic ergo quando „ extra ordinem rationis vis concupiſcibilis, aut „ iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc „ aliquod impedimentum præſtatur modo prædicto „ debitæ actioni hominis, dicitur *peccatum eſſe* „ *ex infirmitate*. Unde & Philoſophus in 7. *Eth.* „ comparat incontinentem paralytico, cujus par- „ tes moventur in contrarium ejus, quod ipſe „ diſponit “.

Ex quibus perſpicuum eſt, convenienter dici tunc hominem agere *ex infirmitate*, quoties agit

ex

ex aliqua paſſione inordinata: atque adeo & illud peccatum exiſtimandum eſt *ex infirmitate* procedere, cujus principium, aut cauſa eſt *infirmitas*, ſeu *paſſio inordinata*, quæ vel mentem abſtrahit a conſideratione ejus, quod ratio recta præſcribit, vel apprehenſionem, & imaginationem defigit in objecto rationi diſſentaneo: cujuſmodi ſunt peccata, quæ vel metu, vel ex ira, vel ex concupiſcentia, cæteriſve paſſionibus committuntur. Quod ſi contingat, ut contingere ſæpe ſolet, quod aliquis excitet in ſemetipſo paſſionem, ut vehementius, ac liberius peccet, peccatum illud non ex infirmitate erit, ſed potius ex malitia; quemadmodum animadvertit idem Sanctus Doctor *quæſt. de malo artic.* 12. *ad* 5. his verbis: *Cum dicitur aliquis peccare ex aliquo, datur intelligi, quod illud ſit primum principium peccati. In eo autem qui peccat ex infirmitate, voluntas mali non eſt primum principium peccati, ſed cauſatur ex paſſione: ſed in eo, qui peccat ex malitia, voluntas mali eſt primum principium peccati; quia ex ſe ipſo, & per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio*.

VII. Hæc doctrina ſatis inſinuat, quodnam ſit peccatum *ex malitia*. At magis peccatum hocce perſpectum fiet, ſi ea conſideremus, quæ S. Præceptor docet *p.* 2. *quæſt.* 78. ubi primum tradit, tria eſſe principia humanorum actuum, ſcilicet intellectum, appetitum ſenſitivum, & appetitum rationalem, qui dicitur *voluntas*: adeoque peccatum omne contingere vel ex defectu intellectus, qui eſt ignorantia; vel ex defectu appetitus ſenſitivi, qui eſt paſſio immoderata; vel ex defectu voluntatis, qui eſt ejuſdem inordinatio in hoc poſita, quod minus bonum magis amet, quam bonum majus; quodque propterea ſcienter eligat pati detrimentum in majori bono, ut bono minori potiatur. Porro detrimentum pati majoris boni malum eſt, cum malum nihil aliud ſit, quam privatio alicujus boni. Igitur qui ſcienter eligunt iſtud detrimentum pati, ſcienter eligunt malum: qui autem ſcienter eligunt malum, neque ex ignorantia, neque ex paſſione peccant; adeoque peccant ex malitia. *Unde*, concludit, *dicitur ex certa malitia*, *vel induſtria peccare*.

Hanc profundam rationem amplius explicat, diſtinguens in reſponſione ad primum triplicem ignorantiam, qua quis peccare poteſt: *Ignorantia*, inquit, *quandoque quidem excludit ſcientiam, qua aliquis ſimpliciter ſcit, hoc eſſe malum, quod agitur: & tunc dicitur* ex ignorantia peccare. *Quandoque autem excludit ſcientiam, qua homo ſcit, hoc nunc eſſe malum*, *ſicut cum* ex paſſione peccatur. *Quandoque autem excludit ſcientiam, qua homo ſcit, hoc malum non ſuſtinendum eſſe propter conſecutionem illius boni*; *ſcit tamen ſimpliciter, hoc eſſe malum*: *& ſic dicitur ignorare*, *qui* ex certa *malitia* peccat.

Quare licet, qui ex malitia peccat, non peccet ex ignorantia (ſicut neque ex paſſione tamquam cauſa, aut principio); ipſe nihilominus ſemper aliqua ignorantia laborat, ea videlicet, quæ dicitur *ignorantia electionis*: quoniam tametſi malum eſſe ſciat id, quod committit; nunc tamen actu, & in particulari ignorat, hoc malum *non eſſe ſuſtinendum* ad alicujus boni temporalis conſecutionem, ut ait S. Thomas. Atque hoc ſenſu verum eſt vulgatum illud: *Omnis peccans eſt ignorans*; ſicut & quod legitur Proverb. 14. *Errant*, *qui operantur malum*.

VIII. Hinc vero colligit *art.* 2. Sanctus Doctor, quod *quicumque peccat ex habitu*, *peccat ex certa malitia*. Qua in re prætereunda non eſt doctrina, quam affert, ut hanc ſuam aſſertionem illuſtret. Notat itaque in primis, *idem non eſſe*, *peccare habentem habitum*, *& peccare ex habitu*, „ Uti enim habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubjacet voluntati habentis . . . . Et ideo ſicut poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum prorumpat in actum virtutis, eo quod ratio non totaliter corrumpitur per malum habitum, ſed aliquid ejus integrum manet; ex quo provenit, quod peccator aliquid operetur de genere bonorum: ita etiam poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum, interdum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia “.

„ Sed quandocumque utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum; quia ſic fit ei quodammodo connaturale, ſecundum quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam. Hoc autem, quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale; ex quo ſequitur, quod homo eligat malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum (creatum temporale), quod eſt ſecundum habitum conveniens. Et hoc eſt *ex certa malitia peccare* “.

Itaque juxta Sanctum Doctorem peccare ex habitu, eſt peccare *ex certa malitia*: quia quicumque ex habitu peccat, peccat ex voluntate per conſuetudinem obfirmata, & veluti naturaliter inclinata ad malum: cum habitus malus ſit confirmata, & veluti naturalis converſio voluntatis ad malum: in quo diſtinguitur a peccato ex paſſione commiſſo. Neque enim qui ex paſſione antecedente peccat, voluntas ipſius eſt in malo obfirmata, ſicut qui peccat ex habitu vitioſo. Nec quidpiam obſtat ſimilitudo actuum, qui procedunt ex paſſione, & ex habitu. Nam *quamvis*, ut obſervat Sanctus Thomas in reſp. ad 2. *actus ſimiles ſint ſecundum ſpeciem*, *differunt tamen inter ſe*, *ſicut perfectum ab imperfecto*: quatenus actus mali ex paſſione procedentes non ita plane voluntarii ſunt, ſicut illi, qui procedunt ex habitu.

§. V.

Peccati effectus; macula *nempe &* pœnæ reatus.

IX. Plures peccati effectus afferri poſſent, qui ex hac infecta radice fel, & amaritudinem germinante profluunt. Duo tamen præcipui ſunt; ma-

macula videlicet, & *reatus pœnæ*, de quibus breviter aliqua dicemus.

Quoad primum attinet, extra dubium omne eſſe debet, ex peccato commiſſo quidpiam habituale remanere in anima peccantis, quod *macula* vocari ſolet; ob quod ipſa anima dicitur *maculata*, *abominabilis*, *immunda*, *Deoque inviſa*. Ita ſiquidem paſſim vel indicant, vel ſupponunt ſacræ paginæ, dum de peccatoribus mentionem faciunt. Sic Joſue cap. 22. legitur: *An parum vobis eſt, quod peccaſtis in Belphegor? & uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet.* Sic Jerem. cap. 2. de Jeruſalem dicitur: *Maculata es in iniquitate coram me.* Et Ezechiel. cap. 36. promittitur: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Quibus, aliiſque, quæ prætereo, teſtimoniis clariſſime habetur, ex peccato relinqui in anima *maculam* quamdam, eamque in ipſa permanere, quouſque per pœnitentiam detergatur.

Porro peccatum dicitur, ut obſervat Doctor Angelicus hic *quæſt.* 86. *artic.* 1. cauſare maculam in anima, ad ſimilitudinem maculæ, quæ cauſatur in corporibus nitidis ex contactu alterius corporis. Quemadmodum enim veſtis, aut facies ſplendida admixtione, vel contactu luti ſordeſcit, primævumque ſplendorem, ſive nitorem amittit: ſic anima, dum rebus creatis adhæret per amorem, atque miſcetur, nitorem illum deperdit, quem a divinæ ſapientiæ, & gratiæ lumine refulgente mutuabatur. Unaquæque namque res, ſicut unione ad nobiliora perficitur, ac nobilitatur; ita commixtione cum inferioribus deturpatur, atque vileſcit: non enim dicimus, argentum impurum eſſe ex permixtione auri, qua potius pretioſior efficitur; ſed ex permixtione plumbi, vel ferri, qua inficitur, ac vitiatur. Unde Sanctus Thomas *opuſc.* 61. ait: *Animam mediam inter Deum, & creaturas converſione ad Deum illuminari, meliorari, & perfici; & converſione ad creaturas obtenebrari, deteriorari, & corrumpi.*

X. Ex quibus hæc eſſe poteſt definitio *maculæ*, de qua loquimur; nempe *macula eſt privatio nitoris ſpiritualis ex rerum terrenarum amore, & adhæſione proveniens; ſicut macula corporis eſt detrimentum nitoris corporei ex alieni corporis contactu procedens*: „ Habet autem, ſubdit S. Thomas hic *quæſt.* 86. *artic.* 1. anima hominis duplicem nitorem: unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus; alium vero ex refulgentia divini luminis, ſcilicet ſapientiæ, & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene, & decenter agendum ". Hujus utriuſque nitoris privatio eſt macula peccati manens in anima, etiam poſtquam actus peccati tranſierit, donec pœnitentiæ virtute deleatur. Non eſt ergo *macula aliquid poſitive in anima*, inquit ad 3. *nec ſignificat privationem ſolum, ſed ſignificat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum.* Ex quo infert, diverſa peccata diverſas maculas inducere ad ſimilitudinem umbræ, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis, & ſecundum diverſitatem corporum objectorum diverſæ ſunt umbræ. Unde etiam fit, æquales non eſſe omnium peccatorum maculas: quia privationes illæ nitoris ſpiritualis connotant inæqualia peccata, quæ majus, minuſve obſtaculum ingerunt divino lumini.

XI. Alter peccati effectus eſt *reatus pœnæ*, ſive obligatio ad ſubeundam pœnam, quam ſibi quiſque peccando promeruit. Ut intelligas, in quo ejuſmodi reatus proprie conſiſtat, animadvertas oportet, plura ad ipſum concurrere. Primum eſt actuale peccatum, quo quis pœnam ſibi debitam fecit. Secundo actuali peccato commiſſo, remanet peccatum habituale, ſive *macula*, qua quis habitualiter conſtituitur peccator. Tertio in ipſo peccato offenſa, ſive injuria eſt, quam homo peccando Deo irrogat. Quarto demum lex divina eſt, quæ non ſolum prohibet peccatum, ſed etiam homini peccanti pœnam decernit. Igitur *reatus pœnæ* proprie conſiſtit in obligatione, ſive condignitate ad ſubeundam pœnam. Hæc ſiquidem condignitas ad pœnam illud eſt, quod per ſe primo intelligitur in reatu. Antequam enim quiſpiam deſtinetur ad pœnam, ſupponitur eſſe pœna dignus; ſicut antequam aliquis deſtinetur ad præmium, ſupponitur eſſe dignus præmio. Hæc tamen condignitas ad pœnam non habetur, niſi ex peccato, aut macula tamquam primaria ſui radice; nec completur in ratione reatus, niſi per paſſivam ordinationem ad pœnam a Deo ſupremo Judice factam. Unde damnati ad gehennam perpetuo quidem peccant blaſphemiis, quas in Deum evomunt; neque tamen novæ pœnæ reatum contrahunt, non aliam ob cauſam, niſi defectu divinæ ordinationis ad novam pœnam eos deſtinantis.

Perpulchra eſt D. Thomæ ratio, qua *artic.* 1. *quæſt.* 87. probat, peccantem obnoxium pœnæ fieri; nec ſane prætermittenda: „ Ex rebus naturalibus, inquit, ad res humanas derivatur, „ ut id, quod contra aliquid inſurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus „ naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit, altero contrario ſuperveniente . . . . „ Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unuſquiſque deprimat „ eum, quo contra ipſum inſurgit. Manifeſtum „ eſt autem, quod quæcumque continentur ſub „ aliquo ordine, ſunt quodammodo unum in „ ordine ad principium ordinis. Unde quidquid „ contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens „ eſt, ut ex eo ordine, & Principe ordinis „ deprimatur ".

„ Cum autem peccatum ſit actus inordinatus, „ manifeſtum eſt, quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit: & ideo ab ipſo ordine conſequens eſt, quod deprimatur. Quæ „ quidem depreſſio pœna eſt. Unde ſecundum „ tres ordines, quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. Primo enim ſubditur ordini propriæ rationis: „ Secundo ordini exterioris hominis gubernantis „ vel ſpiritualiter, vel temporaliter, politice,

„ ſeu

„ ſeu œconomice: Tertio ſubditur univerſali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum „ ordinum per peccatum pervertitur; dum ille, „ qui peccat, agit & contra rationem, & contra „ legem humanam, & contra legem divinam. „ Unde triplicem pœnam incurrit: unam quidem „ a ſe ipſo, quæ eſt conſcientiæ ſtimulus; aliam „ ab homine; tertiam a Deo “. Hactenus ille. De ſecundo, ſicut etiam de primo genere pœnæ hic non agimus; ſed de reatu pœnæ a Deo infligendæ.

§. VI.

De æterna pœna peccato mortali debita.

XII. Itaque quicumque peccat, dum ſe ab ordine legis divinæ ſubducit per culpam, in ordinem Divinæ Juſtitiæ revocatur per pœnam. Hæc autem pœna, niſi in hac vita expietur per pœnitentiam, luenda ſupereſt in alia, & quidem per totam æternitatem, ſi quiſpiam in peccato deceſſerit. De hoc argumento, quod ſcilicet impiorum pœna æternum duratura ſit, fuſiſſime diſſerui in Libro a me citato, *De futuro impiorum ſtatu* inſcripto; eamque adverſum tum Socinianos, tum nuperos Origeniſtas theologicis omnibus argumentis comprobavi. Hic vero ſolum afferam probationes aliquas, quibus Sanctus Thomas oſtendit, lethali peccato per pœnitentiam non expiato debitam eſſe pœnam ſempiternam. Et primum *lib.* 3. *cont. Gent. cap.* 143. diſtinguit peccatum mortale a veniali; atque de utroque ita loquitur: „ Dupliciter contingit peccare; „ uno modo ſic, quod totaliter intentio mentis avertatur ab ordine ad Deum, qui eſt „ ultimus finis bonorum: & hoc eſt peccatum mortale. Alio modo ſic, quod, manente ordine humanæ mentis ad ultimum finem, impedimentum aliquod afferatur, quo „ retardatur, ne libere tendat in finem; & hoc „ dicitur peccatum veniale. Si ergo ſecundum „ differentiam peccatorum oportet eſſe differentiam „ pœnarum, conſequens eſt, quod ille, qui *mortaliter peccat*, ſit puniendus ſic, quod excidat „ ab hominis fine: qui autem *peccat venialiter*, „ non ita, quod excidat, ſed ita quod retardetur, aut difficultatem patiatur in adipiſcendo „ finem. Sic enim juſtitiæ ſervatur æqualitas, „ ut quomodo homo peccando voluntarie a fine „ ſe divertit, ita pœnaliter contra ſuam voluntatem in finis adeptione impediatur “. Hæc ille præclariſſime.

Quapropter cum dicimus, dignum, juſtumque eſſe, ut peccatum æterna pœna puniatur, id non de quocumque peccato intelligi oportet; ſed de eo, quod abſolutam obtinet peccati rationem, de mortali videlicet, quo homo ſe avertit a Deo, & convertit ad creaturam velut ultimum finem. Alia vero peccata, quæ hujuſmodi ordinis perverſionem non afferunt, pœnam ex ſe ſolummodo temporariam promerentur, quæ cum in hac vita mortali haud ſemper exſolvatur, exſolvenda remanet in vita futura ante extremum Judicii diem. Solum ergo peccatum illud, quod Deum ultimum finem abjicit, quod charitati opponitur, quod amicitiam cum Deo diſſolvit, quod creaturam Creatori præfert, dignum eſt æterna pœna; adeo ut ipſi ſecundum juſtitiæ leges debeatur, nullamque injuriam Deus inferat, dum propter iſtiuſmodi peccatum creaturas in æternum punit.

XIII. Omiſſis aliis rationibus, quas ibidem profert Sanctus Doctor, quaſque citato libro illuſtravi, & a vanis adverſariorum cavillationibus vindicavi, eam propono, quam hic habet *quæſt.* 87. *artic.* 3. præmiſſa ſententia Chriſti Domini apud S. Marcum *c.* 3. *Qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Atque ita diſſerit: „ Dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem: manente autem cauſa, manet effectus. Unde quamdiu perverſitas „ ordinis remanet, neceſſe eſt, quod remaneat „ reatus pœnæ. Pervertit autem aliquis ordinem, quandoque quidem reparabiliter; quandoque autem irreparabiliter. Semper enim „ defectus, quo ſubtrahitur principium, irreparabilis eſt. Si autem ſalvetur principium, ejus virtute alii defectus reparari poſſunt; ſicut ſi corrumpatur principium viſivum, „ non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſola virtute divina: Si vero, ſalvo principio viſivo, „ aliqua impedimenta adveniant viſioni, reparari poſſunt per naturam, vel per artem. Cujuslibet autem ordinis eſt aliquod principium, „ per quod aliquis fit particeps illius ordinis. „ Et ideo ſi per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis ſubditur „ Deo, erit inordinatio, quantum eſt de ſe, irreparabilis, etſi reparari poſſit virtute divina. „ Principium autem hujus ordinis eſt ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem. Et ideo quæcumque peccata avertunt a Deo charitatem auferentia, quantum eſt de ſe inducunt „ reatum æternæ pœnæ.

Rationem hanc, tamquam omnino efficacem ad æquitatem probandam æternæ pœnæ pro lethali peccato, agnoſcunt Theologi nedum Catholici, ſed etiam inter Proteſtantes doctiores: quos inter Leibnitius *in Theodicea p.* 3. *n.* 266. cum indicaſſet fundamentum, cui nitebatur Erneſtus Sonerus Socinianus ad negandam proportionem inter culpam finitam, & pœnam duratione infinitam; ſubjicit, nequaquam illum attendiſſe ad præcipuam hujuſce veritatis rationem, deductam ex permanentia culpæ, quæ vel ſatis eſt ad æquitatem æternæ pœnæ defendendam, cum juſtitiæ conſonum admodum videatur, damnatos perſeverare in miſeria, quouſque perſeverant in culpa; additque ſe animadvertiſſe, doctos quoque Theologos eamdem reddidiſſe rationem perpetuæ durationis pœnarum, refertque inter alios Joannem Gerardum celebrem Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſorem, Zachariam Urſinum Theologum Heidelbergenſem &c.

XIV. Porro ut rationis hujus firmitas omnino conſiſtat, omneſque, quæ fieri poſſunt, difficultates diſſipentur, principia, quæ ſtatuit S. Thomas,

mas diligenter obſervanda ſunt. Primo itaque conſtituit generale illud principium: *Peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem*. Quod principium certum, exploratumque eſt apud omnes; illudque jam ſupra firmaverat Sanctus Doctor. Ex eo autem perſpicue ſequitur, neceſſum eſſe (ut juxta legem juſtitiæ incolumis ordo ſervetur) tamdiu peccatorem deprimi a Deo debere per pœnam, quamdiu adverſus ordinem ab ipſo conſtitutum inſurgit per culpam; ſive, quod perinde eſt, quamdiu permanet in culpa, per quam ordo pervertitur. *Manente* enim *cauſa*, quæ eſt ordinis perverſio, *manet effectus*, ſive reatus pœnæ ſubeundæ.

Principium alterum hoc eſt; quod nempe ordinis perverſio per culpam inducta, ſit ex ſe, ac ſuapte natura, *irreparabilis*. Quod, ut evincat, obſervat, duplicem eſſe inordinationem, aliam *per ſubtractionem principii ordinis*: aliam, qua, *ſalvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea, quæ ſunt poſt principium*. Et quidem poſteriorem hanc inordinationem reparari poſſe concedit virtute principii, quod integrum permanet; priorem vero docet irreparabilem eſſe ex meritis ſuis, quamquam Dei virtute ſupra connaturalem modum operante reparari poſſe fateatur. Hoc declarat exemplo viſivæ facultatis, cujus principium ſi perſiſtat incolume, reparari poſſunt per naturam, aut artem alii quicumque defectus, qui ſunt impedimento viſioni. Si autem penitus corrumpatur, nonniſi virtute Dei ſupra naturam operante reparari valet: idque & aliis exemplis cuilibet obviis explicari poteſt. Quo præjacto principio talem eſſe demonſtrat perverſionem, quæ per lethale peccatum inducitur, ut corrumpat, aut ſubtrahat principium ordinis, quo voluntas humana ſubditur Deo. Cum enim principium hujus ordinis ſit ultimus finis, cui homo adhæret per gratiam, & charitatem, quæcumque peccata avertunt a Deo, & charitatem auferunt, conſequenter principium hujus ordinis de medio tollunt. Quocirca nihil amplius in hominis poteſtate remanet, unde inordinationem hanc reparare valeat; adeoque ex ſe, meritiſque propriis irreparabilis eſt.

Solum ergo ſupereſt, ut inordinatio hæc per culpam lethalem inducta auferri poſſit a Deo ſupra naturalem curſum agente, & præter meritum peccatoris gratiam, & charitatem conferente. Verum hoc non exigitur ab aliqua lege juſtitiæ, & æquitatis, ut eam auferat Deus; ſemperque verum eſt, perverſionem ordinis inductam a peccato mortali eſſe de ſe irreparabilem, adeoque de ſe ſemper eſſe duraturam, ac proinde de ſe pariter afferre reatum pœnæ ſempiternæ. Equidem ſuavis Dei Providentia diſpoſuit, ut in hoc mortalis vitæ ſtatu miſericordiæ locus eſſet, & per gratiam, & charitatem ſupra merita peccatoris infuſas hujuſmodi inordinatio removeri poſſet, ac reipſa in multis removeretur, quemadmodum ex ſacris Libris, ac perpetua Eccleſiæ traditione, & doctrina certo conſtat. At non minus certo conſtat ex iiſdem libris, & doctrina Eccleſiæ de contraria diſpoſitione ejuſdem Divinæ Providentiæ, quoad ſtatum vitæ futuræ: nec quiſquam ſano capite eo titulo talem diſpoſitionem negaverit, quod juſtitiæ, & æquitati repugnet. Quis enim dixerit, Deum jure non poſſe hominem in ea inordinatione relinquere, quam ipſe ſponte, ac libere elegit, ſed obſtringi lege juſtitiæ, ut dona gratiæ ſuæ conferat, quibus illa auferatur? Qui hoc aſſerere auſit, profecto & illud affirmare deberet, teneri Deum vi, & lege juſtitiæ vitam ei reſtituere, qui ſibi voluntarie mortem conſcivit, aut ſe in flammas, vel puteum, unde egredi nequeat, ſponte conjecit: quod quam abſonum ſit, nemo non intelligit.

XV. Hæc eadem ratio ita a quibuſdam proponitur. Qui peccat in ſtatu *viæ*, meretur ut in ſtatu *termini* puniatur pœna culpæ proportionata. Proportio autem inter pœnam, & culpam in hoc maxime poſita eſt, ut quantum, & quamdiu culpa diſplicet Deo, tantum, & tamdiu pœna diſpliceat peccatori. Cum ergo in ſtatu *termini* culpa æterna ſit, Deoque æternum diſpliceat, etiam oportet, ut pœna ſit æterna, æternumque diſpliceat peccatori. Id confirmant exemplo debitoris. Qui enim debitum cum alio contraxit, tamdiu tenetur ſub reatu, ſive obligatione ſolvendi debitum, quamdiu vel ipſe non ſolvit, vel creditor ex liberalitate non remittit. Porro qui lethalis peccati reus ex hac vita deceſſit, neque ſolvit unquam debitum pœnæ, neque hoc ex Dei miſericordia, & liberalitate aliquamdiu dimittitur. Igitur pœnæ reatu perpetuo manet obſtrictus. Priorem ſecundæ propoſitionis partem ſic evincunt; quoniam ut peccator tale debitum ſolveret, offerre deberet pœnam, ſive ſatisfactionem Deo acceptam, ſive quæ acceptari par eſſet. At vero Deus acceptare neutiquam tenetur pro ſatisfactione opus, aut pœnam, quam exhibet is, qui averſus ab ipſo eſt per culpam. Altera autem ejuſdem propoſitionis pars ex his, quæ dicta ſunt, liquido conſtat: nam culpæ remiſſio fieri nequit, niſi per infuſionem gratiæ, & meritorum Chriſti applicationem. Hæc autem ex juſtitia minime debetur peccatori: aliunde vero juxta divinæ Providentiæ ordinem ſapientiſſime conſtitutum, nec ex Dei miſericordia, & liberalitate gratia confertur, aut merita Chriſti applicantur iis, qui jam per finalem ſententiam ſunt in termino, & ad inferna damnati.

XVI. Plures aliæ rationes adduci poſſent in eamdem rem ex Sancto Præceptore, quas, ne nimius ſim, lubens omitto. Sed piaculare plane fuerit, eam omnino præterire, quæ ex offenſa Divinæ Majeſtati per peccatum illata deſumitur. Hanc ſæpe propoſuit Sanctus Thomas, ſcilicet *lib.* 2. *ſent. diſt.* 46. *q.* 1. *art.* 5. & *lib.* 4. *diſt.* 46. *quæſt.* 1. & *in cap.* 2. *Epiſt. ad Rom. lect.* 2. & etiam in *Opuſc.* 3. *cap.* 183. ubi ſic ait: „ Habet quodlibet peccatum contra Deum commiſſum quamdam infinitatem ex parte Dei, contra quem committitur. Manifeſtum eſt enim, „ quod quanto major perſona eſt, contra quam „ peccatur, tanto peccatum eſt gravius: ſicut qui dat alapam militi, gravius reputatur,

quam

„ quam ſi daret ruſtico, & adhuc multo gravius „ ſi Principi, vel Regi. Et ſic, cum Deus ſit „ infinite magnus, offenſa contra ipſum commiſ- „ ſa eſt quodammodo infinita: unde & aliquali- „ ter pœna infinita ei debetur. Non autem po- „ teſt eſſe infinita *intenſive*: quia nihil creatum „ ſic infinitum eſſe poteſt. Unde relinquitur, „ quod peccato mortali debeatur pœna infinita „ duratione ", ſive extenſive.

Peccatum eſſe Dei offenſam jam ſupra diximus, ac probavimus, pluribuſque aliis momentis comprobare fas eſſet. Hanc autem offenſam gravitatis eſſe quodammodo infinitæ, ratione a Sancto Thoma adducta facillime evincitur. Nam gravitas injuriæ, & offenſæ, ut cuilibet perſpectum eſt, ſumitur ex dignitate, aut excellentiæ perſonæ offenſæ, moraliter totam dignitatem ſuam veluti refundentis in injuriam, qua offenditur. Unde eſt vulgare illud, veriſſimumque proloquium: *Honor eſt in honorante; offenſa in offenſo*. Cum igitur Deus ſit dignitatis, & excellentiæ infinitæ, injuria ipſi per peccatum illata erit moraliter, ſive in prudenti æſtimatione infinita. Quod manifeſtius fit exemplo injuriarum, quæ inter homines ſæpe contingunt. Quoniam ſi perſonæ infimæ conditionis inferatur injuria, quæ ſit ex. gr. gradus unius; quo altius aſcendit dignitas perſonæ offenſæ, eo amplius creſcit offenſæ gravitas. Hinc injuria irrogata militi, vel equiti major illa ab omnibus æſtimatur, quæ irrogatur plebejo; & quæ infertur Principi, ea major, quæ infertur militi, vel equiti: quia Princeps equitem, eques plebejum dignitate præcellit. Cum igitur dignitas Dei omnem creaturæ dignitatem excedat, & quidem in infinitum; non poteſt non eſſe itidem infinita offenſa, quæ ipſi infertur per peccatum.

Ex his ergo propoſitæ rationis efficacia eniteſcit. Injuria ſiquidem cujuſcumque perſonæ irrogata pœnam aliquam meretur, eoque graviorem, quo major eſt dignitas, & excellentia perſonæ offenſæ. Unde humana juſtitia graviore ſupplicio plectit, qui Principem percutit, aut injuria afficit, quam qui equitem, aut ignobiliorem perſonam. Cum itaque injuria Deo illata per peccatum infinita ſit ob infinitam Dei dignitatem, & excellentiam, infinita quoque pœna digna eſt, adeoque æterna. Hæc enim ſola pœnæ infinitas penes durationem creaturæ convenire poteſt.

Atque hæc fortaſſe fuſius, quam inſtituti mei ratio pateretur, afferre placuit adverſus aliquos, qui æternitatem pœnæ peccato minime deberi juxta juſtitiæ leges obganniunt. Qui plura de hoc argumento valde neceſſario deſiderat, adeat citatum librum *de futuro impiorum ſtatu*, ubi plurima deprehendet ad hoc catholicum Dogma adverſus Socinianos, & recentes Origeniſtas comprobandum idonea.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA.

I. *Quodlibet peccatum mortale excludit quidem omnes virtutes infuſas; non tamen acquiſitas.*
II. *Peccatum etiam conſideratum, prout rationi opponitur, eſt eſſentialiter offenſa Dei.*
III. *Rejicienda eſt ſingularis opinio P. Vaſquez, rationem offenſæ Dei preſſe dictæ peccato denegantis.*
IV. *Formalis peccati ratio non in aliquo poſitivo, ſed in privatione conſiſtit.*
V. *Neque tamen colligere fas eſt, peccata ſpecie invicem non differre.*
VI. *Corporis infirmitas nullam præbet juſtam cauſam excuſandi peccata, quæ in ea committuntur.*
VII. *Semper peccat ex malitia quicumque eligit, quod malum eſſe cognoſcit.*
VIII. *Peccatum Angeli, ſicut & Protoparentum noſtrorum, fuit ex malitia commiſſum.*
IX. *Pluribus modis aliquem ex malitia peccare contingit.*
X. *Idem non eſt peccatum ex malitia, & peccatum in Spiritum Sanctum.*
XI. *Nihili facienda eſt excuſatio illorum, qui peccata ſua extenuant, eo quod ea ex habitu commiſerint.*
XII. *Nec audiendi ſunt, quoties effutiunt, ſe de peccato dolere, quod committunt.*
XIII. Macula *peccati non re, ſed nomine tantum a peccato habituali diſtinguitur.*
XIV. *Peccatum poteſt eſſe aliquando pœna alterius peccati.*
XV. *Peccatum veniale nec quoad culpam, nec quoad pœnam in hac vita remiſſum, ob conjunctionem cum peccato mortali, æterna pœna in inferno punitur.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. LIcet peccatum mortale non excludat ex ſe habitum virtutis acquiſitæ, niſi actus peccaminoſi multiplicentur; quodlibet tamen, etiamſi unicum ſit, excludit omnes habitus virtutum infuſarum, quatenus ſunt virtutes. *Quodlibet enim*, inquit S. Thomas hic quæſt. 71. artic. 4. *peccatum mortale contrariatur charitati, quæ eſt radix omnium virtutum infuſarum, in quantum ſunt virtutes; & ideo per unum actum peccati mortalis, excluſa charitate, excluduntur per conſequens omnes virtutes infuſæ, in quantum ſunt virtutes. Et hoc dico propter fidem, & ſpem, quarum habitus remanent informes poſt peccatum mortale, & ſic non ſunt virtutes.*

Conſectarium Secundum.

II. Quum lex æterna, & recta ratio non ſint duæ rationes omnino diverſæ, ſive diſparatæ; ſed una alteri ſubordinetur, ſicut inferius ſuperiori: inde fit, quod peccatum, etiam conſideratum prout contra rectam rationem, ſit eſſentia-

tialiter offenſa Dei; præſertim quia ratio humana recta non eſt, niſi ex eo, quod legi æternæ ſit conformis. *Quidquid eſt*, verba ſunt S. Thomæ quæſt. 71. art. 2. ad 4. *contra rationem artificiati, eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum. Unde ejuſdem rationis eſt, quod vitium, & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam.* Adeoque peccatum ſub alterutra ratione inſpectum non poteſt non eſſe ſemper Dei offenſa, quod pœnam æternam mereatur. Atque in hoc ſitum eſt præcipuum fundamentum falſitatis ſententiæ, peccatum mere philoſophicum defendentis, de quo infra ſermo erit.

Conſectarium Tertium.

III. Tamquam ſingularis, omnique ſolido fundamento deſtituta rejicienda eſt opinio Vaſqueſii, qui peccato rationem injuriæ in Deum, & offenſæ preſſe dictæ denegavit, eo potiſſimum momento ductus, quod inter Deum, & creaturas nequeat eſſe juſtitia proprie dicta: quia nulla creatura æquale Deo reddere valet. Hæc opinio jamdiu eſt a cæteris Theologis omnino rejecta. Conſtat enim, Deum habere verum jus, proprium que dominium honoris, ac dignitatis ſuæ conſervandæ; non minus ac homines verum jus, ac dominium habent proprii honoris, ac famæ. Cum ergo ad honorem, ac dignitatem Dei pertineat, ut ſit ſupremus, & ultimus finis hominis, omniumque humanarum actionum; peccator, qui hunc honorem, ac dignitatem, quantum eſt ex ſe, lædit, dum finem ſuum ultimum in creatura conſtituit, lædit jus aliquod Dei proprie dictum; adeoque & proprie dictam injuriam infert. Leve porro eſt Vaſqueſii fundamentum: non enim ex quo æquale Deo reddere nequeat rationalis creatura, conſequens eſt, quod neque poſſit veram contra Deum injuſtitiam committere, lædendo ſupremum ipſius jus, atque dominium; quemadmodum non ſequitur, plebejum hominem non poſſe injuria proprie dicta afficere Principem, quia ad æqualitatem ſatisfacere minime valet. „ Non diminuitur, inquit „ appoſite inſignis Theologus *Joannes a Sancto* „ *Thoma* Diſput. 1. de Incarnat.) aliqua ratio „ injuriæ ex eo, quod committatur a perſo„ na non habente æqualitatem ex parte ſub„ jecti ad recompenſandum debitum, ſed potius „ augetur. Ergo ex defectu hujus æqualitatis „ negare propriiſſimam rationem injuriæ, & in„ juſtitiæ ex parte juris læſi, intolerabilis ſen„ tentia eſt. Quis enim æquis auribus audit, „ offenſam, & injuriam unius hominis erga a„ lium veram injuriæ rationem ſortiri, ad cu„ jus recompenſationem ſtricte tenetur ex juſti„ tia; offenſam autem hominis erga Deum non „ eſſe injuſtitiam, neque injuriam ſtricte di„ ctam; cum majus jus lædatur, & conſequen„ ter, quantum eſt ex parte juris læſi, ſtri„ ctius obligetur homo ad recompenſandum, „ quamvis ex conditione ſubjecti, cui impoſ„ ſibile eſt æquale reddere ex juſtitia ſtricta, „ id non poſſit“?

Conſectarium Quartum.

IV. Communior, ac vera ſententia eſt tum a Sanctis Patribus, tum a S. Thoma tradita, eſſentiam, ſive eſſentialem, ac formalem peccati rationem non conſiſtere in aliquo poſitivo, ſed in privatione rectitudinis, quæ actui ineſſe deberet. Sententiæ hujus ego pluribus hic veritatem, ut facile poſſem, non adſtruam, cum ad præſens inſtitutum minime pertineat; ſed duntaxat declarare ſufficiat. Senſus itaque eſt, non quod in peccato poſitivum aliquod non inveniatur: in eo quippe invenitur actus humanus, qui *materiale peccati* vocari ſolet; ſed quod nihil poſitivum ſit eſſentia, aut *formale peccati*, ſolaque boni privatione conſiſtat: adeo ut, dum actus aliquis v. g. furtum, homicidium, mendacium &c. *peccatum* eſſe dicitur; tale non eſt propter aliquod poſitivum, quod ſit formalis ratio, quæ peccatum formaliter conſtituat, ſed propter aliquam privationem, ſive defectum rectitudinis debitæ. Qua de cauſa in Sacris Litteris vocatur *vanitas*, *mendacium*, *nihilum* (ut apud Amos c. 6.), *averſio a Deo*, *receſſus*, aliiſque hujuſmodi nominibus, quæ ſolam privationem denotant. Atque id pluribus S. Thomæ authoritatibus confirmare fas eſſet: ſed eæ ſatis modo ſint, quas habet hic *q.* 78. nimirum artic. 1. *Nihil eſt aliud malum, quam privatio alicujus boni;* & artic. 2. ad 3.: *In ipſa privatione conſiſtit ratio mali*; eodemque pertinet, quod frequenter ait, averſionem a bono incommutabili eſſe formalem, & completam rationem peccati; quodque hic diſerte docet, nempe id, quod ad ſubſtantiam actus humani pertinet, eſſe quaſi materiale in peccato; illud autem *contra legem æternam*, eſſe *formale*.

Conſectarium Quintum.

V. Ex hoc tamen nemo colligat, peccata ſpecie invicem non differre, eo quod privationes inter ſe differre ſpecie non videantur. Quandoquidem peccatum non conſtituitur per privationem veluti ſolitarie ſumptam, ſed per illam ut conjunctam fini indebito, & per ordinem ad objectum: hoc eſt; formalis, ſive eſſentialis peccati ratio in privatione conſiſtit, eſtque ipſa privatio, quæ & conſtituit peccatum in genere peccati, & diſtinguit illud ab omnibus iis, quæ peccata non ſunt. Id autem, quod conſtituit peccatum in certa, ſeu determinata ſpecie, & a cæteris diſtinguit, quæ peccata quidem ſunt, ſed diverſæ ſpeciei, non eſt privatio boni in genere, ſed eſt hęc determinata privatio, quæ videlicet conjungitur huic inordinato actui, ſeu converſioni ad commutabile bonum. Quod optime expreſſit S. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 42. *art.* 3. hac brevi ſententia: *Etſi averſio* (quæ ſane privationem importat) *det converſioni, quod ſit peccatum*; *converſio tamen dat averſioni, quod ſit tale peccatum*, ſive in hac, aut illa ſpecie conſtitutum.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. Sedula conſideratione digna eſt doctrina, quam habet S. Thomas *q. 77. art. 3. ad* 2. propter eos, qui ſæpe de carnis, aut corporis infirmitate conqueruntur, ſeque ob eam impediri ab exercitio virtutum, atque in frequentia peccata labi, ab illa veluti cogi cauſantur. *Peccatum*, inquit, *principaliter conſiſtit in actu voluntario, qui non impeditur per corporis infirmitatem: poteſt enim, qui eſt corpore infirmus, promptam habere voluntatem ad aliquid faciendum; impeditur autem per paſſionem. Unde cum dicitur, peccatum eſſe ex infirmitate, magis eſt referendum ad infirmitatem animæ, quam ad infirmitatem corporis.* Quare nemo corpore infirmus prætexere juſte poteſt excuſationem a peccatis, quæ in infirmitate committit, aut omiſſione actuum virtutum, quos exercere tenetur. Horum namque cauſa non infirmitati corporis tribuenda eſt, ſed potius infirmitati animæ, paſſionibus nempe immoderatis, quas reprimere, & in officio continere neglexit, ac negligit: quæ propterea, dum impedimento ſunt voluntati, ne in debitos actus prodeat, non illos a peccato excuſant. *Voluntas* enim, *in qua principaliter conſiſtit peccatum*, ſemper libera eſt, *nec per corporis infirmitatem impeditur.*

Conſectarium Septimum.

VII. Quicumque cognoſcit aliquid malum eſſe, ſive divinæ legi diſſentaneum, & nihilominus ob amorem inordinatum, & aſſecutionem alicujus boni creati illud eligit, ſemper peccat *ex malitia*. Quapropter S. Thomas hic *q. 78. art. 1. ad 1.* recte diſtinguit triplicem ignorantiam, quæ poteſt eſſe in eo, qui peccat. Inquit enim: „ Ignorantia quandoque quidem excludit ſcientiam, qua aliquis ſimpliciter ſcit, hoc eſſe malum, quod agitur: & tunc dicitur *ex ignorantia peccare*. Quandoque autem excludit ſcientiam, qua homo ſcit, hoc nunc eſſe malum: *ſicut cum ex paſſione peccatur*. Quandoque autem excludit ſcientiam, qua aliquis ſcit, hoc malum non ſuſtinendum eſſe propter conſecutionem alicujus boni; ſcit tamen ſimpliciter hoc eſſe malum: & ſic dicitur ignorare, qui ex certa *malitia* peccat ". Atque hoc ſenſu etiam de hoc illud verum eſt: *Omnis peccans eſt ignorans*; ignorantia ſcilicet electionis, qua practice ignorat, hoc malum legi Dei contrarium non eſſe eligendum, ut bonum, in quod, divina lege poſthabita, tendit, aſſequatur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Peccatum Angeli, quemadmodum & primum peccatum Adami, & Hevæ, dicendum eſt *ex malitia*. Cum enim non ex ignorantia illud commiſerint, neque ex aliqua paſſione inordinata, qua carebant; conſequens eſt, quod ex induſtria, ſive ex certa ſcientia illud patraverint, adeoque ex malitia. Ille ſiquidem, ut ait Sanctus Thomas q. 3. de malo art. 14. ad 7. *Peccat ex malitia, qui vult bonum, cui conjungitur malum, nec inclinatur ad illud ex aliqua paſſione, vel ignorantia*; ſive qui ſciens, ac volens eligit malum, nulla ad hoc impellente paſſione, vel ignorantia.

Conſectarium Nonum.

IX. Verum & illud obſervandum eſt, quod, cum aliquis *ex malitia* peccare dicitur, dupliciter hæc malitia intelligi poteſt; nempe vel certa mali deliberatio, qua quis peccaminoſum actum eligit citra ullam paſſionem, vel ignorantiam, quæ ſit iſtius electionis cauſa: vel ipſa liberæ voluntatis facultas, ſive libera voluntas, quæ, tametſi ex ſe, ac ſimpliciter bona ſit, dicitur tamen *malitia cauſaliter*: quatenus malam electionem efficit, non ex impulſu paſſionis, aut ignorantiæ, ſed ex ſemetipſa de induſtria ſic eligens. Nonnumquam etiam hæc malitia, ex qua peccare quis dicitur, eſt vel pravus habitus, quoties nempe ex inclinatione pravi habitus peccat; vel aliquod peccatum præcedens, veluti cum aliquis fraternam gratiam impugnat ex invidia. Unde peccare ex induſtria, vel electione, aut ex habitu pravo, aut ex certa ſcientia, aut ex malitia, eadem omnino ſunt, aut in idem recidunt.

Conſectarium Decimum.

X. Non eſt prorſus idem peccatum *ex malitia*, & peccatum *in Spiritum Sanctum*. Omne namque peccatum in Spiritum Sanctum eſt ex malitia, quatenus is, qui peccat, abjicit beneficia Sancti Spiritus, quibus poſſet a peccato revocari. Sed non omnis, qui peccat ex malitia, preſſe loquendo, peccat in Spiritum Sanctum. Nam qui ex habitu pravo peccat, haud ſemper peccat abjiciendo per contemptum ea, quibus retrahi poſſet a peccato, quod proprium eſt peccari in Spiritum Sanctum. Ac præterea peccare in Spiritum Sanctum eſt peculiare quoddam genus peccati, ut alibi notum fiet. Peccatum autem, quod ex malitia eſt, non eſt ſpeciale genus peccati, cum peccata omnia ex malitia committi valeant.

Conſectarium Undecimum.

XI. Quamquam neceſſum haud ſit, ut, quicumque vitioſum habitum contraxit, ex eo ſemper operetur, ſed agere interdum valeat ex paſſione; nihilominus, dum agit ex habitu, ſemper agit ex malitia, ut jam oſtenſum eſt ex doctrina Sancti Thomæ. Inanis proinde, nec admittenda excuſatio eſt eorum, qui habitu aliquo peccandi irretiti, peccata, quæ committunt, in illum refundunt; quaſi habitus, quem voluntarie contraxerunt, ob eam, quam infert, veluti peccandi neceſſitatem, præjudicium aliquod inferat libertati, aut ipſam diminuat. Quoniam præter ea, quæ dicta ſunt, ſi ita ſe res haberet, quo deterior quis fieret, eo foret excuſabilior, & quo

propter habitum, & peccandi conſuetudinem magis eſſet obfirmatus in malo, eo minus peccaret. Ac ſimiliter ex oppoſito quanto amplius quis in virtute proficeret, tanto minus meritum, ac præmium conſequeretur: Quod oppido falſum eſt, & cogitare abſurdum. Rejicienda eſt igitur a Confeſſariis hæc excuſatio, quam peccatores habituati prætexere ſolent; ipſique modis omnibus arguendi, & inducendi ſunt, ut pravos habitus deſerant, atque evellant: alioquin rei futuri peccatorum omnium, quæ perpetrant, dignique graviori pœna, quæ peccatis ex malitia debita eſt.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Illud tamen advertere oportet, quod habet S. Thomas in hoc *art.* 2. *q.* 78. *ad* 3. Cum enim ſibi objeciſſet, quod ii, qui peccant ex habitu, poſt peccatum commiſſum aliquando de ipſo dolent; reſpondet, quod ille quidem, *qui peccat ex habitu, non dolet, ſed ſemper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur. Sed quia poteſt habitu non uti, ſed per rationem, quæ non eſt totaliter corrupta, aliquid aliud meditari; poteſt contingere, quod non utens habitu doleat de hoc, quod per habitum commiſit. Plerumque tamen tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt.* Atque hujuſmodi frequentius eſſe ſolet horum peccatorum dolor, ac pœnitentia.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Ex notione tradita *maculæ peccati* colligere proclive eſt, eam reipſa non diſtingui a *peccato habituali*. Nihil enim aliud eſt eſſe animam maculatam, & immundam, quam eſſe peccato inquinatam, & a Deo averſam. Solum itaque nomine differunt, quamvis inter hæc duo nomina alterum altero magis, minuſve rem explicet. In hoc namque, quod eſt exprimere offenſam Dei adhuc pœnitentia non deletam, præcellit nomen *habitualis peccati*: in hoc vero, quod eſt ſignificare turpitudinem, & privationem nitoris ſubjecto debiti, *maculæ* nomen.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Unum peccatum poteſt eſſe aliquando pœna alterius peccati, quod per pœnitentiam non ſtatim deletur. Quidquid ſit de modo, quo id contingat, de quo inter ſe diſputant Theologi de Schola, hæc aſſertio indubitate tenenda eſt. Siquidem Sacræ Litteræ expreſſe nos docent, peccata præcedentia mereri, ut homo in alia, & alia peccata proruere ſinatur. Hinc Apoſtolus *ad Rom.* 1. de ingratitudine illorum Gentilium verba faciens, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*, ſubdit: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam* &c. Et poſtea: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Et iterum: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt*; quibus ſimilia docet etiam 2. ad Theſſal. 2. Eamdemque doctrinam tradunt luculenter Eccleſiæ Patres Auguſtinus, Gregorius Magnus, aliique.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Peccatum veniale, nec quoad culpam, nec quoad pœnam remiſſum in hac vita, ob conjunctionem cum peccato lethali punitur in Inferno æterna pœna. Hoc perſpicue docet Sanctus Thomas *q.* 5. *de malo art.* 2. *ad* 8. inquiens: *Peccatum veniale in eo, qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur propter gratiæ carentiam.* Et q. 7. art. 10. *Veniale peccatum non meretur pœnam æternam ex ſpecie ſua, neque ex parte inhærentiæ ad ſubjectum per ſe loquendo: quia non privat gratia; ſed per accidens fit irremiſſibile peccato mortali conjunctum, in quantum eſt in ſubjecto privato gratia: & ſic per accidens punitur pœna æterna.* Quibus in verbis rationem inſinuat aſſertionis noſtræ, quæ ſic proponi poteſt, nimirum: quamdiu remanet reatus culpæ, tamdiu remanet etiam reatus pœnæ; quia pœna tamquam proprietas ſequitur culpam. At vero veniale peccatum remanet indelebile, æternumque remanebit. Peccatum ſiquidem veniale nunquam remittitur, niſi aut formaliter, aut ſaltem virtualiter retractetur: quod in damnatis nunquam contingit, cum eorum voluntas in malo obdurata ſit. Igitur &c.

REFLEXIO.

Nullum in univerſo Mundo malum eſt, cui vere proprieque dicti mali nomen conveniat, niſi peccatum præcipue mortale. Nos falſi rerum æſtimatores mala ſolum credimus, & vocare ſolemus, quæ nos temporaliter vexant, & excruciant; paupertatem, infamiam, dolorem, afflictiones, perſecutiones, miſerias &c., maximeque mortem malorum omnium temporalium ſupremum. At hæc omnia etiam collectim ſumpta, ſi cum peccato conferantur, nonniſi æquivoce mala ſunt, & ne mali quidem nomen merentur. Illud tantummodo proprie *malum* dicere, atque æſtimare debemus, quod nos privat ſummo bono, quod opponitur ſanctiſſimæ legi Dei, quod Deo ipſi injuriam maximam infert, quod infinitam ejus Majeſtatem offendit; ex quo infinitam quamdam *malitiæ* rationem contrahit, *ob infinitatem*, ut ait Sanctus Thomas, *Divinæ Majeſtatis, quæ offenditur*. Et tamen quid non agimus, quid non molimur, ut hæc mala temporalia, quæ mala proprie non ſunt, avertamus a nobis? Contra vero, quam deſides, quam incurioſi ſumus in eo vitando, quod unice *malum* eſt, eſſentiale malum, malum infinitum: dicam amplius, ac verius; quam facile, quam frequenter illud eligimus, ultro excipimus, atque libenter amplectimur, ac fovemus! O vere *mendaces filii hominum in ſtateris*! O miſeriam jugibus lacrymis deplorandam! O cæcitatem plane incredibilem! Væ nobis miſeris, qui ini-

quitatem velut aquam bibimus, & dum peccata peccatis cumulamus, nedum nullo errore concutimur, nec ad aſpectum eorumdem expaveſcimus; ſed potius lætamur, cum mala facimus, & exultamus in rebus peſſimis. O infelix peccator, quicumque es! Siccine tu leve putas, imo pro nihilo pendis, quod Deus infinito odio proſequitur, ad cujus enormem fœditatem, teſtante Sacro Eloquio, *mundi Dei oculi reſpicere nequaquam poſſunt*, ad cujus horrendam malitiam tangitur dolore cordis intrinſecus, pœnitetque, quod fecerit hominem; in quod toto furoris æſtu excandeſcens deſævit, peccatoribus occurrens *quaſi leæna, vel pardus in via Aſſyriorum; quaſi urſa, raptis catulis, diſrumpens interiora jecoris eorum, & conſumens eos; quaſi Leo, & quaſi beſtia agri ſcindens illos, congregans ſuper eos mala, & ſagittas ſuas complens in eis*, ut Scripturæ verbis utar? Siccine flocci facis peccatum, cujus pondus immenſum, & gravitas, menſuram omnem excedens Sapientiam Dei non extimeſcit, & potentiam vilipendit, & dominium aſpernatut, & vitam, ſi poſſet, adimeret, & divinitatem de throno ſuo deturbaret, & unitatem deſtrueret, dum ipſi rationem ultimi finis eſſentialiter convenientem, quantum de ſe eſt, penitus ſurripit, ut in viliſſima creatura conſtituat; ac, ut cum Tertulliano loquar, Diabolum Deo præponit: *comparationem enim*, inquit ille, peccator *videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit*, Deum ſcilicet, & Diabolum, *& judicando pronunciaſſe eſſe meliorem, cujus ſe eſſe maluerit?*

Quod ſi te, infeliciſſime peccator, nec lex Divina, quam proculcas, nec injuria maxima, quam Deo irrogas, nec Majeſtas infinita, quam contemnis, nec ira Dei, quam in te accendis, a peccando abſterrent; cur non ſaltem commoveris damnis graviſſimis, quæ tibi ipſi infers, dum peccatum committis? Nonne peccatum animæ tuæ decorem corrumpit, divitias ejus omnes deprædatur, merita, ac bona quæcumque opera obliterat, ut nullam eorum rationem habeat Deus? Nonne peccando te Dæmonis ſervituti ſubjicis, crudeliſſimi utique Tyranni, qui te dieſque nocteſque exagitat, torquet, diſcruciat, quin nullam tibi requiem animi a labore, ac dolore permittat? Nonne reatum incurris pœnæ, & quidem ſempiternæ, quæ te manet in futura vita? Si mala hujus Mundi, quæ leviſſima ſunt, brevique tempore duratura, adeo formidas, ut nihil non agas, nihil non ſuſcipias, ut ea evites; quid non potius exhorreſcis alterius vitæ ſupplicia longe acerbiora, & quæ finem nunquam habitura ſunt? Conſidera, quæſo, carcerem horribilem, unde nullus eſt exitus, ignem illum inextingnibilem, vermem immortalem, cruciatus æternos, quos pro peccato mereris, quibuſque ſemper obnoxius futurus es, ſi a peccato non deſiſtis, quæque peccata perpetraſti, odio, ac ſincera deteſtatione, & veraci pœnitentia non deles, & abſtergis.

Hæc itaque certiſſima veritas ſit alte impreſſa in cordibus noſtris, nullum revera in hoc univerſo malum eſſe, quod propriiſſime malum dici valeat, niſi peccatum; tum quia nullum malum eſt, niſi peccatum, quod ſapientiſſimus rerum æſtimator Deus ut vere malum agnoſcat, abominetur, & infinito odio proſequatur: tum quia nullum eſt, niſi peccatum, quod fons, & origo ſit omnium cæterorum malorum, maximeque illius ſempiterni mali, quod in damnatione conſiſtit. Hanc veritatem inceſſanter, ac ſerio meditemur, ut illud ex animo deteſtemur, ſi forte admiſerimus; atque ab illo impoſterum admittendo omni ſtudio, omnique niſu caveamus, & *quaſi a facie colubri*, ut monet Scriptura, ſummo cum horrore fugiamus.

CAPUT TERTIUM.

De Peccato Originali.

DOCTRINA.

I. *Peccati originalis notitia omnibus valde neceſſaria.*

II. *Definitio peccati originalis; & explicatio ejuſdem.*

III. *Quid proprie ſit hocce peccatum, luculentius exponitur ex S. Thoma.*

IV. *Dogma Fidei eſt, originale peccatum in omnes homines a primo parente Adam propagari. Hujus dogmatis definitiones Eccleſiæ.*

V. *Errores ex his definitionibus reprobati.*

VI. *Chriſtus Dominus ab univerſali lege omnino excipiendus.*

VII. *An etiam ex ſpeciali privilegio excipienda ſit Beatiſſima Virgo Maria, ad fidem minime pertinet.*

VIII. *Quid de hac inter Catholicos controverſia decreverint Summi Pontifices, proponitur.*

IX. *Diſſeritur de effectibus peccati originalis in genere. Conciliorum definitiones afferuntur.*

X. *S. Thomæ de his effectibus doctrina.*

XI. *Uberior ejuſdem doctrinæ expoſitio ex eodem S. Doctore.*

XII. *De effectibus peccati originalis in ſpecie. Quatuor vulnera S. Thomas enumerat ab illo nobis inflicta.*

XIII. *De vulnere ignorantiæ.*

XIV. *De vulnere malitiæ. Quo ſenſu hic* malitia *ſumatur.*

XV. *De vulnere infirmitatis. Quid hic* infirmitatis *nomine veniat, explicatur juxta S. Thomam, & S. Auguſtinum.*

XVI. *De vulnere concupiſcentiæ. Quam grave illud ſit, quamque pernicioſum humano generi.*

§. I.

Peccati Originalis notio.

I. GErmana peccati originalis, & effectuum, quos in Mundum invexit, cognitio Chriſtianis omnibus nedum utilis, ſed plane neceſſaria exiſtimanda eſt; adeo ut ſcripſerit S. Parens Auguſtinus *Epiſt.* 89. hujus peccati notitiam, & humanæ per Chriſtum Jeſum redemptionis fidem, duos eſſe cardines præcipuos, circa quos Religio Chriſtiana verſatur. Profecto ſine

ſine hac peccati originalis cognitione neque ſatis percipitur Redemptionis noſtræ Myſterium, quod præſupponit captivitatem illam, ſub qua detinebatur univerſum genus humanum, & a qua per Chriſtum ſolutum eſt; neque ſatis intelliguntur tot, quas in hac miſera vita patimur, calamitates tum corporis, tum maxime animæ, quibus propter illud ſubjecta eſt humana natura; tot ignorantiæ, quibus involvitur; tot concupiſcentiæ, & inordinatæ paſſiones, quibus reprimendis nimium imbecilles ſunt animi noſtri vires: unde opus eſt, ut ad fontem miſericordiæ recurramus, divinæque gratiæ auxilium imploremus. Ne autem prolixiores ſimus in hoc argumento, miſſis Theologorum diſceptationibus, ea tantum afferemus, quæ certa nobis, ac ſcitu neceſſaria videbuntur, præmiſſa de more peccati originalis notione, ſive definitione. Quare ſit

Definitio Peccati Originalis.

Peccatum Originale eſt privatio originalis juſtitiæ per communem originem, ſive propagationem ab Adamo totius humani generis capite, ac primo parente in omnes homines derivata.

Explicatur. Ex hoc, quod peccatum originale *privatio* dicitur, denotatur id, quo cum cæteris peccatis convenit, ſive *genus* peccati. Nam peccatum omne, ut diximus, *in privatione* conſiſtit. Reliqua, quæ in definitione ſequuntur, inſinuant *differentiam* hujus peccati a cæteris omnibus actualibus, quæ vel ab Adamo commiſſa ſunt, vel a cæteris hominibus committuntur. Ac primo quidem in hoc, quod eſt privatio *juſtitiæ originalis*, exprimitur præcipuus, & eſſentialis character, quo a cæteris peccatis differt. Quocirca adnotare opus eſt, *juſtitiam originalem* eximium quoddam donum fuiſſe, quod primo homini in ipſa ſua conditione a Deo collatum eſt, & gratiam ſanctificantem, virtuteſque omnes ita complectebatur, ut mentem ejus Deo, corpus animæ, vireſque inferiores rationi plane ſubjiceret; adeo ut anima nullis inordinatis paſſionibus concuteretur, nulluſque in membris adverſus legem mentis concupiſcentiæ motus inſurgeret: ex quo ſubinde eximio dono, tanquam effectus cauſam, impaſſibilitas corporis, & immutabilitas conſequebantur. Donum illud ſupernaturale, quo primus homo juxta Scripturæ locutionem *rectus* in ſe ipſo dicebatur, nedum ſibi uni acceperat Adam, ſed univerſo etiam humano generi ab ipſo propagandum, ita Deo decernente, qui in Adam veluti hominum cæterorum ab eo propagandorum Capite poſterorum omnium voluntates conſtituit; adeo ut, ſi in ea, quam acceperat, juſtitia perſeveraſſet, eamdem, quemadmodum & appendices ejuſdem, omnes homines cum anima ipſa in prima ſua origine accepiſſent.

Verum non in eo feliciſſimo ſtatu diu perſtitit primus homo, ſed in peccatum ſuperbiæ, & inobedientiæ prolapſus præclaro illo dono juſtitiæ originalis, ejuſque inſignibus prærogativis ſpoliatus eſt, plagiſque graviſſimis, ignorantia ſcilicet veri, difficultate boni operandi ob voluntatis infirmitatem, & rebellis adverſus legem mentis concupiſcentiæ motibus, & inſultibus, ac inſuper moriendi neceſſitate affectus, ac vulneratus, in via ſemivivus relictus, prout Chriſtus Dominus in parabola hominis, qui ab Jeruſalem in Jericho ſeceſſit, ſatis aperte ſignificavit. Atque hinc *originalem*, qua donatus fuerat, *juſtitiam* non ſolum amiſit ipſe, ſed amiſerunt etiam poſteri omnes ab illo deſcendentes: *in eo* ſiquidem, ut ait Apoſtolus, *omnes peccaverunt*: quia, ſubdit Sanctus Auguſtinus, *omnes ille unus fuerunt*. In Adamo namque omnium hominum primo parente, & capite natura illa inſita erat, in qua eos gignere poterat, quamvis nondum agerent vitas proprias.

III. S. Thomas clarius fortaſſe peccati hujus originalis naturam exponit hic *quæſt.* 82. *art.* 1. ubi quærit; *an originale peccatum ſit habitus*. Ehabitum quidem preſſe dictum eſſe negat; at habitum aliquo modo dici poſſe conſentit, quatenus „ dicitur habitus diſpoſitio alicujus naturæ ex multis compoſitæ, ſecundum quam bene ſe habet, vel male ad aliquid, & præcipue, cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturam verſa, ut patet de ægritudine, & ſanitate. *Et hoc modo peccatum originale eſt habitum. Eſt enim* (en hujus peccati notio) *quædam inordinata diſpoſitio proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ*: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis. Unde peccatum originale *languor naturæ* dicitur ".

Porro idem S. Doctor *art.* 3. quæſtionis ejuſdem duo in originali peccato diſtinguenda eſſe docet, illud nimirum, quod eſt in eo *materiale*, & illud, quod eſt *formale*. Ejus doctrina oculis ſubjicienda eſt. „ Unumquodque, inquit, habet ſpeciem a ſua forma ..... Species autem peccati originalis ſumitur ex ſua cauſa .... Eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta. Quę quidem ſubjectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem. Unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt *formale* in peccato originali. Omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali, ſicut quiddam *materiale*. Inordinatio autem virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici *concupiſcentia*. Et ita peccatum originale *materialiter quidem eſt concupiſcentia*; *formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ* ".

Hanc S. Thomæ doctrinam egregie illuſtrat Dominicus Soto *lib.* 1. *de nat. & grat. c.* 8. *&* 9. hac animadverſione: Illud in pueris naſcentibus eſt

eſt originale peccatum, quod in Adamo habitualiter manſit poſt ejus actuale peccatum. Quod enim in ipſo actualiter peccante fuit formalis ratio peccati, ſicut in ipſo, ſic in tota natura relictum eſt ad modum habitus. (Peccatum namque originale non eſt in poſteris Adam per modum actus, ſed per modum habitus.) Jam vero quid aliud fuit in Adamo formalis ratio peccati, niſi obliquitas, ac deflexio voluntatis a lege, & ordine ad Deum? Quoniam Adam humanæ naturæ caput perſonam gerebat totius naturæ, quæ in ipſo beneficium illud acceperat in ea permanſurum, quandiu non peccaſſet; tota in ipſo natura rea effecta eſt ſuæ prævaricationis, atque adeo Deo inviſa, & inimica. Quapropter deordinatio, & deformitas actus illius peccaminoſi in natura permanſit ad modum *habitus*, quam proinde cum natura contrahimus. Eſt itaque originale peccatum in pueris habitualiter manens privatio juſtitiæ originalis, prout eam ex S. Thoma deſcripſimus.

In hac doctrina illa præſertim verba notanda ſunt, quod *Adam perſonam gerebat totius humanæ naturæ*. Sunt enim ad legitimam originalis culpæ notionem hauriendam apprime neceſſaria, iiſque omnino conſentanea, quæ habet S. idem Doctor *q.* 4. *de malo art.* 1. dicens: *Hoc donum* (originalis juſtitiæ, *per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ, non fuerat datum primo homini, ut ſingulari perſonæ tantum, ſed ut cuidam principio totius humanæ naturæ, ut ſcilicet ab eo per originem* (ſeu carnalem generationem) *derivaretur in poſteros. Hoc vero donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amiſit eo tenore, quo ſibi datum fuerat, ſcilicet pro ſe, & pro tota ſua poſteritate. Defectus ergo illius doni totam ejus poſteritatem conſequitur*.

§. II.

De propagatione peccati originalis in omnes homines.

IV. Dogma Fidei eſſe, originale peccatum in omnes homines, qui ab Adam protoparente deſcendunt, propagatum, nemo Catholicorum dubitat. Non ego hic fundamenta omnia proferam, quibus fides catholica hujuſce dogmatis nititur; ſed aliquas definitiones Eccleſiæ duntaxat adducam, quibus illud veluti fide certiſſimum declaravit, & oppoſitum ſuſtinentes anathemate perculit. Ex antiquis Eccleſiæ Conciliis habemus in primis ea decreta, quibus contrarius Pelagianorum error damnatus eſt: inter quæ illud clariſſimum Concilii Milevitani *can.* 2. ubi eos, qui dixerint, parvulos recens natos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis, baptiſmate ſcilicet, expiari oporteat, anathemate ferit; hoc maxime momento innixum, nempe: *Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus*: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; *niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ubique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*. Atque eadem quoque eſt definitio Concilii Arauſicani *Can.* 2.

Veteres haſce Eccleſiæ definitiones noviſſime in lucem protulit, ſuaque auctoritate confirmavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *c.* 2. ubi ita decernit: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & receptam a Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiam nobis eam perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; anathema ſit: cum contradicat Apoſtolo dicenti*: Per unum hominem &c. Idemque ſtatuit *can.* 4. Concilii Milevitani verba repetens; & tandem *can.* 5. concludit: *Siquis per Jeſu Chriſti Domini Noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema ſit*.

V. Ex his Sacri Concilii verbis plures errores confodiuntur: ac prior quidem *Manichæorum*, qui aſſerebant, *Adamum nullo prorſus modo nocuiſſe peccando*. Alter *Pelagianorum*, qui contendunt, peccatum illud nocuiſſe quidem nobis, ſed quoad mortem tantum corporis, & corporales ærumnas, quas invexit in mundum. Tertius *Socinianorum*, qui admittunt equidem, ex Adamo nos trahere peccatum, at non per originem, ſed per imitationem. Quartus demum tum quorumdam *Pelagianorum*, tum *Zuinglianorum*, qui docent, peccatum, quod per Adam intravit in mundum, intelligendum eſſe *peccati effectum*; non autem veri, ac proprii nominis peccatum; quibus ſuffragari mihi videntur aliqui, qui cæteroquin *Catholici* audiunt, aut audiri volunt; atque adeo ſatis aperte adverſari Concilio Tridentino expreſſe aſſerenti, peccatum, quod in parvulis per baptiſmum deletur, *veram, & propriam rationem peccati* habere. Quod etiam ex pœna, quam ii merentur in alia vita, qui cum eo peccato moriuntur, in Concilio Florentino definita abunde colligitur; videlicet, *animas illorum, qui in actuali mortali peccato, vel* (N. B.) *ſolo originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen imparibus puniendas*.

VI. Cum peccatum originale ab Adamo in omnes homines derivari, catholica fide doceamur, quæri merito poteſt, num ſaltem aliqui ab hac generali lege ex ſpeciali privilegio eximantur? Et quidem de Chriſto Domino nulli dubium eſſe debet in hac lege nequaquam comprehendi, qui ſine concupiſcentia, & non ex virili ſemine, ſed de Spiritu Sancto conceptus eſt. Unde S. Auguſtinus *lib.* 1. *de nupt. & concup. cap.* 24. ſcripſit: *Ex hac concupiſcentia carnis tamquam filia peccati ... quæcumque naſcitur proles, originali eſt obligata peccato, niſi in illo renaſcatur, quem*

ſine iſta concupiſcentia Virgo concepit. Propterea quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus.

VII. An etiam ab ea lege excipienda ſit Sanctiſſima Chriſti Mater ex ſpecialiſſimo privilegio; id quidem ad fidem non ſpectat; variæque ſunt de re hac Catholicorum Theologorum opiniones. Sed majorem Chriſtianorum partem in hanc propenſiorem eſſe ſententiam, quæ Sanctam Virginem ab originali peccato immunem pie credit, dubitandum non eſt. Illud tantummodo huc afferre ſufficiat, quod de hac controverſia ſtatuerunt Summi Pontifices.

VIII. Urbanus IV. anno 1483. edita Conſtitutione, quæ incipit: *Grave nimis*, damnat eos, qui tenerent, aut aſſererent, propugnantes glorioſam, & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, *mortaliter peccare*, *vel eſſe hæreticos*. Simili etiam pœnæ, ac cenſuræ ſubjicit eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, *glorioſam* ſcilicet *Virginem Matrem cum originali peccato fuiſſe conceptam*, *hæreſis crimen*, *vel peccatum incurrere mortale*: *cum nondum ſit a Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum*.

Concilium quoque Tridentinum Conſtitutiones Sixti IV., & Urbani IV. confirmavit *ſeſſ. V.*, eaſque pariter renovavit S. Pius V. anno 1570. ac inſuper mandavit, „ quatenus nemo, cujuſcumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in popularibus concionibus, „ vel ubicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, de alterutra „ hujus controverſiæ parte diſputare, rationibus, „ vel Doctorum authoritate aſſerendo propriam „ ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando; vel de hac ipſa quæſtione, cujuſvis „ pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat “. Et graviter illos perſtringit, „ qui cum de glorioſa V. „ M. conceptione ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac ſi de „ illis Dogmatibus eſſet, quæ corde credere ad „ juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem neceſſarium eſt “.

Ut omittam Conſtitutionem Pauli V., Gregorius XV. anno 1622. decrevit, ac præcepit, ut impoſterum, donec articulus hujuſmodi fuerit definitus, nullus audeat in publicis Concionibus, lectionibus, concluſionibus, vel quibuſcumque publicis actibus aſſerere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Alteram tamen opinionem ſe propterea non reprobare, nec ullum ei præjudicium inferre velle, declaravit: prohibetque etiam ſub cenſuris, ne quis contrariam opinionem impugnet &c. Quod pariter prohibuit Alexander VII. aliique ſubſequentes Pontifices, ſemper declarantes, nolle ſe quæſtionem hanc definire, ac vetantes, ne quis alterutram ſententiam *hæreticam* vocet, aut *impietatis* condemnet.

§. III.

De effectibus peccati originalis in genere.

IX. Antequam effectus peccati originalis in particulari deſcribam, illud præmitto, quod habet generatim catholica doctrina, traditurque ab Eccleſiæ Conciliis; nimirum hominem per originale peccatum nedum ſpoliatum fuiſſe donis gratuitis, ſed etiam vulneratum in naturalibus. Hoc definitum videtur a Concilio Arauſicano II. adverſus Pelagianos, ac Semipelagianos his verbis: *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum*, ideſt corpus, & animam, *in deterius dicit hominem commutatum*; *ſed animi libertate illæſa durante, corpus tantummodo concupiſcentiæ dicit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adverſatur Scripturis &c.*

Luculentius expreſſit hanc veritatem Synodus Tridentina *ſeſſ. 6. c. 1.*, ubi ita loquitur, „ Ad „ juſtificationis doctrinam probe, & ſincere intelligendam oportet, ut unuſquiſque agnoſcat, & „ fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent *facti* „ *immundi*, &, ut Apoſtolus inquit, *natura filii iræ*, uſque adeo ſervi erant peccati, & ſub „ poteſtate Diaboli, ac mortis, ut non modo „ gentes per vim naturæ, ſed ne Judæi quidem „ per ipſam etiam litteram legis Moyſi inde liberari, aut ſurgere poſſent, tametſi liberum „ arbitrium minime in eis extinctum eſſet, viribus licet attenuatum “. Id ſignificatum a Chriſto fuit in parabola ſuper indicata hominis deſcendentis ab Jeruſalem in Jericho, qui *incidit in latrones*, *qui etiam deſpoliaverunt eum*, donis nempe gratuitis, quibus ornatus fuerat; *& plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto*. Quibus verbis etiam in naturalibus vulneratum fuiſſe Adamum, ſicut & omnes homines ex eo deſcendentes, ſatis aperte deſignatur.

X. Angelicus Doctor Sanctus Thomas de hiſce plagis, ſive vulneribus, quibus per primi hominis peccatum affecti ſumus, verba faciens *in 2. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. ad 3.* præclare obſervat, læſionem hanc ex peccato nobis illatam *in naturalibus*, non ita intelligendam eſſe, ac ſi quidpiam detrimenti paſſæ ſint naturales noſtræ facultates, intellectus, voluntas, & appetitus ſentiens *intrinſecus*, & *in ſeipſis*, aut quidpiam phyſicum, & *entitativum*, ut vocant, iiſdem ademptum fuerit. Hoc enim falſum eſt. Nam hoc ſenſu *naturalia*, ut Patres docent, ſicut in Dæmonibus, ita & in homine poſt peccatum *integra permanſerunt*. Quemadmodum etiam non eſt penitus extincta inclinatio ad bonum honeſtum, nec virtutum ſemina, aut radices evulſæ. Sed hoc ſenſu intelligendum eſt, quod ex peccato ablata ſit ea facilitas, qua fruebantur facultates animæ, ac frui deberent relate *ad finem ultimum* Deum, ad quem modo tendere, eumque conſequi non ſine magna difficultate poſſumus. Verba Sancti Thomæ hæc ſunt: „ Bona naturalia dicuntur dupliciter; vel prout ſunt in ſe „ conſiderata, ſecundum quod naturæ debentur

ex

„ ex propriis principiis ; & ſic nec homo , nec „ Angelus aliquid naturalium amiſit, nec in aliquo diminutus eſt . . . Vel ſecundum quod ordinatur homo ad finem ultimum: & hoc modo „ in utroque bona naturalia diminuta ſunt , non „ quidem penitus amiſſa, in quantum uterque factus eſt minus habilis, & magis diſtans a finis „ conſecutione. Et propter hoc etiam homo *gratuitis ſpoliatus* dicitur, & *in naturalibus vulneratus* “.

XI. Hoc amplius explicari valet doctrina, quam tradit idem Sanctus Doctor *lib.*4. *cont. Gent. Cap.* 52. ubi ait : „ Cum Deus humanorum actuum „ ſic curam gerat, ut bonis operibus præmium , „ & malis pœnam retribuat, ex ipſa pœna poſſumus certificari de culpa. Patitur autem communiter humanum genus diverſas pœnas & „ corporales , & ſpirituales . Inter corporales „ potiſſima eſt mors, ad quam omnes aliæ tendunt, & ordinantur, ſcilicet fames, ſitis, & „ alia hujuſmodi . Inter ſpirituales autem eſt „ potiſſima debilitas rationis, ex qua contingit , „ quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus beſtiales omnino ſuperare non poteſt , „ ſed multoties obnubilatur ab eis ;“ , Hoc , ſoluta quadam objectione , exponere pergit : „ Divina providentia ſuppoſita, quæ ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit , „ (æſtimare debemus) quod Deus ſuperiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur , & , ſiquod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret , ejus ſpeciali, & ſupernaturali beneficio tolleretur ; ut „ ſcilicet, cum anima rationalis ſit altioris naturæ, quam corpus , tali conditione credatur „ corpori eſſe conjuncta, quod in corpore aliquid „ eſſe non poſſit contrarium animæ, per quam „ corpus vivit : & ſimiliter ſi ratio in homine „ appetitui ſenſuali conjungitur , & aliis ſenſitivis potentiis , quod ratio a ſenſitivis potentiis non impediatur , ſed magis eis dominetur “.

„ Sic igitur ſecundum doctrinam fidei ponimus „ hominem a principio taliter eſſe inſtitutum , „ quod , quamdiu ratio hominis Deo eſſet ſubjecta, etiam inferiores vires ei ſine impedimento „ deſervirent , & corpus ab ejus ſubjectione impediri non poſſet per aliquod impedimentum „ corporale, Deo, & ſua gratia ſupplente, quod „ ad hoc perficiendum natura minus habebat . „ Ratione autem averſa a Deo , (conſequutum „ eſt) ut & inferiores vires a ratione repugnarent , & corpus vitæ , quæ eſt per animam , „ contrarias paſſiones ſuſciperet . Sic igitur hujuſmodi defectus, quamvis naturales homini „ videantur, abſolute conſiderando humanam naturam ex parte ejus , quod eſt in ea inferius ; „ tamen conſiderando Divinam providentiam , & „ dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ , „ ſatis probabiliter probari poteſt , hujuſmodi „ defectus eſſe pœnales ; & ſic colligi poteſt , „ humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe „ infectum “. Hæc ille ſapientiſſime, cujus proinde doctrina attendenda permaxime eſt , quia lucem fulgentiſſimam affert huic obſcuriori argumento.

§. IV.

De effectibus peccati originalis in ſpecie.

XII. His itaque ſuppoſitis, ad quatuor ſpecies peccati originalis vulnera, ſive effectus, quos in animam induxit, revocari facile poſſunt, quemadmodum revocat S. Doctor *quæſt.*85. *art.*3. ex Venerabili Beda; nempe *infirmitatem* , *ignorantiam* , *malitiam* , & *concupiſcentiam* : quæ vulnera ita paucis declarat, inquiens: „ Quatuor ſunt potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum , „ ut ſupra dictum eſt ; ſcilicet *ratio*, in qua eſt „ prudentia : *voluntas* , in qua eſt juſtitia : *iraſcibilis* , in qua eſt fortitudo : *concupiſcibilis* , in qua eſt temperantia . In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum , eſt „ *vulnus ignorantiæ* : in quantum vero voluntas deſtituitur ordine ad bonum , eſt *vulnus* „ *malitiæ* : in quantum vero iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum , eſt *vulnus infirmitatis* : in quantum vero concupiſcentia deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ratione , eſt *vulnus concupiſcentiæ* . Sic „ igitur *iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti* „ *humanæ naturæ ex peccato primi parentis* “. Hæc vulnera paulo amplius ſingillatim explicare proderit.

De vulnere ignorantiæ.

XIII. Quam ingens ſit *ignorantiæ vulnus*, per originale peccatum homini inflictum, experientia nimium manifeſta nos docet tum in parvulis, tum in adultis. Nam in parvulis ita ſopita , ac ferme extincta ratio eſt , ut per plures annos quaſi anima rationali careant , pecudibus aſſimilentur, ac nedum præcepti minime capaces ſint , ſed tam profunda ignorantiæ caligine obducantur, ut neſciant, ubi ſint, quid ſint, a quo creati, a quibus geniti &c. Quam ignorantiam , ac veluti ſoporem conſiderans S. Auguſtinus *lib.* 2. *de peccat. mer. c.* 38. ita illam deplorat : „ Pulli , quamvis ſint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant , quoniam „ rationalem animam non habent, tamen etiam „ minutiſſimi & currunt , & matres agnoſcunt, „ nec ſugendis uberibus cura, & ope adjuvantur „ aliena , ſed ea ipſi in maternis corporibus loco „ abdito poſita mirabili facilitate noverunt . „ Contra homini nato nec ad inceſſum pedes „ idonei , nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles ; & , niſi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi ſint, ſentiunt, „ & juxta ſe jacentibus mammis magis poſſunt „ eſurientes flere , quam ſugere . Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas „ corporis, nec fuiſſet caro Chriſti in ſimilitudinem carnis peccati , niſi caro eſſet iſta peccati , cujus pondere rationalis anima ſic gravatur &c. “.

At relictis parvulis , quid de ignorantia adulto-

torum dicam? Hanc fuſe explicat idem S. Pater, primumque conſiderat hebetudinem, ac veluti fatuitatem mentis, quæ nonnullis ita inhæret ab ipſa nativitate, ut neque diſcernere valeant, quæ ſibi aut convenientia, aut noxia ſunt; quam calamitatem nulli animantium communem aſſerit, explicatque *epiſt.* 28. *cap.* 4. inquiens: *Tam tardi nonnulli ſunt, & obliviosi, ut ne prima quidem diſcere litterarum elementa potuerint: quidam vero tantæ ſunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant.* Gentiles quidam, qui peccati originalis arcanum ignorabant, hæc ob prioris vitæ flagitia, quæ animas, antequam huic corpori copularentur, infecerant, incurrere autumabant. Verum, hoc errore alibi ab Auguſtino refutato, ita poſtea inſurgit ille adverſus Julianum Pelagianum *lib.* 4. *Oper. Imperf.* c. 75. &c. *Dic potius*, inquit, *ſi potes, unde humana ingenia cum tanta plerumque vitioſitate naſcantur, eum inter nos convenias, totius hominis eſſe opificem Deum juſtum, & vos negatis ullum originale peccatum. Non autem diceres aliorum peccata nos aliis imputare, qui ibi, quando commiſſa ſunt, non fuerunt, ſi recoleres in lumbis Abrahæ fuiſſe Levi.... Ibi enim videres, ſi te pervicacia non cæcaret, in lumbis Adæ fuiſſe genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum.*

Deinde perſpicuum omnibus eſt, adultorum partem longe majorem in denſiſſimis tenebris jacere circa res ſcitu omnino neceſſarias, adeo ut vel ignorent Conditorem ſuum, vel neſciant, in quem finem ordinati ſint, ac tendere neceſſe ſit, aut certa media non noverint, quibus ad finem illum perveniant. Cum enim unica via ſit adipiſcendi ſalutem, vita ſcilicet Chriſtiana, maxima etiam Chriſtianorum pars ne agnoſcit quidem, in quo vita iſta conſiſtat, nec quænam ipſius regulæ ſint, nec Chriſtiani hominis officia. Quod ſi hoc etiam aliquando in generali noverunt, pauci ſunt, qui vel ſciant, vel ad ea in particulari advertant, in pleriſque ſaltem actionibus ſuis, ut luctuoſa experientia patet in tot hominibus ſuperbis, avaris, voluptuoſis, & hujus ſæculi amatoribus, qui ſæpe vel ipſa, quæ committunt, graviora flagitia minime cernunt, &, quæ agere deberent, præ cordis cæcitate non vident.

Accedit ad hanc ignorantiam amplius patefaciendam tot opinionum diſſidia inter ipſos homines, qui videntur ingenio profundiore, & cultiore præditi; atque ſententiarum varietas, & quidem non de rebus nullius aut exigui momenti, ſed ſæpe de gravioribus, atque maximis, a quibus pendet humana felicitas, de turpitudine, aut honeſtate actionum noſtrarum; de rebus divinis, de regulis actuum moralium &c. Hi omnes, aliique complures fructus exitioſi ſunt ignorantiæ per Adami peccatum in Mundum invectæ, quam nonniſi ſpeciali auxilio Dei depellere poſſumus.

De vulnere malitiæ per originalem culpam homini inflicto.

XIV. Hoc *malitiæ* vulnus juxta S. Thomam in eo poſitum eſt, quod *voluntas ex Adæ peccato deſtituatur ordine ad bonum:* unde, ut declarat in reſp. ad 2. *malitia non ſumitur hic pro peccato peculiari, de quo ſupra egimus, ſed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, ſecundum quod dicitur Gen.* 2. Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. Pronitas hæc ad malum ex pluribus cauſis originem proxime trahit, quibus aliquando fit, quod quibuſdam veluti congenita ſit major ad malum pronitas, ſive propenſio, qua ad certa malorum genera alii præ aliis magis incitantur, ac permoventur, nempe vel ad libidines, vel ad furta, vel ad rixas, aut contentiones &c. Cæterum generatim loquendo vulnus iſtud a peccato Adami illatum conſiſtit in amore voluntatis inordinato, quo erga proprium bonum impotenter fertur, ac quodammodo abripitur.

Quot mala ex hoc inordinato amore profluant, prolixa enumeratione deſcribit S. Auguſtinus *lib.* 22. *de Civ. Dei c.* 22. poſtquam *de horrenda profunditate ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, & omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit,* loquutus fuerat. „ Quid, inquit, amor ipſe tot „ rerum vanarum, atque noxiarum (dicam)? Ex „ hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, „ formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bel- „ la, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adu- „ latio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, „ ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, cru- „ delitas, ſævitia, nequitia, luxuria, petulantia, „ impudentia, impudicitia, fornicationes, adul- „ teria, inceſta, & contra naturam utriuſque ſe- „ xus tot ſtupra, atque immunditiæ, quas tur- „ pe eſt etiam dicere, ſacrilegia, hæreſes, blaſ- „ phemiæ, perjuria, innocentium oppreſſiones, „ calumniæ, circumventiones, prævaricationes, „ falſa teſtimonia, iniqua judicia, violentiæ, la- „ trocinia, & quidquid talium malorum in men- „ tem non venit, & tamen de vita hominum „ non recedit. Hæc hominum ſunt mala, *ab il-* „ *la* tamen erroris, & *perverſi amoris radice* „ *venientia, cum qua omnis filius Adam naſci-* „ *tur* “.

Præterea ex hoc inordinati voluntatis perverſi amoris corrupto fonte illud etiam profluit inteſtinum bellum, quo voluntas ipſa contra voluntatem pugnat, quaſi duæ eſſent in nobis contrariæ voluntates. Hanc quoque pugnam ex originali peccato profectam exemplo ſuo deſcribit idem S. Pater *lib.* 8. *Confeſſion. Cap.* 1. dicens: *Ego, cum deliberabam ſervire Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram, ego eram, qui volebam: ego, qui nolebam; ego, ego eram. Nec plene volebam, nec plene nolebam: ideo mecum contendebam, & diſſipabar a me ipſo. Et ipſa quidem diſſipatio, me invito, fiebat; nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ. Et ideo jam non ego operabar illam, ſed, quod habitabat in me, peccatum de ſupplicio liberioris peccati: quia eram filius Adam.* Hæc itidem voluntatum contrarietas in nobis ſe prodit, dum præſertim a peccati jugo, quo oppreſſi ſumus, noſtram ad Dei legem voluntatem revocare nitimur.

'cilicet

latum no-
: cum Ve-
a S. Au-
prout per
ſuo ordine
tioni reſ-
poteſt dici
r animæ,
infirmita-
rtitudini,
ſenſu fre-
Schola :
nordinate
:; ita *per*
ſenſibus,
o indiget
inatas hu-
n oblecta-
ad repri-
enſionem
deſpera-

ſideratum
conſiderat
læ pecca-
us, con-
ac vita,
ege, ab
t: quam
erimur,
... præſer-
tim mortis terrores, quibus animus ita ſæpe concutitur, atque proſternitur, ut nihil curet ſempiterna bona, quæ amittit, nec ſempiterna mala, quæ incurrit. Quam ignavi, quam inertes, ac torpidi ſumus in ſuperandis difficultatibus, quæ in via Dei ambulantibus obviam fiunt. Hujuſmodi torpor, & ignavia, quam, cum de rebus animæ agitur, perſentimus; non autem cum de rebus corporis, de bonis hujus mundi acquirendis: quid aliud eſt, niſi effectus illius vulneris, quod per originale peccatum nobis inflictum fuit?

Quod ſi latius cum Auguſtino *vulnus* iſtud *infirmitatis* ſumamus, prout ad utrumque appetitum ſe extendit, ſuperiorem ſcilicet, & inferiorem; ſua profecto etiam in appetitu ſuperiore infirmitas eſt, ex defectu gratiæ, & charitatis, quam per peccatum amiſimus, & ex exceſſu cupiditatis, quam ex illo contraximus. Nam ſicut eo quis fortior, ac promptior ad bonum eſt, quo majorem charitatem habet, ac minorem cupiditatem; ita ad bonum eo eſt debilior, & infirmior, quo charitas ipſius minor eſt, & cupiditas major. Infirmitatem ſiquidem noſtram ex cupiditate proficiſci, experientia ipſa nos docet, qua percipimus, nos admodum infirmos eſſe, ac imbecilles ad ea peragenda, quæ propria ſunt hominis Chriſtiani, quoties periculum eſt vel non adipiſcendi bona, quæ concupiſcimus, vel incurrendi damna temporalia, quæ formidamus. *Non enim*, ut ait Sanctus Auguſtinus, *eſt in carendo difficultas, ubi non eſt in habendo cupiditas*. Itaque fortitudo noſtra a charitate eſt; infirmitas a cupiditate: adeoque, cum ex peccato ſublata ſit charitas, & cupiditas in nobis dominetur; mirum eſſe non debet, nos tam infirmos eſſe in exequendis divinis mandatis, niſi per donum Dei infuſa in corde noſtro charitate roboremur.

De quarto, & poſtremo vulnere per originale peccatum homini incuſſo.

XVI. Doctrina S. Thomæ eſt, naturam humanam ex Adami peccato magis corruptam fuiſſe quoad *proſecutionem boni*, quam quoad *cognitionem veri*: quæ quidem corruptio quoad boni proſecutionem nedum attenditur ex parte boni pertinentis ad ipſam immediate voluntatem, ſed maxime ex parte boni ſenſilis, ac delectabilis, quod pertinet ad appetitum concupiſcentem, ſive concupiſcibilem; quatenus, ut hic habet, *deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione*, in quo *vulnus concupiſcentiæ* ſitum eſt. Hoc vulnus inter omnia, quibus ſauciati ſumus a peccato, graviſſimum eſſe ex doctrina tradita ab eodem Sancto Doctore ſolide evincitur, & evidenter elucet. Quærit ille in primis quæſt. 83. artic. 3. *utrum originale peccatum ſit concupiſcentia?* ac poſtquam docuit in corpore, *privationem originalis juſtitiæ eſſe formale in peccato originali; omnem autem aliam inordinationem ſe habere ſicut quiddam materiale*; ſubdit: *Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile; quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia: & ita peccatum originale materialiter eſt concupiſcentia*; deſumpto ſcilicet nomine ab ea *inordinatione*, quæ in hoc peccato præcipua eſt.

Quod autem appetitus ſenſibilis, in quo concupiſcentia preſſe dicta reſidet, præcipue infectus fuerit præ aliis potentiis animæ præclare oſtendit *art.* 4. *q.* 83. ubi prius relata ſententia Auguſtini dicentis, *infectionem originalis culpæ maxime apparere in motu genitalium membrorum*, ita perſequitur: „ Illa corruptio præcipue *infectio* nominari ſolet, quæ nata eſt in aliud transferri. „ Unde & morbi contagioſi, ſicut lepra, & ſcabies, & hujuſmodi *infectiones* dicuntur. Corruptio autem originalis peccati traducitur per „ actum generationis. Unde potentiæ, quæ ad „ hujuſmodi actum concurrunt, *maxime dicuntur* „ *eſſe infectæ*. Hujuſmodi autem actus deſervit „ generativæ, in quantum ad generationem ordinatur. Habet autem in ſe delectationem tactus, „ quæ eſt maximum objectum concupiſcibilis. „ Et ideo, cum omnes partes animæ dicantur „ eſſe corruptæ per peccatum originale, *ſpecialiter* tres prædictæ, ſcilicet potentia *generativa*, „ *vis concupiſcibilis*, & *ſenſus tactus*, dicuntur „ eſſe *corruptæ*, & *infectæ*".

Eamdem cauſam aſſignat Sanctus Doctor, ut probet, concupiſcibilem partem in Adamo corruptam, & infectionem in nos propagantem ma-

magis infeſtam nobis eſſe, majoreſque inferre clades in humana natura, *q.* 4. *de malo art.* 2. *ad* 12. ubi & alteram prius affert, inquiens: „ *Corruptio* inducta per peccatum *denominatur magis* „ *a concupiſcibili propter duo*. Primo quidem, „ quia omnes paſſiones iraſcibilis ab amore oriuntur, qui eſt in concupiſcibili, & ad gaudium, „ vel triſtitiam terminantur, quæ ſunt etiam in „ concupiſcibili. Unde & communiter tam motus concupiſcibilis, quam iraſcibilis *concupiſcentia* dici poteſt. Secundo quia peccatum originale traducitur per actum generationis, in quo „ maxime eſt delectatio, circa quam apparet inordinatio concupiſcibilis. Unde concupiſcibilis dicitur non ſolum *corrupta*, ſed etiam *infecta*, inquantum per hujuſmodi actum traducitur peccatum originale “. Hæc doctrina confirmatur experientia nimium manifeſta, qua cernimus, homines frequentius in hæc carnalia peccata proruere, a vi, & motibus concupiſcentis appetitus ſeductos, & abductos longe fortius, quam ab alia quacumque prava affectione.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA.

I. *A Fide Catholica aberrant Sociniani, qui peccatum originale non alio modo traduci in homines putant, niſi* per imitationem *peccati Adami*.

II. *Nullus convenientior, quam a S. Thoma traditus, modus eſt explicandi traductionem peccati Adami in poſteros*.

III. *Peccat lethaliter, qui non obſervat ea, quæ de Conceptione B. Mariæ decreverunt Summi Pontifices*.

IV. *Parvulos ex hac vita decedentes cum peccato originali fide certum eſt cæleſti regno privari*.

V. *Veluti Fidei adverſa cenſenda eſt ſententia* Card. *Sfondrati, hos parvulos haud perire, vel damnari affirmantis*.

VI. *Explodenda quoque eſt eorum opinio, qui iiſdem locum poſt hanc vitam feliciorem tribuunt, quam in hac experimur*.

VII. *Multo minus P. Molinæ ſententia de hac re toleranda videtur*.

VIII. *Ex defectibus, quibus in hac vita obnoxii ſumus, valde probabile ſumitur argumentum exiſtentiæ originalis peccati, etiam fide depoſita*.

IX. *Naturalis dici non poteſt inordinatio concupiſcentiæ, quæ in nobis eſt*.

X. *Licet peccatum originale æque inficiat omnes, inordinatio tamen virium animæ magis in uno ſe prodere poteſt, quam in altero*.

XI. *Nullatenus audiendi ſunt, qui ita extenuant vulnera per peccatum originale inflicta, ut ferme ad nihilum redigant*.

XII. *Hinc inferre debemus, quidquid ex concupiſcentia fit, ſemper male fieri, malumque eſſe*.

XIII. *Plurimum ad praxim deſervit legitima cognitio vulnerum, quæ per peccatum originale contraximus*.

XIV. *Eadem quatuor vulnera, quæ inflicta ſunt nobis a peccato originali, infliguntur etiam quadantenus a peccatis actualibus, quæ committimus*.

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. TAmquam aliena a fide catholica exiſtimanda eſt ſententia, quam ex Pelagianis hauſerunt Sociniani, nimirum peccatum originale non alio modo in homines transfundi, niſi *per imitationem*, quatenus ſcilicet homines peccando imitantur primum parentem Adam, qui Dei mandatum tranſgreſſus eſt. Id conſtat ex definitionibus Eccleſiæ tum olim editis, tum poſtremo in Synodo Tridentina. Quem errorem expreſſe jam refutaverat Sanctus Thomas *lib.* 4. *cont. Gent. cap.* 50. inquiens: „ Non poteſt dici (ut ait Apoſtolus) quod per unum hominem in mundum „ peccatum intravit per modum imitationis: quia „ ſic peccatum non perveniſſet, niſi ad eos, qui „ peccando primum hominem imitantur: & cum „ mors per peccatum in mundum intraverit, „ non perveniret mors, niſi ad eos, qui peccant „ in ſimilitudinem primi hominis peccantis. Sed „ ad hoc excludendum Apoſtolus ſubdit, quod „ regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Non ergo intellexit Apoſtolus, quod per unum hominem peccatum in mundum intraret per modum imitationis; ſed per modum originis “.

Conſectarium Secundum.

II. Nullus convenientior modus cenſendus eſt explicandi propagationem peccati originalis ab Adam in omnes poſteros, quam traditus a Sancto Thoma *hic q.* 81. *art.* 1., nimirum omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſe conſiderari ut unum hominem, prout conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt; adeo ut multi homines ſic accepti ſint tamquam membra unius corporis. *Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo movet membrum .... Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius* (ſicut nec homicidium eſt voluntarium voluntate manus), *ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur; ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde ſicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non eſt peccatum hujus perſonæ, niſi in quantum hæc perſona recipit naturam a primo parente: unde & vocatur peccatum naturæ ſecundum illud Epheſ.* 2. Eramus natura filii iræ. Nihil exprimi poterat luculentior.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Graviter delinqueret contra Conſtitutiones Apoſtolicas, qui vel aſſereret erroneam, ac impiam eſſe ſententiam defendentem, B. Mariam Virginem fuiſſe ſine labe peccati originalis conceptam; vel reprobaret feſtum, & cultum Conceptionis ejuſdem; vel in Officio divino, aut Miſſæ Sacrificio loco *Conceptionis* vocabulo *Sanctificationis* uteretur; vel etiam hoc privilegium eidem conceſſum diſputando, aut coram aliis ſermonem habendo, negaret. Hæc enim omnia vetita ſunt in iiſdem Pontificiis Conſtitutionibus: quemadmodum peccaret etiam lethaliter, qui contrariam ſententiam *aut hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis* damnaret. Hoc enim pariter in iiſdem Conſtitutionibus prohibitum eſt. Ex quo etiam conſequens eſt, quod, cum Eccleſia non definiverit ſententiam priorem, adeoque nec fide certa ſit, non ſit probandum votum illud, quod *ſanguinarium* vocant, pro illa ſententia tuenda.

Conſectarium Quartum.

IV. Parvuli ex hac vita decedentes cum peccato originali, ſive non abluti Sacramento Baptiſmatis, privantur omnino hæreditate cæleſti, aperte teſtante Redemptore noſtro, neminem non baptizatum *poſſe introire in Regnum Dei*, non alia plane de cauſa, niſi propter originale, quo infecti ſunt, peccatum, quodque eos indignos efficit regni cæleſtis.

Conſectarium Quintum.

V. Tamquam adverſa Scripturis, Sancto Auguſtino, ac Eccleſiæ Patribus explodenda eſt opinio Card. Sfondrati, aliorumque, qui in ſuo *Nodo Prædeſtinationis diſſoluto* docet, beatos quidem non eſſe, ſive ad regnum Cælorum non pervenire parvulos abſque Baptiſmate decedentes, non tamen eos perire, ſive damnari. Siquidem Apoſtolus expreſſe affirmat ad Rom. 5. *Judicium ex uno in condemnationem*; quod ideo dicit, ut animadvertit Sanctus Auguſtinus, quia ſufficeret ad condemnationem, etiamſi non eſſet in hominibus, niſi peccatum originale. Deinde, ut cæteros Patres omittam, in Concilio Lugdunenſi II. ſub Gregorio X., & Florentino ſub Eugenio IV. definitum eſt, *illorum animas, qui in actuali, & mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendos.*

Conſectarium Sextum.

VI. Non minus explodenda eſt ſententia, quam docuerunt Marſilius, Leſſius, Suarez, aliique, nimirum pueris cum ſolo originali morientibus locum aliquem futurum feliciorem, lætioremque, quam ſit alicujus mortalis in hac vita. Hanc ſententiam convenire cum ea, quam tradidere Pelagiani, & Africana Concilia damnarunt, omnino mihi videtur. Unde S. Auguſtinus ad Vitalem *Epiſt.* 217. inter duodecim ſententias, quas *ad fidem pertinere* docet, octavam his verbis enunciat: „ Scimus etiam parvulos ſecundum ea, quæ per „ corpus geſſerunt, recepturos vel bonum, vel „ malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, „ ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus & „ renunciare Diabolo, & credere in Deum, unde „ & in numero fidelium computantur, pertinen„ tes ad ſententiam Domini dicentis: *Qui credi„ derit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: Qui „ autem non crediderit, condemnabitur*. In da„ mnatione quidem omnium mitiſſima, & le„ viſſima erunt, qui cum ſolo peccato origi„ nali decedunt “.

Conſectarium Septimum.

VII. Multo minus toleranda videtur opinio P. Molinæ, qui *in Concordia qu.* 13. *artic.* 4. & 5. exiſtimat, parvulos a regno Dei propter originariam culpam excluſos, amiſſis tantummodo gratuitis donis, in reliquis perinde ſe habituros, ac ſi in ſolis naturalibus conſtituti forent: Imo poſt finalem extremi Judicii diem, cum ipſorum animæ ſuis fuerint reſtitutæ corporibus, ab omnibus miſeriis, & ærumnis, quas nos in hac vita patimur, ex Dei munere liberandos, melioremque vitam ab omni vitio mentis, & corporis immunem in omnem æternitatem eſſe conſequuturos. Hæc plane ſententia ab omnium Sanctorum Patrum, ac præſertim SS. Auguſtini, & Thomæ doctrina perquam aliena eſt; mihique cenſura digna videtur, quemadmodum illam etiam judicarunt Romani Conſultores in celebri Congregatione *de Auxiliis*, qui eam in cenſu Canonum doctrinæ damnandæ collocarunt juſſu Pauli V. Et certe ad errores Pelagianorum, & Semipelagianorum proximius ſaltem accedere, ipſumque originale peccatum, ut veram culpam non admittere, ita a Thoma de Lemos demonſtratum eſt in Congregatione VIII. coram Clemente VIII. habita, ut Pontifex pronunciaverit, id conſequens eſſe ex illa ſententia, prout idem Author teſtatur *in Panoplia Tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 22. Unde & eamdem ſententiam veluti hæreticam agnoſcunt Cardin. Bellarminus, & Cardin. Noriſius, aliique.

Conſectarium Octavum.

VIII. Ex defectibus tum animæ, tum corporis, quibus in hac miſera vita obnoxii ſumus, proclive nobis eſt inferre exiſtentiam peccati originalis, quo tota humana natura corrupta fuit, etiamſi deeſſet revelatio divina, quæ hanc veritatem nobis manifeſtam fecit. Ut enim, quemadmodum Capite præcedente retulimus, ſapientiſſime ratiocinatur S. Thomas *lib.* 4. *cont. Gent. cap.* 52. „ Cum Deus humanorum actuum ſic cu„ ram gerat, ut bonis operibus præmium, & „ malis pœnam retribuat, ex ipſa pœna poſ„ ſumus certificari de culpa. Patitur autem com„ muniter humanum genus diverſas pœnas & cor„ porales, & ſpirituales. Inter corporales potiſſima „ eſt

„ eſt mors, ad quam omnes aliæ tendunt, & ordinantur, ſcilicet fames, ſitis, & alia hujuſmodi. Inter ſpirituales autem eſt potiſſima debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus beſtiales omnino ſuperare non poteſt, ſed multoties obnubilatur ab eis". Quoniam vero poſſet quiſpiam reponere, defectus hujuſmodi ſive ſpirituales, ſive corporeos conſequi ex ipſa materiæ, qua compacti ſumus, conditione, prout reapſe effutiunt *Deiſtæ*: hos, alioſque confutare pergit Sanctus Doctor probatione ſupra relata, hic iterum plane legenda.

Conſectarium Nonum.

IX. Hinc vero ſatis intelligi poteſt corruptio, ſive inordinatio in concupiſcentiam inducta per originale peccatum. Nam tametſi concupiſcentia ſit naturalis in nobis, ex ſe minime deberet adverſari rationi, ſed ipſi prompte obedire. Ut enim ſcribit idem S. Doctor hic quæſt. 82. artic. 3. ad 1.: *Quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam. Et talis eſt concupiſcentia originalis peccati.* Et de hac concupiſcentia loquutum eſt Concilium Tridentinum, dum ait, *ex peccato eſſe, & ad peccatum inclinare.*

Conſectarium Decimum.

X. Ex his etiam ſequitur, peccatum originale æqualiter eſſe in omnibus, quod S. Thomas hic *art.* 4. probat: quia peccatum originale in ſua formali ratione duo importat, ſcilicet privationem juſtitiæ originalis, & reſpectum ad peccatum primi parentis, a quo per infectam originem derivatur; quæ ſane eadem omnino ſunt in omnibus, qui illud contrahunt, ut ſatis eſt manifeſtum. Cæterum prætereunda non eſt pulcherrima doctrina, quam tradit *in reſp. ad primum* argumentum ex eo depromptum, quod experientia compertum ſit, non omnes æqualiter pronos eſſe ad concupiſcendum. Sic itaque hoc argumentum diluit: „ Dicendum, quod ſoluto vinculo originalis juſtitiæ, ſub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in ſuum proprium motum, & tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem, vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno, quam in alio propter diverſas corporis complexiones. Quod ergo unus homo ſit pronior ad concupiſcendum, quam alter, non eſt ratione peccati originalis, cum in omnibus æqualiter ſolvatur vinculum originalis juſtitiæ, & æqualiter in omnibus partes inferiores animæ ſibi relinquantur: ſed accidit hoc ex diverſa diſpoſitione potentiarum". Id explicari poteſt equorum exemplo. Sicut enim ſoluto fræno, quo hi detinebantur, unus alio citius, ac fortius ſeſſorem agitat, aut magis effræne in præcipitium fertur, non propter inæqualitatem ſolutionis, ſed propter majorem ferociam unius præ altero: ita amiſſo juſtitiæ originalis dono, quod omnes tum corporis, tum animæ vires in ordine debito continebat, ipſæ in quibuſdam magis effrænate feruntur in objecta ſua, non propter amiſſi doni inæqualitatem, ſed propter differentiam complexionis corporum.

Conſectarium Undecimum.

XI. Audiendi non ſunt, qui ita extenuant peccati originalis effectus, ſive vulnera per illud inflicta, ut ferme ad nihilum redigant. Hujuſmodi ſunt, qui a culpabili tranſgreſſione ea delicta excuſant, quæ ob ignorantiam juris naturæ committimus, qui gratiam omnibus conferri docent, eamque nulli denegari in pœnam peccati originalis; qui ipſam carnis concupiſcentiam, ſeu libidinem naturalem eſſe aſſerunt, non malam, ſive vitioſam &c. Repugnant ſiquidem hujuſmodi doctrinæ his, quæ de effectibus peccati originalis tradidere Eccleſiæ Doctores, maximeque Sanctus Auguſtinus, qui inter alia *de gratia* loquens, quam aliquibus in pœnam hujuſce peccati Deus non confert, hoc illos argumento revincit epiſt. 217. ad Vitalem: *Quomodo dicitur*, ait, *eam gratiam fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non datur, eam ſua voluntate reſpuerint? cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur; cum repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Unde manifeſtum eſt, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione dictum ſit, quod omnes homines* vult Deus ſalvos fieri &c.

Alios quoque neotericos, qui concupiſcentiam, prout in nobis eſt ab originali peccato relictam, aut *de ſe bonam*, aut ſaltem *indifferentem* arbitrantur, refellit S. Doctor *lib.* 3. *contr. Julian. c.* 22. Aſſerebat Julianus, prout ille refert: *Concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bono bene utitur; qui modum non tenet, bono male utitur: qui autem etiam ipſum modum ſanctæ virginitatis amore contempſerit, bono melius non utitur.* Nonne etiam gemina dicunt nonnulli Theologi? Verum quid inquit Auguſtinus? *Ego vero ſic ad tria iſta reſpondeo: Concupiſcentiæ carnalis qui modum tenet, malo bene utitur: qui modum non tenet, malo male utitur: qui autem etiam ipſum modum ſanctæ virginitatis amore contempſerit, malo melius non utitur. In hac controverſia de bene utendo, utrum bono, an malo, tota inter nos cauſa verſatur.* Quis non potius in ſententiam concedat S. Eccleſiæ Doctoris, quam Juliani Semipelagiano furfure infecti?

Conſectarium Duodecimum.

XII. Hinc vero infert Sanctus Pater, & inferre nos ipſi debemus, quidquid ex concupiſcentia fit, male fieri, malumque eſſe, tametſi ſecundum

ſe

ſe licitum, bonumque foret: ex mala ſiquidem, & vitioſa radice naſcitur. Quare ſi Conjuges ſancti ſint, ſancteque conjugale opus exerceant, non ad hoc ex concupiſcentia, ſed ex alio honeſto fine, ſcilicet procreandæ prolis &c. moventur; & tunc *malo bene utuntur*, ut ait Sanctus Auguſtinus.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Atque ex his colligamus oportet, ea, quæ de vulneribus a peccato originali inflictis dicta ſunt, ac præſertim de concupiſcentia, plurimum ad praxim deſervire; quoniam ex his perſpicue intelligimus, inordinatum eſſe, adeoque malum obedire, ſive morem gerere concupiſcentiis noſtris, piiſque animabus motus ejuſdem diſplicere debere, iiſque cohibendis allaborandum eſſe, licet nullum impendeat periculum conſenſus in peccatum. Tenemur quippe illud omne devitare, quod inordinatum eſt, Deoque diſplicere cognoſcimus.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Sapiens eſt, atque admodum opportuna animadverſio S. Thomæ hic *q.* 85. *art.* 3. ubi agit de quatuor vulneribus potiſſimum ab originali peccato inflictis. Poſtquam enim de his diſſeruit, ſubjicit: „ Sed quia inclinatio ad bonum virtu„ tis in unoquoque diminuitur per peccatum a„ ctuale, ut ex dictis patet, etiam iſta ſunt qua„ tuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia, in „ quantum ſcilicet per peccatum & ratio hebe„ tatur præcipue in agendis, & voluntas indura„ tur ad bonum, & major difficultas bene agen„ di accreſcit, & concupiſcentia magis exarde„ ſcit “. Profecto ſi attente perpendamus peccantium miſerum ſtatum, ſtatim perſpectum fiet, quam ex actualibus culpis ea vulnera magis renoventur, & augeantur. Et quidem experientia ſatis oſtendit, craſſiorem fieri ex commiſſis peccatis ignorantiam illorum; adeo ut de ipſis Scriptura teſtetur Proverb. 4. *Via impiorum tenebroſa; neſciunt, ubi corruant.* Et ad Epheſ. 4. *Ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis.*

Quod etiam peccatis actualibus *infirmitas*, *malitia*, *concupiſcentia* excreſcant, eadem funeſta experientia docet, in iis præſertim, qui vel peccandi conſuetudine, vel pravis habitibus involuti ſunt, in quibus malitia, & concupiſcentia tanto amplius roborantur, & creſcunt, quanto magis illis ſatisfit, adeo ut, conſuetudine in naturam quodammodo verſa, jam quaſi neceſſitate trahantur in malum.

REFLEXIO.

Quemadmodum ex venenatis plantis antidotum periti Medici parare ſolent, ita & nos ex lethifera originalis peccati radice remedium adverſus ſpirituales ægritudines noſtras conficere poſſumus, ac debemus. Multæ profecto ſunt, magnæque utilitates, quas ex ſeria conſideratione vulnerum, ſive morborum, quibus ex eo peccato humana natura infecta, corruptaque fuit, affatim haurimus, ut iiſdem idonea medicamenta præſtemus, ac ferales conſecutiones avertamus. Ac primum dum corruptionem, quam patimur, virium animæ noſtræ, ac facultatum attento ſtudio meditamur, excitatur in nobis *humilitas* virtus omnibus hanc vitam agentibus perquam neceſſaria. Quis namque eſt, qui ſibi ipſi ſummopere non vileſcat, dum ſedula mente perpendit ſe in omnibus animæ ſuæ potentiis adeo corruptum eſſe, depravatumque, ut quodammodo dicere vere quiſque valeat de ſemetipſo, quod de cæco nato, & a Chriſto jam luce donato cæciores Phariſæi dicebant, ſe *in peccatis totum eſſe natum*, aut illud ſaltem, quod de ſe fatebatur Propheta: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; in pravis ſcilicet concupiſcentiis, ac mentis tenebroſa caligine, unde tot peccata prodeunt, niſi Deus omnipotenti gratia ſua hominem adjuvet, & ad illas vincendas confirmet, ac roboret juxta illud Innocentii I. Pontificis: *Neceſſe eſt, ut, quo adjuvante vincimus, eo non adjuvante, vincamur?* Nonne ipſa experientia certos nos efficit de illa Auguſtini ſententia, qua labem contractæ ex Adamo culpæ adverſus Julianum defendens dicebat? *Ecce circumſtat ſenſus tuos miſeria generis humani . . . . Quantalibet felicitate præpolleas, nullum ſine bello inteſtino diem ducis, ſi tamen, quod profiteris, implere conaris . . . . Intuere: etiam Deo ſervientes tentat error, ut decipiat, tentat labor, aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mœror, ut ſternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia feſtinanter, quibus gravatur jugum ſuper filios Adæ . . . . a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet?* Quis hæc attendens ſe altius efferat? Quis non potius de miſeria ſua non confundatur, ac de ſe abjectiſſime ſentiat?

Ex hoc ſinceræ humilitatis ſenſu ſtatim oritur, nec poteſt non oriri diffidentia illa ſalutaris de viribus noſtris, ac fiducia collocanda in ſolo Deo, meritiſque Jeſu Redemptoris omnium. A quo ſiquidem alio tot inter hoſtes, inter tot infirmitates, concupiſcentiæ præſtigias, ignorantias, pericula, in quibus continenter verſamur, auxilium & ſalutem expectare poſſumus; niſi ab eo, qui ſolus Medicus eſt, ac Salvator animarum noſtrarum, ſoluſque ſuo effuſo pretioſo Sanguine a primigeniæ culpæ macula nos emundavit, veniamque, & gratiam, quam amiſeramus, comparavit? Hanc autem plane conſequi minime valemus juxta providentiæ ſuæ ordinem, niſi humili, frequenti, ferventique oratione pro obtinenda a Deo miſericordia, & adjutorio gratiæ ſuæ. Ecquis ſane, dum ſe infirmum, & imbecillem conſiderat, tot hoſtibus oppugnatum, tot tenebris involutum, tot cupiditatibus abſtractum, & illectum, de ſe diffidens non clamet cum Regio Propheta, aliiſque ſanctis Viris: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & libera-*

rator meus; Deus meus, adjutor meus, & ſperabo in eum . . . . Invocabo Dominum; & ab inimicis meis ſalvus ero . . . . Torrentes iniquitatis conturbaverunt me . . . Invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi . . . . Dominus illuminatio mea, & ſalus mea . . . . Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte . . . . . Concupiſcentiam oculorum amove a me . . . . Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum . . . . Sana me, Domine, & ſanabor . . . . Cor mundum crea in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis: & alia id genus?

Sed & alium in nobis excitat utiliſſimum effectum conſideratio vulnerum, quæ originale peccatum nobis incuſſit; nempe ut ſecundum Petri Apoſtoli monitum *in timore, & tremore ſalutem noſtram operemur*, & contra tot domeſticos hoſtes, quibus inceſſanter impetimur, præter extraneos, armis nos ſpiritualibus muniamur. Quis namque non timeat, dum ob innumeras inſidias, & peccandi incentiva, & occaſiones periclitatur æterna ſalus? Quis non contremiſcat tot inter laqueos, & bella, dum Apoſtolum audit 1. *ad Corinth. cap.* 10. clamantem: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat?* Dum Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. cap.* 13. admonitionem perpendit, ut ipſi pariter juſti *cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate? Formidare enim debent, (ſcientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt) de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis vivetis*. Rom. 8. Et rurſus Epheſ. 6. idem Apoſtolus commendat omnibus: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli . . . . State ergo ſuccincti lumbos veſtros, & induite loricam juſtitiæ . . . . In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnem orationem, & obſecrationem, orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione &c.*

Demum eadem conſideratio vulnerum, quæ impreſſa manent in anima noſtra, & *ad agonem*, ut idem Concilium Tridentinum ait, relicta ſunt, nos inducit ad ſerio diſcutiendos actus, affectuſque noſtros, ne forte, ut ſæpe contingit, ad agendum concupiſcentia, ſive cupiditate moveamur, dum nos charitate moveri credimus. Quandoquidem neceſſe omnino eſt, ut ſolicite laboremus ad comprimendos motus concupiſcentiæ, quæ charitatis venenum eſt, ſeminatrix zizaniorum, & corruptela omnium actuum noſtrorum. Equidem concupiſcentiæ motum, quem triplicem cum Auguſtino diſtinximus, & hæreditaria ſucceſſione a primo noſtro parente accepimus, interimere, aut prorſus cohibere nequaquam valemus. At ſaltem mortificare poſſumus cum auxilio Divino, rationi ſubjicere, ac veluti crucifigere juxta illud Apoſtoli: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*; ut per continuam mortificationem ſtimulus carnis jugiter minuatur in nobis, qui totaliter extingui non poteſt: & concupiſcentiæ inimica charitas magis magiſque in corde noſtro augeatur; atque ita, ut loquar cum eodem Apoſtolo, *expoliemus veterem hominem cum actibus ſuis, novumque induamus, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum in juſtitia, & ſanctitate veritatis*, prout ſubdit ad Epheſ. cap. 4.

Hæ, aliæque ſunt uberes, quas ex attenta conſideratione vulnerum ab originali peccato ſuſceptorum, utilitates, conſequi poſſumus, quibuſque iiſdem vulneribus ſanandis medicinam idoneam comparamus, ne detrimentum illud nobis afferant, quod tot hominibus afferre ſolent ambulantibus *in vanitate ſenſus ſui, alienatis a via Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum*.

CAPUT QUINTUM.

De Peccato Philoſophico.

DOCTRINA.

I. *Cur diſputationi de peccato originali adnectatur ea, quæ eſt de peccato* Philoſophico.

II. *Peccatum duplicem mentis conſiderationem ſubire valet.*

III. *Error ab Eccleſia de peccato* philoſophico *damnatus in eo conſiſtit, quod utraque ratio* offenſæ Dei, & repugnantiæ cum ratione *reipſa ſejungatur.*

IV. *Ex damnata propoſitione infertur germana notio peccati* philoſophici.

V. *Qui admittunt ignorantiam Dei invincibilem, peccatum* philoſophicum *etiam admittere neceſſum eſt. Sententia P. Molinæ de hac ignorantia.*

VI. *Eamdem ſententiam expreſſe tradit P. Arriaga.*

VII. *Poſt damnatam* peccati philoſophici *doctrinam, illud admittere debent, qui ad peccatum formale neceſſariam docent advertentiam actualem ad malitiam.*

VIII. *Aliquibus exemplis hoc declaratur. Doctrina P. Matthæi Stozii proponitur.*

IX. *Author iſte ſententiam damnatam peccati philoſophici apertiſſime tradit.*

X. *De ſententia inquiritur P. Claudii Lacroixii. Ponit iſte imprimis diſerte principia, unde fluit peccatum philoſophicum.*

XI. *Illud quoque poſt damnatam propoſitionem admittere pluribus evincitur.*

XII. *Quædam ab ipſo poſitæ limitationes ad vitandam damnationem nullius momenti demonſtrantur.*

XIII. *Aliæ ad idem confirmandum animadverſiones.*

§. I.

§. I.

In quo conſiſtat peccatum Philoſophicum.

I. DIſputationi de peccato originali, ejuſque effectibus ſtatim ſubnectere præſtat aliam *de peccato*, ut vocant, *philoſophico*; quoniam, quæ de hoc tradita ſunt a compluribus Theologis laxioris Ethicæ, ferme omnia evertunt, ac peſſumdant, quæcumque docuit, ac docet Eccleſia de vulneribus ab illo peccato nobis inflictis; ac præſertim de ignorantia, atque concupiſcentia, quas ex eodem contraximus. Equidem quæ alibi de hiſce plagis fatalibus diſſeruimus, ſatis eſſe poſſent ad detegendam turpitudinem, atque horrorem *philoſophici peccati* doctrinæ nuperrime in Theologiam Moralem introductæ. Verum iis in locis principia potius, unde hoc monſtrum emerſit, quam ipſum in horribili aſpectu ſuo oſtendimus. Quare occaſione data, illud hic manifeſtum fieri oportet, ut execremur potius, ac deteſtemur, quam ut multis argumentis conteramus. Sola quippe ejuſdem facies clara in luce propoſita ad plenam confutationem abunde eſt.

II. Ut peccatum hoc nitide pateſiat, omniſque confuſio, quæ ſuboriri poſſet, abigatur, recolenda eſt illa S. Thomæ ſententia, quam habet *p.* 2. *quæſt.* 71. *art.* 6. *ad* 5.; nimirum, quod *a Theologis conſideratur peccatum præcipue ſecundum quod eſt offenſa contra Deum*: *a Philoſopho autem Morali ſecundum quod contrariatur rationi*. Qua in ſententia nemo non videt, peccatum duplicem ſubire poſſe conſiderationem, nempe & quod ſit *offenſa Dei*, & quod ſit *contra rationem*; non quod duæ ejuſmodi formalitates, aut acceptiones reipſa ſejungi valeant a peccato: hoc enim aperte negat Sanctus Doctor ibid. *art.* 2. *ad* 4. ſed ſolummodo per intellectum, quatenus intellectus *Theologi præcipue* conſiderat peccatum, prout eſt offenſa Dei; *Philoſophi* autem *Moralis*, prout eſt contra rationem. Unde in hoc nullus error eſt, nulla deceptio, abſurdum nullum; adeoque id probant Sanctus Thomas, cæterique, qui recte cum ipſo ſentiunt, Theologi, qui ſæpius illud accipiunt, & reſpiciunt, ut Deum offendit, & aliquando etiam, ut rationi humanæ repugnat. Sed dum hoc modo conſiderant, ſimul conveniunt, rationem utramque re ſeparari non poſſe a peccato; ita ut quatenus etiam rationi adverſatur, offenſa ſemper Dei ſit, atque adeo diſſolvat amicitiam Dei, dignaque ſit æterna punitione.

III. Error peccati, quod *philoſophicum* vocant, & quidem abſurdiſſimus, in eo poſitus eſt, quod utraque ratio, offenſæ ſcilicet Dei, & repugnantiæ cum humana ratione ita invicem ſeparari valeat, ac de facto ſeparetur, ut altera ſine altera conſiſtere queat; adeoque, quamvis ſit *contra humanam rationem*, non ſit tamen *Dei offenſa*, ac proinde eos lethales effectus non inducat, qui ex ipſo conſequuntur. Quod clariſſime expreſſum eſt in propoſitione ab Eccleſia damnata ſub Alexandro VIII. & iiſdem verbis producta, ac defenſa anno 1686. præſide R. P. Franciſco Muſnierio, in Aula majore Collegii Divionenſis Soc. Jeſu, quæ ita ſonat: *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera legis Divinæ. Philoſophicum, quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

IV. Ex hac proſcripta, & anathemate perculſa propoſitione habes primo veram, ac legitimam notionem *peccati philoſophici* in eo, quod ſeparet utramque rationem ipſa re, non per ſolam intellectus conſiderationem; dum *theologicum*, & *philoſophicum* definiens, priori tribuit, quod alteri negat. Affirmat quippe de *philoſophico*, quod ſit actus *moralis*, adeoque deliberatus: quod ſit *diſconveniens naturæ rationali, ac rectæ rationi*, ſive ex objecto ſuo verum, ac formale peccatum: ac demum, quod ſit peccatum *grave*, & graviſſimum, dum ait, *quantumvis grave*; & conſequenter non veniale, non leve in hoc ordine, repugnantiæ videlicet cum ratione humana. Nihilominus aſſerit hoc peccatum non eſſe *offenſam Dei*, *neque peccatum mortale*, quod *diſſolvat amicitiam Dei*, & mortem animæ afferat, *neque æterna pœna dignum*, quæ non infligitur, niſi iis, qui Deum graviter offendunt. Ejuſmodi characteres ſolum tribuit peccato *theologico*; quod, ut tale ſit, ſatis non eſt, quod peccatum diſconveniat humanæ rationi, ſed inſuper requiritur, quod ſit *libera tranſgreſſio legis divinæ*; adeout hæc a peccante cognoſcatur: alioquin nec *mortale* peccatum eſt, nec gratiam divinam excludit, nec pœnam æternam meretur legis Dei tranſgreſſoribus denunciatam.

Habes ſecundo exempla in praxi hujus peccati *philoſophici*, prout a *theologico* ſecernitur; nimirum in iis omnibus, *qui Deum vel ignorant*, *vel de Deo actu non cogitant*. Quare ſiquæ ſunt nationes, ut eſſe nonnulli arbitrantur, aut certe ſive qui Atheiſmum profitentur, ſive quos Deum ignorare nonnulli Theologi ſibi perſuadent; nunquam peccant peccato *theologico*, tametſi multa etiam horribiliora facinora perpetrent, ſed ut ſummum peccato *philoſophico*, quatenus ea peragunt, quæ rationali naturæ contraria ſunt; adeoque nec Deum offendunt, nec pœnas Inferni merentur. At neque Deum offendunt, & Inferni pœnas merentur, qui licet Dei cognitione non careant; attamen dum peccant, *de Deo actu non cogitant*, juxta Authorem damnatæ propoſitionis: qui plane cum plurimi ſint, immo innumerabiles inter ipſos Chriſtianos, & Catholicos, ſequitur evidenter, eos ſola *philoſophica peccata* committere, dum vel ipſa patrant delicta graviſſima; adeoque propter hæc damnationem non incurrere, & etiam æternam ſalutem obtinere poſſe.

Habes tertio fundamentum hujus monſtroſæ doctrinæ in eo conſiſtere, quod juxta Authores *peccati philoſophici* ad peccatum *theologicum* neceſſaria ſit *actualis cognitio Dei*, ſive *actualis ad-*

vertentia ad malitiam peccati, quod Deum offendit, aut legem ab eo latam violat, aut eidem diſplicet. Idque Author ipſe decerptæ propoſitionis in ſuis dictatis expoſuit, inquiens: *Sicut actus humanus numquam eſt malus, ſublata* actuali (de hac enim loquitur) *cognitione malitiæ; ſic nunquam eſt offenſa Dei, ſi non agnoſcatur eſſe offenſa Dei*. De hac neceſſitate cognitionis Dei, & advertentiæ actualis ad peccati malitiam, aut offenſam Dei, ad culpam theologicam contrahendam, fuſe nos egimus *tract. 2. hujus Operis*, ubi *de ignorantia* ſermo habitus eſt, ad quem Lectorem remittimus. Nunc ſolum indigitabo quoſdam Authores tum ex eis, qui in hanc abſurdiſſimam opinationem prolapſi ſunt, antequam ab Eccleſia damnaretur; tum ex illis, qui eamdem tradidere, poſtquam ab Eccleſia damnata fuit, ut a lectione horum librorum caveant omnes, & venenum, quod vel aperte, vel occulte continent, ex inconſideratione non ebibant.

§. II.

Authores, qui vel errorem peccati philoſophici *docuerunt, vel ſaltem principia poſuere, unde neceſſario conſequitur.*

V. Proximum principium *philoſophici peccati* eſt invincibilis ignorantia Dei, unde illud neceſſario provenit juxta allatam doctrinam: Si enim Deus concedatur invincibiliter ignorari, jam etiam concedere neceſſum eſt, non eſſe niſi peccata contra ſolam humanam rationem, adeoque *mera philoſophica*, quæcumque flagitioſa, ac nefaria committuntur ab hiſce Deum, legemque divinam ignorantibus. Primo itaque hanc ſententiam diſerte docet P. Ludovicus Molina, qui *in* 1. *p. D. Th. quæſt.* 11. *art.* 1. ſcribit: „ Et „ quidem Epicurus, ut eſt apud Ciceronem lib. 1. „ de nat. Deor., in ea fuit ſententia, ut affirma„ verit, *gentes omnes perceptionem quamdam* (quam „ ipſe prolepſim appellat) *habere, quod Deus ſit,* „ *naturaliter hominum animis ſine lege, ſine inſti-* „ *tuto, aut ſine doctrina inſertam*; quam ſenten„ tiam ſequitur eo in loco Tullius “. Verum hæc ſententia Molinæ non arridet: unde oppoſitam poſt aliqua tradit, inquiens: „ Ex dictis „ colligi poteſt, tam rudes, & incultos poſſe a„ liquot homines eſſe, ut *maxima cum probabi-* „ *litate* affirmare poſſimus, in eis *ignorantiam in-* „ *vincibilem Dei* poſſe reperiri; quod primo, & „ ſecundo, cum de ignorantia ageremus, obſervavimus. Porro ea ignoratione excuſabuntur a „ peccato infidelitatis; & quod Deum non co„ lant, nec eidem honorem debitum exhibe„ ant, *non erit eis culpæ tribuendum* “. Erunt ergo hujuſmodi delicta, quemadmodum & alia omnia, quæ in ea ignoratione committunt, peccata *mera philoſophica*, quæ nullam in alia vita pœnam merentur. Quo ergo pergent poſt vitam hanc homines iſtiuſmodi? Haud plane ad Inferna; ſed vel ad locum illum admodum felicem, quem Molina tribuit parvulis abſque Baptiſmo decedentibus; aut ſi fortaſſe baptizati fuerint, in Regnum Dei fruituri beatiſſima ejus præſentia, quamvis hic nunquam ipſum agnoverint.

XI. Eamdem ſententiam Molinæ ſequitur P. Rodericus Arriaga *T.* 1. *diſp. II. ſect.* 3. *n.* 17. ubi ait: „ Probabiliorem cenſeo ſententiam Mo„ linæ, quam facile inde probo: Nam, ut ſu„ pra oſtenſum eſt, non eſt veritas per ſe nota, „ Deum exiſtere . . . . Ego ſane vix dubito, „ quin *multi poſſint inveniri*, in quibus nec per „ umbram ſimilis excitetur ratiocinatio (quam „ (cæteri Theologi afferunt). Poterunt ergo „ habere *ignorantiam invincibilem Dei* “. Quid igitur, ſi aliquis ex his hominibus ignorantia invincibili Dei laborantibus occidat, mœchetur, furetur &c.? Quidpiam ne peraget, quo Dei legem tranſgrediatur, & peccet? Hoc ſibi argumentum ita objicit Arriaga: „ Objicies. „ Ergo talis homo ignorans Deum non peccabit „ mortaliter, etiamſi alium occidat, & putet ſe „ malum facere. Nam peccatum mortale defi„ nitur communiter: *Eſt dictum, factum, vel* „ *concupitum contra legem æternam Dei*. Ille „ autem eam legem ignorat. Ergo non pec„ cat, licet *noſcat*, *ſe contra rationem age-* „ *re*. “ En argumentum. Quid igitur reſpondet? Audi.

„ Reſp. De hoc egi in materia de actibus hu„ manis, ubi proprius eſt illius locus; dixique, „ talem *non promeriturum per illud factum pœnam* „ *æternam*, ſed temporalem gravem, qua a Re„ publica ſufficienter punitur furtum, quatenus „ eſt contra illam, vel virgis, vel ſuſpendio. „ Nam ratio promerendi pœnam æternam ſolum „ deſumitur ex eo, quod aliquis homo ſaltem „ in confuſo *noſcat, ſe offendere Deum ſummum*; „ quod in ignorante non reperitur. Nec incon„ veniens eſt in tali concedere, eam actionem „ *non eſſe æterna pœna dignam* ex ignorantia illa „ invincibili “. In hac doctrina peccatum *philoſophicum* expreſſe contineri nemo negaverit. Hanc autem alii plures Theologi, qui eam ante damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem adductam docere veriti ſunt, ſaltem admiſerunt in illa ſuppoſitione, quæ longe frequentior eſt, quod nempe homines peccantes afflati quidem ſint habituali notitia Dei; ſed tamen dum peccant, de Deo ipſo actu non cogitant, ſive de malitia ejus, quod faciunt, de offenſa Dei, quam incurrunt, aut æterna pœna, quam actio illa promeretur: quod pariter in propoſitione anathemate perculſa exprimitur. Ad alios pergamus Authores, qui poſt damnationem illius propoſitionis ſcripſere.

§. III.

De Authoribus, qui poſt damnatam propoſitionem admittunt, aut admittere tenentur peccatum philoſophicum,

VII. Hoc in cenſu reponi omnino debent Authores illi plurimi, qui etiam, damnata jam philoſophiſmi ſententia, docere perrexerunt neceſſitatem advertentiæ actualis ad malitiam pravæ actionis,

nis, aut omiſſionis, ſive ad offenſam Dei, aut tranſgreſſionem divinæ legis, ad contrahendam culpam, aut peccatum *formale*, ut ajunt, quod diſſolvat amicitiam Dei, & dignum ſit æterna pœna. Hac enim poſita doctrina, neceſſario ſequitur *peccatum philoſophicum*, ſicuti in allata propoſitione deſcribitur. Nam quantumvis grave, & graviſſimum peccatum ſit illud, quod homo committit, ſi non advertit actualiter, prout ferme omnes peccatores, præſertim habituati, excæcati, obdurati reapſe non advertunt ad malitiam actuum ſuorum, ad offenſam, quam Deo irrogant, ad Dei legem, quam tranſgrediuntur; nullum mortale peccatum perpetrant, quod Deum offendat, quod mortem animæ inferat, quod ſempiternam pœnam promereatur: adeoque nihil aliud ſupereſt, niſi ut peccata *philoſophica* committant, digna quidem ſupplicio temporali, inferendo a Republica humana, non autem æterno a Deo infligendo. Quapropter ſectatoribus hujus abſurdæ opinionis illud jure, ac merito dicere poſſumus, quod ajebat Auguſtinus in lib. de adult. Conjug. *mutate antecedentia, ſi vultis cavere ſequentia*. Verum ad unius, aut alterius ſaltem ſententias referendas deveniamus, quæ proximius ſpectant *philoſophicum peccatum*.

VIII. P. Matthæus Stozius S. J. in ſuo *Tribunali Pœnitentiæ* edito anno 1766. *lib.* 1. *part.* 5. *pag.* 347. ita ſcribit: „ Ad peccatum mortale non „ ſufficit ſcire, id graviter repugnare rectæ ra„ tioni, ſed requiritur, ut, dum committitur, „ ſciatur, ſive occurrat id eſſe *gravem offenſam*. „ Leſſius, Lugo &c. Ratio eſt, quia ſi homo „ non cognoſcit, *Deum offendi*, & quidem *gra„ viter*, tunc offenſa *gravis* non eſt illi volunta„ ria, neque malitia offenſæ formalis in ipſo „ reperietur. Ergo non poterit illa ad culpam „ imputari. Quod ſi vero ratio offenſæ forma„ lis Dei non reperitur in actu, *non erit pec„ catum theologicum*; ergo nec mortale, licet fiat „ cum advertentia, *quod fiat contra naturam ra„ tionalem*. Theologi enim peccatum longe ali„ ter conſiderant, quam *Philoſophi Morales*. „ Iſti enim conſiderant peccatum, prout dicit „ oppoſitionem cum natura rationali, ſeu dicta„ mine rationis; ſeu, ut alii loquuntur, cum „ Republica rationali. Illi vero, prout dicit op„ poſitionem cum dictamine Dei, vel cum Deo „ Reipublicæ rationalis capite. Et hinc factum „ eſt, ut duplex in peccato diſtingueretur mali„ tia: una *philoſophica*; illa nempe, quæ eſt con„ tra naturam rationalem: altera *Theologica*; illa „ ſcilicet, quæ deſumitur ex oppoſitione cum „ divina majeſtate, & alio nomine formaliſſime „ dicitur *offenſa Dei*: quia injuria, & offenſa „ Dei nihil aliud eſt, quam voluntaria oppoſitio „ cum ejus præceptis. Et in hac conſideratione „ ſermo eſt de peccato, cum quæritur, an ad „ hoc, ut contrahatur, requiratur cognitio *re„ præſentans, illo offendi Deum, & quidem gra„ viter*. Et prærequiri etiam Chriſtus ipſe *Luc.* „ 12. ſatis indicavit: *Servus*, inquiens, *qui co„ gnovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſe„ cundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui „ autem non cognovit, & fecit digna plagis, va„ pulabit paucis*. Ex his enim ſatis aperte con„ ſtat, per peccatum commiſſum ſine advertentia, „ Deum *non graviter offendi*, non mereri pœnam „ æternam, atque adeo nec mortale eſſe in ſenſu „ theologico “.

IX. Non dicam ſolum *ſatis aperte*, ſed apertiſſime, & luculentiſſime *conſtat*, Authorem hunc docere ſententiam damnatam *peccati philoſophici*; tum quia expreſſe ait, *ad peccatum mortale non ſufficere ſcire, id graviter repugnare rectæ rationi, ſed requiri, ut, dum committitur, ſciatur, ſive occurrat, id eſſe gravem Dei offenſam*. Si enim hoc requiritur, ſolumque *ſciatur, aut occurrat repugnare graviter rectæ rationi*, jam non erit *offenſa Dei*, ſive *theologicum* peccatum; ſed mere *philoſophicum*. Quod etiam ex ſubjecta ratione clarius eluceſcit, ut eam conſideranti patet. Tum quia nedum duplicem illam rationem, ſub qua peccatum conſiderari utique poſſe diximus cum D. Thoma, diſtinguit utcumque; ſed evidentiſſime unam ab altera ita ſeparat, aut ſejungit, ut una ſine alia inveniatur, ut liquet ex toto contextu; & ex eo, quod ex textu Evangelico, quo plane abutitur, concludat, *per peccatum commiſſum ſine advertentia*, qua nempe *repræſentetur* peccatum nedum ut rectæ rationi contrarium, ſed *ut offendens Deum, & quidem graviter; Deum non graviter offendi, nec mereri pœnam æternam*. Ad alium pergo Scriptorem, cujus opera omnium ferme manibus teruntur non ſine ingenti morum pernicie.

IV.

Peculiares animadverſiones in doctrinam P. Lacroixii de hoc argumento.

X. P. Claudius Lacroixius, qui Theologiam Moralem P. Buſembaum plurimum auxit, & ampliavit, quæ ſæpius excuſa, etiam hiſce poſtremis annis iterum edita in lucem fuit tum *Venetiis*, tum *Coloniæ*; de hoc argumento Author iſte non uno in loco diſſerit. Brevitati conſulens quædam tantum excerpam ex Tractatu *de Peccatis*. Docet ille in primis cum pluribus Societatis Scriptoribus generalem doctrinam de neceſſitate *advertentiæ actualis ad malitiam peccati*, ut culpa theologica contrahatur. Tum vero in hoc Tractatu *num.* 224. *de peccatis inadvertentiæ* ita ſtatuit: „ Peccata inadvertentiæ dicuntur, quando „ neglecta eſt advertentia debita, ſive quando *co„ gnoſcebatur periculum peccandi, & obligatio magis „ advertendi*: & tamen hæc advertentia major *eſt „ neglecta*, qualis cognitio, & negligentia ſæ„ pe adeſt, licet homo poſtea non recordetur „ eam adfuiſſe “. Digna eſt ſpeciali obſervatione hæc Lacroixii, & Probabiliſtarum doctrina. Si non adſit, docent, advertentia ad malitiam peccati, ſive ad offenſam Dei, nulla culpa contrahitur, nec Deus offenditur. Hæc autem advertentia vix, ac ne vix quidem adeſt in hominibus terrenarum affectionum mole gravatis, atque perverſa peccandi conſuetudine irretitis. Unde hi vix, ac ne vix quidem peccant, dum ſuis

ſuis affectionibus indulgent, aut perverſa impellente conſuetudine in ſcelera ruunt. Reponere utique poſſent, teneri ſaltem advertere ad debitum, quod tales peccatores urget, adhibendi diligentiam, ne ex neglectu ejuſdem peccata committant. Verum hujuſmodi homines ſæpiſſime nec advertunt malitiam actionum, quas peragunt, nec *obligationem*, qua tenentur, *magis advertendi* peccandi periculum, ut experientia conſtat. Igitur ex nulla parte culpabiles ſunt, dum peccata peccatis cumulant.

N. 216. hanc aliam doctrinam repetit: „ Ad „ peccatum requiri advertentia ad legem Dei, & „ ad malitiam objectivam, dictum eſt a *n.* 15. „ Hic addimus, ad peccatum mortale requiri „ plenam, & perfectam advertentiam ad mali„ tiam gravem “. Quoties igitur hæc plena, ac perfecta advertentia ad legem Dei, & malitiam gravem non habetur, quodcumque, & qualecumque ſit illud, quod committitur adverſus *legem Dei*, nunquam erit peccatum mortale, quod amicitiam Dei diſſolvat, dignumque reddat hominem æterna pœna. At quid requiritur *ad gravem malitiam objectivam*, quæ, Lacroixio judice, adverti debet, ut contrahatur peccatum mortale? Hoc declarat *n.* 223. „ Hæc autem malitia obje„ ctiva tunc ſufficienter cognoſcitur *eſſe gravis*, „ quando *advertitur eſſe inductiva odii*, vel *ini„ micitiæ Dei*, *aut pœnæ æternæ*. Item quando „ operans quaſi *horret*, & apprehendit ad eum „ modum, quo ſolet alias materias graves, quan„ do ſe ad eas reflectit “. Sciſcitemur, quæſo, non dicam ab Infidelibus, qui vel Deum neſciunt, vel de Deo non cogitant, ſed a tot Chriſtianis præſertim conſuetudine peccandi implicatis, & abſtractis; num quoties vel tot blaſphemias, perjuria, imprecationes &c. evomunt, vel affectionibus ſuis depravatis obſecundant; num, dum hæc faciunt, cogitent, aut advertant, peccata, quæ committunt, *eſſe inductiva odii*, *vel inimicitiæ Dei*, aut flagitia *horreant*, in quæ proruunt? Ego quidem arbitror, vix in centum millibus unum repertum iri, qui ita eſſe reſpondeat. Igitur ab his *ſufficienter non cognoſcitur gravis malitia objectiva* ſuorum criminum, atque adeo nunquam *mortaliter* peccabunt. Hæc plane abſurda non toleranda ex doctrinis hujus Authoris, quas ab aliis ſuæ potiſſimum Scholæ Theologis didicit, conſequuntur,

XI. Verum his quidem, aliiſque ſententiis, quas docet tum in eo, tum in aliis Tractatibus, Lacroixius, fundamenta jecit abſurdiſſimæ, ac damnatæ doctrinæ *peccati Philoſophici*. Videamus, quid de illo ſpecialiter, ac expreſſe ſentiat. *N.* 49. hanc quæſtionem movet: *Quid dicendum ſit de peccato philoſophico?* Antequam reſpondeat, primum præmittit: „ Licet ſecludamus omnem co„ gnitionem Dei, tamen adhuc poſſet homo mo„ raliter bene, vel male agere, ſi nempe pro „ libertate ſui arbitrii eligeret operari juxta, „ vel contra prima principia rectæ rationis no„ bis indita a natura “. Quoad hanc hypotheticam propoſitionem nonnihil obſervandum foret; ſed eam præterire volo, ne ſim prolixior. Quod ſequitur *n.* 50. curſim licet, animadverto: *An aliquando detur*, *vel dari poſſit ignorantia*, *vel incogitantia invincibilis Dei*, *nihil attinet hic dicere*. *Sunt*, *qui abſolute negant*; *ſunt*, *qui affirmant*, *ſaltem ad breve tempus*. Primum illud obſerva, quod, ſi ſermo ſit *de ignorantia Dei*, admittit Lacroixius *eſſe*, *qui affirmant*, *dari*, *del dari poſſe talem ignorantiam Dei invincibilem*; quorum ſane ſententiam juxta probabiliſtica ſua principia concedere omnino debet eſſe *probabilem* propter authoritatem eorum, *qui affirmant*, præſertim cum in eorum numero reperiatur P. Molina, qui juxta ipſum Doctor *Claſſicus* eſt, *omnique exceptione major*; cujus proinde vel ſola authoritas opinionem, quam docet, probabilem efficit. Si autem ſermo ſit *de incogitantia invincibili Dei*, nedum Molina, nedum plurimi alii, ſed ipſemet Lacroixius tum *poſſibilem*, tum reapſe exiſtentem admittit in pluribus illis, qui peccant abſque advertentia ad legem Dei, ad ejus offenſam, ad pœnas æternas, quas comminatur &c.

Pergit Lacroixius: „ Hoc tantum dicimus, ſi „ in aliquo daretur (hæc invincibilis *ignorantia*, „ vel *incogitantia Dei*), & talis homo ageret „ contra dictamen rationis; tunc ejus actum non „ habiturum *malitiam formalem Theologicam*, ut „ ſatis conſtat ex dictis: attamen habiturum „ malitiam aliquam moralem, in quantum eſſet „ diſconveniens a natura rationali &c., & hanc „ malitiam poſſumus appellare *philoſophicam* “. En Lacroixius dividit duplicem illam rationem, ſub qua conſiderari peccatum poteſt, quatenus ſcilicet eſt *offenſa Dei*, & quatenus adverſatur *rectæ rationi*; alteramque ſine altera haberi poſſe conſentit, eamque poſitis ſuis principiis reapſe habet, atque habere tenetur. Docet enim conceptis verbis, *nullum* peccati *actum habere malitiam formalem theologicam*, niſi advertat homo ad legem Dei, quam violat; quod perinde eſt, ac de Deo, aut Dei offenſa non cogitare. Solum itaque ut ſummum habebit *malitiam moralem*, *prout eſt diſconveniens a natura rationali*: & ecce purum putumque *peccatum philoſophicum*.

Hinc, quod veluti hypotheſis loco affirmat *n.* 39., tamquam theſis juxta principia Lacroixii exiſtimanda eſt: „ Si ſupponamus, inquit, infide„ lem decedere *in ſolis peccatis philoſophicis*, *eum* „ *propter hæc non damnandum*; ſed nec futurum „ beatum, quia propter originale careret gratia; „ ideoque poſt toleratam pœnam temporalem, „ *peccato philoſophico* proportionatam, futurum „ in eo ſtatu, in quo ſunt infantes ſine Baptiſ„ mo in originali decedentes “. Qua propoſitione ea magis confirmat, quæ antea docuerat; nec aliud ſane aſſerere poteſt, niſi ſuis principiis reprobatis.

XII. At nonne Eccleſia Catholica damnavit doctrinam *peccati philoſophici* tamquam *ſcandaloſam*, *temerariam*, *piarum aurium offenſivam*, *& erroneam*; eamque docere prohibuit *ſub excommunicatione* Summo Pontifici reſervata? Ita plane legitur in Decreto Alexandri VIII. Sed nihilominus hanc ſe putat damnationem effugere poſſe Lacroixius, qui poſt illam ſuam edidit

Theo-

Theologiam. Audi quomodo: „ Propoſitio, inquit, relata *n.* 49. (ideſt ab Eccleſia confixa) „ juſte damnata eſt; 1. quia non diſtinguit inter „ *ignorantiam*, & *advertentiam vincibilem*, *aut invincibilem Dei:* & de utraque æqualiter intelligi poteſt. Eſt autem certum, quod ignorantia, vel incogitantia vincibilis de Deo non excuſat a peccato contra Deum. 2. quia abſolute „ dicit, peccatum grave *philoſophicum* non eſſe „ offenſam Dei; cum ſemper offenſa Dei (ſit) „ ſaltem *materialis*, & moraliter loquendo, etiam „ ſemper ſit *formalis:* unde, ſi propoſitio ſic limitaretur: *philoſophicum* (N. B.) *quantumvis* „ *grave* in illo, qui Deum vel ignorat *invincibiliter*, vel de Deo *actu non cogitat inculpabiliter*, ne quidem tenuiter, aut remiſſe, *eſt grave peccatum philoſophicum*; ſed non eſt *formalis offenſa Dei*, neque *peccatum mortale theologicum* diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna „ pœna dignum: ſi, inquam, ſic limitaretur „ propoſitio, *eſſet longe alia*, *nec mereretur* cenſuram, uti conſtat ex dictis". Ita Lacroixius.

Si hæc limitatio ab hoc Authore ad vitandam damnatæ propoſitionis cenſuram producta, non eſt manifeſta eluſio Pontificiæ, & Eccleſiæ mentis in illa damnanda; quænam dicenda erit? Rogo ingenuos Lectores meos, ut hanc Lacroixianam aſſertionem ſerio expendant, conferantque cum propoſitione damnata, prout a P. Muſnierio S. J. expoſita fuerat iiſdem prorſus verbis, quam iterum ſub oculos ponam: *Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Quid hic comminiſceris, ut evadas cenſuram, diſtinctionem *ignorantiæ*, & *incogitantiæ vincibilis*, & *invincibilis*; *offenſæ Dei materialis*, & *formalis*; quam Pontifex non curavit, nec curari meretur, cum *ignorantia*, & *incogitantia Dei* in eo, qui deliberate peccat, non poſſit non eſſe *vincibilis*, quia eam ſemper vincere tenetur, & *offenſa Dei* ſemper in eodem *formalis* ſit? Si Pontifex damnavit propoſitionem illius Authoris ſibi delatam abſolute, & nulla habita ratione diſtinctionum, quas obtrudis; cur non & ipſe damnas abſolute, & potius ex illa damnata propoſitione non colligis, non eſſe admittendam diſtinctionem illam *ignorantiæ*, aut *incogitantiæ vincibilis*, & *invincibilis*; cum ſemper in eo, qui deliberate peccat, ſit *vincibilis*, atque *culpabilis*, adeoque etiam *offenſa Dei* nedum *materialis*, ut vocas, ſed etiam *formalis*?

XIII. Verum ut Lacroixii deceptio amplius innoteſcat, quædam præterea adnotare placet, quibus, quam perperam ſcripſerit ille, *limitatam* ſuam *propoſitionem eſſe longe aliam*, *nec mereri cenſuram*, manifeſtius fiat. Atque illud in primis in mentem revocandum eſt, quod non ſemel diximus, venenum damnatæ theſis non in eo ſitum eſſe, quod peccatum conſiderari valeat ut cum recta ratione pugnans, & ut contrarium legi æternæ Dei, ejuſque offenſa: duas quippe has peccati notiones diſtinguit in ipſo S. Thomas, diſtinguuntque cæteri Theologi; ſicut etiam alia diſtingui poſſet, quod ſit æterna pœna dignum. Sed in eo conſiſtit, quod hæ duæ rationes tum a theſis Authore, tum ab aliis non internoſcantur ſolum, ſed & ita ſeparentur, ut poſſit quis *graviter in rationem peccare*, *quin Deo injuriam irroget*. Muſnierius in theſi confixa, aliique tradunt aperte, ab homine *Deum aut ignorante*, *aut de illo actu non cogitante* committi quidpiam poſſe a recta ratione diſcordans, quin tamen Deo injuriam irroget, aut ejus violet amicitiam, dignumque ſit æterna pœna: quod idem omnino eſt, ac *peccatum philoſophicum* jam damnatum.

Hoc poſito, eſtne *longe alia propoſitio*, *nec cenſuram meretur*, prout a Lacroixio *limitatur*? Duas ille peccati notiones non intellectu ſecernit ſolum, ſed reipſa disjungit; contenditque, peccatum *quantumvis grave*, ab ignorante, aut actu Deum non cogitante patratum, *mere philoſophicum eſſe*, *non formalem offenſam Dei* &c. Hoc ſatis eſt, ut dici debeat, hunc Authorem damnatam doctrinam tradere. Limitatio autem, quam adjicit quoad illum, qui Deum *culpabiliter* aut ignorat, aut actu non cogitat, pro nihilo reputanda eſt, nec a ſua doctrina venenum damnatæ propoſitionis abſtergit, cum admittat realem ſeparationem duplicis rationis peccati, prout eſt diſconveniens naturæ rationali, & prout eſt offenſa Dei, ſive contra Dei legem, in qua ſeparatione proſcriptæ doctrinæ virus poſitum eſt. Quod magis confirmari valet iis, quæ habet *n.* 52. & jam deſcripſimus. Tametſi enim definire nolit quæſtionem, quam ibi excitat, *an aliquando detur*, *vel dari poſſit ignorantia*, *vel incogitantia invincibilis Dei*; ſatis tamen perſpicitur, in quam ipſe partem propendeat. Nam aut affirmantes ſequitur, aut ſaltem *probabilem* eorum ſententiam ſuis ipſe principiis habere cogitur, ut dictum eſt.

Verum quid iſta perſequimur, quum ex iis, quæ ipſe ſtatuit, quid de hoc capite ſenſerit, perſpicue colligatur? Nonne cum aliis Probabiliſtis ſancit, *certum eſſe*, *ad peccatum* (formale utique) *prærequiri advertentia ad legem Dei*, & *ad malitiam objecti: Si autem nullo modo cogitetur de malitia hujus objecti*, *quamvis ignorantia*, *vel incogitantia ſit culpabilis*, *opus ex ea ſequens non habere malitiam ſpecialem*; *ignorantia enim*, *ſive ſit vincibilis*, *ſive invincibilis*, *facit æqualiter non cognoſci malitiam: ergo etiam non contrahi*? Ita plane. Ponamus ergo, peccantem noſſe quidem, cum natura rationali pugnare malum, quod peragit; *culpabiliter* tamen ignorare, aut non conſiderare, quod ſit *offenſa Dei*, aut legis ſuæ violatio: nonne, Lacroixio authore, Deum, malum illud agendo, non offendet, adeoque nec æternæ pœnæ obnoxius erit? *Ignorantia enim vincibilis facit æqualiter non cognoſci malitiam: ergo etiam non contrahi.* Tantum itaque *in rectam rationem* peccabit ille: nam & ipſe hoc cognoſcit, aut cognoſce-

ſcere ſupponitur, & temporarias dumtaxat pœnas dabit, non æternas; eritque propterea peccatum ejus *mere philoſophicum*.

Id confirmare, & explicare placet exemplo deſumpto ex Ethnicis, quibus, præſertim plebejis, non alius Deus erat, niſi Juppiter, Mars, Apollo, Venus &c., a quibus tantum aberat, ut putarent, vetita fuiſſe adulterium, fornicationem, inceſtum &c., ut in ea potius perſuaſione eſſent, Diis ſuis, quos hujuſmodi criminum patratores, ac magiſtros habebant, hæc fore pergrata, quamquam ea noſſent a recta ratione abhorrere. Mere ergo *philoſophica* fuiſſe eorum ſcelera concedat oportet Lacroixius. Quod ſi reſpondeat, verum Deum ab iis *culpabiliter* ignoratum fuiſſe, aut quod neceſſariam ad inquirendam veritatem attentionem conferre neglexerint; nec ipſe, nec alii Probabiliſtæ abſurdum devitant. Ut enim vitio dari poſſit *negligentia*, ſive *neglectus*, oportere decernunt, *ut cognoſcatur obligatio magis advertendi, & hæc major advertentia ſit neglecta*; cujus profecto obligationis cognitione caruerunt, carentque ſaltem Ethnicorum plerique. Quid porro, ſi hanc ab eis agnitam fuiſſe obligationem dederimus? *Opus ex ea ſequens*, ait Lacroixius, *non habet malitiam ſpecialem, niſi præciſe illius negligentiæ, aut neglectus &c.* Non alia ergo eſſe poterat nefandorum, quæ Ethnici Deum *culpabiliter* aut neſcientes, aut, quod frequentiſſimum erat, *non cogitantes* committebant, ſcelerum malitia, quam *philoſophica*; nec alia eis debita pœna erat quam temporaria.

Veniam a Lectoribus peto, ſi nimius fortaſſe videor in hoc argumento, quoniam neceſſarium id arbitror, ut videant, qui hujus Authoris Theologiæ pro Morali addiſcenda ſtudent, quanta circumſpectione, & cautione eam legere debeant, tum in hac quæſtione, tum in aliis pluribus æque periculi plenis. In hoc eodem *tractatu*, ſicut & in aliis locis, ubi præſentem materiam verſat, docet præterea cum aliis Probabiliſtis, plurium actionum, quas recta ratio damnat, pravitatem *invincibiliter* poſſe ignorari, aut actu non conſiderari. Quapropter & ipſe, & alii ſtatuunt, quæ *excæcati*, *obdurati*, vitioſis affectibus abrepti mala perpetrant, neque actu ad eorum malitiam animum advertunt, *proprie peccata non eſſe*, quæ Deum offendant, nec neceſſario in Confeſſione aperienda. An non autem multo facilius eſt ab homine cupiditatibus ſuis impotenter indulgente, & vetuſta conſuetudine irretito minus conſiderari Deum, &, quæ peccando Deo irrogatur, injuriam, quam actus ſui perverſitatem, aut repugnantiam cum ratione, quæ animo prius occurrit? Si hanc ergo Lacroixius, aliique Probabiliſtæ concedunt ignorari, aut actu ſaltem non conſiderari *invincibiliter* poſſe, concedant multo magis oportet, *invincibiliter* ignorari, aut cogitari *offenſam Dei*, aut contrarietatem ad legem ſuam. Imo, quum duas haſce notiones ipſi ſejungant, decernantque, alteram haberi poſſe ſine altera, naturalem peccati turpitudinem cognoſcere poterit homo peccans, quin & offenſam cognoſcat, quam Deo peccando infert: eritque propterea peccatum ipſius vere *philoſophicum*.

Concludamus igitur, & peſſimam Lacroixii, aliorumque Probabiliſtarum de hoc argumento doctrinam hoc ſyllogiſmo contrahamus. Quicumque, quod male agit, pravum eſſe, & Deo injurioſum aut *ignorat*, aut *actu non cogitat*, proprie non peccat, nec *formalem* Deo injuriam facit, utut ejus actio perverſa ſit. At plurimi, imo, experientia teſte, innumerabiles ſunt, qui dum peccant, pravum eſſe quod agunt Deoque injurioſum aut ignorant, aut ſaltem actu non cogitant. Igitur proprie non peccant, nec Deum offendunt; adeoque nec æternam pœnam merentur, eruntque ut ſummum peccata ipſorum *philoſophica*, ſi nempe aliquam in iis repugnantiam cum ratione ſaltem in genere concipiant. En itaque de Mundo ſublata pleraque hominum peccata, quæ Dei odium inducant, amicitiam diſſolvant, ac digna ſint ſempiterno ſupplicio. En monſtrum horrendum *philoſophici peccati* iterum in Eccleſiam invectum, ſimulque cum ipſo graviſſima, ac funeſtiſſima mala, quæ ſecum defert.

Cæterum non immorabor ego in proferendis teſtimoniis Scripturarum, Sanctorum Patrum, ac præcipue S. Thomæ, aliiſque probationibus, quibus doctrina *peccati philoſophici* refellitur, labefactatur, convellitur. Satis ad illud penitus conterendum, abundeque eſt tum damnatio ejuſdem facta ab Eccleſia, ac prohibitio illam docendi ſub cenſurarum comminatione; tum graviſſima, & plane non ferenda abſurda, quæ ex illa affatim prodeunt, & cuilibet Chriſtianorum nonniſi maximum incutere horrorem poſſunt. Sed neque ex iis, quæ dicta a nobis ſunt, conſectaria, prout de more, derivabimus: hæc ſiquidem aliquantiſper conſideranti ſtatim obvia fiunt. Legi tamen poſſunt, quæ *de ignorantia habituali*, & *actuali* animadvertimus. Ad alia progredior.

CAPUT SEXTUM.

De Peccatorum ſpecifica diſtinctione, & inæqualitate.

DOCTRINA.

I. *Quædam prælibantur ad dignoſcendam peccatorum diſtinctionem. Variæ de ſpecifica Theologorum ſententiæ.*

II. *Sententia S. Thomæ hac de re proponitur.*

III. *Explicatur propoſita S. Doctoris ſententia.*

IV. *Cur S. Thomas ex objecto potius, quam ex alio capite diſtinctionem peccatorum ſpecificam repetendam doceat.*

V. *Objectum non inducit diſtinctionem ſpecificam in peccatis, niſi* formaliter *conſideratum.*

VI. *Juxta traditam doctrinam accipiuntur ea, quæ S. Thomas docet in aliis ejuſdem quæſtionis articulis.*

VII. *Regulæ quædam ex allata doctrina derivantur. Regula prima. Sola præceptorum diverſitas non inducit ſpecificam diſtinctionem.*

VIII.

VIII. *Regula ſecunda. Hanc tamen diſtinctionem inducunt præcepta, ſi afferant ſpecialem cum ratione repugnantiam.*

IX. *Regula tertia. Ex præceptis juris poſitivi aliquando ſumitur ſpecifica diſtinctio peccatorum.*

X. *Regula quarta. Ad contrahendam malitiam ſpecie diſtinctam, ſufficit, quod voluntas in objectum feratur tali malitia pollutum.*

XI. *Regula quinta. Circumſtantia, quæ actum efficit repugnantem alicui virtuti, cui cæteroquin non opponitur, ſpeciem peccati mutat.*

XII. *Regula ſexta. Majus, & minus, intenſum, & remiſſum circumſtantiæ non ſunt, quæ de ſe mutent ſpeciem.*

XIII. *Regula ſeptima. Ita quoque nec diuturnitas, aut frequentia peccati non eſt ex ſe circumſtantia, quæ novam ſpeciem addat peccato: ex accidenti tamen addere aliquando poteſt.*

XIV. *Major, minorque gravitas* eſſentialis *peccatorum ſumitur ex objecto.*

XV. Accidentalis *autem ex circumſtantiis. De circumſtantia perſonæ, in quam peccatur, & quæ peccat.*

§. I.

Unde ſumenda ſit ſpecifica peccatorum diſtinctio?

I. QUemadmodum res omnes conſiderari valent & *in genere*, quatenus in aliquo communi conveniunt; & *in ſpecie*, prout per formam, qua conſtant, inter ſe differunt; ac demum *in numero*, in quantum eamdem quidem formam participant, ſed ob conditiones individuales diſtinguuntur, atque multiplicantur: eadem quoque conſideratio *de peccato* fieri poteſt, ac debet. Peccatum, ſi ſpectetur generatim, eſt actus humanus inordinatus; ſive, ut inquit Sanctus Thomas *p. 2. quæſt. 21. art. 1. proprie conſiſtit in actu, qui agitur propter finem, cum non habet debitum ordinem ad illum finem*. Et hoc peccatis omnibus commune eſt: ac ſub hac conſideratione de peccato ſatis egimus ſupra, de humanis actibus diſſerendo. Solum itaque ſupereſt, ut de ipſo ſub duplici alia conſideratione inſpecto diſſeramus; &, peccatorum ſpecies unde deſumantur, ſicut deinde eorumdem etiam numerica multiplicatio, ſtatuamus. Quorum quidem accurata cognitio cum omnibus neceſſaria ſit, tum vel maxime animarum Rectoribus, & Confeſſariis, qui miniſterium ſuum, ut par eſt, exercere nequeunt, niſi criminum ſpecies, ac numerum apprime noverint, de quibus in Sacro Tribunali judicare debent.

Quoad igitur in primis ſpecificam peccatorum diſtinctionem attinet, Theologi in varias ſententias abeunt; eamque alii repetendam exiſtimant ex ſolo prudentum ſenſu, & apprehenſione: alii ex difformitate notabiliter diverſa cum lege æterna Dei: alii ſumendam putant ex præciſa præceptorum diverſitate: alii demum ex aliis capitibus, quæ recenſere non vacat. Nos, quæ de hac re docuit Angelicus Præceptor, afferemus, & explicabimus, ſi tamen ipſius doctrina, quæ ſatis clara eſt, indiget explicatione.

II. S. Thomas de hoc argumento agit tota *quæſt. 72.*, & in 1. *art.* ſtatuit, peccata *ſpecie* invicem diſtingui, ſive ſpecificam diſtinctionem depromere ab objectis formaliter diverſis; quod ita oſtendit, ac probat: „ Ad rationem peccati duo „ concurrunt; ſcilicet *actus voluntarius*, & inor„ *dinatio ejus*, quæ eſt per receſſum a lege Dei. „ Horum autem duorum unum (actus nempe vo„ luntarius) per ſe comparatur ad peccantem, qui „ intendit talem actum voluntarium exercere in „ tali materia: aliud autem, ſcilicet inordinatio „ actus, per accidens ſe habet ad intentionem „ peccantis. *Nullus* enim *intendens ad malum o„ peratur*. Manifeſtum eſt autem, quod unum„ quodque conſequitur ſpeciem ſecundum illud, „ quod eſt *per ſe*; non autem ſecundum illud, „ quod eſt *per accidens*: quia ea, quæ ſunt *per* „ *accidens*, ſunt extra rationem ſpeciei. Et ideo „ peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum vo„ luntariorum magis, quam ex parte inordinatio„ nis in peccato exiſtentis. Actus autem volun„ tarii diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta, ut „ in ſuperioribus oſtenſum eſt. Unde ſequitur, „ quod peccata proprie diſtinguantur ſpecie ſe„ cundum objecta “.

III. Duo ergo in peccato diſtinguere oportet; nempe *actum voluntarium*, ſive humanum, & *inordinationem ejuſdem*, quatenus eſt diſſentaneus legi Dei. Utrumque in peccato invenitur, ſed non æquo modo relate ad peccantem. Primum enim *per ſe* ab illo reſpicitur: qui enim ex. gr. furatur, per ſe tendit in acquiſitionem rei alienæ: *inordinatio* autem, quæ eſt in furto, actui adnectitur ex hoc, quod legi adverſetur, adeoque ea rectitudine privetur, quæ actibus humanis convenire debet: Ex qua privatione peccati rationem deſumit. Illud tamen in allata Sancti Thomæ doctrina obſervandum eſt, quod non omnino abſolute dicat, peccata ſuam ſpeciem ex objecto depromere; ſed adjiciat, *magis, quam ex parte inordinationis in peccato exiſtentis:* quod etiam habet in *reſp. ad 2.* Ex quo colligere fas eſt, etiam ex privatione deſumi poſſe ſpecificam peccatorum diſtinctionem, prout ille in ea reſponſione conſentit. Argumentum, quod ſibi ſecundo loco oppoſuerat, erat hujuſmodi: *Malum, cum ſit privatio, diſtinguitur ſpecie ſecundum diverſas ſpecies oppoſitorum. Sed peccatum eſt quid malum in genere humanorum actuum. Ergo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum oppoſita, quam ſecundum objecta.*

Quid huic argumento reſpondet S. Doctor? *Ad ſecundum dicendum, quod peccatum* (*in concreto*, ut inquiunt, ſive prout eſt a parte rei) *non eſt pura privatio, ſed eſt actus debito ordine privatus. Et ideo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta actuum, quam ſecundum oppoſita. Quamvis* (ſubdit) *etiamſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret. Virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta, ut ſupra dictum eſt.* Ex quibus liquet, duplici modo, qui tandem in unum recidit, peccata ſpecie diſtingui poſſe; nimirum vel ex eo, quod reſpiciant objecta ſpecifice diverſa; vel ex eo, quod opponantur diverſis ſpecie

cie

cie virtutibus: qui modus diſtinguendi ſpecies peccatorum fortaſſe facilior, & planior eſt, magiſque obvius vulgari hominum cognitioni. Cur autem S. Thomas ſpecificam peccatorum differentiam ab objectis potius repetendam doceat, quam ex privationibus, ſive ex oppoſitione ad virtutes, multiplex ratio afferri poteſt.

IV. Prima eſt; quia S. Doctor peccatum non conſiderat penes id, quod *formale* in ipſo præciſe eſt; ſed penes utrumque ſimul, *materiale* ſcilicet, ac *formale*. Unde in textu laudato dixit, *peccatum non eſſe puram privationem, ſed actum debito ordine privatum:* Actus autem humani ſpeciem capiunt ab objectis. Altera: quia peccata, cum ſint actus voluntarii, ab eo potius ſpecificari debent, quod magis voluntarium eſt, ac intentum, quam ab eo, quod peccanti per accidens eſt, & præter expreſſam intentionem ejus. Converſio autem ad objectum creatum peccanti omnino eſt voluntaria, & ab ipſo per ſe intenta. At privatio rectitudinis ſecundum ſe a peccante non intenditur, ſed actui peccantis conjungitur præter ejus expreſſam intentionem. Tertia: quia, ſicut ſolæ privationes, ſi in ſe duntaxat ſpectentur, non conſtituunt in certa aliqua ſpecie peccatorum differentias, ſed ſolum ſi conſiderentur cum ea converſione ab objectum, cui adjunctæ ſunt, ſive cum poſitivo ordine ad finem, vel objectum, quem includit iſta converſio; ita differentiæ eſſe non poſſunt diſtinctionem ſpecificam tribuentes abſque ordine, ſive reſpectu ad converſionem, adeoque ad ipſa objecta.

V. Quoniam vero ſæpe contingit, objecta ejuſdem in ſpecie moralis actus eſſe plura, ſive eumdem ſpecifice actum verſari circa materias diverſas; uti conſtat in ſuperbia, quæ verſari poteſt circa ſpiritualia, & corporea, & hæc quoque diverſa, puta divitias, honores, dignitatem, pulchritudinem, fortitudinem &c. idcirco addendum neceſſario eſt, objectum non inducere ſpecificam diſtinctionem, niſi *formaliter* conſideratum, ſive prout ſub una formali ratione inſpicitur, ſub qua comprehendi poſſunt multa objecta materialiter diverſa in eadem ratione convenientia. Ita animadvertit S. Thomas in *reſp. ad* 3. Cum enim ſibi objeciſſet: *Si peccata ſpecie differrent ſecundum objecta, impoſſibile eſſet, idem peccatum ſpecie circa diverſa objecta inveniri*: quod tamen falſum eſſe conſtat; reſpondet: *Quod nihil prohibet, in diverſis rebus ſpecie, vel genere differentibus invenire unam formalem rationem objecti, a qua peccatum ſpeciem recipit. Et hoc modo ſuperbia circa diverſas res excellentiam quærit: avaritia vero abundantiam eorum, quæ uſui humano accommodantur.*

VI. Juxta traditam *art.* 1. doctrinam progreditur Angelicus Doctor ad expendenda ſequentibus ejuſdem *quæſt.* 72. articulis alia capita, ex quibus peccata depromunt, aut non depromunt ſpecificam diverſitatem; primumque *art.* 2. de diſtinctione agit peccatorum *ſpiritualium*, quæ nempe perficiuntur in aliqua delectatione ſpirituali, ſive *in ſola apprehenſione alicujus rei ad votum habitæ, ſicut cum aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquo hujuſmodi:* & *carnalium*, *quæ perficiuntur in delectatione carnali*, ut gula, luxuria &c. Atque hæc peccata ſpecie invicem diſtincta non ſunt, niſi quatenus objecta ipſa ſpecie diſtinguuntur: unde circa idem objectum poteſt quiſpiam committere peccatum *ſpirituale* per delectationem v. g. fornicationis moroſam: & *carnale*, ſi actu fornicetur. Attamen, ſi loquamur de peccatis opere conſummatis, ſpecifica inter ea peccata differentia ſupponitur.

Similiter ſi peccata ſpectentur ex parte cauſarum eorumdem, docet *art.* 3. ea *non differre ſpecie ſecundum diverſas cauſas activas, vel motivas, ſed ſolum ſecundum diverſitatem cauſæ finalis; quia finis eſt objectum voluntatis*. Ex quo etiam reſolvit *art.* 4. peccata *in Deum, in ſeipſum, & proximum* eſſe ſpecie diverſa; quia ſpecie diverſa ſunt objecta, in quæ tendunt: idque conſtat ex eo, quod virtutes, quibus opponuntur, ſpecie diſtinctæ ſint. In 5. autem *artic.* ideo negat, diviſionem peccatorum, quæ eſt *ſecundum reatum*, inducere diſtinctionem ſpecificam; quia ex ſe non importat diverſitatem objectorum. Quod etiam tradit *artic.* 6. de peccatis *commiſſionis*, & *omiſſionis*, quæ ſumpta *formaliter*, *non differunt ſpecie, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motivo procedunt*. Idemque habet *artic.* 7. Et *art.* 8. & 9. docet equidem, tum ſuperabundantiam, & defectum, tum circumſtantias quandoque inducere ſpecificam diverſitatem in peccatis, ſed non alia de cauſa, niſi quia reſpiciunt motiva, ſive objecta formaliter diverſa: unde ſemper ab objecto ſive directe, ſive indirecte volito ſpecifica peccatorum diſtinctio demum repetenda eſt. Ex hac autem fundamentali Sancti Thomæ doctrina quaſdam regulas derivare præſtat, quæ ad praxim valde deſerviunt.

§. II.

Regulæ quædam ex allata doctrina derivantur.

VII. Non omnes hic regulas, quæ ex doctrina tradita ſumi poſſunt, proponemus; cum plures facile quiſquam ex iis, quæ diximus, deducere queat, ad rectum judicium de ſpecifica peccatorum diſtinctione ferendum: ſed aliquas duntaxat, quæ ſpectant vel præcepta, vel circumſtantias peccatorum, quibus ſæpe ab una ad aliam ſpeciem trahuntur, & proinde neceſſario in Confeſſione aperiendas eſſe definivit Concilium Tridentinum. Sit igitur

Regula Prima.

Sola præceptorum diverſitas ſatis non eſt ad diſtinctionem ſpecificam peccatorum.

Hæc regula expreſſe ſtatuitur a Sancto Thoma hic *art.* 7. dicente: *Secundum diverſa præcepta legis non diverſificantur peccata ſecundum ſpeciem*. Ratio eſt: quia plura poſſunt eſſe precepta, ubi nulla eſt objectorum formalium ſpecifica diverſitas; veluti cum vel plura præcepta, aut unum ſæpius iteratum, unam eamdemque rem jubent, aut

aut prohibent. Sic ex. gr. furtum, quamvis vetitum ſit tum lege naturali, tum lege poſitiva, & hac divina, & humana, unius ſpeciei peccatum eſt. Sic etiam, tametſi diverſa ſint duo hæc Decalogi præcepta: *Non furaberis*, &: *Non concupiſces rem proximi tui;* furtum tamen, & voluntas furandi ſpecie non differunt; uti nec *mœchia*, nec voluntas *mœchandi* duplici diſtincto præcepto prohibita. Quod & pluribus aliis exemplis explicari poſſet.

Regula Secunda.

Dum plura præcepta ſpecialem, ac diverſam repugnantiam afferunt cum recta ratione; adeo ut actus, qui vel præcipitur, vel prohibetur, ad virtutem ſpecie diverſam transferatur; peccata iis præceptis oppoſita ſpecie diſtinguuntur, aut certe duplici malitia ſpecie diverſa ſordeſcunt.

VIII. Ratio eſt: quia tunc habetur diverſitas objecti formalis reſpectu actuum, qui omittuntur, aut præcipiuntur. Sic adulterium a viro religioſo commiſſum triplicem ſpecie diſtinctam malitiam continet; *luxuriæ* ſcilicet contra caſtitatem, *injuſtitiæ* ex eo, quod cognoſcat mulierem alienam, & *ſacrilegii* contra religionem ob voti violationem. Similiter qui occidit, aut percutit Clericum, peccatum contrahit duplici ſpecie diverſa malitia infectum, videlicet & adverſus *juſtitiam*, & adverſus *religionem*.

Regula Tertia.

Diverſitas ſpecifica peccatorum depromi nonnunquam poteſt ex præceptorum diverſitate in iis, quæ mala ſunt, quia jure poſitivo prohibita.

IX. Hæc doctrina, ſive regula a S. Thoma deſumitur, qui *quæſt.* 2. *de malo art.* 6. cum prius dixiſſet, *Per oppoſitionem ad virtute peccata differre ſpecie, ſecundum diverſas materias* (ſive objecta), *puta homicidium, adulterium, & furtum: Nec eſt dicendum, quod differant ſpecie ſecundum differentiam præceptorum: ſed magis e converſo præcepta diſtinguuntur ſecundum differentiam virtutum, & vitiorum: quia præcepta ad hoc ſunt, ut ſecundum virtutem operemur, & peccata vitemus.* Cum hæc, inquam, dixiſſet, ſubdit: *Si vero aliqua eſſent peccata ſolum, quia prohibita, in his rationabile eſſet, ut ſecundum differentiam præceptorum ſpecie peccata differrent.* Quod non ita intelligendum eſt, quaſi ſola præceptorum diverſitas diſtinctionem in peccatis efficiat: ſed quia diverſa præcepta ad diverſam materiam, ſive objectum, quod reſpiciunt, ordinata faciunt, ea ad virtutes diverſas pertinere, ad quas cæteroquin poterant non pertinere; adeoque faciunt etiam eorum præceptorum tranſgreſſiones, ut ad peccata ſpecie diverſa pertineant. Sic fraudare decimas ex poſitivo jure præſcriptas, ad peccatum injuſtitiæ pertinet; veſci carnibus in die jejunii ad peccatum intemperantiæ; effuſio ſanguinis in Eccleſia ad ſpeciem ſacrilegii &c. Quæ peccatorum ſpecies a poſitivo jure repetitur, quatenus dum hoc, aut illud præcipit, aut vetat, actionem, aut omiſſionem ad hanc, vel illam peccati ſpeciem reducit.

Regula Quarta.

Ad contrahendam malitiam ſpecie diſtinctam cujuſcumque objecti, ſufficit, quod homo voluntarie feratur in illud.

X. Patet hæc regula. Neque enim ad contrahendam malitiam ex. gr. adulterii, ſive injuſtitiæ, neceſſe eſt, ut homo feratur in uxorem alienam formaliter, ut aliena eſt; neque ad contrahendam malitiam furti ſacrilegi neceſſe eſt, ut rem ſacram auferat formaliter, ut ſacram: ſed ſatis eſt, quod illam ſciens, ac volens auferat; tametſi motivum, ob quod voluntas fertur in alienam uxorem, non aliud ſit, niſi fœminæ pulchritudo, aut delectatio ex ea percepta; & ſimiliter motivum furandi rem ſacram præciſe ſit utilitas, aut commoditas, quæ ex illa ſperatur. Unde contingit, eumdem omnino actum in ſpecie phyſica, diverſum eſſe in ſpecie morali: & e converſo actus ſpecie phyſica diverſos, ejuſdem eſſe ſpeciei in genere moris, ut jam diximus, & conſtat in furto auri, aut argenti, & in exemplo, quod affert S. Thomas hic *q.* 72. *art.* 6. inquiens: *Ad eamdem ſpeciem homicidii pertinet jugulatio, lapidatio, & perforatio, quamvis actus ſint ſpecie differentes ſecundum ſpeciem naturæ.* Quare actus phyſici ſpeciem recipiunt ab objecto in ea ratione conſiderato, ſub qua illud attingunt: Morales vero, ſive peccata ſpeciem capiunt ab objectis ſuis in ea ratione ſumptis, ſub qua prohibentur per legem; a qua nedum prohibetur, voluntarie ferri in uxorem alterius, prout ſua non eſt, ſed aliena, verum etiam abſolute in uxorem proximi, ut patet ex præcepto: *Non concupiſces uxorem proximi tui* &c.

Regula Quinta.

Circumſtantia, quæ actum efficit repugnantem cum aliqua virtute cui cæteroquin non repugnat, peccati ſpeciem mutat.

XI. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. & *can.* 7. definit, circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant, neceſſario eſſe confitendas. Unde diligenter advertere oportet, quænam ſint hujuſmodi circumſtantiæ, quæ nova malitia in Confeſſione aperienda peccaminoſos actus inficiunt. Primum itaque poſitam regulam generalem obſervandam ſtatuimus; quæ ex iis, quæ dicta ſunt, ſatis manifeſta eſt. Quoniam ubi actus peccaminoſus repugnantiam involvit cum virtutibus ſpecie diverſis, ibi quoque diverſitas ſpecifica eſt objectorum juxta traditam S. Thomæ animadverſionem, adeoque etiam malitia ſpecie diſtincta; ſic circumſtantia rei ſacræ novam, ac ſpecie diverſam in furto malitiam inducit: il-

illud enim efficit repugnans virtuti Religionis, quæ a Juſtitia diſtinguitur.

Regula Sexta.

Majus, & minus, intenſum, & remiſſum non ſunt circumſtantiæ, quæ ex ſe mutent ſpeciem peccati.

XII. Ita S. Thomas *p.* 2. *q.* 18. *art.* 11. „ Circumſtantia, inquit, dat ſpeciem boni, vel mali „ actui morali, in quantum reſpicit ſpecialem ordinem rationis. Contingit autem quandoque, „ quod circumſtantia non reſpicit ordinem rationis in bono, vel malo, niſi præſuppoſita alia „ circumſtantia, a qua actus moralis habet ſpeciem boni, vel mali: ſicut tollere aliquid in „ magna quantitate, vel parva, non reſpicit ordinem rationis in bono, vel malo, niſi præſuppoſita alia conditione, per quam actus habeat „ malitiam, vel bonitatem; puta hoc, quod eſt „ eſſe *alienum*, quod repugnat rationi. Unde tollere alienum *in magna*, *vel parva quantitate*, „ non diverſificat *ſpeciem peccati:* tamen poteſt „ aggravare, vel diminuere peccatum ". Quantitas ergo furti magna, vel parva, quemadmodum & intenſio, & remiſſio ejuſdem actus non conſtituunt peccatum ſpecie diverſum. Quod ſi aliquando hujuſmodi circumſtantia in Confeſſione aperienda eſt, hoc non ex diverſa peccati ſpecie, ſed ex alio capite proficiſcitur, de quo alibi.

Regula Septima.

Nec diuturnitas, aut frequentia actus de ſe novam ſpeciem peccato addit, ſed ex accidenti addere aliquando poteſt.

XIII. Hæc quoque regula ex doctrina S. Thomæ colligitur, hic *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. dicentis: *Diuturnitas non eſt circumſtantia trahens in aliam ſpeciem: ſimiliter nec frequentia, vel aſſiduitas, niſi forte per accidens ex aliquo ſupervenienti. Non enim aliquid acquirit novam ſpeciem ex hoc, quod multiplicatur vel protelatur; niſi forte in actu protelato, vel multiplicato ſuperveniat aliquid, quod variet ſpeciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujuſmodi*. Nihilominus, quod Confeſſario interroganti de frequentia, aut conſuetudine peccandi teneatur pœnitens reſpondere, alibi manifeſtum fiet.

§. III.

De peccatorum inæqualitate.

XIV. Peccata omnia æqualia non eſſe, prout Stoici crediderunt, fidei dogma eſt. Unde hujuſmodi inæqualitas deſumenda ſit, S. Thomas ſtatuit tota *quæſt.* 73. hujus *p.* 2. aliiſque in locis, diſtinguens duplicem gravitatem, quam habere poſſunt: aliam ſcilicet *eſſentialem*, quam repetunt ex objecto; aliam *accidentalem*, quam deſumunt ex circumſtantiis. Utramque ſingulari perſpicuitate declarat tum loco laudato, tum *q.* 2. *de malo art.* 10., cujus verba luce ipſa clariora placet exſcribere. „ Gravitas peccati, inquit, poteſt „ penſari ex duobus. Uno modo ex parte ipſius „ actus: alio modo ex parte agentis. Ex parte „ autem actus eſt duo conſiderare, ſcilicet *ſpeciem* „ *actus*, & *accidens ejus*, quod ſupra *circumſtantiam* dximus. Actus autem ſpeciem habet ex „ objecto. Gravitas ergo peccati, quam habet „ *ex ſpecie ſua*, attenditur *ex parte objecti*. Secundum hanc conſiderationem gravius peccatum dicitur ex genere ſuo, quod majori bono „ virtutis opponitur. Unde cum ordo virtutis „ conſiſtat *in ordine amoris*, ut Auguſtinus dicit; „ Deum autem ſuper omnia diligere debeamus: „ peccata, *quæ ſunt in Deum*, ſicut blaſphemia, & hujuſmodi, ſecundum ſuum genus „ ſunt reputanda *graviſſima*. Inter peccata vero *in Proximum* tanto aliqua ſunt aliis *graviora*, quanto majori bono proximi opponuntur. Maximum autem (inter corporalia bona) proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum *homicidii*, quod tollit actualem vitam; & peccatum *luxuriæ*, quod „ opponitur vitæ hominis in potentia: quia eſt „ inordinatio quædam circa actum generationis „ humanæ. Unde inter omnia peccata, quæ „ ſunt in proximum, *gravius* eſt *homicidium* „ ſecundum genus ſuum; & ſecundum locum „ tenet *adulterium*, *fornicatio*, & hujuſmodi peccata carnalia: Tertium autem locum „ tenet furtum, & rapina, & hujuſmodi, „ per quæ in exterioribus bonis læditur proximus. In ſingulis autem horum generum „ ſunt diverſi gradus, in quibus menſuram „ peccati ſecundum genus ſuum oportet accipere, ſecundum quod bonum oppoſitum magis, vel minus per charitatem debet amari ".

XV. „ Ex parte autem *circumſtantiæ* eſt etiam „ gravitas in peccato non ex ſpecie ſua, ſed *accidentalis*. Similiter autem ex parte agentis attenditur gravitas in peccato, ſecundum quod „ magis, vel minus voluntarius peccat. Voluntas „ enim eſt cauſa peccati &c. Sed hæc gravitas non „ competit peccato ſecundum ſuam ſpeciem &c. ". De hac peccatorum majore, minoreque *accidentali* gravitate fuſius agit idem S. Doctor *q.* citata 73. Ex quibus cum pleraque alia facile conſtent ex iis, quæ jam a nobis in aliis locis dicta ſunt, ſolum quædam decerpo ex articulis nono, & decimo, quæ ſpectant perſonam, in quam peccatur, & perſonam ipſius peccantis.

Primum itaque animadvertens, perſonam, in quam peccatur, eſſe poſſe vel Deum, vel ipſum, qui peccat, vel denique proximum; reſolvit, *ex parte horum trium conſiderari majorem, vel minorem gravitatem in peccato, ſecundum conditionem perſonæ, in quam peccatur.* „ Et primo quidem ex „ parte Dei, cui tanto magis aliquis homo conjungitur, quanto eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior. Et ideo injuria tali perſonæ illata magis „ redundat in Deum, ſecundum illud Zachar. 2. „ *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*. Unde peccatum fit gravius ex hoc, quod peccatur

„ in

„ in perſonam magis Deo conjunctam vel ratione „ virtutis, vel ratione officii “.

„ Ex parte etiam ſui ipſius manifeſtum eſt, „ quod tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam perſonam ſeu naturali „ neceſſitudine, ſeu beneficiis, ſeu quacunque con„ junctione peccaverit: quia videtur in ſe ipſum „ magis peccare, & pro tanto gravius peccat, ſe„ cundum illud Eccleſiaſt. 14. *Qui ſibi nequam eſt,* „ *bonus erit* “?

„ Ex parte vero proximi tanto gravius pecca„ tur, quanto peccatum plures tangit: & ideo „ peccatum, quod fit in perſonam publicam, puta „ Regem, vel Principem, qui gerit perſonam to„ tius multitudinis, eſt gravius, quam peccatum, „ quod committitur contra unam perſonam priva„ tam. Unde ſpecialiter dicitur Exod. 22. *Principi* „ *populi non maledices*. Et ſimiliter injuria, quæ „ fit alicui famoſæ perſonæ, videtur eſſe gravior „ ex hoc, quod in ſcandalum, & perturbationem „ plurimorum redundat “.

Quod attinet ad circumſtantiam *perſonæ peccantis, tanto majus*, ut ait Iſidorus lib. 2. de Summo Bono c. 19. *peccatum cognoſcitur eſſe; quanto major, qui peccat habetur*. Hoc autem luculenter declarat Doctor Angelicus *art.* 10. his verbis: „ Di„ cendum, quod duplex eſt peccatum. Quoddam „ eſt ex ſubreptione proveniens propter infirmita„ tem humanæ naturæ. Et tale peccatum minus „ imputatur ei, qui eſt major in virtute, eo „ quod minus negligit hujuſmodi peccata repri„ mere, quæ tamen omnino ſubterfugere infirmi„ tas humana non ſinit... Alia vero peccata ſunt „ ex deliberatione procedentia. Et iſta peccata „ tanto magis alicui imputantur, quanto major „ eſt. Et hoc poteſt eſſe propter quatuor. Primo „ quidem, quia facilius poſſunt reſiſtere peccato „ majores; puta qui excedunt in ſcientia, & vir„ tute... Secundo propter ingratitudinem; quia „ omne bonum, quo aliquis magnificatur, eſt Dei „ beneficium, cui homo fit ingratus peccando. „ Et quantum ad hoc quælibet majoritas etiam „ in temporalibus bonis peccatum aggravat ſe„ cundum illud Sap. 6. *Potentes potenter tormen*„ *ta patientur*. Tertio propter ſpecialem repu„ gnantiam actus peccati ad magnitudinem perſo„ næ: ſicut, ſi Princeps juſtitiam violet, qui po„ nitur juſtitiæ cuſtos; &, ſi Sacerdos fornice„ tur, qui caſtitatem vovit. Quarto propter „ exemplum, ſive ſcandalum: quia, ut Gregorius „ dicit in Paſtorali: *In exemplum culpa vehemen*„ *ter extenditur, quando pro reverentia gradus* „ *peccator honoratur*. Ad plurium etiam noti„ tiam perveniunt peccata magnorum; & magis „ homines ea indigne ferunt “. Hactenus S. Doctor.

Illud in exemplis allatis obſervandum, nedum peccata augeri in gravitate ſive ex perſona peccantis, ſive ex perſona illius, in quem peccatur; ſed etiam ex circumſtantiis quandoque novam recipere peccati ſpeciem, prout ſupra diximus.

CAPUT SEPTIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Probanda non eſt ſententia, quæ diſtinctionem peccatorum ſpecificam ex ſolo repetit prudentum ſenſu.*

II. *Sicut neque, quæ circumſtantiam omnem notabiliter aggravantem novam peccato ſpeciem tribuere ſtatuit.*

III. *Haud differt a ſententia a nobis conſtituta, quæ docet, ſpecies peccatorum ſumi a virtutibus, quibus opponuntur.*

IV. *Etiam peccata omiſſionis ſpecificam diſtinctionem hauriunt ex objectis.*

V. *Finis operantis ſæpe tranſit in objectum, ex quo ſpecificatur peccatum.*

VI. *Peccata venialia ſpeciem ab objectis recipiunt, ſicut & mortalia.*

VII. *Exempla, quibus liquet, peccata ſpecie non diſtingui ex præceptis diverſis.*

VIII. *Religioſus Franciſcanus abſtinentiam violans die Veneris, duplex ſpecie diſtinctum peccatum incurrit.*

IX. *Non ita tamen alii Religioſi, qui ſolum vovent obedientiam ſecundum regulam.*

X. *Duplex ſpecie peccatum committit Religioſus, qui ſpeciale præceptum ſui Superioris non obſervat.*

XI. *Ex exceſſu, & defectu ſæpe ſumitur peccatorum diſtinctio ſpecifica.*

XII. *Circumſtantia* Quis *aliquando novam ſpecie malitiam inducit, aliquando ſolum auget.*

XIII. *Exempla diſtinctionis ſpecificæ peccati ex perſona, contra quam, vel cum qua peccatur.*

XIV. *Quænam ſpecie multiplicentur peccata ex circumſtantia* loci.

XV. *Quænam itidem ex circumſtantia* Quibus auxiliis.

XVI. *Ea, quæ de ſe mala ſunt, ex pravo fine operantis novam ſpecie diſtinctam malitiam contrahunt.*

XVII. *Non ita vero dicendum, ſi finis operantis pravus non eſt, ſed vel bonus, vel indifferens.*

XVIII. *Peccata* ſpiritualia, *cæteris paribus, graviora ſunt peccatis* carnalibus.

XIX. *Graviora ſunt peccata Fidelium, quam Infidelium; & Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum, quam laicorum, & ſæcularium. Conſectarium* Reflexionis *loco propoſitum.*

Conſectarium Primum.

I. TAmquam falſa reputanda eſt ſententia, quæ diſtinctionem peccatorum ſpecificam ultimo repetit a ſolo communi prudentum ſenſu, & apprehenſione. Nam communis ſenſus Sapientum, ut in re qua de agimus, prudens reapſe ſit, ac rationabilis, inniti debet fundamento a ſe diſtincto. Neque enim communis ille ſenſus, quod ultimum ſit, & originale fundamentum ſpecificæ peccatorum diſtinctionis, primum aliquod principium eſt, quod probatione non indigeat. Prima

ſiqui-

ſiquidem principia per ſe nota ſunt, omnibuſque manifeſta. Quod autem communis prudentum ſenſus ſit ultimum, & originale fundamentum ſpecificæ diſtinctionis peccatorum, non eſt aliquid per ſe notum, & extra controverſiam poſitum; cum potius communi Doctorum ſententiæ adverſetur.

Conſectarium Secundum.

II. A vero pariter abludit opinio, quæ ſtatuit, circumſtantiam omnem, quæ notabiliter aggravat lethale peccatum, novam ipſi ſpeciem tribuere ob difformitatem notabiliter diverſam cum æterna lege Dei. Hæc ſiquidem opinio deſtruit penitus diſtinctionem circumſtantiarum *in mutantes ſpeciem*, & *intra eandem ſpeciem ſolum notabiliter aggravantes*: quæ diſtinctio ex ſenſu Eccleſiæ, & doctrina Sanctorum Patrum, ac D. Thomæ admittenda omnino eſt. *Quod aliquis*, ait Sanctus Doctor in 4. diſt. 16. quæſt. 3. artic. 2., *accipiat multum, vel parum, ex ſe deformitatem aliquam non importat, niſi ipſa ſuppoſitione primi: quia multum de alieno recipere eſt ab æqualitate diſcedere. Unde talis circumſtantia aggravat; ſed peccatum non mutat. Quod autem rem alienam conſecratam accipiat, aliam deformitatem importat: quia quæcumque irreverentia circa res ſacras adhibita ſpecialem rationem peccati habet. Et ideo talis circumſtantia dicitur mutare ſpeciem*. Id quoque conſtat ex eo, quod nulla idonea ratio aſſignari queat, cur magnum, & parvum, intenſum, & remiſſum in moralibus ſpeciem mutare debeant, cum nec etiam mutent in naturalibus; ut patet in calore, qui in eadem procul dubio ſpecie eſt, ſive graduum centum ſit, ſive decem tantum.

Conſectarium Tertium.

III. Sententia, quæ docet, diſtinctionem peccatorum ſpecificam deſumi ex actuum oppoſitione ad virtutes diverſas, non differt quoad rem ipſam a ſententia a nobis conſtituta. Nam & ipſæ virtutum ſpecies ab objectis deſumuntur. Sic ex. c. Peccatum oppoſitum juſtitiæ, ſpecie diſtinguitur a peccato temperantiæ oppoſito: quia ſpecie diſtincta objecta reſpiciunt; atque idem dicas de aliis.

Conſectarium Quartum.

IV. Etiam peccata omiſſionis ſuam ſpecificam diſtinctionem hauriunt ex objecto; indirecte tamen, & ſolum ratione actuum oppoſitorum. Quoniam, cum omiſſio ſit carentia actus debiti, & actus omnis voluntarius, & moralis depromat ab objecto ſpeciem ſuam, adeoque ſuam ſpecificam diſtinctionem ab alio quocumque actu; oportet, quod etiam peccata omiſſionis indirecte ſpeciem ſuam, ac diſtinctionem ab objecto recipiant. Ut enim commune Philoſophorum effatum eſt: *Privationes deſumunt diſtinctionem ſuam ſpecificam a formis oppoſitis*.

Conſectarium Quintum.

V. Sæpe contingit, finem operantis in objectum peccati tranſire, adeoque peccato ſpeciem conferre: idque præſertim contingit in verbis, quæ proferuntur; quod exemplo explicare placet. Si quis verba proferat de ſe gravia, & injurioſa animo conviciandi, peccatum iſtud eſt in ſpecie *contumeliæ*: ſi autem, ut is, qui audit, erubeſcat, & confundatur, eſt in ſpecie *irriſionis*: Si vero ea proferat moderato zelo diſciplinæ, aut correctionis cauſa, ad virtutis ſpeciem potius pertinent. In hiſce itaque caſibus finis, quem ſibi præfigit operans, in objectum tranſit, a quo verba illa ſpeciem malitiæ, aut bonitatis depromitur. Nec hujuſmodi verba ſunt objecta illorum actuum, niſi ut *formaliter* verba ſunt, ſive quatenus exprimunt loquentis conceptum, & animum. Unde hic, vel ille ſignificandi modus non eſt circumſtantia accidentalis, ſed differentia eſſentialis objecti. Quapropter, quia ſignificatio diverſa de ſe pendet ex animo, & intentione loquentis, juxta varietatem intentionis variatur finis operis, pertinetque ad intrinſecam rationem objecti. Porro finis intrinſecus ab objecto non diſtinguitur, ut alibi diximus, & explicat Sanctus Thomas loco laudato *in reſp. ad* 1. his verbis: *Dicendum, quod finis principaliter habet rationem boni: & ideo comparatur ad actum voluntatis, qui eſt primordialis in omni peccato, ſicut objectum: Unde in idem redit, quod peccata differant ſecundum objecta, vel ſecundum fines*.

Conſectarium Sextum.

VI. Etiam peccata venialia, ſi ſpectentur ex parte *converſionis*, ſpeciem recipiunt ab objectis, ac ipſa mortalia; quamvis ab his in infinitum diſtent ex parte *averſionis*. Ita D. Thomas *art.* 5. *ad* 1., ubi ait: „ Peccatum mortale, & veniale differunt in infinitum *ex parte averſionis*: non autem *ex parte converſionis*, per quam reſpicit objectum, unde peccatum ſpeciem habet. Unde nihil prohibet, in eadem ſpecie inveniri aliquod peccatum mortale, & veniale: ſicut primus motus in genere adulterii eſt peccatum veniale; & verbum otioſum, quod plerumque eſt veniale, poteſt etiam eſſe mortale“.

Conſectarium Septimum.

VII. Qui jejunium violat ſive Sabbato quatuor Temporum, ſive aliquo die quadrageſimali, duo peccata diſtincta non committit; imo nec unum, quod plures malitias contineat. Quandoquidem, tametſi diverſa ſint præcepta, quæ jejunium his diebus jubent, ea tamen ſub eadem ratione conveniunt, eamdemque rem ſub eadem ratione præcipiunt. Idemque judicium ferendum eſt de illo, qui Miſſæ intereſſe prætermittit die Dominico, ſi feſtum aliud concurrat, in quo Sacrum audiendi præceptum urget.

Con-

Conſectarium Octavum.

VIII. Quamvis diſſidium ſit penes Auctores, num duplex ſpecie diſtinctum peccatum committat Religioſus Franciſcanus, abſtinentiam non ſervans feria ſexta, ad quam tenetur tum Eccleſiæ præcepto, tum Regulæ; veroſimilior tamen videtur affirmativa ſententia: quia violat præcepta diverſæ rationis; quorum alterum eſt contra virtutem temperantiæ, alterum contra Religionem ob violationem Regulæ, obligantis ſub mortali ratione voti.

Conſectarium Nonum.

IX. Hæc ratio locum non habet in aliis Religioſis, qui ſolam obedientiam vovent ſecundum Regulam: neque enim ad omnia, quæ in Regula præſcribuntur, tamquam materiam voti obligantur; ſed eo modo, quo Regula, & Religio ab ipſis exigit. Quare, cum Regula, & Religio ab ipſis abſtinentiam exigant ex motivo temperantiæ, prout exigit Eccleſia; dum abſtinentiam non obſervant, contra temperantiam ſolum peccant. Nec aliud motivum præſcribendi abſtinentiam jure præſumitur, niſi vel ex verbis Regulæ, vel ex communi Religionis ſenſu aliter conſtet.

Conſectarium Decimum.

X. Ex his conſequitur, quod ſi legitimus Superior ſpeciale præceptum imponat Religioſo, vel ſubdito, qui ex voto ipſi parere teneatur, ſi illud tranſgrediatur, duplex peccatum incurrat, ſcilicet contra votum, & contra virtutem illam, ad quam pro materiæ diverſitate præceptum Superioris pertinet. Præceptum namque Superioris hoc habet, ut id, quod præcipit, conſtituat in diverſa ſpecie virtutis diverſitatem materiæ, & motivi. Et hac de cauſa dupliciter etiam peccat, qui jejunium frangit in aliqua vigilia, in qua & ex Eccleſiæ præcepto jejunandum eſt, & ex præcepto Confeſſarii jejunium injungentis: quoniam duo implicantur in his præceptis diverſa motiva, quorum alterum temperantiam ſpectat, alterum virtutem pœnitentiæ.

Conſectarium Undecimum.

XI. Ex exceſſu, & defectu ſæpius etiam repetitur ſpecifica peccatorum diverſitas; quatenus, cum virtutes in medio conſiſtant, duplex vitium diſtinctum ipſis opponitur, alterum *per exceſſum*, alterum *per defectum*. „ Ubicumque occurrit „ (verba ſunt Sancti Thomæ *hic art.* 8.) diver„ ſum motivum inclinans intentionem ad pec„ candum, ibi eſt diverſa ſpecies peccati. Ma„ nifeſtum eſt autem, quod non eſt idem moti„ vum ad peccandum in peccatis, quæ ſunt ſe„ cundum ſuperabundantiam (ſive exceſſum), & „ in peccatis, quæ ſunt ſecundum defectum, quin „ imo ſunt contraria motiva: ſicut motivum in „ peccato *intemperantiæ* eſt amor delectationum „ corporalium; motivum autem *inſenſibilitatis* „ eſt odium earum. Unde hujuſmodi peccata „ non ſolum differunt ſpecie, ſed etiam ſunt ſibi „ invicem contraria “.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Cum ſeptem communiter aſſignentur circumſtantiarum genera, *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*; loquendo in primis de circumſtantia *Quis*, hæc aliquando novam inducit malitiæ ſpeciem: aliquando ſolum malitiam auget. Exemplum prioris eſt circumſtantia perſonæ ſacræ, a qua, vel cum qua fornicatio committitur: tunc enim malitiæ fornicationis ſuperadditur malitia ſacrilegii, quæ alias ipſi non ineſſet. Poſterioris autem exemplum in circumſtantia perſonæ peccantis, a Deo ſpecialibus beneficiis inſignitæ; cujus peccatum tanto majus cenſetur ob ingratitudinem, quo plura, ac majora beneficia recepit.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Detractio, calumnia, convicium, contumelia illata perſonæ, cui peculiaris reverentia debetur, e. g. Patri, Matri, vel Superiori ſuo, circumſtantia eſt, quæ ſpecialem affert deformitatem; adeoque in Confeſſione explicandam. Itidem fornicatio cum muliere alteri per ſponſalia de futuro obligata injuſtitiæ malitiam contrahit. Quamquam enim adulterium proprie dictum minime ſit, quidpiam tamen ipſi affine eſt ob gravem, quæ Sponſo infertur, injuriam. Nam ex Sponſalibus Sponſus, & Sponſa jus quoddam ſaltem inchoatum acquirunt in mutuum corpus.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Tum homicidium, aut percuſſio in loco ſacro commiſſa, tum etiam copula carnalis in eodem habita, tum alii actus turpes ſaltem externi ex loci ſanctitate ſpecialem malitiam contrahunt: ſicut etiam furtum in Eccleſia perpetratum non ſolum rei ſacræ, ſed etiam rei non ſacræ, ut crumenæ Divitis ibi aſſiſtentis ſacris functionibus. Equidem poſtremum hoc ſunt, qui exiſtimant non eſſe circumſtantiam, quæ ſpeciem mutet; ſed alii plures oppoſitam ſententiam tuentur, quibus ſuffragatur authoritas Joannis Papæ VIII. in Cap. *Quiſquis inventus* 17. quæſt. 4. generaliter, & abſque ulla diſtinctione aſſerentis, *ſacrilegium* committi non ſolum auferendo *ſacrum de ſacro*, vel *ſacrum de non ſacro*; ſed etiam auferendo *non ſacrum de ſacro*. Quod cum in favorem Eccleſiæ ſit, ample intelligendum videtur, eo præſertim, quod circa finem ejuſdem Capitis tamquam ſacrilegos puniri velit, *qui Monaſteria*, ... *& Eccleſias infringunt*, *& depoſita*, *vel alia quælibet exinde extrahunt*.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Quoties auxilia, ſive media, quibus aliquis ad

ad peccandum utitur, de ſe mala ſunt, nova ſemper malitia peccato ſuperadditur. Sic ſi quis ope Dæmonis utatur ad inferendum proximo damnum, quo caſu eſt malitia ſpecialis ſocietatis cum Dæmone; vel homine tamquam inſtrumento, quo caſu eſt ſpecialis malitia ſcandali ex eo, quod ad peccandum inducat, qui ad hoc paratus non erat: quemadmodum etiam eadem malitia ſcandali occurrit, dum quis precibus, & ſuaſionibus a puella rem veneream extorquet.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Idem dicendum eſt de circumſtantia *Cur*, ſeu fine extrinſeco ſibi ab operante præſtituto; ut dum aliquis furatur ad fornicationem, aut adulterium committendum, vel e contra fornicatur, aut mœchatur ad furandum, vel ad alium pravum finem. Hoc enim in caſu duplex ſpecie diverſa in peccato malitia eſt, fornicationis ſcilicet, aut adulterii, & furti, ſive alterius pravi finis. Tunc autem, ut animadvertit S. Thomas 2. 2. q. 181. art. 2. *id, quod ordinatur ad aliud, ſicut ad finem, trahitur ad ſpeciem ejus, ad quod ordinatur: ſicut ille, qui mœchatur, ut furetur, magis dicitur fur, quam mœchus*; non quod mœchia in eo caſu deſinat eſſe in ſpecie ſua, ſed quia operantis intentio magis fertur in peccatum furti, quam in peccatum mœchiæ. Unde furtum magis voluntarium tunc eſt, quam mœchia, quæ ſolum eſt voluntaria propter furtum.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. E contra, ſi finis operantis, propter quem pravum medium aſſumitur, de ſe malus non ſit, ſed vel bonus, vel indifferens; duplex tunc malitia diſtincta non habetur, quæ idcirco in Confeſſione exprimenda ſit. Unde haud probamus quorumdam Doctorum Lovanienſium opinionem, qui putant, eum, qui ob finem de ſe non malum medium aſſumit lethaliter peccaminoſum, ut qui ver. gr. die feſtivo Sacrum omittit, ut ſtudio vacet, duplex peccatum committere. Et ratio eſt, quia licet ſtudium in hoc caſu malitia lethifera polluatur, utpote cauſa finalis motiva omiſſionis Sacri; malitia tamen hæc non eſt ab omiſſionis malitia diſtincta: ubi enim unum duntaxat malum eſt propter alterum, ibi eſt unicum malum. Sic qui furatur, ut eroget eleemoſynam, vel ut ſolvat debita ſua, non duplex peccatum contrahit, ſed unum tantum; nec malitia, qua tunc inficitur eleemoſyna, vel debitorum ſolutio, alia eſt a malitia furti, cujus eſt cauſa.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Peccata *ſpiritualia*, quantum eſt ex ſe, ac cæteris paribus, graviora ſunt peccatis carnalibus. Hoc aperte docet Sanctus Gregorius Magnus *lib. 33. Moral. cap.* 11. inquiens: *Peccata carnalia ſunt minoris culpæ, & majoris infamiæ, quam ſpiritualia*; probatque Sanctus Thomas hic triplici ratione. Primo nempe, quia peccata carnalia complentur in delectatione ſentientis appetitus: ſpiritualia vero pertinent ad ſpiritum, cujus eſt converti ad Deum, vel ab eo averti; atque ita magis, quam carnalia, important averſionem a Deo. Secundo, quia carnalia directe ſolum offendunt corpus proprium: ſpiritualia vero directe offendunt Deum, & proximum. Tertio, quia quanto majus eſt incentivum ad peccandum, tanto minus peccat is, qui ad peccatum impellitur. Ad peccata autem carnalia propter inſitam nobis carnis concupiſcentiam longe vehementius impellitur homo, quam ad ſpiritualia. Hæc doctrina maximopere perpendenda eſt a viris ſpiritualibus, qui, dum vident alios in peccata carnalia incidere, illos ſibi in animo poſtponunt, contemnunt, & in ſuperbiam longe deteriorem delabuntur; parvique pendunt invidiam, ambitionem, gloriam vanam, & cætera hujuſmodi, quibus interius corrupti ſunt. Sed nec inde anſam arripere debent carnales homines minus æſtimandi peccata, quæ committunt, aut ſibi blandiendi; quaſi Deus ea parum curet, & facile ignoſcat. Nam, præterquamquod non ideo deſinunt Deum graviter offendere, atque iram Dei adverſum ſe concitare; illud peculiare habent carnalia peccata, ut obſervat S. Thomas hic *ad* 2. quod ſint *maximæ adhærentiæ*; propter quod *Diabolus maxime gaudet de peccato luxuriæ*: quia hoc captivum ita detinet hominem, ut rare a tyrannide ſua ſe proripiat.

Conſectarium Decimumnonum

Reflexionis *loco propoſitum*.

XIX. Peccata Fidelium graviora ſunt peccatis Infidelium; & peccata Eccleſiaſticorum, & Religioſorum peccatis ſæcularium, ſive laicorum. Prima pars, quæ ex tradita doctrina fluit, expreſſe docetur a S. Thoma hic *q. 89. art.* 5. ubi comparans peccata Fidelium, & Infidelium, ita ſcribit: *Nunquam dignitas perſonæ diminuit peccatum, ſed magis auget, ut ex ſupradictis patet. Unde nec peccatum eſt minus in fideli, quam in infideli; ſed multo majus. Nam & infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam ſecundum illud* 1. *ad Timoth.* 1. Miſericordiam Dei conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea; *& peccata fidelium aggravantur propter gratiæ Sacramenta, ſecundum illud Hebr.* 10. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Sanguinem Teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit?

Quoad peccata deliberata Eccleſiaſticorum, & Religioſorum ſpectat, cæteris paribus, graviora illa eſſe ex circumſtantia perſonæ peccantis, laicorum, & ſæcularium peccatis, non minus manifeſtum eſt: quoniam, ut Salvianus ait, *longe magis damnabilis eſt malitia, quam titulus bonitatis accuſat &c. Nomen itaque Eccleſiaſtici, Religioſi ſine actu nihil eſt. Nam quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto?* Hinc Sanctus Bernardus poſt Hieronymum dicere ſolebat, *nugas in ore Sæcularium nugas eſſe, in ore Religioſorum blaſphemias.*

Hæc

Hæc ſerio meditentur omnes tum Chriſtiani, tum præſertim Clerici, ac Religioſi, atque inde colligant, quam graviore pœna punienda ſint in futura vita eorum peccata: quod diſertiſſimis verbis declarat inter alios Magnus Eccleſiæ Doctor S. Joannes Chryſoſtomus *Homil.* 76. alias 75. *in Matth.* dicens: „ Beatus ille David, quando „ cum Berſabee delictum illud commiſit, & per „ Prophetam arguebatur; idcirco vehementius „ accuſabatur: quoniam nimium honoratus a „ Deo, ita ſpurce labebatur. Exprobrationem „ illius audias a Deo: *Nonne*, inquit, *in Re-* „ *gem te unxi*, *& de manu Saulis erui te*, *& quæ* „ *fuerunt Domini tui*, *tibi conceſſi*, *& univerſam* „ *Judæ & Iſraelis domum? Et ſi pauca tibi eſ-* „ *ſent*, *alia quoque tibi adjeciſſem: cur flagitium* „ *hoc feciſti coram me?* Non ſunt quippe eadem „ in omnibus peccatis, ſed multa, variaque „ ſupplicia. Nam & ætate, & educatione, & „ dignitate, & ingenio, & uſu rerum, atque „ prudentia, aliiſque compluribus variantur. „ Verum ut clarius id fiat, in fornicationis deli- „ cto examinetur. Perpende igitur quantam di- „ verſitatem punitionis, non a me, ſed a Di- „ vinis Scripturis comperio. Fornicatus quiſ- „ piam ante legem fuit; alio quodam modo il- „ lum puniri Paulus oſtendit, dicens: *Quicum-* „ *que ſine lege peccaverunt*, *ſine lege peribunt*. „ Item alius poſt legem deliquit, graviora ſu- „ ſtinebit. *Quicumque enim in legem peccarunt*, „ inquit, *per legem judicabuntur*. Lapſus ſimili- „ ter Antiſtes eſt: non parva pœna propter di- „ gnitatem afficietur. Propterea aliæ quidem „ Fornicatrices necabantur: Sacerdotum vero „ filiæ igne cremabantur. Qua ex re quam ma- „ gnus pœnarum cumulus Pontificem expectet „ peccantem, legis Conditor voluit ſignificare. „ Nam ſi filiam ejus atrocius puniri juſſit, quid „ erit de ipſo? Paſſa mulier vim eſt, nullam „ punitionem meretur. Lapſa eſt ſimiliter di- „ ves, & paupertima, quantum interſit, ab his „ patet, quæ modo de David expoſuimus. Poſt „ Adventum Chriſti quidam peccavit, ſi non ini- „ tiatus, neque Catechumenus, moriatur: gra- „ viores illis pœnas daturus eſt. Poſt lavacrum „ delicta admiſit, hic jam nullum erit peccatori „ ſolamen: quod Paulus ſignificat, dicens: *Le-* „ *gem Moyſis aliquis contempſit*, *abſque miſericor-* „ *dia duobus vel tribus teſtibus moritur*; *quan-* „ *to exiſtimatis graviore dignum ſupplicio*, *qui fi-* „ *lium Dei conculcavit*, *& Sanguinem teſtamen-* „ *ti communem putavit*, *in quo ſanctificatus eſt*, „ *& gratiam ſpiritus contumelia affecerit?* Forni- „ catus vero quidam vir ſacer eſt, verticem quip- „ pe fornicationis hæc improbitas tenet, vides „ quam multa variaque diſcrimina in uno pecca- „ to conſiderantur. Aliud ante legem, aliud „ poſt legem; aliud Sacerdotis, aliud ditiſſimæ, „ aliud pauperrimæ, aliud catechumenæ, aliud „ fidelis, filiæque Pontificis. Cæterum magna „ etiam a cognitione differentia naſcitur: *Qui* „ *novit voluntatem Domini ſui*, *& non facit*, *va-* „ *pulabit plagis multis &c.* “. Utinam hæc & alia quæ habet ibidem Sanctus Joannes Chryſoſtomus attento animo perpenderent Chriſti fideles, maximeque qui divino ſervitio mancipati ſunt, profecto ſe ab omni peccato diligentius continerent, ne pœnas graviſſimas, quæ ipſos manent, dum poſt tot Dei beneficia peccant, miſerrime incurrerent.

CAPUT OCTAVUM.

De numerica diſtinctione Peccatorum.

D o c t r i n a.

I. *Unus idemque phyſicus actus plures habere poteſt in eſſe morali malitias numero diſtinctas.*

II. *Peccata numero multiplicantur ex multiplicatione numerica objectorum totalium.*

III. *Exemplis poſita regula declaratur.*

IV. *Falſa eſt quorumdam Authorum opinio, putantium, non multiplicari numero objecta ex multiplicatione perſonarum unius, ejuſdemque familiæ.*

V. *Voluntas peccandi cum exteriore actu conjuncta unum numero peccatum efficit: diſtinctum vero, ſi ab eo opere ſejuncta ſit.*

VI. *Externæ actiones, licet numero diſtinctæ, plura numero peccata non ſunt, dum ad unum actum principalem ordinantur.*

VII. *Peccata, quæ externa actione conſummantur, numero multiplicantur ex multiplicatione actus completi, ſi ad illum ordinantur.*

VIII. *Ex quacumque ceſſatione multiplicantur peccata, quæ conſummantur in mente.*

IX. *Moralis interruptio ſatis eſt ad multiplicanda numero etiam illa peccata, quæ conſummantur opere externo.*

X. *Quibus modis pravi actus moraliter interrumpantur, exponitur.*

I. NEdum *ſpecificæ*, ſed etiam *numericæ* peccatorum diſtinctionis exacta cognitio plane neceſſaria dicenda eſt, ut rectum feratur de peccatoris ſtatu judicium, prout ad Sacramentalem Confeſſionem exigitur, tum ex parte pœnitentis, tum ex parte Confeſſarii juxta Concilii Tridentini Decretum. Quid autem ſit *numerica* peccatorum diſtinctio, ex iis, quæ initio Capitis ſexti dicta ſunt, ſatis manifeſtum eſt. Cum vero hic ſermonem habeamus de actibus moralibus, non in eſſe phyſico, ſed morali conſideratis; illud præmittendum ducimus adverſus quoſdam Neotericos, eumdem pravum actum, ſive peccatum phyſice unum plures numero malitias moraliter complecti poſſe, ac plerumque complecti: quod præter authoritatem Sancti Thomæ id diſerte aſſerentis, pluribus oſtendere facile eſt.

Ac primo quidem certum eſt apud omnes, unum eumdemque actum in eſſe phyſico, ſive naturali plures habere poſſe in eſſe morali *ſpecie* diſtinctas malitias. Cur igitur etiam habere non poterit multiplicem *numero* malitiam? Sicut enim unus phyſice, ac ſimplex voluntatis actus tendere poteſt in plura ſpecie diſtincta objecta in eſſe morali, ex quibus plures *ſpecie* malitias contrahit; ita etiam in plura *numero* ob-

jecta in eſſe morali diſtincta tendere valet, ex quibus numericam diſtinctionem recipiat. Nam unumquodque objectum æque aptum eſt refundere, adeoque æque reipſa refundit malitiam ſuam tam ſpecificam, quam numericam in actum, a quo reſpicitur.

Hoc confirmatur, magiſque explicatur. Nam ſicut unus, idemque phyſice actus ſæpe habet oppoſitionem cum pluribus ſpecie diſtinctis virtutibus; ita ſæpe habet oppoſitionem cum pluribus numero diſtinctis juribus. Sic conjugatus, dum adulterium cum conjugata committit, vel dum uno quis ictu, unoque voluntatis actu plures occidit, plura numero jura lædit. Sed nulla afferri ratio poteſt, cur actus, qui opponitur pluribus numero diſtinctis juribus, minus habeat plures numero malitias, quam plures ſpecie, dum opponitur pluribus ſpecie diſtinctis virtutibus. Igitur &c. Alia non animadverto: ſiquidem tempus terere non præſtat in refellenda opinione plane ſingulari, quæ jam a melioribus quibuſcumque Theologis rejecta, & exploſa eſt.

Poſito igitur, quod etiam in uno, eodemque phyſico actu plures numero malitiæ morales inveniri queant: unde hæc numerica peccatorum diſtinctio repetenda eſt, adeo ut multiplex peccatum cenſeri merito debeat? Qua in quæſtione haud concors eſt Theologorum ſententia; ſed alii ex uno, alii ex alio capite depromendam eſſe contendunt. Quæ nobis certiora, aut veriſimiliora videbuntur, quibuſdam regulis exponemus.

Regula Prima.

Peccata numero multiplicantur ex multiplicatione numerica objectorum totalium.

II. Cum dico *objectorum totalium*, hoc ſenſu intelligo, quod objecta etiam numerice diſtincta non ſe habeant ad modum unius, ita ſcilicet, quod unum non ſit pars alterius, aut omnia unum aliquod totum tamquam partes ejuſdem conſtituant. Si enim e contra res ſe habeat, ita nempe, ut plura quidem ſint objecta, circa quæ verſetur actus voluntatis, ſed quæ reapſe unum totum conflent, adeo ut vel unum ſit pars alterius, vel omnia tamquam plures partes conſtituant unum totum, unum tantum objectum *totale* erit, adeoque & unum tantum numero peccatum; quod exemplis quibuſdam manifeſtius fiet.

III. Siquis itaque uno, eodemque actu tres homines odio habeat, vel interficere velit: ſi una voluntate nolit audire Sacrum tribus diebus dominicis, aut feſtivis, vel tribus diebus jejunare, urgente præcepto; trium peccatorum reus eſt, aut certe unius triplici numerice diſtincta malitia deformis: quia quodlibet ex iis objectis *totale* eſt. Non enim aut unus homo, aut unum Sacrum, aut unum jejunium eſt pars alterius; aut tria illa ſive homicidia, ſive Sacra, ſive jejunia unum totum tamquam partes conſtituunt. Eadem de cauſa qui plures percutit, aut conviciis appetit, aut unica calumnia, vel maledictione plurium honori, vel famæ detrahit; tot reus peccatorum eſt, quot ſunt perſonæ læſæ. Neque enim jus unius in propriam famam, vel honorem, eſt unum numero cum jure alterius. Similiter qui mortem alicui, ac toti ejus familiæ inferre molitur, vel conceptum ſcelus opere perficit, tot reus homicidiorum eſt, quot ſunt homines ad illam familiam pertinentes. Atque ita de cæteris.

E contra vero, quia multæ partes domum unam conſtituunt, oves multæ gregem unum, variæ ſpecies, aut partes pecuniæ ſummam unam, multi libri bibliothecam unam; combuſtio domus unum numero peccatum eſt, deprædatio gregis unum ſimiliter peccatum: idemque dicendum de furto unius ſummæ pecuniæ, aut unius bibliothecæ. Neque numerum partium domus, ovium, ſingulas tritici menſuras, ſpecies ſingulas pecuniæ, numerum librorum in Confeſſione exprimere neceſſe eſt; ſed ſolum damni illati quantitatem, pecuniæ ſummam, gregis, tritici, vel bibliothecæ pretium. Quod tamen ſemper intelligendum eſt, ſi hæ res pertineant ad eumdem Dominum. Nam ſi ad plures Dominos pertinerent, aliter judicandum eſſet: quoniam dominium, ſeu jus unius diverſum numero eſt a dominio, ſeu jure alterius.

IV. Non me quidem latet, quoſdam Authores eſſe, qui putant, etiam qui unico actu plures homines vel odio habet, vel occidit &c., nonniſi unum numero peccatum committere. Verum cum & ipſi fateantur, in Confeſſione declarandum eſſe, quot homines quiſpiam vel odio habuerit, vel occiderit, horum ſententia parum a noſtra quoad rem ipſam diſcrepat. Potius diſcrepat ſententia, quæ Navarro tribuitur, & quam aliqui ſequuntur; nimirum unum numero peccatum eſſe illius, qui toti familiæ pluribus perſonis conſtanti vel malum optat, vel damnum infert: eo quod, ut inquiunt, in jure una familia reputatur tamquam una perſona. Quæ tamen ſententia a vero abludit. Nam quamvis ita *fictione juris* familia tamquam una perſona reputetur; revera tamen perſonæ eam componentes diverſæ inter ſe ſunt: neque tamquam partes, quæ unum totale objectum conflent, ſunt habendæ, cum quælibet jure ſibi proprio gaudeat. Profecto ſi in ea familia aliqui eſſent laici, & alii Clerici; nonne ex hoc *ſpecie* multiplicarentur peccata, ſi quis horum etiam necem intenderet? Cur igitur *numero* quoque non multiplicantur, dum plures perſonæ, ſive plura objecta totalia numerice diverſa multiplicantur?

Regula Secunda.

Si voluntas peccandi cum exteriori actu conjuncta ſit, unum numero peccatum eſt: Si autem ab opere externo ſejuncta, diſtinctum.

V. Ita S. Thomas *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 10., ubi hanc regulam expreſſe docet, inquiens: „ Cum quæritur, utrum voluntas, & actus exterior ſint diverſa peccata, aut intelligitur de „ voluntate conjuncta actui exteriori, aut de vo- „ luntate præcedente. Si de conjuncta, ſic o- „ portet, quod unum peccatum ſit voluntas in- „ terior, & actus exterior .... ſi autem de vo- „ lun-

„ luntate ſeparata, ſic eſt aliud peccatum; quia „ actus voluntatis multiplicantur: quod enim a- „ ctum explet exteriorem, etiam actum volunta- „ tis iterat. Et ideo oportet, quod ſint duo „ peccata non propter diverſitatem actus interio- „ ris, & exterioris, ſed propter diverſitatem duo- „ rum actuum interiorum". Hinc ſiquis oblata occaſione furari velit, & furetur, unum numero committit peccatum: contra vero ſiquis hodie adulterium exequi proponat, ſed illud poſtridie exequatur, pluries peccat.

Regula Tertia.

Externæ actiones, licet numero diſtinctæ, ſi ordinentur ad unum actum principalem, in quo conſummantur, non ſunt plura numero peccata, dum moraliter non interrumpantur.

VI. Exemplum ſit in eo, qui nefariam alium occidendi voluntatem concepit: at ad illam opere complendam plures actiones præmittit, ut parare arma, equum ſternere, viam arripere, locum, ubi degit, perquirere &c., donec tandem inimicum interficiat. Sic qui centum aureos ex. gr. alicui ſurripere propoſuit; & ad hoc plures elicit actiones, & unum etiam poſt alium ſurripit. Ita quoque tactus, oſcula, amplexus impudici, quos aliquis præmittit ad copulam cum fœmina habendam. In his, aliiſque ſimilibus caſibus, quamvis multæ ſint actiones phyſice diverſæ, unum tamen numero peccatum conſtituunt, dummodo actiones illæ non ſint moraliter interruptæ. Atque hæc eſt communis Theologorum ſententia; idemque ex praxi, & ſenſu totius Eccleſiæ colligitur, quæ nunquam cenſuit, hujuſmodi actus neceſſario eſſe in Confeſſione ſingillatim explicandos: unde ſufficit exprimere actum principalem, in quo ſatis intelliguntur.

Regula Quarta.

Peccata, quæ actione externa conſummantur, ſi poſt actus ceſſationem iterentur, nova numero peccata ſunt.

VII. Exemplum communiter afferri ſolet de actibus ſubſequentibus copulam jam completam, ut oſcula, tactus, & ſimilia, quæ poſt illam actionem iterum exercentur. Qua in re ſatis quidem inter ſe conveniunt Doctores, ſimiles actiones novum eſſe, diſtinctumque numero peccatum, ſi fiant voluntate, aut intentione novæ copulæ, vel pollutionis excitandæ, ſive hæc ſequatur, ſive non. Diſſident vero, quoties hujuſmodi actus incunctanter fiunt poſt copulam peractam, ſed non ex intentione novæ copulæ perficiendæ. Et plures quidem novum eſſe numero peccatum negant: alii vero affirmant, quorum mihi probabilior ſententia eſt; quoniam hæ actiones copulam, vel pollutionem ſubſequentes dici non poſſunt partes ejuſdem, utpote jam antea ultimo completæ: nec illam ſequuntur ex natura rei (quia per copulam acquiſito termino, commotio libidinoſa potius quieſcit), ſed ex nova operantis malitia, ſuntque ex natura ſua excitamentum, & inchoatio alterius copulæ, vel pollutionis potius, quam continuatio præcedentis. Sed & ipſi tactus, oſcula, vel amplexus copulam præcedentes exerciti ſine ulla ejuſdem intentione, etſi deinde mutetur voluntas, & copula ſubſequatur, peccatum moraliter ſunt ab illa diſtinctum, diſtincteque in Confeſſione explicandum; quia moraliter tunc interrumpuntur, & ipſi de ſe non ſunt magis diſpoſitiones ad copulam, quam ad ſimplicem pollutionem: aliunde vero ſupponuntur non ordinari tunc ex intentione operantis ad hunc, vel illum actum conſummatum.

Major difficultas videtur eſſe, an oſcula, amplexus, aut tactus hujuſmodi non ulterius relata ſive ad copulam, ſive ad pollutionem, peccata ſint in ſe inſpecta invicem diſtincta; ut e. g. dum quis uno impetu venereo, & una intentione carnalis delectationis tactus ad horam continuata, decem vicibus ſe, vel aliam perſonam impudice tangit, decem peccata committat, vel unum tantum. Eademque difficultas eſt de illo, qui uno, eodemque iræ impetu pluries aliquem percutit, aut plura in eum convicia evomit. Atque ita de aliis ſimilibus. Qua in quæſtione dicendum mihi videtur, hoſce actus, licet quilibet ex ſe unum conſtituere peccatum poſſint, moraliter tamen nonniſi unum numero peccatum eſſe, (niſi tamen ſpecialis in aliquo ex iis actibus interſit deformitas); quia ex communi hominum ſenſu reputantur una moraliter actio, una percuſſio, una locutio: quemadmodum unica moraliter cenſetur comeſtio illius, qui in eodem prandio plura ſucceſſive fercula comedit. Nec eadem ratio eſt plurium vel fornicationum, vel pollutionum, vel occiſionum &c., licet una poſt aliam immediate ſuccedat: quia hæ ſunt actiones totales, & in ſe ipſis completæ, & ex natura ſua habentes definitum terminum, in quo conſummantur; quod de memoratis actibus dici nequit.

Regula Quinta.

Peccata, quæ conſummantur in mente, ex quacumque ceſſatione multiplicantur.

VIII. Exemplum eſt in actibus hæreſis, deſperationis, odii, delectationis moroſæ, & id genus aliis, qui quacumque ceſſatione eorumdem intercedente, ſi denuo eliciuntur, peccata numero diverſa ſunt. Quoniam ſinguli hujuſmodi actus procul dubio ſunt ex ſe peccata; nihilque eſt, in quo uniantur & continuentur, ut unum numero peccatum dici queant. Neque enim uniuntur, aut continuantur in actu, objecto, vel effectu externo, ut ſupponimus; neque in actu interno, cum inter actus internos intercedat aliqua ceſſatio: adeoque ad ſingulos actus nova voluntatis determinatio requiritur, quæ non poteſt non multiplicare peccatum.

Regula Sexta.

Peccata, quæ conſummantur opere externo, multiplicantur, quoties moraliter interrumpuntur.

IX. In hac regula ita generatim propoſita conſentiunt frequentius Doctores. Fatentur ſiquidem, ſatis non eſſe ad multiplicanda numero peccata ſolam *phyſicam* interruptionem; ſed *moralem* neceſſariam definiunt. Verum in quo conſiſtat hæc *moralis* interruptio ad multiplicationem numericam peccatorum neceſſaria, haud plane conveniunt. Quod mihi certius in hac re videtur, & in quo etiam plerique Theologi concordes ſunt, aperio: nimirum, *moraliter* peccata interrumpi, adeoque numero multiplicari 1. per contrariam voluntatem, per quam prior voluntas revocatur; 2. per voluntariam ceſſationem ab actu, dum quis mentem alio voluntarie diſtrahit; 3. per aliquam notabilem moram temporis, quo ceſſatur ab actu. Singulos hoſce moralis interruptionis modos paululum explicare proderit.

X. Et quoad primum quidem attinet, nulla videtur eſſe penes Theologos diſſenſio, multiplicari ſcilicet peccata nedum in ordine ad demeritum, ſed etiam in ordine ad Confeſſionem, quoties aliquis voluntarie pravum actum contraria voluntate revocat, ſive retractat; ac ſubinde, tametſi breviſſimum etiam tempus interponatur, mutata iterum voluntate, eumdem reſumit. Siquidem revocatio illa efficit, ut poſterior actus nullo pacto cum priore coaleſcat in unum moraliter actum; adeoque unus ab alio moraliter ſejungitur. Atque hoc in caſu locum habet ea doctrina Sancti Thomæ, quam tradit 1. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *ad* 3. ubi ſic ait: *Peccatum cordis, & oris non diſtinguuntur a peccato operis, quando ſimul cum eo conjunguntur, ſed prout quodlibet horum per ſe invenitur. Sicut etiam pars motus non diſtinguitur a toto motu, quando motus eſt continuus, ſed ſolum quando motus ſiſtit in medio.* Ex hoc enim, quod prior voluntas pravi operis revocetur, motus ille voluntatis non eſt amplius *continuus*; ſed ſiſtit in medio, a pravis actibus, qui poſtmodum forte ſubſequuntur, omnino ſeparatus.

Atque eadem ratio, eademque S. Thomæ doctrina militat, quoad ſecundum modum ſpectat *moralis interruptionis*; dum nempe quis a priori mala voluntate voluntarie ceſſat, & ad alia vel agenda, vel cogitanda ſe convertit: quæ vocari ſolet *retractatio virtualis* pravi actus, ſicut prior vocatur *formalis*. Ut ſi quis ex. gr., viſa pulchra puella, in ejus concupiſcentiam voluntario feratur, ſed poſtea animo ſuo deliberet, ſe nolle amplius de illa cogitare, ſeque ad aliud cogitandum applicat. Tunc enim, ſi deinde in concupiſcentiam puellæ ejuſdem inardeſcat, novum peccatum committit numero diſtinctum: quia per voluntariam illam ad alia objecta mentis diſtractionem, aut converſionem deponit priorem voluntatem, atque dimittit. Unde, etiamſi breviſſimum tempus inter unam, & alteram tranſeat, nova, quæ ſuccedit, voluntas non eſt cum priore moraliter conjuncta; atque adeo multiplicatur numero peccatum.

Quoad tertium denique modum, præter ea, quæ ſupra diximus de actibus completis, ſeu ex natura ſua conſummatis, qui toties multiplicantur, quoties exercentur; hæc generalis regula tradi ſolet: nimirum, quando inter unum, & alterum actum tantum temporis, aut tale impedimentum interſit, ut prudentum ſenſu dici nequeat, vel quod in aliquo uno vinculo conjungantur, vel quod unius ab altero dependentia intercedat; moraliter interrumpuntur, ita ut multiplicentur numero peccata. Sic, ut exemplo res clara fiat, ſiquis hodierna die propoſitum concipiat occidendi proximum, eamque pravam voluntatem reaſſumat craſtina die, vel poſt plures horas: & ſimiliter ſi quiſpiam veſpere moroſam foveat delectationem, vel odium, atque ita ſomno corripiatur; poſt ſomnum vero eumdem actum proſequens ſive delectationis, ſive odii, ſive alterius criminis, duo peccata committit numero diverſa, ſpecialiter in Confeſſione manifeſtanda: quia ex hac mora temporis, quod intercedit, cenſetur in prudentum æſtimatione, actus illos eſſe moraliter interruptos. Secus vero eadem moralis interruptio haberi minime cenſetur, ſi mora temporis exigua ſit: ut ſiquis mane ad interficiendum inimicum ſuum proficiſcatur, & in itinere ſæpe quidem eam repetat voluntatem; ſed aliquando etiam, ut fieri ſolet, vel de aliis rebus cogitet, vel cum aliquo colloquatur: ſiquidem prima ejus voluntas tunc *moraliter* interrupta non eſt, cum *virtualiter* ſaltem in actione ſuſcepti itineris ad illud facinus exequendum perſeveret. Idemque dicas de illo, qui ex intentione fornicandi ad mulieris domum ſe confert, cum eaque ſermones miſcet modo turpes, modo etiam de rebus aliis indifferentibus, in quibus non parum temporis intercurrat. Atque idem de aliis ſimilibus dicendum eſt.

CAPUT NONUM.

CONSECTARIA.

I. *Audiendi non ſunt, qui controverſiam de multiplicatione numerica peccatorum in ordine ad Confeſſionem haud neceſſariam putant.*

II. *Abſona, & falſa eſt Caramuelis, aliorumque ſententia, quæ ab unitate actus voluntatis unitatem peccati repetendam docet.*

III. *Plura ſunt peccata, quoties plura ſunt objecta totalia, circa quæ tendit unus etiam, & idem voluntatis actus.*

IV. *Unum numero peccatum committit, qui ad furandum ex. gr. plures actiones exercet moraliter non interruptas.*

V. *Si qua tamen in ſerie illarum actionum peculiarem deformitatem afferret, explicanda foret in Confeſſione.*

VI. *Tot peccata committit, quot Confeſſiones audit Sacerdos, in peccato lethali ſuum miniſterium exercens.*

VII.

VII. *Laxa Salmanticenſium, aliorumque opinio quoad res alienas detinentem.*

VIII. *Alia ſimiliter laxa eorumdem ſententia, quoad interruptionem moralem attinet pravorum actuum.*

IX. *Multo magis laxa exiſtimanda eſt opinio illorum, qui docent, nonniſi per actum contrarium interrumpi moraliter actum peccaminoſum.*

X. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui diu in aliquo peccato perſeverantes, pravus actus ita multiplicant, ut eorum numerus iniri nequeat.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PRobanda non eſt ſententia Cardinalis de Lugo, Leandri, & Tamburini, qui putant, in ordine ad Confeſſionem præſentem controverſiam de numerica peccatorum diſtinctione haud eſſe neceſſariam. Satis quippe exiſtimant explicare diſtincte in Confeſſione peccatorum ſpecies, & ſolum confuſe differentiam numericam. Equidem & ego ſentio difficillimum eſſe, imo moraliter impoſſibile in iis, qui vitam ſuam diu in peccatis egerunt, iniri poſſe exactum numerum peccatorum, nedum quæ numerice, ſed etiam quæ ſpecifice diſtincta ſunt. At vero ſi tum ſpecies, tum numerus dignoſci queat, prout ſaltem in quibuſdam haud eſt difficile; cur ſolum confuſe, non autem diſtincte Sacramentali Confeſſioni ſubjicienda erunt? Nonne Tridentina Synodus, quæ declarat, peccata omnia quoad ſpeciem explicanda eſſe, declarat etiam eſſe explicanda quoad numerum? Cur igitur, dum fieri poteſt, conſcientiæ examine accurate præmiſſo, diſtincte explicari non debent?

Conſectarium Secundum.

II. Tamquam abſona, & falſa rejicienda videtur ſequens Caramuelis doctrina *in Reg. S. Bened. diſp.* 62. „ Unitas moralis peccati deſumitur ab „ actu voluntatis. Unde patet eſſe unum pecca„ tum, velle unico actu occidere quatuor homi„ nes. Quia, licet hi ſint plures in genere phy„ ſico, in voluntate tamen ſunt per modum u„ nius. Nam unius actus non datur, niſi unum „ objectum. Quare in ea ſententia, quæ tenet, „ circumſtantias aggravantes non eſſe in Con„ feſſione aperiendas, ſufficeret illi in Confeſſio„ ne dicere: *Volui ſemel occidere*; quia non vo„ luit bis, ut ſupponitur. Quod autem volue„ rit unum, vel quatuor, actum aggravat, ſed „ non multiplicat: & ita ſolum eſt extenſio ma„ terialis “. Eamdem illationem colligit Gabriel a Sancto Vincentio *Diſp.* 8. *de Pœnit. q.* 6. ex numerica, quam exigit, diſtinctione actuum voluntatis ad multiplicanda peccata; ubi addit, unicum numero peccatum committere, qui uno voluntatis actu proponit, non obſervare jejunium per totam Quadrageſimam, aut non recitare canonicas Horas per totum annum. Hujuſmodi doctrina, quæ de medio tollit radicem multiplicationis numericæ peccatorum, ex numerica objectorum multiplicatione deſumptam, pugnat cum communi Theologorum ſententia, adeoque rejicienda, etiamſi alia fundamenta ad illam reprobandam deeſſent.

Conſectarium Tertium.

III. Pro certo itaque tenendum eſt, plura eſſe numero peccata, quoties plura ſunt objecta totalia, circa quæ fertur voluntas, licet unus, & idem ſit ejuſdem actus: adeoque tot eſſe peccata, quot ſunt perſonæ ad unam communitatem pertinentes, quamquam aliquis uno actu extinguere vellet; quot homines, quibus contumelias, maledicta, vel calumnias impingit; quot hominum jura lædit furando, vel aliud quidpiam perpetrando. Quemadmodum etiam quot dies per annum haud recitare decrevit Horas Canonicas, aut jejunium frangere in Quadrageſima. Alia namque numero eſt obligatio, qua tenetur hodie ſive ad Divinum officium, ſive ad jejunium ſervandum, & qua tenetur die ſequenti, cæteriſque diebus. Quare hujuſmodi totalia objecta, licet eodem actu volita, in Confeſſione exprimenda ſunt: nec ſufficit dicere: *Volui occidere, volui furari, non recitare Horas, non jejunare, non audire Sacrum die feſtivo &c.*: quia eadem illa voluntas plures complectitur numero diſtinctas malitias.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui furari decernit, & ea voluntate concepta, ſtatim ad furtum exequendum iter agit, ſcalam admovet, eam conſcendit, domum ingreditur, ſcrutatur arcam, quod invenit, furatur; unum numero peccatum commiſiſſe cenſetur, quamvis in tota illa actionum ſerie furandi voluntatem pluries iteraverit: quia ſingulæ illæ volitiones unus moraliter actus reputantur, cum prima furti volitio in omnibus illis actionibus virtualiter perſeveret.

Conſectarium Quintum.

V. Siquæ tamen eſſent in ſerie actionum, quæ ad unum finem, aut ad unum objectum completum ordinantur, quæ ſpecialem aliquam deformitatem, aut malitiam continerent ex alio capite, vel circumſtantia; puta ſiquis ſive ad furandum, ſive ad occidendum aliorum opera uteretur, aut res, quam ſurripit, aut perſona, quam occidit, aut occidere molitur, ſacra foret &c.: eo in caſu hoc eſſet in Confeſſione explicandum; quia ſpecialem tunc malitiam contrahunt. Et idem dicendum, ſi ad explendam libidinem ſuam medium aliquod adhiberet admodum turpe, & rationi valde repugnans.

Conſectarium Sextum.

VI. Confeſſarius in peccato lethali miniſterium ſuum exercens tot peccata committit, quot audit confeſſiones. Id equidem plures negant apud Leandrum, ut Lugo, Eſcobarius, Tamburinus, Diana, aliique huic motivo præſertim ini-

nixi; quia licet multiplicentur Confeſſiones, & abſolutiones, unum tamen moraliter judicium exercere cenſetur, adeoque etiam unum tantum peccatum committere. At perperam hoc ſibi perſuadent. Sunt enim Sacramenta, quæ adminiſtrat, Confeſſiones audiendo, & abſolvendo, objecta totalia diverſa: nihilque eſt, cur dici debeant in hoc caſu unum numero Sacramentale judicium, & peccatum potius, quam una numero fornicatio, unumque peccatum, dum quis integra nocte cum pluribus mulierculis commiſcetur. Nam in utroque habetur multiplex actio in ordine ſuo completa, & conſummata, quæ, ut diximus, numericam peccatorum multiplicationem inducit.

Conſectarium Septimum.

VII. Laxa exiſtimanda eſt ſequens PP. Salmanticenſium opinio, quam tradunt *tract.* 20. *c.* 12. *punct.* 5. „ Qui ſtatuit non reſtituere rem alie„ nam, ſi non retractat efficaciter voluntatem, „ unicum peccatum committit, etſi *per unum an„ num* in ea voluntate perſiſtat, *pluries idem pro„ poſitum repetat*, imo *etſi interim offerantur oc„ caſiones reſtituendi*, vel alienetur, aut conſu„ matur res, aut debitor impotens reddatur ad „ reſtituendum, aut ſomno ſe tradat, vel ad alia „ diſtrahatur“. Hæc, inquam, ſententia, pro qua laudant Lugo, Dianam, Trullenchum, Vaſquez, aliosque, *laxa* mihi eſt, omnibuſque videri debet, qui conſtitutam jam doctrinam conſiderant. Quis enim non videat multiplicari numero peccata ab eo, qui pravas multiplicat per annum non reſtituendi voluntates, dum *pluries propoſitum* illud *repetit*; dum *oblata occaſione* cogitatio ſuæ obligationis menti occurrit, eamque nihilominus abs ſe repellit, & in perverſo rem alienam detinendi propoſito ſe amplius confirmat?

Conſectarium Octavum.

VIII. Non minus *laxam* puto aliam eorumdem Salmanticenſium doctrinam, quam habent *ibid. n.* 46., aliique ſequuntur, nimirum: „ Siquis in„ tendens occidere inimicum arma præparat, vi„ am carpit, Salmanticam ad hoc venit, *&* *per* „ *multos dies* inimicum quærit, & tandem occi„ dit, etſi pluries repetat prædictam intentionem, „ unum peccatum committit: & ſatisfacit præ„ cepto Confeſſionis dicendo, ſe homicidium „ perpetraſſe, quin ſit neceſſarium exprimere, „ quo tempore duravit in illa prava voluntate, „ & quoties eam inculcavit“. Cum enim, ut ajunt, *per multos dies* inimicum ad occidendum quærat, non poteſt non moraliter interrumpi nefaria voluntas, adeoque non multiplicari numero peccata.

Conſectarium Nonum.

IX. Multo magis laxa credenda eſt ſententia, quam aliqui apud Leandrum docent, ſcilicet nonniſi per actum contrarium, quo concepta voluntas peccati revocatur, aut retractatur, interrumpi moraliter actum, adeoque multiplicari peccata. Quam ſententiam ultro amplectitur P. Tamburinus *lib.* 2. *exped. Confeſ. Cap.* 1., probatque ex eo, quod ceſſante actuum interruptione per actum contrarium, omnes actus, ſive multi, ſive pauci moralem unitatem deſumant a permanentia, ſive continuatione habituali prioris malæ voluntatis. Verum præter abſurda, quæ ex hac ſententia ſequuntur, cum permanentia habitualis ſatis non ſit, ut quis continuo peccare cenſeatur, etiam dum dormit, vel in aliis negotiis ſeſe voluntarie occupat, ac animum diſtrahit; ſatis quoque non eſt, ut omnes pravi actus, quos interim elicit, non ſint moraliter interrupti, ſed unum numero peccatum conficiant: quemadmodum diximus de illo, qui ex voluntate occidendi inimicum plura peragit, pluresque actus moraliter continuatos exercet, donec tandem illum interficiat.

Conſectarium Decimum.

X. Quoniam vero ſæpe contingit, ut numerus actuum, qui moraliter interrumpuntur, atque adeo peccatorum, quæ numero multiplicantur, iniri nequeat, ab iis præſertim, qui diu perſeverant in peccato; idcirco hæc regula communiter traditur tum pro Confeſſariis, tum pro Pœnitentibus, ut ſcilicet in Confeſſione moram ſaltem temporis exponant, quo in eo peccato permanſerunt; ut ex. gr. *Perſeveravi per annum, per menſem, per hebdomadam in odio erga unum, vel plures; in voluntate occidendi hunc, aut aliquos; in deſiderio fruendi hac, aut illa muliere &c. Et hoſce actus interea ſæpe, vel raro iteravi.* Tunc enim numerus peccatorum declaratur eo modo, quo moraliter fieri poteſt; & Confeſſarius pœnitentis peccata in tali mora comprehenſa, ejuſque ſtatum ſaltem confuſe cognoſcit.

REFLEXIO.

Peccata quis intelligit? ajebat olim Regius Propheta, e veſtigio ſubdens profuſis lacrymis ad Deum converſus: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Difficillima plane eſt, ac homini mortali ferme impoſſibilis accurata, atque diſtincta peccatorum quæ committit cognitio, ſive ſpecies eorum conſideres, ſive gravitatem; ſive etiam, multoque magis, numerum eorumdem: illudque fateri omnibus neceſſum eſt, longe plurima eſſe, quæ nos penitus latent, quæque nonniſi in extremo Judicii die manifeſta fient. Unde & omnes exclament oportet cum eodem Propheta: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Verum, unde tanta in iis, ſin omnibus, ſaltem pluribus cognoſcendis difficultas originem potiſſimum trahit? Non ſum equidem neſcius, nec profecto diffiteri velim, inſitas hominibus tenebras, quas primigeniæ culpæ labes adauxit, cauſam hujuſce ignorantiæ, in qua verſamur, eſſe præcipuam. Sed dicam præterea, &, quantum

tum equidem arbitror, veriſſime dicam, ex culpa noſtra plerumque oriri, quod peccata ipſa, quæ in dies committimus, eorumque numerum, & qualitatem non agnoſcamus. Hoc certe in dubium revocare minime licet, dum communem in hujus ſæculi præſertim hominibus vivendi rationem paululum contemplamur. Ii ſiquidem, tametſi ſe Chriſti Diſcipulos eſſe glorientur, nihil minus, quam ejus doctrinam præ oculis habent; mundi negotiis, & affectionibus ſolum implicati, atque diſtenti, cuſtodiam prorſus negligunt cordis ſui, divinæ legis præcepta nunquam meditantur, Chriſtianæ profeſſionis ſpiritum aſſequi, & proprii ſtatus onera perpendere ſerio non curant; quid quotidie agant, quid loquantur, quid mente revolvant, minime cogitant, ac ſalutare conſcientiæ examen omnino prætermittunt; atque has, ſimileſque exercitationes, cuicumque Chriſtiano ad abigendas ignorantiæ propriæ tenebras plane neceſſarias penitus derelinquunt, ac tamquam ſibi minus congruas eſſe, & ad Religioſos, & Solitarios unice pertinere arbitrantur. Quid itaque mirum, ſi delicta, in quæ frequenter incurrunt, non agnoſcant, non intelligant? Et cum aliquando ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, ut peccata ſua Sacerdoti detegant, præmiſſa etiam conſcientiæ diſcuſſione, vix unius, aut alterius ex craſſioribus flagitiis reminiſcantur? *Si quantalibet*, ut inquit S. Auguſtinus lib. de perfect. juſt., *ſit præditus homo juſtitia, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum; cum Rex juſtus ſederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non poſſunt*; quid cogitandum, quid non metuendum eſt iis, qui Mundi curis intenti vix prima Chriſtianæ juſtitiæ rudimenta noverunt? qui explendis cupiditatibus ſuis continenter indulgent? qui ſuperbia, ambitione, odio, concupiſcentia intrinſecus ardent, extrinſecus autem Mundi præſtigiis, carnis blandimentis, pravis hominum exemplis, Dæmonum fraudibus, & machinationibus uſquequaque obſidentur? Nonne conſequens eſt, ut dum nunquam, aut fere nunquam res animæ ſuæ diſcutiunt, dum greſſus ſuos vix, ac ne vix quidem accurate conſiderant, dum ad Deum fontem æternæ lucis, ut tenebras ignorantiæ ſuæ diſſipet, non confugiunt; in plura frequenter labantur peccata, quæ oculos ipſorum fugiant; quorumque conſcientia gravatur, quin pondus, quo plane opprimuntur, præſentiant?

Quid igitur? Quicumque es, pie Lector, qui ſincero æternæ ſalutis tuæ deſiderio flagras; illud animadvertere ſerio debes, ut, in quibus delinquis adverſus legem, agnoſcas; ne in ſupremi Judicis tribunali quidpiam inveniatur vere culpandum, quod interim ipſe non perſpicis. Scrutare identidem vias tuas; ad examen ſæpe revoca, quid agas, quid cogites, quid omittas, dum ex præcepto implere teneris. Conſidera, quibus oneribus ex ſtatu, & officio tuo obſtrictus es: perpende, quid a te Deus requirat; quænam aliis præbes virtutum exempla; quid proximo tuo debeas, aut in quo ipſum offendas, aut cauſam peccandi tribuas: eaſque præſertim noxas animo collige, quæ cum minus ſenſus feriant, magis oculis mentis abditæ ſunt, ut omnia peccata tua pœnitentia deleas. Si hæc etenim accurate perficias, & nihilominus quidpiam occultum ſuperſit, quod ipſe non cernas, tota fiducia ad miſericordiarum Patrem clamare cum Propheta poteris: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Peccato Mortali, & Veniali, & utriuſque diſtinctione.

D o c t r i n a.

I. *Admittenda omnino ſunt peccata, quorum alia mortalia ſunt, alia autem venialia.*
II. *Quæſtio de diſtinguendis peccatis mortalibus a venialibus ardua admodum viſa eſt S. Auguſtino, omnibuſque videri debet.*
III. *Regulæ quædam ad hæc diſcernenda præfiniuntur. Regula prima ex locutionibus Sacræ Scripturæ, quibus utraque deſignantur.*
IV. *Regula ſecunda. Conſenſus Eccleſiæ Patrum, aut graviorum Theologorum.*
V. *Regula tertia. Peccata, quæ repugnant charitati Dei, vel proximi, aut illam graviter lædunt, mortalia ſunt: quæ leviter, venialia.*
VI. *Regula quarta. In judicio de peccatorum gravitate, aut levitate non eſt attendenda hominum conſuetudo, aut opinio.*
VII. *Regula quinta. Ex parte agentis ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio.*
VIII. *Regula Sexta. Materiæ parvitas, ubi ea admitti poteſt, excuſat a gravi culpa, etiam in peccatis ex genere ſuo mortalibus.*
IX. *Ex regulis conſtitutis colligitur, quibus modis peccata ex genere ſuo mortalia fieri poſſunt quandoque venialia.*
X. *Peccatum veniale dupliciter ad mortale diſponit; directe ſcilicet, & indirecte.*
XI. *Plura venialia peccata nunquam ex ſe efficiunt unum mortale.*
XII. *Pluribus tamen modis, quod eſt de ſe veniale, fieri poteſt peccatum mortale; 1. ex errore conſcientiæ; 2. ratione finis, in quem dirigitur.*
XIII. 3. *Ratione affectus graviter inordinati.*
XIV. 2. *Ob grave damnum, quod inde proximo ſequuturum prævidetur.*
XV. 5. *Propter Legis, aut Legislatoris contemptum.*
XVI. 6. *Ob probabile periculum incidendi in peccatum mortale.*

§. I.

Quæſtio de diſtinctione peccati mortalis a veniali pluribus regulis definitur.

I. Admittenda eſſe peccata, quorum alia *mortalia* ſunt; quæ nempe animæ mortem afferunt per divinæ gratiæ privationem, & pœnæ ætet-

æternæ reatum inducunt: alia autem *venialia*, quæ cum vita animæ, gratia ſcilicet, ſociari poſſunt, veniamque a Deo facile merentur; veritas catholica eſt apertiſſimis Scripturæ authoritatibus innixa, perpetua Sanctorum Patrum doctrina tradita, & a Sacris Conciliis definita. Et de mortalibus quidem ſæpe mentio fit in Scripturis, dum memorantur peccata, quæ excludunt a Regno Dei, vel quibus æterni ignis gehennam Deus comminatur: venialia vero colligit Sanctus Auguſtinus cum aliis Patribus tum ex illis verbis Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra*; tum ex illo 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus* &c. tum ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 1. *Si quis autem ſuperædificat ligna, ferrum, ſtipulam, ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Colligit etiam S. Hieronymus ex illo Proverb. 27. *Septies cadet juſtus, & reſurget: impii autem corruent in malum.* Ubi diſerte dicitur juſtum cadere, neque tamen juſtitiam amittere; nec corruere in malum, ideſt peccatum mortale, ſicut impios: *Quomodo*, inquit, *juſtus appellatur qui cadere, ideſt peccare memoratur, niſi quia de levibus, quotidianiſque loquitur peccatis?* Atque hæc ſemper fuit Eccleſiæ Catholicæ fides, quæ ſemper docuit, & credidit, alia eſſe peccata mortalia, ſive ita gravia, ut a Regno Dei excludant; alia venialia, ſeu levia, quæ hunc effectum non inferunt, licet pœnam aliquam mereantur.

II. At vero quænam dicenda ſunt peccata mortalia, ſive ita gravia, ut excludant hominem a Regno Dei; quænam levia, ut non excludant? Ardua ſane quæſtio, quam nec ipſe Doctorum Aquila Auguſtinus ſe definire certo poſſe ingenue faſſus eſt. *Quis ſit iſte modus*, ſcribit ille lib. 21. de Civ. cap. ult., *& quæ ſint iſta peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, definire periculoſiſſimum. Ego certe uſque ad hoc tempus, cum ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* Et rurſus in Ench. c. 78. & 79. *Quæ ſint levia, & gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio . . . . Sunt autem quædam, quæ leviſſima judicarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri ſuo*, fatue, *reum gehennæ putaret, niſi veritas diceret:* reus erit gehennæ ignis? *Aut quis exiſtimaret, quam magnum ſit peccatum dies obſervare, & annos, & menſes, & tempora, ſicut obſervant, qui certis diebus, ſive menſibus volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum vanam doctrinam hominum fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora; niſi hujus mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait:* Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis? S. Auguſtino ſubſcribit Doctor Angelicus *q. 9. art.* 15. ea vulgata ſententia: *Quoties nempe de peccato mortali agitur, periculoſe quæſtionem determinari, niſi veritas expreſſa habeatur*, quæ tamen, ſaltem in multis, expreſſa non habetur. Ut igitur in valde ſalebroſo itinere pedem tuto, quoad fieri poteſt, figamus, prælucente SS. Patrum, maximeque S. Thomæ doctrina, quaſdam regulas præfinire præſtat.

Regula Prima.

Peccata, quæ a ſacra Scriptura dicuntur eſſe execranda, abominabilia, Deo exoſa, excludere a Regno Dei, eſſe digna morte &c. mortalia ſunt: quæ autem mitioribus vocabulis appellantur, venialia.

III. Hæc regula probanda non eſt, ſed exemplis ſolum explicanda. Ex locutionibus namque divinarum Scripturarum certo colligere poſſumus, ac debemus divinum de qualitate peccatorum judicium, quod infallibile eſt, nullique errori ſubjectum. Itaque exempla prioris generis ſunt Levit. 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Prov. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes, linguam mendacem, manum effundentem innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Iſai. 5. *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis . . . . Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam &c. . . . Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras &c. . . . Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes . . . Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum &c. . . . qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* Ezech. 18. de homine contriſtante egenum, & pauperem, uxorem proximi ſui polluente, aut bona rapiente, pignus non reddente, ad idola oculos ſuos levante, abominationem faciente, ad uſuram dante, & amplius accipiente &c. Deus ita decernit: *Non vivet.* Cum *univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.* Aliæ plures ſimiles locutiones in Veteri Teſtamento habentur, quæ paſſim proſtant.

Ex Novo autem Teſtamento aliqua tantum innuam, quæ leguntur Epiſtolis D. Pauli. Ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes &c. Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

I. ad Corinth. 6. „ An neſcitis, quia iniqui „ Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: „ neque fornicarii, neque idolis ſervientes, ne„ que adulteri, neque molles, neque maſculo„ rum concubitores, neque fures, neque ava„ ri, neque ebrioſi, neque maledici, neque ra„ paces Regnum Dei poſſidebunt". Et ad Galat. 5. „ Manifeſta ſunt opera carnis, quæ „ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia,

„ lu-

„ luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimici-„ tiæ, contentiones, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, „ invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, „ & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut præ-„ dixi. Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei „ non conſequentur.

Poſterioris generis exempla habemus Proverb. cap. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*, ſcilicet veniale. Matth. 12. *Omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* 1. ad Corinth. 7. de iis, qui accedunt ad propriam uxorem non cauſa procreandi liberos, Apoſtolus ait: *Revertimini in idipſum &c. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam.* Ex quibus locis conſtat, multiloquium, verbum otioſum, acceſſum ad propriam uxorem ſola delectationis cauſa, non vero ſuſcipiendæ prolis, peccata quidem eſſe, ſed leviora, ac venialia; ut ex Scriptura mitius de ipſis loquente ſatis colligitur.

Regula Secunda.

IV. *Peccata, quæ vel Eccleſiæ Patres, vel Theologi doctrina, ac pietate inſignes unanimiter docent eſſe mortalia, ita reputanda ſunt: venialia autem, quæ ab iiſdem venialium loco habentur.*

Sicut Patres in aliquo dogmate Fidei conſentientes teſtes ſunt Divinæ Traditionis, quæ non minorem habet, quam Scriptura Sacra, authoritatem; ita etiam, dum conveniunt in tradenda aliqua morum regula, vel definienda gravitate, aut levitate alicujus peccati. Quare in quæſtionibus moralibus non minus, quam in Fidei controverſiis operam dare Theologus debet, *ut collatas*, quemadmodum ait Vincentius Lirinenſis in Common. *inter ſe majorum conſulat, interrogetque ſententias eorum duntaxat, qui diverſis licet temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, Magiſtri probabiles* (hoc eſt digni approbatione) *extiterunt; & quidquid non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum.*

Horum Patrum doctrinam in hoc argumento tradiderunt, qui ſubinde ſequuti ſunt Theologi plures pietate, ac doctrina præcellentes, quos inter eminet S. Thomas; atque adeo eorum authoritas, quoties conveniunt in judicio de peccato mortali, & veniali, veluti certa regula ita ſuſcipienda eſt, ut qui ab iis diſceſſerint, ſummæ temeritatis notam non effugiant. Quapropter peccatum mortale, aut veniale duntaxat eſſe, dubitare nefas, quod Theologi omnes, aut certe graviores plurimi tum pietate, tum doctrina inſignes, maximeque Sanctus Thomas inter peccata mortalia, aut venialia recenſent.

Regula Tertia.

V. *Peccata, quæ repugnant charitati, ſive quæ graviter lædunt charitatem Dei, vel proximi, ſunt ex ſe mortalia: quæ autem leviter, venialia,*

Lucem non modicam huic regulæ affert doctrina S. Thomæ, quam habet *p.* 2. *q.* 88. *art.* 2. ubi quærit: *Utrum peccatum mortale, & veniale differant genere;* atque ita inter alia reſpondet: „ Cum voluntas fertur in aliquid, quod ſecundum ſe *repugnat charitati*, per quam homo ordinatur in ultimum finem; illud peccatum ex „ ſuo objecto habet, quod ſit *mortale*. Unde eſt „ mortale *ex genere*, ſive ſit contra dilectionem „ Dei, ſicut blaſphemia, perjurium, & hujuſmodi; ſive contra dilectionem proximi, ſicut „ homicidium, adulterium, & ſimilia. Unde hu-„ juſmodi ſunt peccata mortalia ex ſuo genere. „ Quandoque vero voluntas peccantis fertur in „ id, quod in ſe continet quamdam inordinatio-„ nem; non tamen contrariatur dilectioni Dei, „ & proximi, ſicut verbum otioſum, riſus ſu-„ perfluus, & alia hujuſmodi. Et talia ſunt pec-„ cata venialia ex ſuo genere.

Id confirmat de peccato mortali loquens in reſp. ad 1., cum dicit: *Ex hoc ipſo, quod aliquis eligit id, quod repugnat divinæ charitati, convincitur præferre illud charitati divinæ, & per conſequens plus amare ipſum, quam Deum. Et ideo aliqua peccata ex genere, quæ de ſe repugnant charitati, habent, quod aliquid eligatur ſupra Deum; & ſic ſunt ex genere ſuo mortalia.*

Quoad peccatum autem veniale attinet, *q.* 87. *art.* 5. hæc habet: *Manifeſtum eſt, quod in quibuſdam peccatis eſt quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem* (ſive charitatem, per quam homo unitur ultimo fini Deo) *: ſed ſolum circa ea, quæ ſunt ad finem, in quantum plus, vel minus debite eis intenditur, ſalvato tamen ordine ad ultimum finem; puta, cum homo, etſi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo. Unde hujuſmodi peccatis non debetur pœna æterna, ſed temporalis*; ſive venialia ſunt. Ex quibus pronum eſt colligere poſitam regulam: quod nempe mortalia dicenda ſint ea peccata, quæ repugnant charitati Dei, vel proximi, ſive quæ Deum, vel proximum graviter lædunt, quæ vero non repugnant, venialia duntaxat.

Regula Quarta.

VI. *In judicio de peccatis mortalibus, & venialibus non eſt habenda ratio conſuetudinis hominum, ſed legis ſive naturalis, ſive poſitivæ.*

De hac regula mentionem fecimus in Tract. *de Legibus*. Verum hic quoque afferenda, & confirmanda eſt. Nam, ut ſcribit S. Auguſtinus *cap.* 80. *Enchir.* „ peccata quædam, quamvis magna, „ & hor-

„ & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, „ aut parva, aut nulla eſſe creduntur, ut non ſolum non occultanda, verum etiam prædicanda, „ ac diffamanda videantur, quando, ſicut ſcriptum „ eſt: *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ; „ & qui iniqua gerit, benedicitur*... Ita multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut „ pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare... Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata „ exhorreſcimus: uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei Sanguis effuſus eſt, quamvis tam „ magna ſint, ut omnino claudi contra ſe faciant „ regnum Dei &c. “

Idem habet *lib.* 3. *contr. Epiſt. Parmen. cap.* 11. inquiens: „ An forte parva ſunt iſta crimina, & „ parvi æſtimanda? Solent enim iſti etiam hoc „ dicere, penſantes ea non in ſtatera æqua Divinarum Scripturarum, ſed in ſtatera doloſa conſuetudinum ſuarum. Quidquid enim ſceleris, & „ iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Sed ideo ſunt tamquam ſinceriſſimum ſpeculum propoſita hominibus oracula cæleſtium paginarum, ut ibi quiſque videat, quodlibet peccatum quantum ſit, quod forte magnum eſt, & male viventium cæco more „ contemnitur “.

Profecto quod æterna Dei lege vel præcipitur, vel prohibetur, ſtabile, conſtans, & immutabile eſt: quod in divino judicio grave peccatum eſt, grave ſemper erit, quidquid aliter judicent homines; nec mos, aut conſuetudo adverſus ipſum præſcribere unquam poterit. Unde concludit S. Bonaventura *Opuſc. de Proceſſu Relig.* c. 28.: *Cum Deo diſputare velle, ſtultum eſt, & quaſi velle convincere eum, ut non debeat judicare, hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua exiſtimatio eſt regula juſtitiæ infallibilis; non noſtra anguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus. Solis radius nunquam facit angulum, ſemper directe in oppoſita ſibi ferit, ſive nobis appareat, ſive aliter exiſtimemus.*

Regula Quinta.

Si conſideretur peccatum ex parte agentis, ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio.

VII. Ita D. Thomas *q.* 74. *art.* 6. ubi docet, „ Dupliciter contingere, peccatum eſſe in ratione. Uno modo, quando imperat illicitas paſſiones, ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio „ modo, quando non reprimit illicitum paſſionis „ motum; ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, „ & ipſum non expellit “. Et *ad* 3. „ Delectatio dicitur moroſa non ex mora temporis, ſed „ ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, tenens, ac volvens libenter, quæ ſtatim, „ ut attigerunt animum, reſpui debuerunt “. Ratio vero eſt, quia motus animi noſtri in tantum ſunt culpabiles, in quantum ſunt voluntarii: in tantum autem ſunt perfecte voluntarii, in quantum ſunt deliberati. Porro ad peccatum mortale, quod eſt peccatum perfectum, requiritur perfectum voluntarium: adeoque ad peccatum mortale requiritur perfecta circa objectum deliberatio. Ubi vero perfecta deliberatio non eſt, ſed imperfecta, ut contingit in ſemidormientibus, & in ſubitis motibus, peccatum veniale erit, licet materia gravis de ſe fuerit, *ex imperfectione actus*, ut ſæpe ait S. Thomas, & expreſſe tradit hoc eodem *art.* 2. *quæſt.* 88. dicens: *Ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale; propter hoc ſcilicet, quod actus eſt imperfectus, ideſt non deliberatus ratione, quæ eſt principium proprium mali actus, ſicut ſupra dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis.*

Cum autem deliberatio non poſſit eſſe ſine advertentia, ideo hanc quoque requiri ad peccatum mortale dicendum eſt. Illud tamen ad memoriam revocandum, quod fuſe alibi probavimus adverſus nuperos laxiores Theologos; non exigi ad peccatum mortale deliberationem, vel advertentiam formalem, aut actualem ad malitiam actus, ſed ſufficere virtualem, vel interpretativam, ſive, ut eam vocat Sanctus Thomas, *indirectam*; in eo poſitam, quod *quis poſſit, ac teneatur advertere, nec advertat*: tunc enim habetur voluntarium *indirectum*, quod ſatis eſt ad peccandum etiam lethaliter. Hinc etiam, tametſi ad peccatum mortale requiratur conſenſus voluntatis, neceſſe tamen non eſt, ut ſit *formalis*, aut *directus*; ſed ſatis eſt *virtualis*, aut *indirectus*, quod nempe voluntas non repellat malum, cum illud poſſet, ac deberet repellere. Audiamus S. Thomam *in diſp. quæſt.* 15. *de verit. art.* 4. *ad* 10. ita de hac re diſſerentem. „ Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet „ interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat. „ Sed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente; „ utpote cum percipit homo, ſe totaliter per „ hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire. Et tunc peccatum „ ad rationem transfertur per ejus actum; quia „ agere, & non agere, cum quis agere debet, „ ad idem genus actus reducuntur, ſecundum „ quod peccatum omiſſionis ad peccatum actus „ reducitur “.

Regula Sexta.

Materiæ parvitas in peccatis ex ſuo genere mortalibus excuſat a peccato mortali; ſi tamen peccati objectum materiæ parvitatem admittat.

Ratio eſt; quia, ſicut peccatum mortale non eſt ſine plena deliberatione voluntatis, ita nec conſtat ſine gravitate materiæ. Sic quamvis furtum, detractio &c. ex genere ſuo mortalia peccata ſint; non tamen peccat aliquis niſi venialiter, ſi furti, vel detractionis materia levis ſit; ut ſi pomum

mum ſurripiat, aut detractio nonniſi leve damnum proximo inferat. Atque ita generatim in iis peccatis, in quibus datur materiæ parvitas, aut levitas, hæc a gravi culpa excuſat.

Subjeci tamen: *Si objectum peccati materiæ parvitatem admittat*. Quædam namque ſunt, in quibus materiæ parvitas locum non habet. Unde Theologi concorditer docent, eam non haberi in peccatis, quæ Deum, vel Religionem immediate ſpectant, cujuſmodi ſunt infidelitas, deſperatio, idololatria, blaſphemia, odium Dei, perjurium, invocatio Dæmonum, ſimonia &c. Hæc enim peccata, licet levis materia videantur, integram in Divinam Majeſtatem irreverentiam in ſe continent; immo tantum abeſt, ut ex levitate materiæ eorumdem gravitas minuatur, ut potius aliquando ex illa peccati gravitas creſcat, ut patet in eo, qui pro re leviſſimi momenti, puta pro aſſe, pro pomo pejerat, blaſphemat, ſe Dæmoni devovet; meritoque ab Innocentio XI. damnata fuit illa propoſitio: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*. Communis etiam celebriorum Theologorum ſententia eſt, in peccatis luxuriæ, ut ut ſpeculative dari queat, in praxi nunquam dari materiæ parvitatem, ſi plena ſit voluntatis deliberatio. Luxuries enim, inquiunt, quantumvis exigua, dum plena eligitur voluntate, ob effrænem concupiſcentiæ impetum vehementer voluntatem pertrahit ad conſenſum actus completi; adeoque ubi accedat plena deliberatio, nunquam luxuriæ actibus, quantumvis levibus homo conſentit ſine gravi peccato. Hinc damnata eſt ab Alexandro VII. ſequens propoſitio: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, tantum eſſe veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Sed de re hac alibi fortaſſe.

§. II.

Quibus modis peccatum ex genere ſuo mortale, veniale fiat: & e converſo.

IX. Satis exploratum eſt ex iis, quæ diximus, illud eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, quod charitati repugnat, quæ eſt vitæ ſpiritualis principium; atque adeo in ſeipſo conſideratum, abſque adventu malitiæ alterius ſpeciei, mortale eſt, ut infidelitas, furtum &c. Illud autem peccatum eſſe ex genere ſuo veniale, quod cum charitate non pugnat; adeoque in ſe ipſo duntaxat inſpectum, abſque adventu malitiæ alterius ſpeciei, nunquam ad mortale pertingit, ut mendacium jocoſum, riſus ſuperfluus &c.

Hoc poſito, jam patet ex regulis conſtitutis, tribus modis illud, quod peccatum eſt ex genere ſuo mortale, fieri poſſe veniale, nimirum ratione parvitatis materiæ in iis, quæ hujuſmodi parvitatem admittunt, ut furtum unius aſſis homini diviti: ſecundo ob imperfectionem actus, *quia*, ut ait S. Thomas art. 6., *non perfecte pertingit ad rationem actus moralis*; quod dupliciter poteſt contingere, ſcilicet propter defectum plenæ advertentiæ, ut cum aliquis haud plene advertit objectum, circa quod actio verſatur, & propter defectum perfectæ deliberationis: quæ duo in unum redeunt: unde idem Sanctus Thomas de ſola imperfecta deliberatione mentionem facit.

X. At plures modi ſunt, ſive capita, ex quibus peccatum, quod eſt de ſe veniale, mortale evadit. Sed antequam hæc capita aſſignemus, præmittenda eſt doctrina, quam tradit Doctor Angelicus tertio, & quarto articulo hujus *q.* 88. Primum itaque docet, quomodo peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale. Duplicem porro diſpoſitionem diſtinguit, aliam *directam*, ſicut calor eſt diſpoſitio ad ignem; aliam *indirectam*, ſicut removens columnam, quæ lapidem ſuſtentat, diſponit ad caſum lapidis. Itaque reſolvit, equidem peccatum veniale ex genere ſuo *primo*, & *per ſe* non diſponere *directe* ad mortale ex genere, quia differunt ſpecie; poſſe tamen hoc modo diſponere *per quamdam conſequentiam ad peccatum, quod eſt mortale ex parte agentis. Augmentata enim*, inquit, *diſpoſitione, vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum poteſt libido peccandi creſcere, quod ille, qui peccat, finem ſuum conſtituat in peccato veniali . . . . Et ſic multoties peccando venialiter, diſponetur ad peccatum mortale*.

Quod ſi ſermo ſit de diſpoſitione *indirecta*, tunc peccatum etiam ex genere ſuo veniale diſponit ad peccatum pariter ex genere mortale: ſiquidem qui aſſueſcit in minoribus non ſubjicere voluntatem ſuam ordini divino, paulatim ad hoc diſponitur, ut eam non ſubjiciat ordini finis ultimi. Deinde peccata venialia minuunt fervorem charitatis, & obicem apponunt divinis illuſtrationibus, & auxiliis, quibus indigemus, ut reſiſtamus iis, quæ nos in peccata lethalia inducunt. Unde Eccleſiaſt. 19. dicitur: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*, in peccatum ſcilicet mortale.

XI. Hoc præmiſſo, pergit Præceptor Angelicus *art.* 4. ad elucidandam quæſtionem, *utrum peccatum veniale poſſit fieri mortale?* quæ, cum non uno in ſenſu intelligi queat, idcirco prius illud cum eodem conſtituo, peccata venialia, quantumvis multiplicentur, nunquam efficere poſſe unum mortale, ita ſcilicet, ut ex pluribus venialibus tamquam ex quibuſdam partibus conſletur mortale, ſive ut ipſa venialia magno numero multiplicata æquipolleant vel quoad malitiam, vel quoad reatum uni mortali. *Non enim*, inquit S. Thomas, *omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale; quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ; peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis. Patet etiam ex parte pœnæ damni; quia peccatum mortale meretur carentiam viſionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſoſtomus dicit. Patet etiam ex parte pœnæ ſenſus, quantum ad vermem conſcientiæ, licet forte quantum ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ*.

XII. Solum ergo peccatum veniale fieri poteſt mor-

mortale ex eo, quod ex aliquo adjuncto id, quod eſt de ſe veniale, tranſeat ad peccatum mortale. Plures hujuſce mutationis modos indicat S. Thomas, qui ad ſex capita frequentius revocantur: quorum primum eſt *error conſcientiæ*; quo nempe quis mortale eſſe putat, quod facit, quamquam reapſe nonniſi veniale ſit. Ita Sanctus Thomas *quodlib. 9. q. 7. art. 15.* inquiens: *Error, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad mortale peccatum*; quia videlicet illud peragens cum lethalis peccati conſcientia, conſentit in ipſum apprehenſum, ac ſi eſſet lethale.

Secundum: dum peccatum de ſe veniale refertur ad finem mortaliter pravum; puta ſi verbum jocoſum proferatur ex intentione provocandi mulierem ad fornicationem: Actus quippe hujuſmodi contrahit malitiam mortalem pravi finis, ad quem ordinatur. Unde ſicut opera de ſe bona prava fiunt, ſi ex prava intentione profluant; ſic peccata ex ſe venialia, mortalia fiunt ex intentione mortaliter prava.

XIII. Tertium eſt ex parte affectus graviter inordinati erga rem aliquam leviter malam, aut etiam indifferentem; dum ſcilicet ad ipſam adeo immoderate quiſpiam afficitur, ut ſit ita diſpoſitus, & animo comparatus, quod ab ea abſtinere nolit, nulla etiam lege prohibente; aut ſi illam nonniſi per medium graviter illicitum aſſequi poſſet. Tunc enim in corde ſuo præfert eam rem amicitiæ divinæ, & violat maximum legis præceptum diligendi Deum ſuper omnia. Utrumque ex his duobus, quibus peccatum veniale fit mortale, complexus eſt Sanctus Thomas hic *art. 2.* his verbis: „ Quia actus morales recipiunt rationem boni, & mali non ſolum ex objecto, „ ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ut ſupra habitum eſt; contingit quandoque, quod „ id, quod eſt peccatum veniale ex genere ratione ſui objecti, ſit mortale ex parte agentis: „ vel quia *in eo conſtituit finem ultimum*; vel „ quia *ordinat ipſum ad aliquid, quod eſt peccatum mortale ex genere*, puta cum aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum “.

XIV. Quarto peccatum veniale fit mortale ob grave damnum proximi, vel ſcandali, quod ex re de ſe levi ſequuturum præviderit, vel prævideri poteſt, ac debet. Tunc enim ratione talis effectus actio, licet de ſe levis, graviter charitati adverſatur, & cauſa effectus ſui pravitatem participat. Hac de cauſa Apoſt. 1. *ad Corinth.* 8. graviter redarguit eos, qui coram infirmis idolothyta (quamvis de ſe non illicita) comedebant; eo quod cauſa forent perditionis fratrum ex ſcandalo, quod inde ſumebant.

XV. Quinto propter formalem contemptum legis, vel mandati, vel regulæ, vel Superioris, qua Superior eſt; ut ſi quis præceptum violet in re levi; quia renuit ſubjici præcepto, vel Superiori. Nam tunc hujuſmodi inobedientia, aut tranſgreſſio importat contemptum poteſtatis a Deo derivatæ, & Superioris, prout eſt miniſter Dei, ejuſque vices gerit. Unde contemptus in ipſum Deum redundat, juxta illud: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Contemptum autem formalem Dei quis dubitet eſſe grave peccatum?

XVI. Sexto tandem ob periculum incidendi in peccatum mortale; quoties nempe aliquis experientia compertum habet, ſe ex actione de ſe leviter inordinata, aut etiam indifferenti incurrere in aliquod grave peccatum. Ex. gr. ſi quis ex aſpectu mulieris, vel colloquio inducatur ad turpem actum, vel moroſam delectationem; aut ſi ludus de ſe etiam licitus ſit ipſi occaſio proxima proferendi blaſphemias, vel perjuria &c. Siquidem mortale ſemper peccatum eſt exponere ſe periculo probabili peccandi mortaliter: quia tunc gravem Dei offenſam parvipendit, animæque ſalutem pro nihilo habet, qui ejus amittendæ probabile periculum non evitat, eodemque præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare probabile illius incurrendi periculum.

CAPUT UNDECIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Novatorum error negantium diſtinctionem peccati venialis, & mortalis repudiandus.*
II. *Repudianda pariter eſt de hac diſtinctione opinio, quæ Gerſoni tribuitur.*
III. *Inordinatio venialis peccati finem legis non evertit.*
IV. *Triplex peccati venialis differentia.*
V. *Quorumdam in determinandis levibus, gravibuſque peccatis nimia præſidentia merito damnanda.*
VI. *Doctrina S. Auguſtini quoad differentiam peccati mortalis, & venialis attendenda.*
VII. *Congrue admodum venialia peccata deſignantur ab Apoſtolo per* lignum, fœnum, & ſtipulam.
VIII. *Quorumdam Caſuiſtarum opinio pro diſcernendis peccatis mortalibus, ac venialibus prorſus rejicienda eſt.*
IX. *Multa peccata venialia ex ſe nunquam efficiunt unum mortale.*
X. *Ad peccatum tamen mortale diſponunt.*
XI. *A peccato mortali excuſandus non eſſet, qui vellet peccata omnia venialia committere.*
XII. *In magno verſantur æternæ damnationis periculo, qui nihil venialia curant, eaque emendare non ſatagunt.*
XIII. *Quinam propterea de ſua æterna ſalute metuere præſertim debeant.*
XIV. *Quibus ſignis aliquem tentationi peccandi conſenſum præbuiſſe, vel non præbuiſſe conjicere poſſimus.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. ERror eſt Calvini negantis diſtinctionem peccati mortalis, ac venialis; ſed omnia peccata ſic eſſe mortalia aſſerentis, ut perfectam includant averſionem a Deo, omniaque digna ſint æterno ſupplicio. Quemadmodum & inter errores Catholicæ Fidei contrarios accenſenda eſt ſen-

ſententia Zuinglii, Lutheri, aliorumque Novatorum exiſtimantium, peccatum mortale a veniali non diſtingui, niſi penes perſonæ peccantis conditionem, ita ut in prædeſtinato, vel fideli omnia ſint venialia; in reprobo, & infideli omnia mortalia. Hi errores pugnant aperte cum Sacra Scriptura, & cum Eccleſiæ traditione, quæ ſemper docuit, atque agnovit hujuſmodi diſtinctionem.

Conſectarium Secundum.

II. Parum ab Hæreticorum errore diſtat, adeoque reprobanda opinio eſt, quæ tribuitur Gerſoni; nimirum peccatum veniale non ex natura rei a mortali ſecerni, ſed ex ſola Dei miſericordia unum, & non aliud peccatum ad æternam mortem imputantis. Evidens quippe eſt, multa eſſe peccata, quæ Dei amicitiam non ſolvunt, neque ordinem ad ultimum finem, & media cum illo neceſſario connexa pervertunt: unde natura ſua mortalia eſſe non poſſunt; puta verbum otioſum &c.

Conſectarium Tertium.

III. Quamquam in peccato veniali ſemper ſit aliqua inordinatio, hujuſmodi tamen non eſt, quod ſit *contra legem* juxta S. Thomam; ſive, ut ſe explicat *q. 7. de malo art.* 1. *ad* 1., finem legis evertat: *Quia non corrumpit charitatem, quæ eſt plenitudo legis.* Qui enim tantum venialiter peccat, etſi non diligat Deum in illo actu, quo peccat: ſi tamen juſtus eſt, eum diligit habitualiter, & ita quidem, ut amori ipſius nihil præponat, nihil adæquet, cum retineat Deum pro ultimo fine, neque aliquid agere velit, quo ejus amicitia violetur, & habitualis charitas excludatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Triplex itaque differentia peccati venialis conſiderari poteſt. Aliud eſt veniale ex genere ſuo, quod ſemper veniale manet, dum intra propriæ materiæ limites conſiſtit, ut verbum otioſum. Aliud eſt veniale ex levitate materiæ, ut furtum aſſis. Aliud ex imperfecta deliberatione, ut motus infidelitatis, turpis cogitatio &c. rationem præveniens. Nullum autem ex his venialibus eſt ſimpliciter *contra legem* eo ſenſu, quo diximus. Non quidem primum: quia actio, ut verbum otioſum de ſe indifferens eſt, ut ſit contra, vel præter legem, ſolumque caret ordine ad finem honeſtum. Non etiam ſecundum peccatorum venialium genus; neque tertium: quoniam per hujuſmodi actus lex ſimpliciter non violatur. Cum enim lex agentibus liberis imponatur, ab iis duntaxat violatur, qui libere, & deliberate operantur; & cum bonum commune intendat, non violatur etiam ſimpliciter illis actibus, qui ob materiæ levitatem nullum notabile nocumentum inferunt.

Conſectarium Quintum.

V. Cum tam arduum viſum ſit, ac difficillimum S. Auguſtino diſcernere, quænam ſint levia, quænam gravia peccata, *ut non humano, ſed divino penſanda eſſe judicio* aſſeruerit; cum Sanctus Thomas diſerte fateatur, *quæſtionem omnem, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinari*: plane damnanda eſt nimia quorumdam præſidentia, qui certe nec tam excellenti ingenio, & mentis acumine, nec tanta divini luminis illuſtratione præditi ſunt, & tamen caſus ſæpe admodum difficiles, & implicatos uno veluti ſtantes in pede prompte facileque reſolvunt; & quaſi divinæ legis ſtateram in manu tenerent, audacter definiunt, *hoc eſſe peccatum mortale; hoc tantummodo veniale: iſtud ſine ulla culpa peragi poſſe; vel ſi qua eſt, non niſi levi, aut ſaltem abſque mortali peccato.* Hi ſane magno ſe exponunt errandi periculo, quod tum in animæ propriæ, tum in aliorum, quos dirigunt, præjudicium vergit. Quare prudens Confeſſarius, ubi veritas ambigua eſt, & obſcura, in his judiciis ferendis caute procedat. *Neque enim*, ut monet Vaurenſe Concilium anno 1368. celebratum, *Confeſſor debet eſſe promptus ad facile judicandum de aliquo, quod ſit mortale peccatum, niſi ſit in dictis Scripturæ, vel Sanctorum Patrum expreſſum*, vel graviorum Theologorum conſenſione determinatum.

Conſectarium Sextum.

VI. In his judiciis efformandis de gravitate, vel levitate peccati, quod aliquis committit, nedum attendendum eſt pravum opus ex parte ſui, ſed etiam ex parte *operantis*; eaque præ oculis habenda aurea Sancti Auguſtini doctrina, quam tradidit *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 26. his verbis: „ Quiſquis ſic habet in corde Chriſtum, ut „ ei terrena, & temporalia *poſtponat*, nec ei, „ quæ licita ſunt, atque conceſſa, præponat, fun„ damentum habet Chriſtum. Si autem præponit, „ etſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt ta„ men in eo fundamentum Chriſtus, cui talia „ præponuntur. Quanto magis ſi ſalutaria præ„ cepta contemnens, committat illicita, non præ„ poſuiſſe Chriſtum, ſed poſtpoſuiſſe convincitur, „ quem poſthabuit imperantem, ſive conceden„ tem, dum contra ejus imperata, ſive conceſſa „ ſuam per flagitia delegit explere libidinem ". His verbis ſuis veluti coloribus expreſſit Sanctus Auguſtinus peccati lethalis imaginem tum ex conditione *operis*, tum ex conditione *operantis*, cujus præſertim malitia in eo poſita eſt, quod homo creaturam præferat Deo, ut ſuam libidinem, aut voluntatem expleat: quod tunc præſtat, quoties vel *committit illicita*, tranſgrediens divina præcepta, atque adeo contemnens *Deum imperantem*; vel rebus licitis, atque conceſſis tam immodico affectu adhæret, ut eas plus diligat, quam Deum, adeoque præferat Deo. Et utrumque peccatum mortale eſt.

Subdit autem ibidem S. Doctor, *eſſe quoſdam, qui*

qui ſuper hoc fundamentum, ſcilicet Chriſtum, *ſuperædificant ligna*, *fœnum*, *ſtipulam* ; ideſt *amores babylonicos* , ut alibi vocat , *qui tamen ex rebus creatis nihil præponunt Chriſto . Et ideo fundamentum habent Chriſtum* , *& ſalvos fore per ignem* . Quibus verbis deſignat *peccatum veniale* in eo *a lethali* diſcerni, quod per illud leviter creaturis inhæreatur, nihil tamen Chriſto præponatur : ſive, ut ait S. Thomas, quod habet *inordinationem circa ea*, *quæ ſunt ad finem ; ſed conſervat ordinem ad ultimum finem*.

ConſeEtarium Septimum.

VII. Congrue admodum, ut modo vidimus ex S. Auguſtino, deſignat Apoſtolus peccata venialia per *lignum*, *fœnum*, *& ſtipulam*. „ Sicut enim , „ ut præclare S. Thomas hic *quæſt*. 89. *art*. 2., hujuſmodi congregantur in domo , & non pertinent ad ſubſtantiam ædificii, & poſſunt comburi, ædificio remanente : ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine , manente ſpirituali ædificio. Et pro illis patitur homo *ignem* „ vel temporalis tribulationis in hac vita , vel „ purgatorii poſt hanc vitam : & tamen ſalutem „ conſequetur æternam “. Porro, ut etiam ſapienter obſervat ibidem S. Doctor *ad* 4. , „ juxta illa „ tria, omnes gradus venialium peccatorum ad tria „ reducuntur, ſcilicet ad *lignum*, quod diutius manet in igne: *ad ſtipulam* , quæ citiſſime expeditur: *ad fœnum*, quod medio modo ſe habet. „ Secundum enim , quod peccata venialia ſunt „ *majoris* , *vel minoris adhærentiæ* , *vel gravitatis* , citius , vel tardius per ignem purgantur “.

ConſeEtarium OEtavum.

VIII. A veritate prorſus aliena cenſenda eſt quorumdam Caſuiſtarum opinio, qui pro diſcernendis peccatis mortalibus, & venialibus, hanc tanquam regulam conſtituunt : ea nempe in praxi mortalia eſſe , quæ quiſque mortalia judicat : ea venialia, quæ pro venialibus habet; aut ex conſuetudine in hominibus prævalente utraque dimetitur . Neque enim aut humana ratio, aut conſuetudo regula , & menſura eſt gravitatis , aut levitatis peccati ; ſed lex divina, cui humana ratio conformis ſit , oportet. *Sunt enim quædam* , ut ait loco jam laudato Enchirid. S. Auguſtinus, *quæ leviſſima putarentur*, *niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora*, ut exemplis oſtendere pergit.

ConſeEtarium Nonum.

IX. Si peccata venialia invicem non uniantur ſive in materia, ſive in effectu, nunquam efficiunt unum mortale peccatum : quia tunc materiæ, aut effectus, licet plures, nunquam conflant unum grave objectum . Sic qui diebus omnibus Quadrageſimæ quotidie exiguum fruſtum panis manducat, non peccat mortaliter: quia comeſtio, quæ fit una die , non conjungitur cum alia alterius diei . Sic etiam qui obligatur ad recitandas Horas Canonicas , omittit quolibet die unum , aut alterum verſiculum , non ex hoc grave peccatum in menſis, vel anni fine committit : quia omiſſio hujus diei non unitur cum aliis omiſſionibus . Quod ſi plurium venialium materia, aut effectus moraliter uniantur, & unum grave objectum conſtituant adverſus aliquod præceptum , peccata venialia ad mortale tandem perveniunt ratione materiæ , ſive damni notabilis quod infertur . Exemplum eſt in pluribus furtis levibus , quæ dum ad notabile damnum pertingunt, complent grave peccatum .

ConſeEtarium Decimum.

X. Peccata venialia ad mortale diſponunt ; eaque præſertim, quæ ex animi deliberatione, aut ex negligentia culpabili committuntur : tum quia hæc potiſſimum augent in nobis concupiſcentiæ ardorem ; & charitatis fervorem minuunt , ex quo facile conſequitur, quod ipſa charitas extinguatur in corde : *Augmentum* ſiquidem *cupiditatis diminutio eſt charitatis*, ut ait S. Auguſtinus; & quo magis creſcit illa, eo magis iſta decreſcit, adeo ut a prædominante cupiditate tandem obruatur, ac ſuperetur . Unde Sanctus Gregorius *lib*. 10. *Moral*. *Cap*. 14. ſcribit : *Si parva negligimus*, *inſenſibiliter ſeducti*, *audenter etiam majora perpetramus* . Tum quia, dum levia peccata negligimus , indignos nos reddimus ſpecialibus auxiliis divinæ gratiæ, quæ neceſſaria nobis ſunt ad præcavenda graviora peccata .

ConſeEtarium Undecimum.

XI. Si quis proponeret venialia omnia committere peccata, vel ita animo comparatus eſſet, ut nullum ex his vitare vellet, ſed ſola mortalia ; a peccato mortali excuſandus non foret : nedum quia in multitudine peccatorum venialium haud pauca ſunt, quæ proxime ad mortale diſponunt ; ſed etiam quia tale propoſitum quamdam præfert gravem deformitatem , talemque animi pravam diſpoſitionem , quæ cum Dei charitate nequaquam conciliari poſſe mihi videtur . Atque ita ſentiunt etiam ex his Theologis , qui benigniores exiſtimantur.

ConſeEtarium Duodecimum.

XII. Magno in periculo damnationis æternæ verſantur ii , qui ſalva ſibi omnia putant, eo quod mortalia quidem ſenſibiliora peccata vitare non omittunt ; ſed interim nihil venialia curant , quæ quotidie perpetrant, & emendare negligunt . Valde namque timendum eſt , ut extra ſtatum gratiæ , & ſalutis exiſtant , vel ſaltem in periculo proximo ab eo ſtatu excidendi. Quoniam ſi Scripturam , & Patres conſulamus , haud aliter de his loqui poſſumus. Formidanda plane eſt illa ſententia, qua *Apocalypſ*. 3. comminatur Deus, *ſe incipere ex ore ſuo evomere* iſtiuſmodi tepidos , ac diſſolutos, acedioſos homines : quod perinde eſt, ac ipſos deſerere, ut abeant poſt deſideria cordis ſui , ſimileſque fiant

Epi-

Epiſcopo illi memorato in eodem libro, qui cum tepidus eſſet, & valde negligens in Dei ſervitio, divitem ſe putabat, & nullius egentem, neſciens, quod eſſet *miſer*, *& miſerabilis*, *& pauper*, *& cæcus*, *& nudus*; deſtitutus ſcilicet bonis operibus ad ſalutem neceſſariis.

Patres quoque Eccleſiæ idem ſalutis periculum in hiſce hominibus agnoſcunt, & exerte confirmant. S. Joan. Chryſoſt. *in Cap.* 1. *ad Gal.* ſcribit: *Hoc ipſum eſt malorum omnium cauſa, quod ob puſilla non indignamur. Quemadmodum in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique; itidem & in anima, qui puſilla diſſimulant, majora invitant.* Idem oſtendit *homil.* 8. *in* 1. *ad Corinth.*, ſimilitudine ducta ex veſtimento, & domus tecto neglecto. Veſtimentum enim ab initio diſruptum, ac neglectum per totum producit ſciſſuram, & tectum, ſi cum parvæ tegulæ decidunt, neglectum fuerit, totius domus tandem ruinam conſequitur.

Hoc ſenſu intelligi debet, quemadmodum eam exponit S. Thomas, ſententia illa Auguſtini Epiſt. 108. *Quid intereſt ad naufragium, utrum uno grandi ictu navis operiatur, & obruatur; aut paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat navem, atque ſubmergat?*

Eadem perſpicue tradit non uno in loco Sanctus Gregorius Magnus. *Lib.* 10. *Moral. cap.* 14. ait: *Cum per levia delicta deflectimus, uſu cuncta levigante, non timemus poſtea graviora.* Et in Paſtoral. p. 3. *Fit plerumque, ut mens aſſueta malis levibus, nec graviora perhorreſcat; atque ad quamdam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat; & tanto in majoribus contemnat pertimeſcere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.* Atque ibidem etiam advertit: *Qui peccata minima flere, ac devitare negligit, a ſtatu juſtitiæ non quidem repente, ſed partibus totus cadit.*

Demum ut alios Patres præteream, vehementius incuriam hanc evitandi peccata venialia damnat Sanctus Bernardus pluribus in locis, ſed maxime *ſerm.* 1. *in Converſ. Sancti Pauli* inquiens: *Non dicant in corde ſuo*, qui venialia negligunt; *levia ſunt iſta: non curo corrigere.* Non eſt magnum, *ſi in his maneam venialibus, minutiſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia: hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Timeant igitur, & contremiſcant venialium peccatorum contemptores, præſertim ſi Eccleſiaſtici ſint, aut Religioſi, qui ſatis habent abſtinere ſe a peccatis mortalibus, nec de venialibus cavendis ullam ſollicitudinem gerunt; imo ea libere, ſummaque facilitate perpetrant; qui vultus quoſvis licentius intuentur, cum quovis ſexu otioſe converſantur, alter alterius manus juvenili levitate attrectant, minutas omnes, quas poſſunt, carpere, aut prælibare voluptates non prætermittunt, nihil niſi vana cogitant, aut loquuntur, tempus inutiliter terunt in facetiis, in ludis, in recreationibus ſuperfluis, Canonicas Horas præcipitanter, & irreverenter recitant, Miſſam nulla animi præparatione celebrant, & ſacroſancta illa myſteria indecenter tractant, & alia hujuſmodi continuo peragunt, nec unquam emendare ſatagunt abſque ullo timore, ac tremore propriæ ſalutis, ea ducti, & ſeducti fiducia, quod a gravioribus peccatis ſe contineant: timeant, inquam, ac vehementer contremiſcant, ne in illa peccata, quæ a divina gratia ſeparant, tandem prolabantur, ne in pœnam negligentiæ ſuæ, ſuæque vitæ mollis, ac diſſolutæ a Deo deſerantur, ac æternum pereant.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Difficile admodum eſt in praxi definire, quando voluntatis conſenſus in malum plenus ſit, ſeu ad peccatum mortale ſufficiens, & quandonam plenus non ſit, & a mortali peccato excuſet: quia motus voluntatis noſtræ ſæpe nobiſmetipſis occulti ſunt. Nihilominus hæc ſigna proponi ſolent, quæ lucem aliquam rei valde obſcuræ afferre valent. Et primo quidem, ſi homo ita ſit interius habitualiter affectus, ut ſalutis ſuæ curam gerat, ac nollet peccatum committere, etiamſi commode poſſet: ſignum eſt conſenſum plenum, & ad peccatum mortale ſufficientem non adfuiſſe. Si vero e contra ita ſe interius affectum noverit, ut oblata occaſione, peccatum non refugeret; ſignum eſt conſenſum, & ad peccatum mortale ſufficientem præſtitum eſſe. 2. Si pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ, & ad peccati conſpectum ſoleat exhorreſcere; conjici poteſt conſenſum tentationi non præbuiſſe, quamvis fortaſſe in ea repellenda negligens aliquantum fuerit: Si vero laxæ conſcientiæ ſit, nec peccata tum venialia, tum mortalia horrere ſoleat; eum deliberate conſenſiſſe, quaſi pro certo habendum eſt. 3. Si tentatio pœnitentis verſetur circa peccata carnalia, quæ membris exterioribus complentur, nec ille tamen, dum facile poſſet, ad externum opus progreſſus eſt; ſignum eſt, plenum non fuiſſe conſenſum: ſi vero ſolius pœnæ metu oblata peccandi occaſione uſus non fuerit, periculum eſt, ne plene conſenſerit.

REFLEXIO.

Primus, & capitalis effectus, ſive potius character peccati *mortalis*, unde etiam denominationem ſumit, in eo conſiſtit, quod mortem animæ inferat; quatenus charitatem extinguit, qua Deo conjungimur, & in qua conjunctione tota vita ſupernaturalis poſita eſt. *Sicut* enim, ut pulchre ait Sanctus Auguſtinus ſerm. 5. de Verb. Dom. *anima eſt vita corporis; ſic animæ vita eſt Deus. Sicut expirat corpus, dum animam emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amiſſus mors animæ: anima emiſſa mors corporis.* Hinc apud *Ezechiel. cap.* 18. dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*; ſive a Deo totius vitæ ſpiritualis fonte ſeparabitur. Atque ex hac ſpirituali morte tamquam a primaria fæcun-

cunda radice prodeunt cæteri quique funeſtiſſimi effectus, qui maximum teterrimi hujus monſtri horrorem incutere deberent. Ex hoc enim, quod peccatum mortale deſtruat charitatem, gratiam, & amicitiam Dei; primum ſequitur ipſum evertere ordinem ad ultimum finem, in quem charitas hominem convertit: Deinde, quod proximum eſt, per mortale peccatum hominem ipſum conſtituere finem ultimum in creatura; adeoque peccantem mortaliter plus appretiative diligere creaturam, quam Deum, & in actu exercito habere proprium bonum pro Deo ſuo: quam ob cauſam de guloſis Paulus affirmat, quod *eorum Deus venter eſt*, & avaritiam eſſe *ſervitutem idolorum*; quia, ut ait Chryſologus, *avari ſtatera iniquiſſima eſt: plus enim in ea ponderat obulus, quam Deus.*

Ulterius ex hoc, quod mortale peccatum mors animæ ſit, ſequitur, inordinationem, quam inducit, eſſe per ſe irreparabilem. Cum enim charitatem, quæ eſt vita animæ, auferat, atque ordinem ad ultimum finem, aufert etiam omne principium intrinſecum vitæ ſpiritualis. Ut enim ſapienter advertit S. Thomas 1. 2. q. 72. art. 5., *Sicut in corporibus deordinatio mortis, quæ eſt per remotionem principii vitæ, eſt irreparabilis ſecundum naturam: inordinatio autem ægritudinis reparari poteſt propter id, quod ſalvatur principium vitæ; ſimiliter eſt in his, quæ pertinent ad animam. Nam in ſpeculativis, qui errat circa principia, imperſuaſibilis eſt .... & ſimiliter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum eſt ex natura peccati, habet lapſum irreparabilem: & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus &c.* Quam doctrinam repetit *q.* 88. *art.* 2., addens, hanc reparationem ſolum fieri poſſe virtute divina.

Sequitur itidem, peccatum mortale deſtruere virtutes omnes infuſas. Cum enim funditus evertat charitatem, ad ejus interitum interire quoque virtutes infuſas, quæ charitatem ipſam comitantur, neceſſe eſt. Unde etiam deſtruitur meritum bonorum omnium operum, adeo ut nihil proſint omnia, quæ præclare vel geſſimus, vel agimus, ad vitam æternam; ſolumque peccatori ſuperſit æterna pœna in futura vita perferenda. Uno verbo, ut ex analogia mortis corporalis ea complectar, quæ ob peccatum mortale contingunt in anima, dicam cum eodem Sancto Petro Chryſologo ſerm. 19.: *Quod eſt anima corpori; hoc eſt animæ Deus. Sine anima corpus non vivit: non vivit anima ſine Deo. Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt. Diſcedente Deo, confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, vanitatum cinis, infidelitatis horror; & fit in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultæ.*

Si hæc omnia ex peccato mortali certo profluunt, quis non vehementer horreat ad ejus conſpectum? quis ipſum tota animi contentione devitare non ſatagat; ab iiſque etiam diligenter ſe abſtineat peccatis, quæ licet venialia, quamdam tamen cum illo affinitatem habent, eique viam parant? Sed heu! exclamat S. Auguſtinus *tract.* 49. *in Joan.* „ Mortem carnis omnis „ homo timet; mortem animæ pauci. Pro mor„ te carnis, quæ ſine dubio quandoque ventura „ eſt, curant omnes, ne veniat: inde eſt, quod „ laborant. Laborat, ne moriatur homo moritu„ rus: & non laborat, ne peccet homo in æter„ num victurus. Et cum laborat, ne moria„ tur, ſine cauſa laborat: id enim agit, ut „ multum mors differatur, non ut evadatur. Si „ autem peccare nolit, non laborabit, & vivet „ in æternum. O ſi poſſemus excitare homines, „ & cum ipſis pariter excitari, ut tales eſſemus „ amatores vitæ permanentis, quales ſunt homi„ nes amatores vitæ fugientis? Quid non facit „ homo ſub mortis periculo conſtitutus? Gladio „ impendente cervicibus, prodiderunt homines „ quidquid, unde viverent, reſervabant. Quis „ non continuo prodidit, ne percuteretur? & poſt „ proditionem fortaſſe percuſſus eſt. Quis non, „ ut viveret, continuo perdere voluit, unde vi„ veret; eligens vitam mendicantem, quam cele„ rem mortem? Cui dictum eſt: naviga, ne mo„ riaris; & diſtulit? Cui dictum eſt labora, ne „ moriaris; & piger fuit: Levia Deus jubet, ut „ in æternum vivamus: & obedire negligimus. „ Non tibi Deus dicit: perde, quidquid habes, „ ut vivas exiguo tempore in labore ſollicitus; „ ſed: da pauperi, unde habes, ut vivas ſemper „ ſine labore ſecurus. Accuſant nos amatores „ vitæ temporalis, quam, nec cum volunt, nec „ quamdiu volunt, habent: & nos invicem non „ accuſamus tam pigri, tam tepidi ad capeſſen„ dam vitam æternam, quam ſi voluerimus, ha„ bebimus; cum habuerimus, non amittemus. „ Hanc autem mortem, quam timemus, etiamſi „ noluerimus, habebimus“. Igitur multo magis, quam mortem corporis, timeamus mortem animæ, quam peccatum mortale infert; & hoc metu ſalutari territi, illud, ejuſque occaſiones, atque pericula tota animi ſolicitudine fugiamus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Peccatum, ſive vitium capitale, juxta S. Thomam 1. 2. *q.* 84. *art.* 3. *dicitur illud, ex quo tamquam ex capite, ſeu fonte, alia vitia, ſeu peccata prodeunt, præſertim* ſecundum originem cauſæ finalis, *quatenus ejus* finis ita appetibilis eſt, *ut vi, ac ratione ipſius plura, ac diverſa peccata committantur. Septem ipſe enumerat ejuſmodi peccata, nimirum* inanem gloriam, invidiam, iram, avaritiam, triſtitiam, gulam, luxuriam. *Verum alii frequentius, eumdem ſeptenarium numerum retinentes, diviſionem aliam adoptant, quam nos etiam ampleƈtimur a D. Thomæ doƈtrina minime recedentes, prout ex* 2. Diſt. 41. q. 2. ad 3. & q. 8. de malo art. 1. *ſatis colligitur, & hoc ordine peccata hujuſmodi recenſentur, ſcilicet* ſuperbia (*ſub qua* inanis gloria *comprehenditur*), avaritia, luxuria, gula, ira, invidia, & accidia. *De quibus nonnulla diſſeremus.*

CAPUT PRIMUM.

De Superbia, ejuſque vitiis.

DOCTRINA.

I. *Superbiæ notio, & malitiæ gravitas.*
II. *Superbiæ quatuor ſpecies, ſive modi exponuntur.*
III. *Graphica ſuperbiæ deſcriptio ex S. Gregorio Magno.*
IV. *Quid ſit ambitio prima ſuperbiæ proles. Ejus inordinatio propoſita.*
V. *Regula prima pro dignoſcenda gravitate peccati ambitionis.*
VI. *Regula ſecunda, & tertia.*
VII. *Aliæ regulæ ad idem afferuntur.*
VIII. *De* præſumptione *prout eſt appetitus inordinatus ad aliquid ſupra vires aggrediendum.*
IX. *De* vana gloria. *Quid ea ſit, & in quo ejus inordinatio conſiſtat.*
X. *Præclara Sanƈti Thomæ doƈtrina de vitio vanæ gloriæ.*
XI. *Ex hac eruitur quibuſnam in caſibus ſit mortale peccatum.*
XII. *De filiabus vanæ gloriæ, ac primum de* inobedientia.
XIII. *De* jaƈtantia. *Ejus definitio: & quoties peccatum lethale ſit.*
XIV. *De* hypocriſi. *Hujus vitii deformitas ex doƈtrina S. Thomæ expoſita.*
XV. *Quænam ex allata doƈtrina conſequuntur circa qualitatem hujus peccati.*
XVI. *De quarta inanis gloriæ filia, ſcilicet* de contentione. *Notio ejuſdem propoſita.*
XVII. *Regulæ circa gravitatem, & levitatem peccati* contentionis *ex doƈtrina Sanƈti Thomæ deduƈtæ.*
XVIII. *De* pertinacia. *Quid ea ſit, & quoties peccatum mortale.*
XIX. De diſcordia. *Ejus definitio. Quandonam peccatum mortale ſit, quando veniale, ex doƈtrina S. Thomæ explicatur.*
XX. *Plura ex illa inferuntur ad praxim neceſſaria.*
XXI. *De poſtrema filia vanæ gloriæ, nempe* præſumptione novitatum.
XXII. *De virtute ſuperbiæ oppoſita, ſcilicet humilitate. Quam neceſſaria hæc ſit ad ſalutem.*
XXIII. *Primum humilitatis officium erga Deum exponitur.*
XXIV. *Alterum officium humilitatis erga proximum a S. Thoma mirifice declaratum.*

§. I.

De Superbia. Ejus notio, gravitas, & ſpecies.

I. De Superbia primo loco diſſerentes, hanc ex S. Thoma tradimus definitionem, nempe *eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Ex hac definitione, quæ clara eſt, nec indiget explicatione, oſtendit ille 2. 2. q. 162. nedum ſuperbiam eſſe peccatum, verum etiam peccatum ſpeciale ab aliis diſtinƈtum, quamvis quodam ſenſu generale peccatum dici queat: quod ita demonſtrat art. 2. inquiens: „ Peccatum ſuperbiæ „ dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſe„ cundum propriam ſpeciem, quam habet ex ra„ tione proprii objeƈti. Et hoc modo ſuperbia „ eſt ſpeciale peccatum: quia habet ſpeciale ob„ jeƈtum. Eſt enim inordinatus appetitus pro„ priæ excellentiæ, ut diƈtum eſt“.

„ Alio modo poteſt conſiderari ſecundum re„ dundantiam quamdam in alia peccata. Et ſe„ cundum hoc habet quamdam generalitatem, in „ quantum ſcilicet ex ſuperbia oriri poſſunt om„ nia peccata, duplici ratione: uno modo *per* „ *ſe*, in quantum ſcilicet alia peccata ordinantur „ ad finem ſuperbiæ, qui eſt propria excellentia, „ ad quod poteſt ordinari id, quod quis inordi„ nate appetit. Alio modo *indireƈte*, & quaſi *per* „ *accidens*, ſcilicet removendo prohibens: in quan„ tum ſcilicet homo per ſuperbiam contemnit di„ vinam Legem, per quam prohibetur a peccan„ do, ſecundum illud Hierem. 2. *Confregiſti ju„ gum, rupiſti vinculum, dixiſti: non ſerviam* “.

Superbiam ex genere ſuo peccatum eſſe mortale dubitandum non eſt, cum humilitati opponatur, quæ hominem Deo ſubjicit, atque in hujus ſub-

ſubjectionis defectu maxime conſiſtat, quatenus homo ſe extollit ſupra regulam, ſeu menſuram a Deo conſtitutam. Sed & illud graviſſimum peccatorum eſſe *ex parte averſionis* manifeſtat Angelicus Doctor *art.* 6. his verbis: „ In peccato duo „ attenduntur, ſcilicet *converſio* ad commutabile „ bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato, „ & *averſio* a bono incommutabili, quæ eſt formalis, & completiva ratio peccati. Ex parte „ autem *converſionis* non habet ſuperbia, quod „ ſit maximum peccatorum: quia celſitudo, quam „ ſuperbus inordinate appetit, ſecundum ſuam „ rationem non habet maximam repugnantiam ad „ bonum virtutis “.

„ Sed ex parte *averſionis* ſuperbia habet maxi„ mam gravitatem. Quia in aliis peccatis homo „ a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel „ propter infirmitatem, ſive propter deſiderium „ cujuſcumque alterius boni: ſed ſuperbia habet „ averſionem a Deo ex hoc ipſo, quod non vult „ Deo, & ejus regulæ ſubjici: Unde Boethius „ dicit: *quod cum omnia vitia fugiant a Deo, ſo„ la ſuperbia ſe Deo opponit*. Propter quod etiam „ ſpecialiter dicitur Jacobi 4., quod *Deus ſuper„ bis reſiſtit*. Ed ideo averti a Deo, & ejus „ præceptis, quod eſt quaſi conſequens in aliis „ peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cujus „ actus eſt Dei contemptus. Et quia id, quod „ eſt per ſe, potius eſt eo, quod eſt per a„ liud, conſequens eſt, quod ſuperbia ſit graviſ„ ſimum peccatorum ſecundum genus ſuum: quia „ excedit in averſione, quæ formaliter complet „ peccatum “.

II. Superbiæ ſpecies, ſive modos quatuor ex D. Gregorio recenſet S. Thomas *art.* 4. quarum prima eſt, cum aliquis a ſeipſo habere putat bona, ſive corporis, ſive animæ, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, aut ita ſe gerit, ac ſi eadem a ſeipſo haberet juxta illud Prophetæ: *Dixerunt: linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Altera eſt, cum quis equidem agnoſcit bona, quæ poſſidet ſe habere a Deo, ſed propriis meritis ea attribuit, vel ita apud ſe judicando, aut volendo, ut alii ita ſentiant, aut opere externo ita ſe gerendo, quaſi propriis meritis illa debita forent: in quibus duobus ſuperbiæ modis illud animadvertit Doctor Angelicus in reſp. *ad* 1., quod „ vera æſtimatio poteſt corrumpi dupliciter. Uno „ modo in univerſali, & ſic in his, quæ ad fi„ dem pertinent, corrumpitur vera æſtimatio *per „ infidelitatem*. Alio modo in aliquo particulari „ eligibili: & hoc non facit infidelitatem: ſicut „ ille, qui fornicatur, æſtimat pro tempore illo „ bonum eſſe ſibi fornicari: nec tamen eſt infi„ delis: ſicut eſſet, ſi in univerſali diceret, *for„ nicationem eſſe bonum*. Et ita etiam eſt in „ propoſito. Nam dicere in univerſali aliquid „ bonum eſſe, quod non eſt a Deo, vel gra„ tiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad „ infidelitatem. Sed quod aliquis ex inordinato „ appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis ſuis „ gloriatur, ac ſi ea a ſe haberet, vel ex meri„ tis propriis, pertinet ad ſuperbiam, & non ad „ infidelitatem proprie loquendo “.

Tertia ſuperbiæ ſpecies eſt, dum aliquis ea ſibi bona arrogat, quæ revera non habet, ſive opere, ſive deſiderio: aut vult, vel quærit, ut alii exiſtiment ſe his bonis præditum eſſe. Quarta tandem in eo conſiſtit, quod aliquis, cæteris deſpectis, videri ſatagit, aut optat ſingulariter habere, quod habet, aut aliis ſcientia, virtute, ſanctimonia, aliiſve ſive corporis, ſive animi dotibus, ſive naturæ, ſive gratiæ, ſive fortunæ muneribus præcellere, cujuſmodi erat Phariſæus ille memoratus in Evangelio, qui dicebat, *Non ſum ſicut cæteri homines* &c.

Duæ priores ſuperbiæ ſpecies ex ſe ſunt *peccata mortalia*, cum ex deliberata voluntate procedunt. Tertia, & quarta, ſi materia levis ſit, a mortali excuſari poſſunt. Numquam tamen a gravi culpa excuſantur, ſi cum gravi irreverentia Dei, vel gravi damno, aut contemptu proximi conjunctæ ſint, Ex. gr. ſi quis de dotibus ad Eccleſiam regendam, vel Magiſtratus gerendos neceſſariis, quibus tamen deſtitutus eſt, ad Eccleſiæ dignitates, aut publica munia capeſſenda glorietur: ſi quis ſe divitem ſimulat, & haberi ſtudet, ut ſua negotia promoveat, & contractus ineat, & in nobiliſſima familia nubat, cum tamen ſit inops. Si quis ne a familiæ ſuæ nobilitate degenerare videatur, ingentia debita contrahat, quibus ſolvendis impar ſit. Si quis vel fortunæ bonis, vel potentia, vel ſcientia, vel gratiæ donis ita inſoleſcat, ut alios deſpiciat, atque contemnat &c.

III. Tum Superiorum, tum ſubditorum ſuperbiam graphice deſcribit Sanctus Gregorius Magnus *lib.* 34. *Moralium Cap.* 18. inquiens: „ Elatio alios ex rebus ſæcularibus, alios vero ex „ ſpiritualibus poſſidet. Alter namque intume„ ſcit auro, alter eloquio, alter infimis, & ter„ renis rebus, alter ſummis, cæleſtibuſque virtu„ tibus. Una tamen, eademque res ante oculos „ Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens, „ in eorum obtutibus diverſo amictu pallietur. „ Nam cum is, qui de terrena prius gloria ſu„ perbierat, poſtmodum de ſanctitate extollitur; „ nequaquam cor ejus elatio deſeruit, ſed ad „ eum conſueta veniens, ut cognoſci nequeat, „ veſtem mutavit. Sciendum quoque eſt, quod „ aliter hæc Præpoſitos, atque aliter ſubditos „ tentat. Prælato namque in cogitationibus ſug„ gerit, quia ſolo vitæ merito ſuper cæteros ex„ cellit, ejuſque mox mentem erigit, viles, & „ inutiles eos, qui ſubjecti ſunt, oſtendit, ita „ ut nullum jam quaſi dignum reſpiciat, cui æ„ quanimiter loquatur. Unde & mox mentis tran„ quillitas in iram vertitur: quia dum cunctos „ deſpicit, dum ſenſum, vitamque omnium ſine „ moderamine reprehendit, tanto effrænatius ſe „ in iracundiam dilatat, quanto eos, qui ſibi „ commiſſi ſunt, eſſe ſibimet indignos putat. At „ contra cum ſubjectorum cor ſuperbia inſtigat, „ hoc ſummopere nititur agere, ut ſua acta con„ ſiderare funditus negligant, & ſemper tacitis „ cogitationibus Rectoris ſui judices fiant: qui „ dum in eo, quod reprehendere debeant, im„ portune reſpiciunt, in ſemetipſis quod cor„ rigant, numquam vident. Unde & tanto

atro-

„ atrocius pereunt, quanto a ſe oculos avertunt: quia in hujus vitæ itinere offendentes „ corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem „ peccatores ſe aſſerunt, nec tamen tantum, ut tam „ noxiæ in regimine perſonæ traderentur. Et dum „ ejus facta deſpiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam uſque inſaniam devolvuntur; ut Deum res humanas curare non æſtiment: quia ei, qui quaſi jure reprehenditur, „ eſſe ſe commiſſos dolent. Sæpe autem Rectoris ſui dictis proterve obviant, & eamdem vocis ſuperbiam libertatem vocant. Sic quippe „ elatio ſe quaſi pro libertatis rectitudine objicit, ſicut ſæpe ſe & timor pro humilitate ſupponit. Nam ſicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere ſe exiſtimant ex humilitate, ita nonnulli loquuntur per impatientiam „ elationis, & tamen loqui ſe credunt per libertatem rectitudinis“.

§. II.

De tribus Superbiæ filiabus, ambitione, præſumptione, & inani gloria.

IV. Prima inter ſuperbiæ filias *ambitio* eſt, quæ definiri ſolet: *appetitus inordinatus honoris, & dignitatis*: veluti cum quis ambit officium, vel dignitatem, ad quam aſſequendam, vel exercendam non habet idoneitatem, vel meritum. *Tripliciter*, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 131. artic. 1., *appetitum honoris contingit eſſe inordinatum. Uno modo per hoc, quod aliquis appetit teſtimonium de excellentia, quam non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem. Alio modo per hoc, quod honorem ſibi cupit, non referendo in Deum.* Tertio *per hoc, quod appetitus ejus in ipſo honore quieſcit, non referens honorem ad utilitatem aliorum.* Ex quo concludit appetitum hunc ſemper eſſe inordinatum, adeoque ſemper eſſe peccatum.

Porro in reſp. ad 3. obſervat, quod ſicut per appetitum honoris, „ quando debito modo appetitur, aliqui provocantur ad bonum, & revocantur a malo, ita etiam ſi inordinate appetatur, poteſt eſſe homini occaſio multa mala „ faciendi, dum ſcilicet aliquis non curat qualitercumque honorem conſequi poſſit. Unde „ Salluſtius in Catil. dicit, quod *gloriam, & honorem, & imperium bonus, & ignavus æque ſibi exoptant.* Sed *ille*, ſcilicet bonus, *vera via utitur: huic*, ſcilicet ignavo, *quia bonæ artes deſunt dolis, atque fallaciis contendit*; & tamen illi, ſubjicit, qui ſolum propter honorem, „ vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt „ virtuoſi“.

Ambitionem grave eſſe peccatum Eccleſiæ Patres communiter atteſtantur, Sanctus Gregorius Nazianzenus *orat.* 1., S. Joannes Chryſoſtomus *Hom.* 3. *in acta Apoſt.* & lib. 3. de Sacerd., S. Hieronymus *epiſt.* 43. *ad Oceanum*, Sanctus Ambroſius *lib.* 4. *in Lucam*, Sanctus Auguſtinus *Enarr. in pſal.* 36. *& lib.* 19. *de Civit. cap.* 19. S. Gregorius Magnus *in Paſtor. p.* 1. *lib.* 1. *& lib.* 8. S. Bernardus *ſerm.* 6. *in pſal. Qui habitat*, ac demum Sanctus Thomas artic. cit. ſed quandonam peccatum eſſe mortale dicendum erit? Regulæ, quæ hic ſequuntur, lucem aliquam huic materiæ poſſunt afferre.

V. *Prima* itaque *regula ſit*. Ambitio peccatum mortale eſt, cum quis ita animo affectus eſt erga honorem, aut dignitatem, ſive eccleſiaſticam, ſive civilem, ut modis omnibus etiam graviter illicitis aſſequi conetur, aut paratus ſit, veluti ſi ad eam comparandam peccatum mortale committere non vereatur, ſive etiam ſi ad eam acquirendam medio lethaliter peccaminoſo utatur. Hoc patet ex iis, quæ dicta ſunt pro dignoſcendis lethalibus peccatis.

VI. *Secunda*. Lethale quoque peccatum ambitio eſt, cum appetitur, vel quæritur aliqua dignitas eccleſiaſtica, vel etiam civilis ob nefarium aliquem finem, ſive cum peccato mortali conjunctum, velut ſi quis beneficium, aut dignitatem eccleſiaſticam quærat eo fine, ut divitiis abundet, ut ab hominibus honoretur, ut genio indulgeat, aut, ut loquitur Sanctus Auguſtinus loco laudato de Civit., *dominandi cupiditate, non officio, principandi ſuperbia, non aliis providendi miſericordia*. Qua in re ehu! quot lethalis peccati rei fiunt coram Deo, quin tamen ipſi advertant!

Tertia regula præcedenti affinis, majorque ejuſdem explicatio eſt. Ambitio lethale peccatum eſt, dum quis abſque vocatione Dei, ſed aut ſolius honoris, aut temporalium commodorum intuitu eccleſiaſtica beneficia concupiſcit, & quærit. Expreſſe ſiquidem Apoſt. ad Hebr. cap. 5. prohibet, *ne quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. S. etiam Gregorius *Epiſt.* 20. *lib.* 4. ſcribit: *Licet cætera cujuſpiam talia vitæ ſint merita, ut nihil ſit, quod ex his ſacerdotalibus valeat ordinationibus obviare; tamen ſolius nefas ambitus* (*quærere*) *ſeveriſſima canonum diſtrictione damnatur*; & S. Bernardus tract. de Con. ad Cler. cap. 19. *Multi quidem veniunt* (ad dignitates Eccleſiæ): *ſed conſidera, quis vocetur: ordinem ipſum Dominici ſermonis attende.* Beati, *inquit*, mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Miſericordes utique vocat Pater cæleſtis, qui non quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti: nec quod ſibi utile, ſed quod multis.*

Sed hac de re præſtat audire S. Thomam egregie de more diſſerentem, & argumentum hocce diſpicientem 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. De Epiſcopatu loquens (quod proportione ſervata etiam cuicumque Prælaturæ applicandum eſt) ſic habet: „ In „ Epiſcopatu tria poſſunt conſiderari, quorum unum eſt principale, & finale, ſcilicet Epiſcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, ſecundum illud Joann. ultimo, „ *Paſce oves meas*. Aliud eſt altitudo gradus: „ quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur ſecundum illud Matthæi 24. *Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Tertium eſt, quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reverentia, & honor, & „ ſufficientia temporalium, ſecundum illud ad „ Tim. cap. 5. *Qui bene præſunt presbyteri*, „ du-

„ *duplici honore digni habeantur*. Appetere ergo „ Epiſcopatum ratione hujuſmodi circumſtantium „ bonorum, manifeſtum eſt, quod eſt illicitum, „ & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem. „ Unde contra Phariſæos Dominus dicit: *Amant* „ *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras* „ *in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari* „ *ab hominibus Rabbi*. Quantum autem ad ſe- „ cundum, ſcilicet ad celſitudinem gradus, ap- „ petere Epiſcopatum eſt præſumptuoſum. Unde „ Dominus arguit diſcipulos primatum quæren- „ tes, dicens: *Scitis, quia Principes gentium do-* „ *minantur eorum &c.* Sed appetere proximis „ prodeſſe eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuo- „ ſum. Verum, quia prout eſt Epiſcopalis actus, „ habet annexam gradus celſitudinem, præſum- „ ptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat „ ad hoc, quod ſubditis proſit, niſi manifeſta ne- „ ceſſitate imminente “.

VII. *Regula quarta*. Lethalis ambitionis reus eſt, qui ut honorem, aut dignitatem ſive eccleſiaſticam, ſive civilem aſſequatur, alios arcet, aut impedit ab ejus conſecutione, qui digniores ſunt, vel magis in eo honore, vel dignitate promoverent Dei gloriam, & proximi utilitatem, aut commune bonum reipublicæ. Adverſus hos vehementer invehitur S. Bernardus loco ſupra laudato dicens: *Væ vobis, qui clavem tollitis non ſolum ſcientiæ, ſed & authoritatis &c. & multipliciter impeditis, quos introducere debuiſtis. Tollitis enim, & non accipitis claves, de quibus Dominus quæritur per Prophetam:* Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. *Unde tantus prælationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta? &c.*

Regula quinta. Lethalis itidem ambitionis reus eſt, qui quodvis beneficium curam habens animarum, aut monaſticam Præfecturam pro ſe poſtulat, aut ſibi ſuffragia perquirit. Ex hoc enim ea dignitate indignus efficitur, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. *Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno*: qui autem petit pro indigno dignitatem, peccat mortaliter. Unde in Concilio primo Mediolanenſi ſub Sancto Carolo celebratum decretum eſt, ut *qui beneficium Eccleſiaſticum vacans multis, etiam ambitionis, precibus per ſe, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit*.

Quemadmodum vero honores, & Prælaturas, extra manifeſtam neceſſitatem, appetere, aut quærere ambitio eſt, ſic eas detrectare, dum vel manifeſta neceſſitas, vel legitimi Superioris præceptum urget, puſillanimitatis vitium eſt. Unde S. Thomas loco cit. q. 185. art. 2. docet: „ Sic- „ ut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod „ aliquis proprio motu feratur in hoc, quod a- „ liorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad „ inordinationem voluntatis pertinet, quod ali- „ quis omnino contra Superioris injunctionem „ prædictum gubernationis officium finaliter recu- „ ſet, propter duo. Primo quidem, quia hoc re- „ pugnat charitati proximorum, quorum utili- „ tati ſe aliquis debet exponere pro loco, & tem- „ pore. Unde Auguſtinus 19. de Civit. Dei di- „ cit, quod *negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas cha-* „ *ritatis*. Secundo: quia hoc repugnat humili- „ tati, per quam aliquis Superiorum mandatis „ ſe ſubjicit. Unde Gregorius dicit in Paſtor. „ *Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad* „ *reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur,* „ *pertinax non eſt* “.

De præſumptione.

VIII. Ambitioni proxima eſt *præſumptio*, quæ prout hic ſumitur, definiri ſolet, *inordinatus appetitus aggrediendi aliquid ſupra vires*. Hujus notionem exhibet, probatque peccatum eſſe Sanctus Thomas 2. 2. q. 130. *art.* 1. inquiens: *Hoc communiter in rebus omnibus naturalibus invenitur, quod quælibet actio commenſuratur virtuti agentis: nec aliquod agens naturale nititur ad agendum id, quod excedit ſuam facultatem. Et ideo vitioſum eſt, & peccatum quaſi contra ordinem naturalem exiſtens, quod aliquis aſſumat ad agendum ea, quæ præferuntur ſuæ virtuti: quod pertinet ad rationem præſumptionis, ſicut & ipſum nomen manifeſtat. Unde manifeſtum quod præſumptio eſt peccatum.*

Si quis igitur appetat, aut aggrediatur aliquid, quod vires ſuas, ſive idoneitatem excedat, peccat peccato *præſumptionis*, quod ſæpe mortale eſt, ut ex. gr. cum quis aſſumit, aut exercet officium Judicis, Advocati, Medici, Paſtoris animarum, Confeſſarii, Concionatoris, ad quod congrue obeundum, aut ſcientia ſufficienti, aut aliis neceſſariis dotibus caret, lethaliter peccat, eoque gravius, quo periculum damni inferendi proximo majus eſt. Sic etiam mortale peccatum incurrit, dum quis propriam cognoſcens fragilitatem, aut ad venerea proclivitatem, ſe fœminarum converſationibus ingerit ſine neceſſitate; in quibus ſe aliquando lapſum eſſe experientia compertum habet.

De vana gloria.

IX. *Vana*, ſive *inanis gloria*, quæ a S. Gregorio Magno primum inter vitia capitalia numeratur, & ab aliis ſaltem ut præcipua filia ſuperbiæ habetur, definiri ſolet, *inordinatus appetitus manifeſtationis propriæ excellentiæ, ſive ejus quam reapſe habet, ſive quam habere putat*. Hanc definitionem declarat Præceptor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 132. *artic.* 1. his verbis: „ Gloria „ claritatem quamdam ſignificat &c. Claritas au- „ tem, & decor quamdam habent manifeſtatio- „ nem. Et ideo nomen *gloriæ* proprie importat „ manifeſtationem alicujus de hoc, quod apud „ homines *decorum* videtur, ſive illud ſit bonum „ corporale aliquod, ſive ſpirituale. Quia vero „ quod ſimpliciter clarum eſt, a multis conſpici „ poteſt, & a remotis, ideo proprie per nomen „ *gloriæ* deſignatur, quod bonum alicujus veniat „ in multorum notitiam, & approbationem &c. „ Longius tamen accepto *gloriæ* nomine, non ſo- „ lum conſiſtit in multitudinis cognitione, ſed et-

„ etiam paucorum, vel unius, aut ſui ipſius: „ dum ſcilicet aliquis proprium bonum ſuum „ conſiderat, ut dignum laude. Quod autem a- „ liquis bonum ſuum cognoſcat, & approbet, „ non eſt peccatum &c. Similiter etiam non eſt „ peccatum, quod aliquis velit bona opera ſua „ ab aliis approbari. Dicitur enim Matthæi 5. „ *Luceat lux veſtra coram hominibus*. Et ideo „ *appetitus gloriæ* de ſe non nominat aliquid vi- „ tioſum. Sed *appetitus inanis*, vel *vanæ gloriæ* „ vitium importat. Nam quodlibet vanum appe- „ tere vitioſum eſt, ſecundum illud Pſalm. 4. *Ut* „ *quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

At vero quoties gloria *vana*, adeoque peccatum dicenda erit? Reſpondet „ tripliciter. Uno „ modo *ex parte rei, de qua quis gloriam quæ-* „ *rit*, puta cum quis gloriam quærit de eo, „ quod non eſt, vel de eo, quod non eſt glo- „ ria dignum, ſicut de aliqua re fragili, & ca- „ duca. Alio modo *ex parte ejus, a quo quis* „ *gloriam quærit*, puta hominibus, quorum ju- „ dicium non eſt certum. Tertio ex *parte ipſius* „ *qui gloriam appetit*, qui videlicet appetitum „ gloriæ ſuæ non refert in debitum finem, puta „ ad honorem Dei, vel proximi ſalutem “.

X. De pravitate hujus vitii ſubinde diſſerit *artic.* 3. nec ſine piaculo præclara ejus doctrina pretereunda eſt. Ibi quærit, *an inanis gloria ſit peccatum mortale*, ac ita reſpondet: „ Ex hoc a- „ liquod peccatum eſt mortale, quod *charitati* „ *contrariatur*. Peccatum autem inanis gloriæ ſe- „ cundum ſe conſideratum, non videtur contra- „ riari charitati quantum ad dilectionem proxi- „ mi. Quantum autem ad dilectionem Dei pot- „ eſt contrariari charitati dupliciter. Uno modo „ ratione materiæ, de qua quis gloriatur, puta „ cum quis gloriatur de aliquo falſo, quod con- „ trariatur divinæ reverentiæ ſecundum illud E- „ zech. 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti:* „ *Deus ego ſum*; & 1. ad Corinth. 4. *Quid ha-* „ *bes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti,* „ *quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Vel etiam „ cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, „ præfert Deo, quod prohibetur Jerem. 9. *Non* „ *glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in* „ *fortitudine ſua, nec dives in divitiis ſuis: ſed* „ *in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me*. „ Aut etiam quis præfert teſtimonium hominum „ teſtimonio Dei: ſicut contra quoſdam dicitur „ Joan. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam homi-* „ *num, quam Dei* “.

„ Alio modo (peccatum inanis gloriæ poteſt „ eſſe contrarium dilectioni Dei) ex parte ipſius „ gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad glo- „ riam tamquam ad ultimum finem, ad quem „ ſcilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro „ conſequendo non prætermittit facere etiam ea, „ quæ ſunt contra Deum. Et ſic eſt peccatum „ mortale “. Auguſtinus dicit in quinto de Civit. Dei, quod *hoc vitium*, ſcilicet amor humanæ laudis, *tam inimicum eſt piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor, ut diceret Dominus: Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem expectatis, & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quærentes?*

XI. Ex quibus liquido conſtant caſus, in quibus appetitus inanis gloriæ *peccatum eſt mortale*. Primus nempe tunc eſt, quoties quiſpiam *gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur divinæ reverentiæ*. Peccant enim *mortaliter*, qui ex falſis, noviſque opinionibus contra fidem, vel bonos mores a ſe adinventis gloriam aucupantur, vel gloriæ ſuæ, ſuique inſtituti, aut communitatis deſiderio docent, aut evulgant aliquid ad fidem catholicam pertinere, quod Eccleſiæ authoritate nondum definitum eſt.

Alter cum quis *præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei*. Exemplum eſt in hæreticis, & quibuſvis pravarum opinionum authoribus, Doctoribus, tum etiam Concionatoribus, qui ne famæ, aut gloriæ jacturam, aut decrementum patiantur, ejurare nolunt propoſitiones, quas imprudenter diſſeminarunt, ſive erroneas, ſive ſcandaloſas, pernicioſas, aut piarum aurium offenſivas, etiam ſapientioribus ſuadentibus, aut Eccleſiæ Rectoribus jubentibus. Item in illis, qui ne vituperentur ab hominibus, neceſſarium virtutis officium prætermittunt, vel Deo ad perfectioris vitæ genus interius vocanti, obedire renuunt. Hi namque omnes magis diligunt gloriam hominum, quam gloriam Dei.

Tertius caſus eſt, in quo juxta Sanctum Thomam inanis gloria peccatum eſt mortale, dum quis *intentionem ſuam refert ad gloriam tamquam ad ultimum finem, pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam quæ ſunt contra Deum*. In hac perverſa animi diſpoſitione ſunt ii omnes, qui ne gloriam hominum amittant, quam immoderatius affectant, aut appetunt, plura agunt, quæ Legi Dei adverſantur, ut ſi quis conſentiat in aliquod peccatum, timens diffamationem, quam, ſi renuat, alter denunciat: vel ſi Theologus, ne imperitus, minuſve doctus videatur, difficiles conſcientiæ caſus intrepide reſolvit, quamquam de veritate judicii ſui certus minime ſit, aut doctiores non conſuluerit. De his, aliiſve ſimilibus Sanctus Auguſtinus *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 56. Deum alloquens dixit: *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, non eripietur, damnante te.*

S. Thomas poſt allata documenta ſubdit: *Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis ſit inanis, non tamen repugnet charitati* (eo ſenſu quem expoſuerat) *neque quantum ad id, de quo eſt gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non eſt peccatum mortale, ſed veniale*. Valde tamen periculoſum eſſe conſentit *ad* 3. cum Auguſtino, Chryſoſtomo, cæteriſque Patribus, *non tantum propter gravitatem ſui, ſed etiam propter hoc, quod eſt diſpoſitio ad gravia peccata: in quantum ſcilicet per inanem gloriam redditur homo præſumptuoſus, & nimis de ſeipſo confidens: & ſic etiam paulatim diſponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis*, & in alia plura vitia labatur, de quibus ſtatim.

§. III.

De Filiabus vanæ gloriæ.

XII. Sapiens eſt animadverſio S. Thomæ *art.* 4. hujus *q.* 132. quod cum ſuperbia importet *inordinatum appetitum excellentiæ*, inter bona, quæ huic præſertim ſubſerviunt, ſit manifeſtatio ejuſdem: adeoque ſicut per gloriam, quæ eſt apud Deum, conſequitur homo excellentiam in rebus divinis; ita etiam per gloriam hominum conſequitur excellentiam in rebus humanis. Et idcirco propter propinquitatem, quam hæc *manifeſtatio* habet ad excellentiam, quam homines maxime deſiderant, conſequens eſt, quod ſit admodum appetibilis. Ex quo ſubinfert multa eſſe vitia, quæ ex inordinato appetitu ejuſdem proficiſcuntur: quæ ſubinde enumerat *art.* 5. nimirum, *inobedientiam*, *jactantiam*, *hypocriſim*, *contentionem*, *pertinaciam*, *diſcordiam*, *& novitatum præſumptionem*, de quibus pauca dicemus.

De Inobedientia.

Quæ a nobis in Tractatu *de Legibus* dicta ſunt, ſatis oſtendunt, quibus, & in quibus ſubditi Prælatis teneantur obedire. Quare iis omiſſis, ac de ſola inobedientia agentes, definitio ipſius hæc eſt ex D. Thoma 2. 2. *q.* 105. *art.* 1. tradita, nempe *violatio præcepti Superioris ex contemptu*: in qua illud obſervandum, omne quidem peccatum ſecum afferre quamdam inobedientiam generalem: ſed non omne peccatum eſſe ſpeciale inobedientiæ peccatum, de quo modo ſermo eſt. Ad hoc enim requiritur, quod ipſa præcepti Superioris violatio ſit objectum ipſius peccantis. *Non omne peccatum*, inquit S. Doctor ad 1. *mortale eſt inobedientia*, *proprie*, *& per ſe loquendo: ſed ſolum tunc*, *quando aliquis præceptum contemnit*; *quia ex fine* (ſive objecto) *morales actus ſpeciem habent. Cum autem facit aliquid contra præceptum*, *non propter præcepti contemptum*, *ſed propter aliquid aliud*, *eſt inobedientia materialiter tantum*, *ſed pertinet formaliter ad aliam ſpeciem peccati.*

Hoc peccatum inobedientiæ ex ſe mortale eſſe eleganti ratione probat, aſſumpto eo generali principio, quod nempe *illud ſit peccatum ex genere ſuo mortale*, *quod contrariatur charitati*, *per quam eſt ſpiritualis vita. Charitate autem diligitur Deus*, *& proximus. Exigit autem Charitas Dei*, *ut ejus mandatis obediatur .... in præceptis autem divinis continetur*, *quod etiam Superioribus obediatur. Et ideo etiam inobedientia*, *qua quis eſt inobediens præceptis Superiorum*, *eſt peccatum mortale*, *quaſi divinæ dilectioni contrarium*, *ſecundum illud ad Rom.* 13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. *Contrariatur inſuper dilectioni proximi*, *in quantum Superiori proximo ſubtrahit obedientiam*, *quam ei debet.*

Gradus veluti hujuſce *inobedientiæ* peccati ſubinde deſignat *art.* 2. eoſque conſiderat tum ex parte *præcipientis*, tum ex parte *præceptorum*, demumque ita concludit: „ Sic ergo oportet diverſos inobedientiæ gradus diverſis præceptorum „ gradibus comparare. Nam inobedientia, qua „ contemnitur Dei præceptum, ex ipſa ratione „ inobedientiæ *gravius* eſt peccatum, quam peccatum, quo peccatur in hominem, ſi ſecerneretur inobedientia Dei. Et hoc ideo dico: quia „ qui contra proximum peccat, etiam contra Dei „ præceptum agit. Si tamen in aliquo potiori „ præceptum Dei contemneret, adhuc peccatum „ gravius eſſet. Inobedientia autem, qua contemnitur præceptum hominis, levior eſt peccato, quo contemnitur ipſe præcipiens: quia ex „ reverentia præcipientis procedere debet reverentia præcepti. Et ſimiliter peccatum, quod directe pertinet ad contemptum, ſicut blaſphemia, vel aliquod hujuſmodi, gravius eſt, etiam ſemota per intellectum inobedientia a peccato, quam eſſet illud peccatum, in quo contemnitur ſolum Dei præceptum ".

Addit tamen Sanctus Doctor *ad* 2. „ Non poſſe omnem inobedientiam eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, ſed ſolum illam, cui obſtinatio adhibetur. Non enim contemptus cujuſcumque, quod peccatum impedit, conſtituit „ peccatum in Spiritum Sanctum (alioquin cujuslibet boni contemptus eſſet peccatum in Spiritum Sanctum: quia per quodlibet bonum poteſt homo impediri a peccato) ſed bonorum „ illorum contemptus facit peccatum in Spiritum „ Sanctum, quæ directe ducunt ad pœnitentiam, „ & remiſſionem peccatorum ".

De Jactantia.

XIII. Jactantiæ definitio hæc eſt: *Inordinata propriæ excellentiæ deprædicatio per verba.* Tunc, inquit Sanctus Thomas quæſt. 112. artic. 1. *Proprie aliquis ſe extollit*, *quando de ſe ſupra ſe aliquid dicit*, ſive prædicat, Hoc autem dupliciter contingit. „ Quandoque enim aliquis loquitur de „ ſe, non quidem ſupra id, quod in ſe eſt, ſed „ ſupra id, quod de eo homines opinantur, quod „ Apoſtolus refugiens dicit 2. ad Corinth. 12. „ *Parco*, *ne quis exiſtimet de me ſupra id*, *quod* „ *videt in me*, *aut audit aliquid ex me.* Alio „ modo aliquis per verba ſe extollit loquens „ de ſe ſupra id, quod in ſe eſt ſecundum „ rei veritatem. Et quia magis eſt aliquid judicandum ſecundum quod in ſe eſt, quam ſecundum quod eſt in opinione aliorum; inde „ eſt, quod magis proprie dicitur *jactantia*, quando aliquis effert ſe ſupra id, quod in ipſo eſt, „ quam quando effert ſe ſupra id quod eſt in opinione aliorum, quamvis utroque modo jactantia dici poſſit ".

Ex doctrina, quam ibidem *art.* 2. tradit Sanctus Doctor, haud difficile eſt colligere, quandonam jactantia ſit peccatum mortale, & quando ſolum veniale. Primum igitur mortale peccatum eſt, *cum aliquis jactanter de ſe profert aliquid contra gloriam Dei*, *ſicut ex perſona Regis Tyri dicitur Ezech.* 28. Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum. *Et jactantia Moabitarum apud Jerem. cap.* 48. Audivimus ſuperbiam Moab: ſuperbus eſt valde: ſublimitatem ejus, & arrogantiam,

tiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis ejus: ego ſcio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quod non ſit juxta eam virtus ejus.

2. Jactantia lethale peccatum eſt, cum quis jactanter aliquid profert contra charitatem proximi, *ſive cum quis jactando ſe ipſum, prorumpit in contumelias aliorum, prout habetur Lucæ* 18. *de Phariſæo, qui dicebat:* Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

3. Dum jactantia *procedit ex ſuperbia, vel inani gloria, quæ ſit peccatum mortale:* V. g. dum quis ſe jactando extollit, ut alterius merito aut exiſtimationi detrahat.

4. Quando quis ſe jactat de peccato mortali, quo in caſu non ſolum jactantia peccatum mortale eſt, ſed contrahit etiam malitiam ejuſdem ſpeciei cum peccato, de quo quis ſe jactat, tum propter approbationem illius, quam tacite ſaltem involvit: tum quia jactantia e. g. de fornicatione, aut adulterio non ſolum opponitur humilitati, ſed etiam charitati, aut juſtitiæ. Et ideo exprimenda in confeſſione eſt ſpecies peccati, de quo aliquis ſe jactavit.

5. Venialis duntaxat peccati reus eſt, qui delectationis, aut levitatis cauſa ſe jactat: idque ad mendacium jocoſum pertinet, *niſi forte hoc divinæ dilectioni præferret, ut propter hoc Dei mandata contemneret*: tunc enim eſſet peccatum mortale.

6. Qui ſe jactat cauſa lucri, *non ſemper reus eſt peccati mortalis*. Quia poteſt eſſe tale lucrum, quod nullum, vel leve proximo damnum inferat. Hinc S. Thomas ait: *Videtur ad mendacium officioſum pertinere, cum aliquis ad hoc ſe jactat, ut gloriam, vel lucrum acquirat: dummodo hoc ſit ſine damno aliorum: cum quo ſi conjuncta eſſet jactantia, jam pertineret ad mendacium perniciosum.*

Jactantiæ ſubjicit S. Doctor q. 113. *ironiam, per quam aliquis fingit minora a veritate declinans, puta cum aſſerit aliquod de ſe vile, quod in ſe non recognoſcit, aut cum negat de ſe aliquid magnum, quod tamen percipit in ſe ipſo eſſe: & ſic ſemper eſt peccatum.* Non enim mentiendum eſt, ut ſuperbia vitetur. Unde S. Auguſtinus *tract.* 43. *in Joan.* ſcribit: *Non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur*: & S. Gregorius lib. 26. moral. cap. 3. *Incaute ſunt humiles, qui ſe mentiendo illaqueant.* Ut plurimum *jactantia* gravius peccatum eſt *ironia*, ſive diſſimulatione: quia illa *ex turpiori motivo procedit, ſcilicet ex appetitu lucri, vel honoris. Ironia vero ex hoc quod aliquis fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis eſſe. Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de ſe fingit ex aliquo alio motivo, puta ad decipiendum: & tunc ironia eſt gravior:* ex quo ſæpe peccatum mortale eſt.

De Hypocriſi.

XIV. Hypocriſis eſt *ſimulatio ſanctitatis*, aut *pietatis*, ſive peccatum eſt, quo quis perſonam pii, vel juſti hominis ſimulat, cum reapſe talis non ſit, qualem ſe videri appetit. Deformitatem hujus vitii exhibet S. Thomas *q.* 111. *art.* 4. his verbis: „ In hypocriſi duo ſunt, ſcilicet defectus „ ſanctitatis, & ſimulatio ipſius. Si ergo hypo„ crita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrum„ que, ut ſcilicet aliquis non curet ſanctitatem „ habere, ſed ſolum ſanctus apparere, ſicut con„ ſuevit accipi in Sacra Scriptura; ſic manifeſtum „ eſt, quod eſt peccatum mortale; nullus enim „ totaliter privatur ſanctitate, niſi per peccatum „ mortale " juxta illud Sap. 1. *Spiritus S. diſciplinæ effugiet fictum.* Et Job 13. *Ipſe erit Salvator meus. Non enim veniet in conſpectu ejus omnis hypocrita.* Et hinc eſt, quod Chriſtus Dominus *Matth.* 23. plures maledictiones intorquet in Scribas, & Phariſæos ob hoc peccatum.

„ Si autem, ſequitur S. Doctor, dicatur hypo„ crita ille, qui intendit ſimulare ſanctitatem, a „ qua deficit per peccatum mortale, tunc quamvis „ ſit in peccato mortali, ex quo privatur ſancti„ tate, non tamen ipſa ſimulatio eſt ei peccatum „ mortale, ſed quandoque veniale. Quod diſcer„ nendum eſt ex fine: qui ſi repugnat charitati „ Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta „ cum ſimulat ſanctitatem, ut falſam doctrinam „ diſſeminet, vel ut adipiſcatur Eccleſiaſticam di„ gnitatem indignus, vel quæcumque alia tempo„ ralia bona, in quibus finem conſtituit. Si vero „ finis intentus non repugnet charitati, erit pec„ catum veniale, puta cum aliquis in ipſa fictione „ delectatur, de quo dicitur 4. *Ethic.* quod magis „ videtur vanus, quam malus. Eadem enim ratio „ eſt de mendacio, & ſimulatione ".

„ Contingit autem quandoque quod aliquis ſi„ mulat perfectionem ſanctitatis, quæ non eſt „ de ſalutis neceſſitate: & talis ſimulatio nec ſem„ per eſt peccatum mortale, nec ſemper eſt cum „ peccato mortali ".

XV. Ex his plura colligere fas eſt, quæ hujuſce peccati qualitatem manifeſtant: & primo quidem hypocriſim mortale peccatum eſſe, cum aliquis non curat, ut ait S. Thomas, *ſanctitatem habere, ſed ſolum ſanctum apparere*. Chriſtianæ namque Religionis ſpiritum, verumque Dei cultum, quantum in ipſo eſt, moribus ſuis evertit. Cum enim Chriſtus Dominus *Joan.* 4. dixerit: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant, in ſpiritu, & veritate oportet adorare;* hypocritæ non ſpiritu, ſed ſolo corporis habitu, & ſpecie externa Deum colunt & adorant, ut videantur, & laudentur ab hominibus.

2. Mortale peccatum eſt hypocriſis, cum quis ſanctitatem ſimulat ob finem charitati Dei, vel proximi repugnantem, e. g. ut *falſam doctrinam*, inquit S. Doctor, *diſſeminet, vel ut adipiſcatur Eccleſiaſticam dignitatem*. De his locutus eſt Chriſtus Dominus, cum monuit: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, præferentes ſcilicet exteriorem ſpeciem ſanctitatis; *intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. *Spiritus manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fine, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium &c.*

3. Qui

3. Qui non ob finem ſanctitati repugnantem, aut charitatem Dei, vel proximi non lædentem, ſed delectationis gratia, aut ſimili alia de cauſa ſimulat ſanctitatem, veniale tantum peccatum hypocriſis committit. *Contingit* etiam, ait S. Thomas, quandoque, *ut aliquis ſimulet perfectionem ſanctitatis, quæ non eſt de neceſſitate ſalutis: & talis ſimulatio non ſemper eſt peccatum mortale, nec ſemper eſt cum peccato mortali.* Quælibet tamen gravis hypocriſis tota animi cura ſemper cavenda eſt, atque ante oculos ſemper habenda illa Chriſti admonitio apud Matth. 6. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cum ergo facis eleemoſynam* (idem dicas de alio quolibet bono opere) *noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus . . . . Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam . . . . Et cum oratis non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam . . . . Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Legenda ſunt de hoc divino textu commentaria Patrum, maximeque S. Joan. Chryſoſtom. *hom.* 19. *in Match.*, & Sancti Auguſtini *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte cap.* 2.

De Contentione.

XVI. Quarta inanis gloriæ filia *contentio* eſt, quia, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 38. art. 2. *Proprium ſuperbiæ eſt, & inanis gloriæ propriam excellentiam quærere. Sicut autem diſcordantes aliqui ſunt ex hoc, quod ſtant corde in propriis: ita contendentes ſunt aliqui ex hoc, quod unuſquiſque, verbo id, quod ſibi videtur, defendit.* Ex quo hæc ejus definitio eſſe poteſt, nimirum *eſt altercatio verborum, quibus inordinate quis alteri contrariatur*, cujus explicationem exhibet S. Thomas loco laud. *art.* 1. inquiens: „ *Contendere* eſt contra „ aliquem tendere. Unde ſicut diſcordia contra„ rietatem quamdam importat in voluntate: ita „ contentio contrarietatem quamdam importat in „ locutione . . . . Contrarietas autem locutionis „ poteſt attendi dupliciter. Uno modo quantum „ ad intentionem contendentis: alio modo, quan„ tum *ad modum*. In intentione quidem conſi„ derandum eſt, utrum aliquis contrarietur *ve*„ *ritati*, quod eſt vituperabile, vel falſitati, quod „ eſt laudabile. In modo autem conſiderandum „ eſt, utrum talis modus contrariandi conveniat „ & perſonis, & negotiis: quia hoc eſt laudabi„ le . . . vel excedat convenientiam perſonarum, „ & negotiorum: & ſic contentio eſt vitupera„ bilis. “

„ Si ergo accipiatur *contentio* ſecundum quod „ importat impugnationem veritatis, & inordina„ tum modum; ſic eſt *peccatum mortale*. Et hoc „ modo definit Ambroſius contentionem dicens: „ *Contentio eſt impugnatio veritatis cum confiden*„ *tia clamoris*. Si autem contentio dicatur im„ pugnatio falſitatis cum debito modo acrimo„ niæ, ſic contentio eſt laudabilis. Si autem ac„ cipiatur contentio ſecundum quod importat „ impugnationem falſitatis cum inordinato mo„ do, ſic poteſt eſſe peccatum veniale, niſi for„ te tanta inordinatio fiat in contendendo, quod „ ex hoc generetur ſcandalum aliorum. Unde „ & Apoſtolus cum dixiſſet 1. ad Timoth. 2. „ *Noli verbis contendere*, ſubdit: *Ad nihil* „ *enim utile erit, niſi ad ſubverſionem audien*„ *tium*.

XVII. Ex hac Angelica doctrina nonnullæ eruuntur regulæ ad praxim neceſſariæ. Quarum prima eſt: ſi contentio aſſumatur, *prout importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, qui ſcilicet nec perſonis, nec negotiis conveniat, peccatum mortale eſt*. Unde graviter peccant, qui veritatem fidei, vel moralis Chriſtianæ contentioſe impugnant, ſive ſit illis explorata, ſive falſitatem eſſe putent levibus, ac fallacibus argumentis ſeducti. Hujuſmodi ſunt præter hæreticos, qui fidei dogmata, quorum veritatem agnoſcere poſſunt, verbis, aut ſcriptis impugnant, & Catholici quidem, qui impugnant ex falſis, quæ deponere deberent, præjudiciis nonnulla ſanioris doctrinæ capita nimium obvia, atque perſpicua omnibus, qui hiſce præjudiciis præventi non ſunt.

Altera regula eſt: Lethaliter peccant, qui cum gravi audientium ſcandalo verbis contendunt de quibuſdam veritatibus, aut ſententiis, quæ licet fide certæ non ſint, tamquam certæ nihilominus exiſtimantur, nec pietatem lædunt, ſed potius fovent, ut e. gr. de ſitu Inferni, de ſtatu puerorum decedentium ſine baptiſmo, aut de ſenſu quorumdam verborum Scripturæ ab Eccleſia nondum definito &c. Huc enim reſpexiſſe videtur Apoſtolus, cum dixit: *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

Tertia regula: Peccant quoque lethaliter improbi Litigatores, Cauſidici, Procuratores, qui cum rationibus optimis veritatem, aut merita cauſæ in lucem proferre, ac tueri deberent, verbis extorquere ſententiam a judice conantur, aut etiam improperiis diſceptant, quibus charitas proximo debita læditur, aut fama proſcinditur.

Regula quarta: Contentio de re, de qua contendendum non eſt, veniali ſaltem culpa non caret. Talis erat Diſcipulorum Chriſti contentio, quam refert S. Lucas cap. 22. *quis eorum videretur eſſe major*. De hac S. Thomas in reſp. ad 1. ita obſervat: *In Diſcipulis Chriſti non erat contentio cum intentione impugnandi veritatem, quia unuſquiſque defendebat, quod ſibi verum videbatur. Erat tamen in eorum contentione inordinatio: quia contendebant de quo non erat contendendum, ſcilicet de primatu honoris. Nondum enim erant ſpirituales. Unde Dominus conſequenter eos compeſcuit.*

Regula quinta: Sicut contentio, quæ eſt impugnatio falſitatis cum debito modo acrimoniæ eſt laudabilis: ita ſi accipiatur contentio, ſecundum quod importat impugnationem falſitatis cum inordinato modo, ſic poteſt eſſe peccatum ve-

veniale: niſi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur aliorum ſcandalum. Hæc regula eiſdem ferme verbis S. Thomæ expreſſa eſt, eamque confirmat art. 1. in reſp. ad 3. dicens: *Si accipiatur contentio in judicio, vel diſputatione ſecundum imperfectam rationem, ſcilicet ſecundum quod importat quamdam acrimoniam* (aut incompoſitum clamorem) *locutionis, ſic non ſemper eſt peccatum mortale*, ſed ſæpius veniale, imo nullum, ſi omne ſcandalum abſit, & acrimonia, vel clamor inordinatus non ſit, ſed ratione directus.

Cæterum quamquam moderata contentio cauſa illuſtrandæ, aut defendendæ veritatis ſuſcepta laudabilis ſit, nihilominus generatim loquendo contentiones ab homine Chriſtiano fugiendæ ſunt, quia plerumque fiunt ſolo ſtudio vincendi adverſarium, aut gloriæ captandæ. Unde Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 2. ſcribit: *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, & cum modeſtia corripientem.* Et S. Auguſtinus lib. de Doctrina Chriſt. cap. 28. ait: *Verbis contendere, non eſt curare, quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: quoniam neque ipſa quæ præcepti, & finis legis eſt, charitas, ullo modo recta eſſe poteſt, ſi ea quæ diliguntur, non vera, ſed falſa ſunt.*

De Pertinacia.

XVIII. Pertinacia definiri ſolet: *Vitium ex inani gloria proveniens, quo quis repudiata meliore, & æquiore ſententia, de ſua, quamvis falſa, & iniqua nulla ratione dimoveri poteſt.* Nam ut ex Iſidori lib. 10. Etymol. ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 138. art. 2. *Pertinax dicitur aliquis, qui eſt impudenter tenens, & quaſi ad omnia tenax, & hic idem dicitur pervicax, eo quod in propoſito ſuo ad victoriam perſeverat .... Ideo autem aliquis nimis perſiſtit in propria ſententia, quia per hoc vult ſuam excellentiam manifeſtare. Et ideo oritur ex inani gloria, ſicut ex cauſa.*

Hoc peccatum mortale eſt, 1. Dum aliquis manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei, ei repugnat, & in proprio errore perſiſtit, quod eſt hæreſis peccatum, quæ ſine pertinacia non habetur. 2. Dum aliquis publice, vel privatim defendit propoſitiones a Summo Pontifice, vel a proprio Epiſcopo in ſua Diœceſi proſcriptas, tamquam fidei, vel bonis moribus, vel pietati, vel Eccleſiaſticæ paci repugnantes. Graviter namque offendit charitatem Dei, & proximi, dum judicium ſuum ſubmittere renuit iis, ad quos divino jure ſpectat judicium ferre de doctrina, aliiſque, quæ ad bonum animarum pertinent. 3. Lethalis pertinaciæ reus eſt, qui Scripturarum Divinarum authoritati quaſcumque, quæ menti ſuæ occurrunt, rationes non ſubmittit, ac evidenti rationi Scripturæ præter Eccleſiæ ſenſum intellectæ authoritatem ſtudioſe opponit. Ut enim inquit S. Auguſtinus Epiſt. 147. *Si ratio contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine: nam vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ, rectæque rationi velut Scripturarum ſanctarum objicitur authoritas; non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius objicit veritati: nec quod in eis eſt, ſed quod in ſeipſo, veluti pro eis, invenit, opponit.*

De Diſcordia.

XIX. Diſcordia ex D. Thoma 2. 2. q. 37. art. 2. *importat quamdam diſgregationem voluntatum, in quantum ſcilicet voluntas unius ſtat in uno, & voluntas alterius ſtat in altero. Quod autem voluntas alicujus in proprio ſiſtat, provenit ex hoc, quod aliquis ea, quæ ſua ſunt præfert iis, quæ ſunt aliorum. Quod cum inordinate fit, pertinet ad ſuperbiam, & inanem gloriam.*

Ex quibus definitio *diſcordiæ* colligi poteſt, quod nimirum ſit *contrarietas voluntatum in bono, in quo oportet eſſe concordes.* Hanc S. Doctor explicat art. 1. ſimulque probat eſſe peccatum dicens: „ Diſcordia concordiæ opponitur. Concordia autem ex „ charitate cauſatur, in quantum ſcilicet charitas multorum corda conjungit in aliquod unum, „ quod eſt principaliter quidem bonum divinum, „ ſecundario autem bonum proximi. Diſcordia igitur ea ratione eſt peccatum, in quantum hujuſmodi concordiæ contrariatur.

„ Sed ſciendum, quod hæc concordia per diſcordiam tollitur dupliciter. Uno quidem modo „ *per ſe*, alio vero modo *per accidens*. *Per ſe* quidem in humanis actibus, & motibus dicitur „ eſſe id, quod eſt ſecundum intentionem. Unde *per ſe* diſcordat aliquis a proximo, quando „ ſcienter, & ex intentione diſſentit a bono divino, & proximi bono, in quo debet conſentire: *& hoc eſt peccatum mortale ex ſuo genere*, „ propter contrarietatem ad charitatem: licet „ primi motus hujus diſcordiæ propter imperfectionem actus ſint peccata venialia “.

„ *Per accidens* autem in humanis actibus conſideratur ex hoc, quod aliquid eſt præter intentionem. Unde cum intentio aliquorum eſt ad „ aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, „ vel utilitatem proximi, ſed unus æſtimat hoc „ eſſe bonum, alius autem habet contrariam opinionem, diſcordia tunc eſt per accidens contra „ bonum divinum, vel proximi: & talis diſcordia *non eſt peccatum*, nec repugnat charitati, „ niſi hujuſmodi diſcordia ſit vel cum errore circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel pertinacia indebite adhibeatur: cum etiam ſupra „ dictum ſit, quod concordia, quæ eſt charitatis „ effectus, eſt unio voluntatum, non unio opinionum. Ex quo patet, quod diſcordia quandoque eſt in peccato unius tantum, puta cum „ unus vult bonum, cui alius ſcienter reſiſtit: „ quandoque autem eſt cum peccato utriuſque, „ puta cum uterque diſſentit a bono alterius, & „ uterque diligit bonum proprium “.

XX. Ex hac doctrina, quæ complectitur omne id, quod de *diſcordia* dici poteſt, ejuſque pravitate, plura habes ad ejus exactam notitiam neceſſaria. Ha-

Habes primo proprie *diſcordiam* conſiſtere non in contrarietate *opinionum*, ut vulgo exiſtimatur, ſed in contrarietate voluntatum, quemadmodum & *concordia*, quæ eſt effectus charitatis, non in unione opinionum, ſed voluntatum poſita eſt. Unde poteſt eſſe inter aliquos diſcrepantia opinionum, ſalva permanente unione voluntatum.

Habes 2. *diſcordiam* eam proprie dicendam eſſe, quæ opponitur concordiæ, quæ eſt effectus charitatis, adeoque ſi nulla ex ea oriatur læſio charitatis, vel Dei, vel proximi, nullum quoque peccatum ſit.

Habes 3. diſcordiam eſſe peccatum, & quidem ex genere ſuo mortale, quoties aliquis ſciens, & ex intentione diſſentit a bono divino, aut bono proximi, in quo conſentire tenetur. Si enim conſentire minime teneatur, talis diſſenſio peccatum non eſt, ut cum aliquis diſſentit ab alio circa ingreſſum Religionis, vel alia opera conſilii, aut ſupererogationis.

Habes 4. Cum intentio aliquorum fertur in aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel proximi utilitatem: ſed alter æſtimat hoc eſſe bonum, alter autem contrariæ opinionis eſt; ea diſcordia tunc eſt *per accidens*, *& præter intentionem* contra bonum divinum, vel proximi. Et tunc hujuſmodi diſcordia peccatum non eſt, nec repugnat charitati, niſi conjuncta ſit cum errore circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel cum pertinacia indebita. Talis diſcordia voluntatum innoxia fuit illa inter Sanctos Paulum, & Barnabam, quæ refertur in Actibus Apoſtolorum cap. 15. *Uterque enim*, ut ait Sanctus Thomas hic ad 3. *intendebat bonum*: *ſed uni videbatur hoc eſſe bonum, alii aliud, quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controverſia in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: quamvis hoc ipſum fuerit ex divina Providentia ordinatum propter utilitatem inde conſequentem.*

Habes quinto, diſcordiam aliquando eſſe cum peccato unius tantum, puta cum aliquis vult bonum, cui alius ſcienter reſiſtit. Sic diſcordia Catholicorum cum hæreticis, & ſchiſmaticis eſt ex parte horum duntaxat, & hi ſolummodo peccant. Unde Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 354. de diſcordia, quæ erat inter Catholicos, & Donatiſtas ſic ait: „ Nos litigare videmur cum Do„ natiſtis, ſed non litigamus: ille enim litigat, „ qui adverſario ſuo male vult. Litigat ille qui „ adverſarium ſuum vult detrimentum pati, ſe „ augmentum . . . . . Volebamus enim eos cum „ quibus litigare videbamur, vel adhuc videmur, „ acquirere nobiſcum, non perdere, ut nos ac„ quiramur. Denique alia vox noſtra eſt, quam „ fuit fratris illius, qui interpellavit Chriſtum „ in terra ambulantem. Nam & nos interpella„ mus eum in hac cauſa in cælo ſedentem, & „ non dicimus, *Domine dic fratri meo, ut divi*„ *dat mecum hæreditatem*: ſed dic fratri meo, ut „ teneat mecum hæreditatem . . . . Hoc non eſt „ litigare, ſed amare “.

Habes demum, diſſentire a proximo in malo, nedum peccatum nullum eſſe, ſed potius laudabile, & omnino faciendum, quia numquam fas eſt conſentire peccato alterius. Ut enim reſpondet *ad* 2. Angelicus Doctor: „ Sicut voluntas „ hominis adhærens Deo eſt quædam regula re„ cta, a qua peccatum eſt diſcordare; ita et„ iam voluntas hominis Deo contraria eſt quæ„ dam perverſa regula, a qua bonum eſt diſcor„ dare. Facere ergo diſcordiam, per quam tol„ litur bona concordia, quam charitas facit, eſt „ grave peccatum. Unde dicitur Prov. 6.: *Sex* „ *ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſta*„ *tur anima ejus*: & hoc ſeptimum ponit *eum*, „ *qui ſeminat inter fratres diſcordias*. Sed cau„ ſare diſcordiam, per quam tollitur mala con„ cordia, ſcilicet in mala voluntate, eſt laudabi„ le. Et hoc modo laudabile fuit, quod Pau„ lus poſuit diſſenſiones inter eos, qui erant con„ cordes in malo “.

De Præſumptione novitatum.

Poſtrema vanæ gloriæ ſoboles eſt *præſumptio novitatum*, quæ vitium eſt, *quo quis ſtudio inanis gloriæ nova excogitare præſumit*. Quam ſit periculoſum hoc vitium ex eo patet, quod omnes ferme hæreſes, erroreſque contra fidem, & bonos mores ex ipſo germinarunt. Peccatum mortale eſt primo, cum nova doctrina contra fidei veritatem, aut morum ſanctitatem excogitatur. Nam juxta Apoſtoli Pauli monitum tenemur *depoſitum cuſtodire*, *ac devitare prophanas vocum novitates*, quæ fidei adverſæ ſunt.

2. Cum abſque cauſa, & Epiſcoporum authoritate, ac præſertim Romani Pontificis in rebus magni momenti innovantur ſacri ritus, & Eccleſiæ diſciplina. Unde in Concilio Colonienſi anno 1536. celebrato p. 2. cap. 7., redarguuntur ii, qui novitates in Eccleſiæ officiis introducunt: „ Sunt, inquit, in clero zelum quidem Dei ha„ bentes, ſed non ſecundum ſcientiam, qui pri„ vatis quibuſdam affectibus ducti, vel teſtamen„ to, vel ut vocant, fundationibus, efficiunt, „ ut nova feſta, præter Eccleſiæ authoritatem „ ſubinde celebrentur. Quo interim fit, ut pre„ ces horariæ, ac reliqua publice recepta pro „ affectu cujuslibet facile noventur, id quod „ nobis non ſatis probatur. Neque enim erra„ runt Patres, a quorum inſtitutis in dicendis „ precibus utinam diſceſſum non fuiſſet. Quod „ ſi hic ſingulorum affectibus indulgebitur, tan„ dem antiquus ritus penitus evaneſcet “.

3. Lethaliter plerumque peccant vanæ mulieres, quæ novas veſtiendi formas, præter conſuetum patriæ morem, introducunt, ſicut etiam, qui conſuetudines novas invehunt, quæ in ſcandalum, aut aliorum præjudicium vergunt, aut morum corruptelam tandem pariunt, prout experientia nimium compertum eſt. Quare damnandæ ſunt novæ veſtium formæ, novæ choreæ, ac ſaltationes, novi ludi, novi ciborum apparatus, nova ſpectacula, & id genus alia, quæ in corporis, & animæ detrimentum demum cedunt, nedum eorum, qui hujuſmodi novitates inveniunt, ſed aliorum etiam, qui his exemplis facile in malum trahuntur.

§. V.

§. V.

De virtute oppoſita Superbiæ ſcilicet Humilitate.

XXII. Superbiæ opponitur *humilitas*, virtus plane excellentiſſima, omnibuſque perquam neceſſaria. De hac virtute agit S. Thomas 2. 2. *tota q.* 161., eamque definit, quod ſit *virtus temperans, & refrænans animum, ne immoderate tendat in excelſa*. Permulti ſunt inter Chriſtianos, qui humilitatem quidem laudent, & ad vitæ perfectionem plurimum conferre non diffiteantur, ſed ad ſalutem neceſſariam eſſe non arbitrantur. Unde ea, quæ humilitati adverſantur, vix attendunt, ac de his ne ſe quidem in Sacramentali confeſſione accuſant. Verum quam falſa, nimiumque pernicioſa opinione ſeducantur, facile conſtat ex oraculis ſacræ Scripturæ, & præcipue Chriſti Domini in Evangelio, ubi terribilem in primis illam ſententiam legimus apud Matth. cap. 18.: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum*. Lucæ quoque cap. 18. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Unde & hanc virtutem ſuis omnibus diſcipulis maxime commendavit, cum dixit apud Matth.: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*: non ait, inquit S. Ambroſius, *diſcite a me mundum fabricare, aut mortuos ſuſcitare, ſed quia mitis ſum, & humilis corde*. Sexcenta alia tum Scripturarum, tum Sanctorum Patrum teſtimonia de hac humilitatis Chriſtianæ neceſſitate prætereo: illudque ſolum affero, quod docet S. Thomas hic *art.* 1. *ad* 3. nimirum: „ Ideo Chriſtus præcipue nobis humilitatem commendavit, „ quia per hoc maxime removetur impedimentum humanæ ſalutis, quæ conſiſtit in hoc, „ quod homo ad cæleſtia, & ſpiritualia tendat, „ a quibus homo impeditur, dum in terrenis „ magnificari ſtudet. Et ideo Dominus, ut impedimentum ſalutis auferret, exteriorem celſitudinem contemnendam monſtravit per humilitatis exempla. Et ſic humilitas eſt quaſi „ quædam diſpoſitio ad liberum acceſſum hominis in ſpiritualia, & divina bona “: adeoque hoc modo ad ſalutem admodum neceſſaria.

XXIII. Officia humilitatis, quæ cadunt ſub præcepto, duo ſunt præcipua, ad quæ cætera revocari facile poſſunt. Primum eſt *hominem Deo ſubjicere*. De quo S. Thomas ait art. 2. ad 3. *Humilitas præcipue videtur importare ſubjectionem ad Deum*. Neque certe quidpiam magis neceſſarium nobis eſt, quam ſubditum Deo eſſe, ac ejus magnitudinem humillimo obſequio revereri, cujus reſpectu nihil plane ſumus, & ſi quid ſumus, ab ipſo, in ipſo, & per ipſum ſumus. Ut enim Iſaiæ cap. 4. dicitur: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt*. Et Apoſtolus: *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Nec ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et Chriſtus Dominus apud Joann. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere*.

Egregie de hac ſubjectione loquitur S. Auguſtinus Hom. 351. „ In rebus viſibilibus, ut excelſa „ quiſque contingat, in excelſum erigitur. Deus „ autem cum ſit omnium excellentiſſimus, non „ elatione, ſed humilitate contingitur. Unde Propheta dicit: *Prope eſt Dominus omnibus, qui obtriverunt cor*. Et iterum: *Excelſus „ Dominus, & humilia reſpicit: & excelſa a longe „ cognoſcit*. Excelſa poſuit pro ſuperbis: illa ergo (*humilia ſcilicet*) reſpicit, ut attollat: iſta „ cognoſcit, ut dejiciat... Qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur: qui adverſus illum ſe erigit, ab illo projicitur. Alia eſt enim ſoliditas „ magnitudinis: alia eſt inanitas inflationis. Qui „ foris tumeſcit, intus tabeſcit. Qui eligit abjici „ in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis ſuis, & nihil ſibi aſſumentem ille „ in ſedem beatitudinis aſſumit. “

XXIV. Aliud humilitatis officium eſt, ſe etiam cæteris hominibus ſubjicere, juxta illud Apoſtoli ad Philip. 2.: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*. Verum ut innoteſcat quid a nobis hac ad alios ſubjectione ſub præcepto requirat humilitas, exſcribenda eſt ſolida, & perpulchra doctrina, quam habet S. Thomas *art.* 3., ubi quærit, *utrum homo debeat ſe omnibus per humilitatem ſubjicere*. Sic itaque docet: „ In homine „ duo poſſunt conſiderari: ſcilicet id *quod eſt Dei*: „ & id *quod eſt hominis*. Hominis autem eſt quidquid pertinet ad defectum. Sed Dei eſt quidquid „ pertinet ad ſalutem, & perfectionem, ſecundum „ illud Oſeæ: *Perditio tua, Iſrael, ex te eſt. Ex „ me autem auxilium tuum*. Humilitas autem, ſicut dictum eſt, proprie reſpicit reverentiam, „ qua homo Deo ſubjicitur. Et ideo quilibet homo ſecundum id quod ſuum eſt, *debet* ſe cuilibet proximo ſubjicere, quantum ad id, quod „ eſt Dei in ipſo: non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id, quod eſt Dei in ipſo, „ ſubjiciat ei, quod apparet eſſe Dei in altero “.

„ Nam illi qui dona Dei participant, cognoſcunt „ ea ſe habere, ſecundum illud 1. ad Cor. 2. *Ut „ ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis*: & ideo „ abſque præjudicio humilitatis poſſunt dona, quæ „ ipſi acceperunt, præferre donis Dei, quæ aliis „ apparent collata: ſicut Apoſtolus ad Epheſ. 3. „ dixit: *Aliis generationibus non eſt agnitum filiis „ hominum, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis „ ejus* “.

„ Similiter etiam non hoc requirit humilitas, „ ut aliquis id, quod eſt ſuum in ſeipſo, ſubjiciat ei, quod eſt hominis in proximo: alioquin oporteret, ut quilibet reputaret ſe magis „ peccatorem quolibet alio, cum tamen Apoſtolus abſque præjudicio humilitatis dicat Gal. 2. „ *Nos*

„ *Nos natura Judæi, & non ex gentibus, peccato-* „ *res*. Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni „ eſſe in proximo, quod ipſe non habet, vel „ aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, „ ex quo ſe poteſt ei ſubjicere per humilitatem “. Vere Angelica doctrina, quæ paucis complectitur germanam notionem humilitatis, quam habere nos oportet erga proximos noſtros. Ad cujus complementum illud addere præſtat, quod habetur *in reſp. ad* 3., ubi diſtinguit humilitatem quoad actum interiorem, & exteriorem, atque, illum etiam, qui aliis ſuperior eſt, poſſe, ac debere in corde ſuo, *ſecundum interiorem actum animæ alteri ſe ſubjicere*. Sed in exterioribus actibus humilitatis magna diſcretione uti debet erga ſubditos, prout viderit cujuſque moribus, aut indoli magis expedire. Superior igitur animo fovere humilitatem debet, ſeque ſubditis ſuis apud Deum, & in corde ſubjicere, ac ubi expedire cognoverit, etiam ſuam humilitatem exterius prodat; ſed diligenter caveat, ne per indiſcretos externæ humilitatis actus, ſubditi quidpiam ſpiritualis damni patiantur, ſive occaſionem ſuperbiendi ſumant. Hinc de juſtis hominibus ſcribit S. Gregorius Magnus Hom. 24. in Evangel. „ Præponunt ſibi „ in animo ipſos plerumque, quos corrigunt, „ meliores exiſtimant eos, quos judicant. Quod „ videlicet agentes, & per diſciplinam ſubdi- „ tos, & per humilitatem cuſtodiunt ſemeti- „ pſos “.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA.

I. *Superbia præ cæteris vitiis maximopere cavenda.*
II. *In ſuperbiæ punitionem Deus ſæpe permittit homines ruere in peccata turpiſſima.*
III. *Quanta ignorantia teneantur Chriſtianorum plurimi, qui ſuperbiæ peccatum, vel nihili vel parvi pendunt.*
IV. *Magna diligentia viri juſti cavere debent, ne in ſenſu ſuo, vel operibus ſuperbiæ tumor irrepat.*
V. *In externis quidem humilitatis actibus ſervanda moderatio eſt, ſed in interno ſenſu, & affectu, quiſque ſe omnibus poſtponere debet.*
VI. *Sub ſpecioſo virtutis pallio ambitio ſæpe deliteſcit.*
VII. *Audiendi non ſunt aliqui Caſuiſtæ, qui a peccato abſolvunt eos, qui appetunt primarias dignitates, atque etiam ipſum Epiſcopatum.*
VIII. *Sed neque fas eſt appetere, aut quærere alia beneficia curam animarum habentia.*
IX. *Licet tamen aliquando quærere beneficium ſimplex.*
X. *Ambitionis, & vanæ gloriæ culpa non vacant Concionatores, qui nobiliores Eccleſiarum ſuggeſtus ſtudioſe exquirunt.*
XI. *Superiori officium aliquod imponenti, obedire minime debet ſubditus, aliquod in ſe impedimentum agnoſcens.*
XII. *Lethalis ambitionis reus eſt, qui beneficium eccleſiaſticum retinet abſque titulo legitimo, aut dotibus neceſſariis.*
XIII. *Sicut etiam Epiſcopus, qui a minore Epiſcopatu ad majorem, celebrioremque transferri ſatagit.*
XIV. *Peccant lethaliter, qui de peccatis gloriam aucupari ſtudent.*
XV. *Haud raro contingit gloriæ vanæ appetitum eſſe lethaliter peccaminoſum.*
XVI. *Fraudes, & inſidiæ vanæ gloriæ magno ſtudio cavendæ.*
XVII. *Lethalis hypocriſis rei ſunt, qui dum pietatem nihil curant, pios, ac virtuoſos videri appetunt.*
XVIII. *Quamplures ex Chriſtianis hypocritis merito accenſendi ſunt.*
XIX. *Qui falſam, ac temerariam ſententiam in re alicujus momenti pertinaciter defendit, peccat mortaliter.*
XX. *Poteſt interdum aliquis citra peccatum ab alterius opinione diſſentire.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. SUperbia maxime præ cæteris vitiis cavenda eſt, ac ſummopere curandum, ne in noſtris actionibus, & in corde noſtro dominetur; tum quia, Scriptura teſte, *eſt initium omnis peccati, quoad ordinem*, ſcilicet *intentionis*, ſive finis, prout explicat Sanctus Thomas *p.* 2. *q.* 84. *art.* 2. tum quia facile ſe inſinuat, ac ſubrepit, & ex ipſis bonis operibus occaſionem ſumit. Unde ſignanter Auguſtinus dicit, quod *etiam bonis operibus inſidiatur*, ut ea corrumpat: tum demum quia graviſſimum peccatum eſt, Deoque magis exoſum, quatenus reliqua peccata excedit ex *parte averſionis, quæ formaliter complet peccatum*: unde ſpecialiter dictum eſt, quod *Deus ſuperbis reſiſtit*.

Conſectarium Secundum.

II. Hinc etiam, ut ſapienter animadvertit S. Thomas 2. 2. q. 162. art. 6. ad 3. „ Ad convin- „ cendum ſuperbiam hominum Deus aliquos pu- „ nit, permittens eos ruere in peccata carnalia: „ quæ etſi ſint minora, tamen manifeſtiorem tur- „ pitudinem continent. Unde Iſidorus lib. 2. de „ ſummo bono dicit, *Omni vitio deteriorem eſſe* „ *ſuperbiam, ſeu propter hoc, quod a ſummis per-* „ *ſonis, & primis aſſumitur, ſeu quod de opere* „ *juſtitiæ, & virtutis exoritur, minuſque culpa ejus* „ *ſentitur. Luxuria vero carnis, ideo notabilis* „ *omnibus eſt: quoniam ſtatim per ſe turpis eſt* . . . „ *Sed qui detinetur ſuperbia, & non ſentit, labi-* „ *tur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus* „ *a confuſione exurgat*. Ex quo etiam patet gra- „ vitas ipſius ſuperbiæ. Sicut enim medicus ſa- „ piens in remedium majoris morbi patitur infir- „ mum in leviorem incidere, ita etiam peccatum „ ſuperbiæ gravius eſſe oſtenditur ex hoc ipſo, „ quod pro ejus remedio Deus permittit rue- „ re homines in alia peccata “ leviora, ſed turpiora.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Ex his apparet, quam lugenda ignorantia teneantur Chriſtianorum plurimi, quos cum pudeat aliorum, quæ committunt, ſcelerum, parvi, aut nihili pendunt ſuperbiam, eaque, quæ ex ipſa prodeunt, peccata. Si paucos diſſolutos excipias, erubeſcere ſolent honeſti homines de luxuria, de ebrietate, de furto, de violentiis, de fraudibus &c. At quis eſt, qui de ſuperbia, de ambitione, de vana gloria &c. verecundetur? Immo quis non gloriatur de excellentia, de celſitudine, de honore, fama &c.? Quis Chriſtianorum ſe de peccato ſuperbiæ in confeſſione accuſat? Ex ipſis quoque Confeſſariis quam pauci ſunt, qui de hoc crimine pœnitentes interrogent, eorumque conſcientiæ ſæpe ſuperbia, faſtu, & ambitione tumentis latebras perſcrutentur, perinde ac ſuperbia vel nullum eſſet peccatum, vel leve ſolum, vel in nemine locum haberet, cum tamen ſit *primum peccatum, & principium omnium peccatorum, omniumque graviſſimum:* ut ait S. Thomas, & funeſta hæreditate in omnes filios Adæ devenerit, & in omnibus, niſi ſumma vigilantia, animique conatu hoc vitium a ſe amoliri ſtudeant, dominetur?

Conſectarium Quartum.

VI. Etiam viri juſti, qui chriſtianæ perfectioni, vitæque ſpirituali addicti ſunt, ſummopere præcavere debent, ne in ſenſu ſuo vel operibus tacite irrepat ſuperbiæ tumor, aut motus, quo ſe aliis præferant, vel illos deſpiciant, atque contemnant. Unde meminiſſe debent illius Phariſæi, qui ob ſuperbiam a Deo reprobatus eſt. In quo peccavit ille, propter quod reprobari meruit? Dicebat: *Gratias ago &c. quia non ſum ſicut cæteri hominum &c. veluti etiam hic Publicanus*: ita loquens multipliciter peccavit. Primo quia ore quidem, ſed non corde de bonis ſuis operibus gratias agebat, dum revera ſibimetipſi placebat. Secundo, non ſolum ſibimetipſi placebat, verum etiam aliis ſe præferebat, & Publicano veluti peccatori nequiſſimo inſultabat, opera ſua jactando. 3. Peccatorem ſe eſſe non agnoſcebat: *Non ſunt ſicuti cæteri hominum, raptores, injuſti &c.* Quamobrem de duobus hiſce hominibus Phariſæo, & Publicano, *qui a longe ſtans, ne oculos* quidem *in cælum levare* præ humili cognitione ſui audebat, ita loquitur S. Auguſtinus: „ Ille ſuperbus erat in bonis factis, ille humilis in malis actis. Magis placuit „ Deo humilitas in malis actis, quam ſuperbia in „ bonis factis. Sic Deus odit ſuperbos. Ideo ſic „ concluſit: *Amen dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* Hæc eſt ergo diſciplina „ chriſtiana. Nemo facit aliquid bene, niſi gratia „ ipſius: quod facit homo male, ipſius eſt hominis. Cum cœperit facere bene, non ſibi tribuat: „ gratias agat ei, a quo acceperit. Cum autem „ bona facit, non inſultet ei, qui illa non facit, „ ut extollat ſe ſuper illum. Non enim in illo „ finita eſt gratia Dei, ut ad alium non perveniat “.

Conſectarium Quintum.

V. In externis quidem humilitatis actibus, quemadmodum & cæterarum virtutum, ſervanda ſemper moderatio eſt, & idcirco cavere debent, qui alios regunt, ne ſe nimium exterius dejiciant, *ne apud eos*, ut inquit S. Auguſtinus in Reg. *quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas*: attamen & ii, qui cæteris authoritate præſunt, in affectu animi, & propria opinione, omnibus ſe poſtponere debent, & ſubditorum pedibus coram Deo ſe ſubſternere. Nec periculum ullum eſt, ſi interiori animi ſenſu nimium ſe deprimant, ſicut periculum eſt, & illud quidem magnum, ſi plus vero ſe extollant, aut vel uni ſe in ſua cogitatione præponant. Quare S. Bernardus ſerm. 37. in Cant. ſic omnes admonet: „ Noli te, homo, comparare „ majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid ſcis enim, ſi unus ille, quem „ forte omnium viliſſimum, atque miſerrimum „ reputas, cujus vitam ſceleratiſſimam, & ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum „ putas ſpernendum, non modo præ te, qui forte „ jam ſobrie, & juſte, & pie vivere te confidis, „ ſed etiam præ cæteris omnibus ſceleratis tamquam ſceleratiſſimum, quid ſcis, inquam, ſi melior & te, & illis, mutatione dexteræ Excelſi, „ in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero jam „ ſit? “

Conſectarium Sextum.

VI. Quamquam appetere aliis prodeſſe, & ad hunc finem honores, ac dignitates quærere ſecundum ſe laudabile ſit, ac virtuoſum; quia tamen ſub hoc ſpecioſo pallio ambitio plerumque delitescit, & occulto quodam ſuperbiæ lenocinio a ſplendore honorum, ac dignitatum trahimur potius, quam a ſincero deſiderio aliis juvandi, idcirco, niſi neceſſitas, aut Superioris præceptum urgeat, hoc deſiderium fovere, aut Prælaturas præſertim Eccleſiaſticas ambire illicitum eſt juxta Evangelium, ac Eccleſiæ Patres, quos ſecutus S. Thomas 2. 2. *q.* 187. *art.* 1. docuit, *præſumptuoſum videri, quod aliquis præeſſe appetat, ad hoc quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente.*

Conſectarium Septimum.

VII. Quapropter audiendi non ſunt Caſuiſtæ plures, qui a culpa ſaltem lethali abſolvunt eos, qui Epiſcopatus appetunt, & ad eos aſſequendos curas omnes, atque officia adhibent: ac fruſtra obtrudere ſolent illud Apoſtoli: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Senſus enim, quem huic textui affingunt, expreſſe repugnat ſenſui, quem tenet, ac ab initio ſemper tenuit S. Mater Eccleſia, cujus eſt de vero Scripturarum ſenſu judicare, & conſenſui Sanctorum Patrum, qui non dignitatem, non honorem, non divitias, ſed laborem pro Dei gloria, & Eccleſiæ utilitate ſancti deſiderii objectum eſſe poſ-

poſſe interpretantur, ut conſtat ex Jo. Chryſoſtomo *lib.* 3. *de Sacerdotio*, ex Hieronymo *Epiſt.* 83. & *Comment. in cap.* 3. *Sophoniæ*, ex S. Auguſtino *lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 19. Gregorio Magno *p. prima Paſt.*, Iſidoro *Epiſt.* 229. & S. Thoma tum hic, tum *in Comment. Epiſt.* 1. *ad Timoth.* Ut igitur abſque peccato ad Epiſcopale officium quiſpiam aſcendat, divina vocatio expectanda eſt, quæ innoteſcere non poteſt, niſi electione, nominatione, inſtitutione legitima, & canonica, & nullatenus quæſita. Ut enim ait Sanctus Bernardus: *Qui rogat pro ſe, jam judicatus eſt, nec intereſt per ſe, an per alium quis roget*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Idem, quod de Epiſcopatu, dicendum eſt cum S. Thoma, ejuſque diſcipulo S. Antonino de aliis beneficiis curam animarum annexam habentibus, *illicitum* ſcilicet eſſe ea quærere, ac pro ſe poſtulare. Nam S. Thomas generatim pronunciat: *Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus*, adeoque incapax illius beneficii. Et Sanctus Antoninus *p.* 3. *tit.* 3. *cap.* 8. hoc probat: „ Quia ubi eſt eadem ratio, ibi & idem jus. „ Nam de ſimilibus idem eſt judicium. Sed ratio, quare eſt illicitus, & mortalis appetitus „ Epiſcopatus, eſt propter curam animarum, „ quam habet annexam, quia præſumptuoſum nimis eſt, ut quis ſe reputet idoneum ad regendum animas aliorum: ſed eadem ratio eſt in „ quolibet prædictorum, quia omnibus cura eſt „ annexa, nec differunt ab Epiſcopatu, niſi ſecundum majus, & minus: Quia Epiſcopus habet curam univerſalem ſuæ Diœceſis, ſed in „ prædictis officiis conſtituti habent curam partialem. Talia autem non diverſificant ſpeciem, „ ſed quantitatem peccati. Sicut appetere furari „ unum florenum, eſt ejuſdem ſpeciei cum appetitu furandi mille, licet ſecundum ſit gravius „ peccatum propter majus nocumentum intentum. „ Sic in propoſito major utique præſumptio, & „ ambitio tanto eſt, quanto major cura, & major „ gradus annexus eſt dignitati, vel beneficio, „ quod appetitur: tamen utrobique appetitus eſt „ (N. B.) mortalis. Præterea ſi aliquid prædictorum petere eſt mortale, & illud appetere erit „ mortale. Nam ſecundum Thomam, Raymundum, Hoſtienſem petere pro ſe aliquid eorum, „ etiamſi alias ſit dignus, inducit ſimoniam, quia „ ſunt preces pro indigno ratione præſumptionis. „ Ergo & appetere erit mortale, cum ſimonia ſit „ mortale.

Caſuiſtæ, qui huic tot Sanctorum teſtimoniis munitæ doctrinæ refragantur, nihil revera aliud habent, quod opponant, niſi contrariam conſuetudinem, quaſi vero ex pravis hominum moribus de chriſtianæ vitæ officiis ferendum ſit judicium, & non potius ex Dei verbo, ex Patrum Eccleſiæ doctrina, & ſacris canonibus ſpiritu Dei conditis: quaſi Chriſtus dixerit: *Ego ſum conſuetudo*, & non potius, *Ego ſum via, veritas, & vita*: quaſi ſecundum conſuetudinem, & non potius ſecundum verbum ſuum Chriſtus nos judicaturus ſit, & quaſi demum non aliter ſe geſſerint, ac ſe gerant ii, qui ſanctitate præfulgent Epiſcopi, ut de Sancto Carolo vidimus, aliiſque, qui non doctrinam Caſuiſtarum, ſed Patrum, meliorumque Theologorum ſectantur. Nihilominus etiam ſuam opinionem tueri conantur verbis Decreti Concilii Tridentini ſeſſione 24. de Reformat. cap. 18. quo de promovendis ad Parochialium Eccleſiarum regimen per concurſum, ſive publicum examen lata lex fuit. *Quid enim aliud eſt*, inquiunt, *examini ſe ſiſtere, quam animarum curam pro ſe poſtulare?* Sed irrito labore inſudant, ut corruptelam hoc Decreto defendant. Sanctiſſima eſt illa de concurſu ad Parochialia beneficia diſciplina. Sed abſit, quod ideo Eccleſia faveat ambitioni, aut præſumptioni, quas Chriſtus, & Patres damnant. Qui examini, ab Epiſcopo vocatus, ſe ſiſtit, beneficium pro ſe non poſtulat, ſed Præſulis ſui judicio ſe ſubjicit, ut ſi dignus, vel dignior ab illo cenſeatur, Parochialem curam ejus proviſione, & mandato ſuſcipiat. Examini ſe ſiſtere poteſt pius Sacerdos, ſive nominatim cum aliis vocatus, ſive per edictum publicum, obedientiæ, zelique impulſu, æquo animo ſuſcepturus ſive collationem beneficii, ſive repulſam, prout judicaverit Epiſcopus vice Chriſti, qui miniſtros idoneos Eccleſiæ ſuæ eligit, ac præficit. Legenda de hoc eſt vita Sancti Caroli Epiſcopi, qui rectam ſibi normam in curatorum beneficiorum electione ex Concilio Tridentino præfixit, & illum, ut in ea refertur, *indignum beneficio habebat, qui illud quæſiviſſet, aut ſibi procuraſſet*.

Conſectarium Nonum.

IX. Reus ambitionis haud reputandus eſt, qui beneficium Eccleſiaſticum petit ſine cura animarum ad ſuam inopiam ſublevandam. Hæc regula S. Thomæ authoritate nixa eſt, qui 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. ait: *Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus &c. Licite tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum*. Idem docet S. Raymundus *in Sum. lib.* 1. *tit.* 1. §. 7. *& ex cap. Ad aures extra de Reſcriptis* confirmat.

Conſectarium Decimum.

X. Ambitionis, & vanæ gloriæ culpa non vacant Concionatores verbi Dei, qui nobiliorum Eccleſiarum pulpita ad majorem nominis claritatem ſibi comparandam ſtudioſe quærunt, & ſuis, & amicorum precibus, & officiis obtinere nituntur. Hi namque miniſterio verbi Dei prædicandi abutuntur, nec fructum animarum ſpiritualem pro fine habent, ut habere deberent. Hinc laudatus S. Carolus in inſtruct. Prædicatorum tit. *de præparatione* ad ſalutariter prædicationis munus exequendum, gravibus hiſce verbis Concionatorem admonet: „ Fugiet autem tamquam peſtem omnem ambitionem, omnemque illius ſuſpicionem. Ne loca inſigniora, ubi prædica-

„ tio-

„ tionis ſuæ ſemen ſpargat, ambiat, affectetque, „ memor Chriſti Domini, quem a Patre e cælo de- „ miſſum ad erudiendum genus humanum, pagos, „ & vicos, & caſtella obiiſſe legimus. Numquam „ in opinionem inducet, majori, atque nobiliori „ ſuggeſtu ſe dignum eſſe. Fuit hæc quondam in- „ credibilis ambitio Ethnicorum Oratorum. Chri- „ ſtianus autem Concionator ab iſtius ſuſpicione „ alienus eſſe debet, qui ad prædicandum Chriſtum „ Crucifixum, non ad ſui ingenii oſtentationem „ vocatus eſt “.

Conſectarium Undecimum.

XI. Quamquam Prælatis obedientiam ſubditi præ-ſtare teneantur; obedire tamen minime poſſunt Superiori aliquod officium imponenti, quoties in ſe aliquod impedimentum agnoſcunt, quod nec ſuo ſtudio, nec Superioris authoritate removere poſſunt. Hæc doctrina traditur a S. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. *ad* 2. his verbis: „ Nullus tenetur „ obedire Prælato ad aliquod illicitum &c. Poteſt „ ergo contingere, quod ille, cui injungitur Præ- „ lationis officium, in ſe aliquid ſentiat, propter „ quod non liceat ei Prælationem accipere. Hoc „ autem impedimentum quandoque quidem remo- „ veri poteſt per ipſummet, cui Paſtoralis cura „ injungitur: puta ſi habeat peccandi propoſitum, „ quod poteſt deſerere. Et propter hoc non ex- „ cuſatur, quin finaliter obedire teneatur Prælato „ injungenti. Quandoque vero impedimentum, „ ex quo fit ei illicitum Paſtorale officium, non „ poteſt ipſe removere, ſed Prælatus, qui injun- „ git: puta ſi ſit irregularis, vel excommunica- „ tus. Et tunc debet defectum ſuum Prælato in- „ jungenti oſtendere: qui ſi impedimentum remo- „ vere voluerit, tenetur humiliter obedire &c. „ Quandoque vero non poteſt removeri impedi- „ mentum, nec per injungentem, nec per eum, „ cui injungitur: ſicut ſi Archiepiſcopus non poſſit „ ſuper irregularitate diſpenſare. Unde ſubditus „ non tenetur ei obedire ad ſuſcipiendum Epiſco- „ patum, vel etiam ſacros ordines, ſi ſit irregu- „ laris “.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Lethalis ambitionis reus eſt, qui beneficium, aut Præfecturam Eccleſiaſticam retinet abſque titulo legitimo, aut ſine dotibus omnino neceſſariis ad ejus functiones obeundas, quas aut comparare negligit, aut non poteſt. Siquidem qui ſine titulo legitimo beneficium retinet, aut Eccleſiaſticam Præfecturam, *non intravit per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde*, adeoque *fur eſt & latro*. Unde abdicare illud tenetur in manus Collatoris. Sic qui per ſimoniam ſive ſimplicem, ſive fiduciariam Eccleſiaſticum beneficium obtinuit, aut aliqua fraude ſurripuerit, tenetur illud reſtituere. Similiter ſi beneficiarius ſcientia neceſſaria ad officium ſuum rite obeundum ſit deſtitutus, nec eam comparare queat ob ingenii hebetudinem, beneficium renunciare debet, atque hæc omnia ex ſacris canonibus colliguntur, ac præſertim ex Reſcripto Innocenti III. ad Archiepiſcopum Calaritanum, Cap. *Niſi cum pridem*, extra de Renunciatione.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Lethale ambitionis peccatum incurrit Epiſcopus, qui abſque neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ a minore Epiſcopatu ad majorem, celebrioremque transferri ſatagit. Nam in re gravis momenti violat ſacros canones Spiritu Dei conditos, ac totius mundi reverentia conſecratos, quibus hujuſmodi translationes, ſeu migrationes prohibentur ſub pœna excommunicationis. Eas prohibet Nicæna Synodus Can. xv. S. Damaſus Pontifex Maximus in Epiſt. *ad Paulinum* apud Theodoretum lib. 5. cap. xi. Concilium Carthaginenſe iv. can. 27. S. Leo Magnus Papa epiſt. 12. *ad Anaſtaſium* cap. 12. Concilium Chalcedonenſe can. 5. & alia plura Concilia: cum hujuſmodi migrationes non niſi ex cupiditate, & ambitione proveniant. Ut enim notat Concilium Sardicenſe can. 1. & 2. *Cum nemo ad minorem* (*Epiſcopatum*) *tranſeat ex majore, ex cupiditate, & ambitione dominandi moventur*, qui hujuſmodi tranſitus ad celebriores Epiſcopatus affectant, ſibique procurant. Atque idem quoque dicendum eſt de Parochis, qui abſque neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ a minori Parochia ad majorem, & inſigniorem transferri ſtudent.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Lethaliter peccant, qui ex vitiis, & peccatis gloriam ſibi conquirere curant, ſive ea commiſerint, ſive non: gravem quippe injuriam Deo inferunt, eoſque Sacræ Litteræ damnant, ac reprobant veluti ſummæ malitiæ reos. Hoc peccatum in ſe ipſo agnovit, & profuſis lacrymis faſſus eſt S. Auguſtinus, dum in lib. 2. Confeſſionum ſuarum ſcripſit: „ Præceps ibam tanta „ cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me „ minoris dedecoris: quoniam audiebam eos ja- „ ctantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, „ quanto magis turpia eſſent, & libebat facere „ non ſolum libidine facti, verum etiam lau- „ dis. Quid dignum eſt vituperatione, niſi vi- „ tium? Ego, ne vituperarer, vitioſior fiebar, „ & ubi non ſuberat, quo admiſſo æquarem per- „ ditos, fingebam me feciſſe, quod non feceram, ne viderer abjectior, quo eram inno- „ centior, & ne vilior haberer, quo etiam ca- „ ſtior “.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Cum quælibet res creata peccati lethalis materia ſit, dum finis ultimus eſt, nedum peculiaris actionis, ſed etiam vitæ noſtræ; hinc non raro contingit, quod vana gloria ſit peccatum mortale, tametſi in ſe non niſi veniale peccatum ſit, cum videlicet nimium dominatur in corde hominis, adeo ut ad ipſam, vel omnes, vel fere omnes, aut præcipuas actiones ſuas referat tamquam ad finem. Sic, ut rem exemplis illuſtremus, mulier, quæ perdite ſuam pulchritudinem amans, eam tamquam glo-

riæ, ac vanitatis ſibi objectum ſtatuit, in eaque indeſinenter occupatur, ac tempus ad illam ornamentis augendam nimium impendit, nihilque magis timet, quam ne de pulchritudine, ac venuſtate laudetur, abſque dubio in ſtatu peccati mortalis verſatur. Sic vir militaris, qui nihil non agit, niſi ut vanam gloriam aucupetur, eamque ne amittat, aut vilis, & ignavus reputetur, ad duellum acceptandum, occaſione oblata, animo paratus eſt, aut nihil magis cogitat, aut mente revolvit, quam ut ad ſublimiorem gradum provehatur, cujus deſiderio totus repletur, citra dubium peccati mortalis reus eſt. Siquidem vana gloria, & mundanus honor vitæ ſuæ finis ultimus eſt, & ad illum cætera refert. Sic etiam peccant Medici, ac Theologi, qui ne minus docti, aut periti in Miniſterio ſuo videantur, alios peritiores in conſilio non adhibent, dum opus eſt, aut dum morbi, ſive caſus conſcientiæ difficiliores occurrunt, & periculum eſt, ne fallantur in medendis morbis, ſive corporis, ſive animi, aut in caſibus decidendis.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Magno ſtudio, ac diligentia cavere nos oportet a fraudibus, & inſidiis vanæ gloriæ, nedum quia ſæpe inficit, atque corrumpit ſanctiora opera noſtra, verum etiam quia clanculum irredit, ſe ſeque ita inſinuat in externas actiones, ut dum putamus nos eas efficere propter Dei gloriam, aut proximi utilitatem, gloriam noſtram ſæpe quærimus, aut hominum laudem, & approbationem. *Sæpe mihi videor*, inquiebat Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 37. *de profectu, aut ſpe proximi delectari, cum bene intelligentis laude delector*. Etiam ſummopere cavenda vana gloria eſt, quia licet ex ſe venialis ſit, ad plura tamen peccata mortalia diſponit. Unde S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 3. ſcribit: „ Inanis gloria „ dicitur eſſe peccatum periculoſum, non tantum „ propter gravitatem ſui, ſed etiam propter hoc, „ quod eſt diſpoſitio ad gravia peccata, in quantum ſcilicet per inanem gloriam redditur homo præſumptuoſus, & nimium de ſe confidens: „ & ſic etiam diſponit ad hoc, quod privetur interioribus bonis “.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Lethaliter peccant ii, qui poſthabita cura acquirendæ virtutis, ac pietatis, ſolummodo penes homines virtuoſos, ac pios videri ſtudent. Et hæc eſt præcipua ſpecies hypocriſis, quam Scriptura damnat, & adverſus quam invehitur Chriſtus Dominus Matthæi cap. 23., pluresque maledictiones intorquet: *In hypocriſi duo ſunt*, ut ex S. Thoma notavimus, *ſcilicet defectus ſanctitatis, & ſimulatio ipſius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut ſcilicet aliquis non curet ſanctitatem habere, ſed ſolum ſanctus apparere, ſicut conſuevit accipi in Sacra Scriptura, ſic manifeſtum eſt, quod eſt peccatum mortale.*

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Hypocritis accenſendi ſunt, qui leves quaſdam, ac minutas exteriores legis obſervantias ad ſcrupulum uſque cuſtodiunt: atque interim graviora, ac præcipua legis mandata tranſgrediuntur: iique ſimiles ſunt Phariſæis, de quibus loquitur Chriſtus Dominus apud Sanctum Matthæum, quoſque anathemate ferit, dicens: „ Væ „ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, „ qui reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes “. Hujuſmodi hypocriſis rei exiſtimandi ſunt, 1. Chriſtiani quidam, qui ſibi religioni ducunt, putantque ſe grave crimen committere, ſi quædam devotionis in Deum, aut B. Virginem exteriora exercitia aliquando prætermittant, e. g. ſacrum ſcapulare non deferant, Roſarium non recitent, Miſſam non audiant diebus etiam ferialibus, atque interim vitam tranſigunt citra ullam animi perturbationem in blaſphemiis, perjuriis, impudicitiis, uſuris, &c. 2. Quidam Eccleſiaſtici, qui ſumma attentione obſervare curant, quæ ſacri Canones præſcribunt circa comam, circa habitum, ac modeſtiam exteriorem, & nihilominus tranquillo animo plura beneficia poſſident, quamquam unicum ad honeſtam ipſorum ſuſtentationem ſufficiat, reſidentiæ legem jure naturali, ac divino præceptam minime ſervant, bonis Eccleſiæ conſanguineos, aut ſæculares ditant &c. 3. Religioſi quidam, ut animadvertit Sanctus Bernardus in Apologia ad Quillelmum Ab. cap. 5. qui exactiſſime obſervant regulas quaſdam minoris momenti, quas profitentur: at religioſam paupertatem negligunt, Superioribus reluctantur in iis etiam, quæ juxta regulam præcipiunt, facta aliena liberrime carpunt, pacem, & concordiam turbant &c. Iis omnibus, aliiſque ſimilibus merito dici debet, quod Chriſtus Scribis, & Phariſæis: *Hypocritæ: hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Conſectarium Decimumnonum

XIX. Peccant lethaliter, qui in aliquo conſeſſu, ſive Eccleſiaſtico, ſive ſæculari falſam, ac temerariam ſententiam pervicaciter defendunt adverſus majorem, & meliorem ſuffragiorum partem, dum de re aliqua agitur alicujus momenti, aut ex qua pendeat magnum Communitatis bonum, veluti dum quæſtio eſt de eligendo Magiſtratu, aut animarum Paſtore, vel de ſtatuenda aliqua regula utili, & neceſſaria pro conſervanda morum diſciplina, aut communi tranquillitate. Tunc enim aliorum ſenſum ſequi tenentur, eique cum humilitate, animique docilitate ſe ſubjicere.

Conſectarium Vigeſimum.

XX. Peccati diſcordiæ nullatenus reus eſt, qui diſ-

diſſentit ab opinione proximi ex cauſa rationabili: tunc enim non tenetur voluntatem ſuam alterius voluntati conformare. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 37. art. 1. generalem in hac re regulam tradit, quæ pluribus quæſtionibus reſolvendis inſervit: „ Cum intentio aliquorum eſt ad aliquod bonum, „ quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem „ proximi, ſed unus hoc æſtimat eſſe bonum, alius autem habet contrariam opinionem, diſcordia tunc eſt per accidens contra bonum divinum, vel proximi. Et talis diſcordia non „ eſt peccatum, nec repugnat charitati, niſi hujuſmodi diſcordia ſit vel cum errore circa ea, „ quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel pertinacia „ indebite adhibeatur: cum etiam ſupra dictum „ ſit, quod concordia, quæ eſt charitatis effectus, „ ſit unio voluntatum, non opinionum “.

REFLEXIO.

Superbiam, monebat piiſſimus Tobias filium ſuum cap. 17. *numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. Pulchrum, ac plane neceſſarium monitum omnium animis altius infigendum. Superbiam nunquam, nec in ſenſu noſtro, nec in affectu, nec in verbis, aliiſque noſtris actionibus dominari ſinamus, ſed eam abominemur, longeque abigamus. Etenim quemadmodum ſuperbia *initium* fuit peccati, ac ruinæ tum Angelorum, tum Protoparentum noſtrorum, ita quoque initium eſt peccatorum, quæ committimus, ac ſempiternæ noſtræ perditionis. Angeli propter ſuperbiam Dæmones facti ſunt, ac de cælo in abyſſum prolapſi. Unde illos ſic alloquitur Iſaias cap. 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. En inſanæ ſuperbiæ tumorem. At vero quid ex ipſa conſecutum eſt? *Veruntamen ad inferna detraheris, in profundum laci*. Quod perpendens Sanctus Auguſtinus, bonorumque, ac malorum Angelorum ſortem longe diverſam conſiderans *lib. 12. de Civit. Dei cap. 1.* ita ſcribit: „ Angelorum bonorum, & malorum inter ſe contrarios appetitus, non naturis, „ principiiſque diverſis, ſed voluntatibus, & „ cupiditatibus extitiſſe dubitare fas non eſt, „ dum alii conſtanter in communi omnibus bono, quod ipſe illis Deus eſt, atque in ejus æternitate, veritate, charitate perſiſtunt: alii „ ſua poteſtate delectati, velut bonum „ ſuum ſibi ipſi eſſent, a ſuperiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt: „ & habentes elationis faſtum pro excelſiſſima æternitate, vanitatis aſtutiam pro certiſſima veritate, ſtudia partium pro individua charitate, „ ſuperbi, fallaces, invidi effecti ſunt “. Et c. 4. „ Cum cauſa miſeriæ malorum Angelorum „ quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo, „ qui ſumme eſt, averſi ad ſeipſos converſi ſunt, „ qui non ſumme ſunt: & hoc vitium quid aliud, quam *ſuperbia* nuncupatur? *Initium quippe omnis peccati ſuperbia* “.

Sicut Angelorum perditio ex ſuperbia initium ſumpſit, ita etiam perditio primi hominis, primæque mulieris, ac filiorum eorumdem ex ſuperbia profecta eſt. Hinc idem S. Pater lib. eodem cap. 13. de primis parentibus loquens ait: „ In „ occulto mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum „ opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium, quod potuit eſſe, niſi ſuperbia? *initium* enim *omnis peccati ſuperbia eſt* . . . Non ſic defecit homo, ut „ omnino nihil eſſet, ſed ut inclinatus ad ſeipſum „ minus eſſet quam erat, cum ei, qui ſumme eſt, „ inhærebat. Relicto itaque Deo, eſſe in ſemetipſo, hoc eſt *ſibi placere*, non jam nihil eſſe „ eſt, ſed nihilo propinquare. Unde *ſuperbi* ſecundum ſcripturas Sanctas alio nomine appellantur *ſibi placentes*. Manifeſto ergo, apertoque peccato ubi factum eſt, quod Deus fieri „ prohibuerat, Diabolus hominem non cepiſſet, „ niſi jam ille ſibi ipſi placere cœpiſſet. Hinc „ enim & delectavit, quod dictum eſt, *eritis ſicut Dii*. Quod melius eſſe poſſent, ſummo, „ veroque principio cohærendo per obedientiam, „ non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam. Dii enim creati, non ſua veritate, ſed „ Dei veri participatione ſunt Dii. Plus autem „ appetendo, minus eſt: qui dum ſibi ſufficere „ diligit, ab illo, qui ei vere ſufficit, deficit. „ Illud itaque malum, quo cum ſibi homo placet, tamquam ſit & ipſe lumen, avertitur ab „ eo lumine, quo ei ſi placeat, & ipſe ſit lumen: illud, inquam malum, præceſſit in abdito, ut ſequeretur hoc malum, quod perpetratum eſt in aperto. Verum eſt enim, quod „ ſcriptum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur* “. Illa prorſus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifeſto, dum illa ruina eſſe n[illegible] putatur.

Veriſſime itaque dicebat S. Tobias, ut filium ab omni ſuperbiæ ſenſu avocaret: *In ipſa ſumpſiſſe initium omnem perditionem*: nam ex ipſa prognata eſt tum perditio Angeli, tum perditio primi hominis. Atque utinam etiam perditio cæterorum omnium, qui ex ipſo propagantur, ex eadem ſuperbia non proficiſceretur. Verum ſi Sacras Scripturas, ſi Sanctos Eccleſiæ Patres audiamus, ex ſuperbia profluere peccata omnia, quibus in perditionem æternam prolabuntur homines, fateri omnino neceſſe eſt. Nam Eccleſiaſt. cap. 10. diſerte aſſeritur, *Initium peccati ſuperbia*: quæ verba exponit S. Thomas 1. 2. q. 84. art. 2. de hoc vitio etiam prout ſpeciale peccatum eſt, nempe „ inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: quia in „ actibus voluntariis, cujuſmodi ſunt peccata, duplex ordo invenitur, ſcilicet intentionis, & executionis. In primo quidem ordine habet rationem principii finis. Finis autem in omnibus „ temporalibus bonis acquirendis eſt, ut homo „ per illa quamdam perfectionem ſingularem, & „ excellentiam habeat. Et ideo ex hac parte ſuperbia, quæ eſt appetitus excellentiæ, ponitur

„ ini-

„ initium omnis peccati &c. *Hinc S. Gregorius lib.* „ 31. *Moral.* & 34. *ſuperbiam vocat* vitiorum re- „ ginam, *ipſamque vitiorum* radicem *etiam appel-* „ *lat:* Quia ſicut inferius radix tegitur, ſed ab „ illa extrinſecus rami expanduntur; ita ſe ſuper- „ bia intrinſecus celat, ſed ab illa protinus aperta „ vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publi- „ cum prodirent, niſi hæc mentem in occulto „ conſtringeret “. Et laudatus S. Auguſtinus de eadem loquens *Enarr. in Pſalm.* 18. ad illum verſiculum, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo* ſic ait: „ Delictum magnum arbitror eſſe ſuperbiam . . . „ Magnum hoc delictum eſt, & caput, & cauſa „ omnium delictorum. Scriptum eſt enim: *Initium* „ *omnis peccati ſuperbia.* Et ne quaſi leve aliquid „ contemnas, *initium*, inquit, *ſuperbiæ homines* „ *apoſtatare a Deo.* Non leve malum eſt hoc vi- „ tium, fratres mei. Huic vitio in his perſonis, „ quas videtis amplas, diſplicet humilitas chri- „ ſtiana. Propter hoc vitium dedignantur colla „ ſubdere jugo Chriſti, obligati arctius jugo pec- „ cati. Nolunt ſervire, ſed eis expedit ſervire. „ Nolendo ſervire nihil aliud agunt, quam ut bo- „ no Domino non ſerviant, non ut omnino non „ ſerviant: quia, qui noluerit ſervire charitati, „ neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati. Ab hoc vi- „ tio, quod eſt caput omnium vitiorum, quia „ inde cætera vitia nata ſunt, facta eſt apoſtaſia „ a Deo, eunte anima in tenebras, & male uten- „ te libero arbitrio, peccatis etiam cæteris con- „ ſecutis: ut & ſubſtantiam ſuam diſſiparet, cum „ meretricibus vivens prodige, & per egeſtatem „ fieret paſtor porcorum, qui erat ſocius Angelo- „ rum. Propter hoc vitium, propter hoc ma- „ gnum ſuperbiæ peccatum Deus humilis venit. „ Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens „ morbus animorum, omnipotentem medicum de „ cælo deduxit, atque ad formam ſervi humi- „ liavit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit, ut „ per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tu- „ mor “.

Quid igitur? Ut ex hac ingenti ruina, in quam nos ſuperbia præcipitat, eruamur, ut æternam perditionem vitemus, cujus illa initium eſt, ſequamur non jam conſilium, ſed præceptum, & quidem graviſſimum ſancti viri, ne umquam tam horrendum vitium aut in ſenſu noſtro, aut in verbis, aut operibus noſtris dominari permittamus: toto ſtudio, tota mentis ſollicitudine intimiores cordis noſtri latebras inſpiciamus, atque ſcrutemur, ne umquam tacite, ac ſilenter obrepat, noſque, noſtraſque actiones corrumpat: ſtudeamuſque, quanta poſſumus attentione humilitati, quæ ipſi directe opponitur, & *quæ ſola ſalvare poteſt animas noſtras.* Humilitas, inquit S. Auguſtinus ſerm. 351. *pene una diſciplina chriſtiana eſt. Doctrina,* ſubdit ſerm. 160. de verbis Apoſt. *chriſtianæ humilitatis præceptum eſt, humilitatis commendatio.* Qua in ſententia ita firmus hærebat, ut Epiſt. 118. aſſerere non dubitarit, ſe nedum habere humilitatem, ut præſtantiſſimam magiſque neceſſariam virtutem, ſed quodammodo ut ſolam inter virtutes chriſtianas. Unde dicebat Dioſcoro: „ Ut „ te Chriſto tota pietate ſubdas velim, nec aliam „ tibi ad acquirendam, & obtinendam veritatem „ viam munias, quam quæ munita eſt ab illo, qui „ greſſuum noſtrorum tamquam Deus videt infir- „ mitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecun- „ da humilitas, tertia humilitas, & quoties in- „ terrogares, hoc dicerem: non quia alia non ſint „ præcepta, quæ dicantur; ſed niſi humilitas o- „ mnia quæcumque bene facimus, & præceſſerit, „ & comitetur, & ſecuta fuerit, & propoſita, „ quam intueamur, & appoſita, cui adhæreamus, „ & impoſita, qua reprimamur, jam nobis de ali- „ quo bono facto gaudentibus totum extorquet de „ manu ſuperbia. Itaque ſicut Rhetor ille nobiliſ- „ ſimus (*Demoſthenes*), cum interrogatus eſſet, „ quid ei primum videretur in eloquentiæ præce- „ ptis obſervari oportere, *pronunciationem* dicitur „ reſpondiſſe: cum quæreretur quid ſecundo, eam- „ dem *pronunciationem:* quid tertio, nihil aliud „ quam *pronunciationem* dixiſſe; ita ſi interrogares, „ & quoties interrogares de præceptis chriſtianæ „ religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi hu- „ militatem, liberet, etſi forte alia dicere neceſ- „ ſitas cogeret “. Hæc ille ſapientiſſime.

Divo Auguſtino ſuccinunt cæteri Eccleſiæ Patres. S. Leo Magnus Serm. 7. de Epiphania ita ſcribit: *Humilitas eſt tota chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, tota victoria Salvatoris, qua & Diabolum ſuperavit, & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta.* S. Joan. Chryſoſtomus hom. 48. in Matth. *Humilitas ſapientiæ mater eſt, quam qui poſſederit, cætera reliquarum virtutum membra procul dubio poſſidebit.* Caſſianus Collat. 15. cap. 17. *Humilitas eſt omnium magiſtra virtutum, cæleſtis ædificii firmiſſimum fundamentum, donum proprium, atque magnificum Salvatoris.* Atque ut cæteros mittam, Sanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. cap. 14. *Virtutum bonum quoddam, & ſtabile fundamentum eſt humilitas. Nempe ſi nutet illa, virtutum aggregatio non niſi ruina eſt.*

At enimvero quis eſt inter Chriſtianos Scripturarum, maximeque Chriſti Domini oraculis eruditos, qui humilitatis excellentiam, ac neceſſitatem non agnoſcat, non prædicet, non commendet? Sed quam multi ſunt, qui genuinam humilitatis notionem prorſus ignorant. Nam ferme omnes ſterili quadam humilitatis cognitione contenti, quæ potior eſt, & in affectu maxime poſita, humilitatem nullatenus curant. Hos ita redarguit, atque inſtruit S. Bernardus Abbas *ſerm.* 42. *in Cant.* declarans, quænam ſit vera humilitas, quæ nobis præcipitur, & ad ſalutem nobis neceſſaria eſt. „ Eſt humilitas, inquit, quam nobis veri- „ tas parit, & non habet calorem: & eſt hu- „ militas, quam charitas format, & inflammat: „ atque hæc quidem in affectu: illa in cognitio- „ ne conſiſtit. Etenim tu, ſi temetipſum intus „ ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione in- „ ſpicias, & ſine palpatione dijudices, non du- „ bito quin humilieris & tu in oculis tuis factus „ vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quam- „ vis nedum fortaſſe patiaris in oculis aliorum. „ Eris igitur humilis, ſed opere inferiori veri- „ tatis, & minime adhuc de amoris infuſione. „ Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter,

„ at-

„ atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore „ illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes „ procul dubio, quod in te eſt, eamdem de te o- „ mnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te „ veritatem habere cognoſcis: ſane, quod in te „ eſt, dixerim, quoniam plerumque non expedit „ innoteſcere omnibus omnia, quæ noſcimus de „ nobis, atque ipſa veritatis charitate, & chari- „ tatis veritate vetamur palam fieri velle, quod „ noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore „ tui tentus, detines pariter intra te judicium „ veritatis incluſum, cui dubium eſt minus te „ veritatem diligere, cui proprium præfers vel „ commodum, vel honorem? Vides igitur non „ eſſe idipſum, hominem de ſeipſo non altum „ jam ſapere veritatis lumine redargutum, & hu- „ milibus ſponte conſentire, munere charitatis „ adjutum: illud enim neceſſitatis eſt, hoc vo- „ luntatis. Chriſtus ſemetipſum exinanivit, „ formam ſervi accipiens, & formam humilitatis „ tradens. Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit, „ non neceſſitate judicii, ſed noſtri charitate. „ Time Deum, & noli hanc rem peſſimam face- „ re, ut quem humiliat veritas, extollat volun- „ tas. Hoc enim reſiſtere eſt veritati, hoc pugna- „ re contra Deum. Magis autem acquieſce Deo, „ & ſit voluntas ſubdita veritati, nec tantum „ ſubdita, ſed & devota. *Nonne Deo*, inquit, „ *ſubjecta erit anima mea?* At parum eſt eſſe ſub- „ ditum Deo, niſi ſis & omni humanæ creaturæ „ propter Deum“. Hæc paucis complexus eſt Doctor Angelicus S. Thomas 2. 2. q. 161. art. 2. inquiens: *Cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, ſicut regula quædam directiva appetitus: ſed in ipſo appetitu conſiſtit humilitas eſſentialiter*. Studeamus itaque cognitioni propriorum defectuum, ſed magis ſtudeamus amori humilitatis, ut ſimiles efficiamur Magiſtro, & Salvatori noſtro dicenti: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*: illudque præmium ampliſſimum aſſequamur, quod vere humilibus repromiſit.

CAPUT TERTIUM.

De Avaritia, ac vitiis, quæ ex ea prodeunt.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit, & in quo conſiſtat* avaritia *ſecundum capitale peccatum.*
II. *Avaritia duplici virtuti opponitur, juſtitiæ nempe, & liberalitati.*
III. *Prout opponitur juſtitiæ, ex genere ſuo peccatum lethale eſt. Non autem prout opponitur liberalitati, licet lethale ſæpe fiat ex nimio divitiarum affectu.*
IV. *S. Thomæ doctrina de hoc immoderato divitiarum affectu pluribus confirmatur.*
V. *Quid ex hac doctrina conſequatur.*
VI. *Vitia, quæ ex avaritia prodeunt, recenſentur, & explicantur; ac primum de* proditione.
VII. *Regulæ plures pro dignoſcenda gravitate* proditionis.
VIII. *Nedum amico, ſed etiam hoſti data fides ſervanda eſt.*
IX. *Quando nefas eſt arcana commiſſa revelare.*
X. *Proditionis crimen incurrit, qui alienas litteras aperit, aut reſignat.*
XI. *Exceptiones regulæ generalis.*
XII. *De tribus aliis avaritiæ filiabus*, fraude, fallacia, *&* perjurio *definitiones.*
XIII. *De quinta avaritiæ ſobole, nempe* inquietudine, *ſeu nimia ſollicitudine rerum temporalium.*
XIV. *Sexta avaritiæ proles, ſcilicet* violentia *exponitur, & quando lethale peccatum ſit, determinatur.*
XV. *Plures alii caſus, in quibus non niſi cum gravi peccato fieri contingit.*
XVI. *Alii caſus* violentiæ *lethaliter culpabilis afferuntur.*
XVII. *Violentiæ lethalis rei ſunt parentes, qui filios, aut filias vel ab inſtituto religioſo ſuſcipiendo retrahunt, vel ad illud ſuſcipiendum cogunt.*
XVIII. *De poſtrema avaritiæ prole, ſcilicet de* obduratione contra miſericordiam.
XIX. *Quoties hæc lethale peccatum ſit.*
XX. *De vitio avaritiæ ſimul, & liberalitati oppoſito, nimirum* prodigalitate. *Notio ejuſdem, & quoties ad lethalis peccati gravitatem pertingit.*

§. I.

Avaritiæ notio, & peccati gravitas.

I. Alterum *capitale* peccatum *avaritia* eſt, quam etiam radicem peccatorum omnium ſtatuit S. Thomas *ex parte executionis*, quemadmodum *ex parte intentionis*, ſeu *finis* eſt ſuperbia. Avaritia namque, ut ait 1. 2. q. 81. art. 2. *Eſt primum id, quod præbet opportunitatem adimplendi omnia deſideria peccati, quod habet rationem radicis: Eo quod*, ut ait art. 1. *ad habenda quæcumque temporalia bona poteſt homo per pecuniam juvari, ſecundum illud*, Pecuniæ obediunt omnia.

Duas avaritiæ definitiones affert S. Doctor 2. 2. q. 118. quæ in idem tamen recidunt: nempe art. 1. avaritia *eſt immoderatus amor habendi*; & art. 4. *inordinatus amor divitiarum*. Itaque manifeſta eſt, & ex ea ſatis conſtat, ideo avaritiam peccatum eſſe, non quia *habendi*, *aut divitiarum amor* ſeipſo malus ſit, ſed quatenus *inordinatus* eſt: *Bonum quippe conſiſtit in debita menſura*, adeoque *neceſſe eſt, quod per exceſſum, vel diminutionem illius menſuræ malum proveniat*. Quod contingit, *dum homo ſupra debitum modum vult acquirere divitias, vel retinere*, in quo avaritia ſita eſt.

Hæc *immoderatio habendi*, ſive *divitiarum* dupliciter conſiderari poteſt ex eodem S. Thoma *ad* 2. „ Uno modo immediate, quantum ad acceptio- „ nem, vel conſervationem ipſarum, ut ſcili- „ cet homo plus debito eas acquirat, vel con- „ ſer-

„ ſervet, & ſecundum hoc eſt *directe peccatum in* „ *proximum*: quia in exterioribus divitiis non „ poteſt unus homo ſuperabundare, niſi alteri de- „ ficiat: quia bona temporalia non poſſunt ſimul „ poſſideri a multis. Alio modo poteſt importare „ immoderantiam circa interiores affectiones, quas „ quis ad divitias habet, puta quod immoderate „ aliquis divitias amet, aut deſideret, aut dele- „ ctetur in eis. Et ſic avaritia eſt peccatum ho- „ minis, quia per hoc deordinatur ejus affectus, „ licet non deordinetur corpus, ſicut per vitia „ carnalia. Ex conſequenti autem eſt peccatum in „ Deum, ſicut & omnia peccata mortalia: in quan- „ tum homo propter bonum temporale contemnit „ æternum ".

II. Duplici virtuti opponitur, aut opponi poteſt peccatum avaritiæ: nempe *juſtitiæ*, cum ſcilicet aliquis ex nimio, & immoderato amore habendi, ſive divitiarum bona acquirit, ſive furto, ſive rapina, ſive uſura, aut concuſſionibus, aliiſque modis hujuſce generis, quibus jus proximi læditur. Præcipue vero opponitur virtuti *liberalitatis*, prout ſcilicet immoderantiam importat circa interiorem affectum divitiarum, *puta*, inquit S. Thomas art. 3. *cum quis nimis amat, vel deſiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiamſi nolit rapere aliena*. Liberalitas namque moderatur hujuſmodi affectionem, illudque efficit, ut homo propter inordinatum affectum ad pecuniam, non impediatur *a quocumque debito uſu ejuſdem*, uſu videlicet, qui pertinet vel ad ſeipſum in ſumptibus, & expenſis, vel ad alios in congruis donationibus.

III. At num ſemper avaritia peccatum *lethale* eſt? Quæſtionem reſolvit S. Thomas art. 4. ex his, quæ præducuerat: ſi enim avaritia ſumatur, prout *juſtitiæ* opponitur, *ex genere ſuo* peccatum eſſe lethale extra dubium eſt: *Sic enim ad avaritiam pertinet, quod aliquis injuſte accipiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel furtum, quæ ſunt peccata mortalia*, quamquam *propter actus imperfectionem* contingat in hoc genere avaritiæ aliquid eſſe peccatum veniale.

Quod ſi avaritia accipiatur prout opponitur *liberalitati*, ut ſolum importat inordinatum affectum erga divitias; ſi tantum creſcat divitiarum amor, „ quod præferatur charitati, *ut ſcilicet* pro- „ pter amorem divitiarum aliquis non vereatur „ facere contra amorem Dei, & proximi, ſic ava- „ ritia erit peccatum mortale. Si autem inordina- „ tio amoris intra hoc ſiſtat, ut ſcilicet homo, „ quamvis ſuperflue divitias amet, non tamen „ præferat earum amorem amori divino, ut ſi pro- „ pter divitias non velit aliquid facere contra „ Deum, & proximum; ſic avaritia eſt peccatum „ veniale ". Quibus conſentanea ſunt quæ habet q. 13. de Malo art. 2. „ Si tantus ſit amor, & deſiderium „ bonorum temporalium, quod in eis finis conſti- „ tuatur, avaritia ſemper erit mortale peccatum. „ Converti enim ad bonum creatum, ſicut ad fi- „ nem, facit averſionem ab incommutabili bono, „ quod debet eſſe ultimus finis ".

IV. Solida hæc S. Thomæ doctrina tota attentione perpendenda eſt, ac juxta eam intelligenda, quæ habentur in Sacris litteris, & Eccleſiæ Patribus. Sic e. gr. dictum illud Eccleſ. *Avaro nihil ſceleſtius*. Sic Iſaiæ cap. 5. „ Væ qui conjungitis „ domum ad domum, & agrum agro copulatis, „ uſque ad terminum loci. Numquid habitabitis „ vos ſoli in medio terræ? " *Sic illud apud Ezech. cap.* 22. „ Principes ejus in medio ejus, quaſi lupi „ rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & „ avare lucra ſectanda ". Sic etiam Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 6. avaritiam inter peccata enumerat, quæ excludunt homines a regno Dei, dicens: *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri ... neque fures, neque avari &c. regnum Dei poſſidebunt*: ubi expreſſe diſcernit avaritiam a furto, aliiſque vitiis a regno Dei excludentibus, eamque iis accenſet.

Sed nihil expreſſius, meo facile judicio, deſignat etiam ſolum immoderatum divitiarum affectum ſatis eſſe ad mortale peccatum, quo meretur homo pœnam æternam, quam illa Chriſti parabola apud Lucam cap. 12. hominis cujuſdam divitis, qui cum uberes fructus ex agro percepiſſet, *cogitabat intra ſe dicens: quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi: & dicam animæ meæ: anima, habes multa bona poſita in annos plurimos. Requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: & quæ paraſti, cujus erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives*. „ Dives ille aliena non quærebat „ (inquit S. Auguſtinus ſerm. 178.) non de cu- „ juſquam vicini agris, non limite perturbato, „ non ſpoliato paupere, non circumvento ſimpli- „ ce, ſed tantummodo de ſuis colligendis cogita- „ bat. Nihilominus *ſtultum* eum Dominus voca- „ vit, & ut ſtultum increpavit: ait enim illi „ Dominus: ſtulte, ubi tibi ſapiens videris, ibi „ ſtulte. Stulte, inquit, hac nocte repetam a „ te animam: hæc quæ præparaſti, cujus erunt? „ Si ſervaveris, tua non erunt: ſi erogaveris, „ tua erunt . . . . . Ecce increpatur ut ſtultus „ male recondens. Si ſtultus eſt, qui recon- „ dit ſua, vos invenite nomen ei, qui tol- „ lit aliena . . . . Fortaſſis aliquis reſpondeat, „ & dicat: non valde magna pœna erat illi „ homini, cui dicit Deus, *ſtulte*. Non ſic „ dicit Deus, *ſtulte* quomodo homo dicit. Tale „ in quemquam Dei verbum, judicium eſt. Nun- „ quid enim Deus ſtultis daturus eſt regnum cæ- „ lorum? Quibus autem non eſt daturus re- „ gnum cælorum, quid eis reſtat, niſi pœna ge- „ hennarum?

V. Ex his inferre neceſſum eſt lethale peccatum eſſe novas, & novas opes indeſinenter congregare, inſatiabili cupiditate magis incubare divitiis temporalibus amplificandis, quam ſpiritualibus, & æternis per eleemoſynas, aliaque pia opera comparandis. Hinc Apoſtolus 1. Tim. cap. 6. fideles monet, „ Habentes alimenta, & quibus tegamur, his „ contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, „ incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & „ deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mer- „ gunt homines in interitum, & perditionem. „ Radix enim omnium malorum eſt cupiditas,

„ quam

„ quam quidam appetentes erraverunt a fide “. Quod exemplo plurimorum, qui tempore perſecutionis in Chriſtianos ſævientis lapſi ſunt, probat, ac luget S. Cyprianus Martyr in lib. *de lapſis*. „ Ipſos namque, *ait*, decepit patrimonii ſui amor „ cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti „ eſſe potuerant, quos facultates ſuæ velut compe- „ des ligaverant . . . Quomodo cælum petunt, & „ ad ſublimia, & alta contendunt, qui terrenis „ cupiditatibus degravantur? Poſſidere ſe credunt, „ qui potius poſſidentur, cenſus ſervi, nec ad „ pecuniam ſuam domini, ſed magis pecuniæ man- „ cipati. Ad pericula itaque hæc devitanda opor- „ tet, ut affectionem habendi moderemur, nec „ terrenis divitiis inhæreamus “.

§. II.

De vitiis, ſive peccatis, quæ ex avaritia conſequuntur.

Ex avaritia plura oriri vitia, & peccata dubitandum non eſt, & aliqua horum jam tetigimus. Præcipua recenſet S. Thomas *art.* 8. eaque ſunt *proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra miſericordiam obduratio*: de his, aut potius de horum quibuſdam pauca adnotare hic ſufficiat.

De Proditione.

Proditio eſt *manifeſtatio illicita rei alicujus, vel perſonæ in detrimentum proximi contra fidem ipſi debitam*. Peccatum mortale eſt ex genere ſuo, & quadrupliciter contingit: primo prodendo perſonam, quomodo Judas Chriſtum ex avaritia prodidit; 2. prodendo loca, e. g. urbem, caſtrum &c. 3. prodendo res mobiles, puta pecuniam, aurum &c. 4. prodendo ſecreta ſibi commiſſa, aut ex jure naturæ celanda, v. g. litteras alterius alienis deferendo aut manifeſtando. De hac quaſdam regulas ſubjicio, ut innoteſcat quandonam peccatum lethale ſit, & quando nullum, aut leve tantum peccatum eſt.

VII. *Prima* itaque regula ſit: Proditio lethale peccatum eſt, quoties aliquis vel ſimulata ſpecie amicitiæ aliquem in manus hoſtium tradit, aut factum aliquod manifeſtat, ex quo grave proximo damnum indebite cauſatur. Sic grave peccatum fuit Dalilæ meretricis proditio, dum Samſonem in ſinu ſuo recumbentem, abraſis crinibus, viribus deſtitutum in manus Philiſthæorum tradidit, a quibus pecuniam acceperat. Sic Doegus proditionis delictum commiſit Sauli manifeſtans Davidem ab Achimeleco domi receptum. Sic Joabus occurrens Amaſæ regii exercitus duci ſpecie amicitiæ interfecit ipſum. Sic jam memoratus Judas oſculando Chriſtum Dominum inimicis tradidit.

Regula *ſecunda*: Lethalis criminis reus eſt quiſquis arcem, aut urbem, aliumve locum, ſeu fidei ſuæ, ſeu alienæ commiſſum, & a legitimo Domino poſſeſſum, hoſtibus tradit. Nam fides, & juſtitia hujuſmodi proditione violantur, & grave nocumentum infertur locorum Domino. Unde Concilium Andegavenſe can. 6. decernit: *Qui in tradendis, vel capiendis civitatibus interfuiſſe fuerint detecti, non ſolum a Communione habeantur alieni, ſed ne conviviorum quidem admittantur eſſe participes.*

Regula *tertia*: Nedum minime peccat, ſed etiam recte ſe gerit, qui, cum poſſit, perduelles tradit legitimo Principi, adverſus quem conjurent, aut ſeditioſos; aut alios boni communis hoſtes manifeſtat. Hujus exemplum præter alia habetur in 2. Reg. cap. 29. in ſapiente muliere de Abela, quæ Sebam filium Bochri rebellem adverſus David, tradendum ſuaſit Joab civitatem nomine Regis obſidenti.

VIII. Regula *quarta*: Lethalis proditio eſt, ſi quis in re gravi fidem, nedum amico, ſed & hoſti datam violat. Hanc regulam tradit S. Auguſtinus epiſt. 189. his verbis: *Fides quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur?* Et S. Thomas eamdem regulam egregie probat, ſimulque docet, quid fas, aut nefas ſit in hac materia ſæpe occurrente 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. ubi quærit, *utrum ſit licitum in bellis uti inſidiis?* Sic ergo docet: „ Inſidiæ ordinantur ad fallendum hoſtes. Dupli- „ citer autem aliquis poteſt falli ex facto vel di- „ cto alterius. Uno modo ex eo, quod ei dici- „ tur falſum, vel non ſervatur promiſſum: & „ *iſtud ſemper eſt illicitum*. Et hoc modo nullus „ debet hoſtes fallere. *Sunt enim quædam jura* „ *bellorum, & fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſer-* „ *vanda*, ut Ambroſius dicit in lib. 1. de Offic. ... „ Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel fa- „ cto noſtro, quia ei propoſitum, aut intellectum „ non aperimus. Hoc autem ſemper facere non „ tenemur: quia etiam in doctrina ſacra multa „ ſunt occultanda, maxime infidelibus, ne irri- „ deant &c. Unde multo magis ea, quæ ad im- „ pugnandum inimicos paramus, ſunt eis oc- „ cultanda. Unde inter cætera documenta rei „ militaris, hoc præcipue ponitur de occultan- „ dis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant &c. Et „ talis occultatio pertinet ad rationem inſidia- „ rum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. „ Nec proprie hujuſmodi inſidiæ vocantur frau- „ des, nec juſtitiæ repugnant, nec ordinatæ „ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, „ ſi aliquis vellet nihil ſibi ab aliis occulta- „ ri “.

IX. Regula *quinta*: Quiſquis arcanum, quod in alterius detrimentum vergit, aperit, aut evulgat, reus eſt peccati mortalis *proditionis*. Id namque legi naturæ, fidei, amicitiæ, & juſtitiæ repugnat. Unde Proverb. 12. dicitur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum*. Hinc Divus Thomas 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *ad* 3. ait generatim: *Revelare ſecreta in malum perſonæ eſt contra fidelitatem.*

Regula *ſexta*: Proditio damnabilis non eſt, ſed debita, prodere arcana, quæ in damnum communitatis vergunt. Hæc aperte traditur ab Angelico Præceptore loco laudato, ubi cum dixiſſet: *Revelare ſecreta in malum perſonæ eſt contra fidelitatem*, ſtatim ſubdit: *Non autem ſi revelentur propter bonum commune, quod ſemper præferendum eſt bono*

privato. Et ideo contra bonum commune nullum ſecretum licet ſuſcipere. Id confirmat *q*. 70. *art.* 1. *ad* 2. poſtquam enim docuit nunquam eſſe revelanda, quæ in Sacramentali Confeſſione novimus, ſubjicit: „ Circa vero ea, quæ aliter homini ſub „ ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim, cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare „ tenetur, puta, ſi pertinet ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in „ grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud „ eſt hujuſmodi, quod aliquis propalare tenetur, „ vel teſtificando, vel denunciando. Et contra „ hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti „ commiſſum: quia in hoc frangeret fidem, quam „ alteri debet. Quandoque vero ſunt talia, quæ „ quis prodere non tenetur. Unde poteſt obligari ad hoc, quod ſibi ſub ſecreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur ea prodere “.

X. Regula *ſeptima*: Proditionis crimen incurrit, qui alienas litteras reſerat, aut reſignat. Ita generatim hæc regula poſita tamquam certa tenenda eſt: ſiquidem hæc litterarum reſeratio juri gentium contraria eſt, ac publicæ fidei adverſatur. Cum enim quilibet jus habeat celandi cogitationes ſuas, & cui voluerit, patefaciendi, nullum jus habet alter cogitationes, & arcana conſilia, vel negotia litteris commiſſa, & ſigillo munita cognoſcendi. Unde nedum injuſtæ curioſitatis, ſed etiam proditionis delictum incurrit, qui aperit aliorum litteras obſignatas, invitis Dominis.

Exceptio tamen duplex huic regulæ communi adhibenda eſt: ac prima quidem, dum certus quiſpiam moraliter eſt, res admodum leves in alienis litteris contineri: tunc enim non niſi leve peccatum committit: nullum vero, ſi ejuſmodi litteras vel in proprium, vel in tertii, ac præſertim communitatis damnum conſcriptas eſſe, non temere, ſed magna probabilitate judicet. Publica etiam authoritate alienæ litteræ licite reſerantur, ſcilicet Regis, Proregis, Præfecti urbis, & provinciæ, aut Ducis exercitus mandato tempore belli, juſſu itidem Magiſtratuum, cum ad eos ſcriptæ ſunt, qui in alicujus criminis ſuſpicionem veniant.

Alia exceptio eſt relate ad perſonas quidem privatas, ſed quæ aliquod jus, aut authoritatem ſervant in inferiores. Quare licitum eſt Patri, ac Matri litteras aperire filiorum, ac filiarum, idemque judicandum de iis, qui Patris, & Matris loco ſuccedunt poſt ipſorum mortem. Item eadem poteſtate gaudet vir reſpectu uxoris ſuæ, cujus eſt caput. Unde in Concilio Illiberitano can. ultimo ſancitum eſt, *ne fœminæ ſuo potius quam maritorum nominibus, laicis ſcribere audeant, qui fideles ſunt, vel litteras alicujus pacificas ad ſuum nomen ſcriptas accipiant.* Demum licet Superioribus religioſorum hominum, & Abbatiſſis, aut Prioriſſis Monialium, quibus litterarum ſcriptio, aut receptio juxta regulam, aut Conſtitutiones abſque Superioris licentia interdicta eſt, ſubditorum, aut ſubditarum litteras aperire, ac legere.

De Fraude, Fallacia, & Perjurio.

De tribus hiſce avaritiæ filiabus pauca dicam, quoniam alibi fuſior ſermo habendus eſt. *Fraus* definitur: *Aſtuta deceptio alterius in facto*. Ex genere ſuo peccatum mortale eſt, & locum habet multiplicem in contractibus tam ratione materiæ, quam ratione pretii &c. de quibus in ſeptimo decalogi præcepto.

Fallacia eſt *aſtuta deceptio alterius in verbo*, ſeu verborum mendacium, aut æquivocorum doloſa uſurpatio ad decipiendum proximum. De hac plura in octavo præcepto.

Perjurium eſt ejuſmodi *verborum fallax uſurpatio juramento firmata*. De hac præſertim in ſecundo. Hæc vitia oriri maxime ex avaritia declarat S. Thomas *q*. 55. *art.* 8. inquiens: „ Prudentia carnis, & aſtutia cum dolo, & fraude quamdam „ ſimilitudinem habet cum prudentia in aliquali „ uſu rationis. Præcipue autem inter alias virtutes „ morales uſus rationis rectæ apparet in juſtitia, quæ eſt in appetitu rationis. Et ideo „ uſus rationis indebitus etiam in actione apparet „ in vitiis oppoſitis juſtitiæ. Opponitur autem „ ipſi maxime *avaritia*. Et ideo prædicta vitia „ maxime ex avaritia oriuntur.

De Inquietudine.

XIII. Inter vitia ex avaritia derivata ponitur quinto loco *inquietudo*, quæ definiri ſolet: *immoderata, & anxia mentis applicatio ad acquirendas, aut conſervandas divitias*. Hanc inquietudinem, ſive nimiam temporalium rerum ſollicitudinem deſignavit, reprobavitque Chriſtus Dominus, cum apud *Matth. cap.* 6. dixit: „ Non poteſtis Deo „ ſervire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt, quam eſca, & corpus, pluſquam „ veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli &c. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri „ &c. Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid „ manducabimus, aut quid bibemus, aut quo „ operiemur. Hæc enim omnia gentes inquirunt „ &c. Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis “: Super quem textum hæc habet S. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domini in monte cap.* 16.: „ Quid „ interſit inter bonum quod appetendum eſt, & „ neceſſarium, quod ſumendum eſt, hac ſententia declaravit. Regnum ergo, & juſtitia „ Dei bonum noſtrum eſt: & hoc appetendum, „ & ibi finis conſtituendus, propter quod omnia „ faciamus, quæcunque facimus. Sed quia in „ hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire poſſimus, quæ vita ſine his neceſſariis agi non poteſt, *apponentur vobis hæc*, „ inquit: *ſed vos regnum Dei, & juſtitiam ejus primum quærite*. Cum enim dixit illud „ *primum*, ſignificavit, quia hoc poſterius quærendum eſt, non tempore, ſed dignitate: illud „ tamquam bonum noſtrum: iſtud tamquam ne-

„ ceſ-

„ ceſſarium noſtrum , neceſſarium autem “ &c. Qui ergo, ſicut avari ſolent, hoc ſecundum, bona ſcilicet temporalia, primum quærunt, qui nempe finem ultimum in his rebus, quæ non primum quærendæ ſunt, conſtituunt, qui ſe ita curis terrenis immergunt, ut negligant *regnum Dei, & juſtitiam ejus*, hi proculdubio rei evadunt lethalis peccati, divinique præcepti tranſgreſſores.

De Violentia.

XI. Sexta avaritiæ deterrima proles *violentia* eſt, quæ definiri poteſt *rei alienæ per vim uſurpatio*. Hujus delicti ex ſuo genere profecto lethalis rei in primis ſunt divites, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injuſtis vectigalibus, injuriis &c. Hi ſiquidem leges palam infringunt juſtitiæ, charitatis, immo humanitatis, quam natura ipſa nos docet, ac ad alios juvandos, veluti corporis ejuſdem membra, impellit. De hoc flagitio ſermo ſæpe eſt in Scriptura, maxime in Prophetis, qui illud ſummopere execrantur, dignumque peculiari pœna pronunciant. Unum illud ſatis ſit, quod legitur Amos cap. 8. : „ Audite „ hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis „ egenos terræ dicentes : quando tranſibit meſſis, „ & venundabimus merces : & ſabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus menſuram, „ & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti „ vendamus ? Juravit Dominus in ſuperbiam Jacob : ſi oblitus fuero uſque ad finem omnia opera eorum “.

2. Lethalis violentiæ culpa gravantur, quicumque indictiones publicas, tributa, ſeu, ut vocant, *tallias* imponunt facultatum proportione minime ſervata, & pauperum onera aggravant, ut ditiores ſublevent, aut ipſi præſtationes ſuas minuant. Quemadmodum etiam nobiles, qui ex agris indictiones, ſeu *tallias* non ſolvunt, quoties communes ſunt, ac ſolvere tenentur. Ex hoc enim conſequitur, ut hujuſmodi onera Conſules, aut Communitates oppidorum in cæteros incolas refundere cogantur. Adverſus hujuſmodi crimen zelum ſuum acuit Salvianus *lib. 5. de Gubernat. Dei*, inquiens: „ Illud indignius, ac pœnalius, quod omnium „ onus non omnes ſuſtineant: immo quod pauperculos homines tributa divitum premunt, & „ imfirmiores ferunt ſarcinas fortiorum. Nec alia „ cauſa eſt, quod ſuſtinere non poſſunt, niſi quia „ major eſt miſerorum ſarcina, quam facultas. „ Res diverſiſſimas, diſſimilimaſque patiuntur, „ invidiam, & egeſtatem. Invidia eſt enim in „ ſolutione, egeſtas in facultate. Quis exiſtimare rem hujus iniquitatis poteſt? ſolutionem „ ſuſtinent divitum, & indigentiam mendicorum. Plus multo eſt, quod dicturus ſum. „ Adjectiones tributarias ipſi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes ſolvunt... Veniunt „ plerumque novi Nuncii, novi Epiſtolarii a ſummis Poteſtatibus miſſi, qui commendantur illuſtribus paucis ad exitia plurimorum, decernuntur his nova munera, decernuntur novæ indictiones. Decernunt potentes, quod ſolvant pauperes: decernit gratia divitum, quod perdat turba „ miſerorum. Ipſi enim in nullo ſentiunt, quod „ decernunt “.

XV. Peccatum lethale eſt violentia, quæ adhibetur in tributorum impoſitione, & remiſſione, dum æque non fit omnibus ſpectatis locorum, & hominum facultatibus, & oneribus. De hoc immani flagitio ita Salvianus idem loco citato: „ Sicut ſunt in aggravatione pauperes primi; ita „ in relevatione poſtremi. Si quando enim defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias „ functiones Poteſtates ſummæ exiſtimaverint, illico remedium cunctis datum ſoli inter ſe divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? „ Quis ad communionem beneficii humiles, & „ egeſtuoſos vocat? Quis eum, qui primus eſt „ ſemper in ſarcina, vel ultimo loco eſſe patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, niſi cum his „ tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum ſunt, cum remedia dividuntur. Et putamus, quod pœna divinæ ſeveritatis „ indigni ſumus; aut credimus, cum iniqui nos „ jugiter ſimus, quod Deus juſtus in nos omnino „ eſſe non debeat “.

Aliud lethalis violentiæ ſcelus idem Author deſcribit, ac damnat eodem loco. Magnatum nempe divitum, ac potentum quorumcumque hominum, qui pauperibus patrocinium ſuum vendunt, & ab eis munera, obſequia, & ſervitutes indebitas, & operas exigunt, prætextu clientelæ, & vexationes majores redimere cogunt minorum vexationum tolerantia. „ Tradunt ſe, ait ille, pauperes ad tuendum, protegendumque Majoribus, dedititios ſe divitum faciunt, & quaſi in jus eorum, ditionemque tranſcendant. Nec tamen grave hoc, „ aut indignum arbitrarer: immo potius gratularer hanc Potentium magnitudinem, ſi patrocinia „ iſta non venderent; ſi quod ſe dicunt humiles „ defenſare, humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud grave, ac peracerbum eſt, quod „ hac lege tueri pauperes videntur, ut ſpolient: „ hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defendendo. Omnes enim hi, qui defendi „ videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuam, prius quam defenduntur, addicunt, ac ſic, ut patres habeant defenſionem, perdunt filii hæreditatem. Ecce quæ „ ſunt auxilia, ac patrocinia Majorum. Nihil „ ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi. Hoc enim pacto „ aliquid parentibus temporarie attribuitur, ut „ in futuro totum filiis auferatur. Vendunt itaque, & quidem graviſſimo pretio. Et utinam venderent uſitato more, atque communi! Aliquid forſitan remaneret emptoribus. „ Novum quippe hoc genus venditionis, & „ emptionis eſt. Venditor nihil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit .... Quis æſtimare hoc „ malum poſſit? Rebus eorum incubant pervaſores, & tributa miſeri pervaſoribus ſolvunt. Poſt mortem patris nati obſequiis juris „ ſui agellos non habent, & agrorum munere „ ene-

„ enecantur: ac per hoc nihil ſceleribus tantis „ agitur, niſi ut qui privata perſuaſione nudati „ ſunt, publica afflictione moriantur &c. "

XVI. Ad culpam violentiæ lethalem refertur ea, qua nobiles, aut Magnates pauperibus ſuas domos, aut agros adimunt, aut vendere cogunt, etiam juſto pretio. Quoad primum attinet, res nimium manifeſta eſt, illudque maledictione ferit Propheta Michæas dicens cap. 2.: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris .... Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos &c.* Et Prov. 23. legimus: *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum puſillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe judicabit contra te cauſam ſuam.*

Quoad alteram partem ſpectat, ex hiſtoria Achabi apertiſſime colligitur, qui Nabathis vineam concupiſcens hortis ſuis amplificandis opportunam, ipſum cogere voluit, ut eam venderet juſto pretio, cumque ille negaſſet, quia vendere nolebat *hæreditatem Patrum ſuorum*, illum impia Jezabel calumniis oppreſſit. Ex quo facto ſic diſſerit S. Ambroſius lib. de Nabat cap. 9. *Utinam non approperes rapinam: utinam, quod concupieris, non extorqueas, utinam alienum non petas, negatum prætermittas, excuſatum patienter feras, non audias illam Jezabel, quæ eſt avaritia, quodam profluvio vanitatis dicentem; ego tibi dabo poſſeſſionem, quam deſideras &c. Quid enim in illa hiſtoria, niſi divitum avaritia deſcribitur? hæc eſt Jezabel non una, ſed multiplex, non unius temporis, ſed temporum plurimorum &c.*

Idem confirmat S. Joann. Chryſoſtom. *hom.* 87. *in Matth.*, inquiens: „ Noli dicere quid eſt, ſi „ rem proximi deſiderabo? Hoc enim Achab Re„ gem perdidit. Nam quamvis pretium dede„ rit, veruntamen quia a nolente accepit, pœ„ nas luit. Emptor enim non cogere, ſed per„ ſuadere debet. Quod ſi vero æquum pretium „ perſolvens tanto ſupplicio affectus eſt; qui nul„ lo pretio dato aliena rapit, præſertim cum „ gratiæ documentis ſit roboratus, quam puni„ tionem non meretur "?

Lethalis item violentiæ rei ſunt juxta S. Auguſtinum *ſerm.* 1., alias 15. de diverſis, qui proximo de uſu luminis in domibus ſuis lites injuſtas intentant, eaſque demoliri cogunt. „ Ple„ rumque, ait, homines de uſu ſolis, & lumi„ nis in ædificiis ſuis lites injuſtiſſimas concitant, „ & ut feneſtris ſuis radii liberiores aliquanto „ largius infundantur, domos alienas dejicere „ ſæpe moliuntur, & eos, qui contradixerint, „ etiamſi jure certiſſimo contradicant, inimicitiis „ acerbiſſimis inſectantur. Si quem igitur infir„ morum potentior aliquis injuſte, ac nefarie „ propter uſum ſolis oppreſſerit, diripuerit, in „ exilium etiam, mortemque compulerit, ſolis „ eſt crimen, quo ille abundantius uti deſiderat, „ an potius male utentis iniquitas, qui dum cu„ pit corporis oculis temporale lumen largius „ acquirere, cubiculum cordis luci non aperit „ æquitatis "?

Eodem lethalis violentiæ peccato implicantur divites, qui ſuis opibus, aut authoritate freti, pauperes ad judicum tribunalia pertrahunt, corruptiſque vel pecunia, vel favore judicibus opprimunt, aut lites pauperibus intentatas malis artibus ita pertrahunt, ut ab iis continuandis omnino deſiſtere compellantur. Horum iniquitas ſatis aperta eſt, ad eamque amplius declarandam ſanctiſſimi Jobi textum afferam cum S. Gregorii Magni commentario. Sic itaque teſtatur ille c. 31. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me. Quid enim faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus &c.?* Quem locum Magnus Pontifex exponens, ait: „ Quis digne conſiderare valeat hujus viri „ tam ſublimia virtutum moderamina? In quo „ tanta eſt authoritas regiminis, ut ad ſilentium „ reſtringantur Duces; tanta humilitas cordis, ut „ ex æquo ad judicium venire permittantur an„ cillæ. Ex quo apparet miro modo in poteſtate „ Principibus potentior, in certamine ſervis æqua„ lis: in cœtu Principum memor regiminis, in „ certamine famulorum memor conditionis. Se „ ſe quippe ſub vero Domino famulum conſpi„ cit, ideoque cordis altitudine ſe ſuper famulos „ non extollit. Qui venturum judicem cogitat, „ indeſinenter quotidie rationum ſuarum in me„ lius cauſas parat: quia dum æternum Domi„ num tremore cordis intuetur, jura temporalis „ dominii ſuper ſubjectos moderari compellitur..... „ Unde Beatus Job, quia ejus judicium, qui ſuper „ omnia eſt, metuit, hic ad temporale judicium „ famulis æqualis venit. Qui ut ſemper cor in „ humilitate deprimat, nequaquam in iiſdem fa„ mulis conſpicit, quod ſibi ſtatus eſt diſpar, „ ſed quod natura communis &c. " Hæc perpendere ſerio deberent Magnates, ac Principes, dum de controverſiis cum inferioribus diſceptant, & imitari ſanctiſſimum virum, qui in hiſce rebus nullam ſuæ poteſtatis rationem habebat, ſed quod ſibi, & famulis ſuis congruum, & juſtum erat, æqualiter tribuebat.

Ne longior ſim, & quæ ad alios Tractatus revocantur, huc afferam, tria alia tantum *violentiæ* lethalis peccata, quæ ſæpius occurrunt, deſignare non omittam. Prius eſt violentia Magnatum, ac Nobilium relate ad matrimonium: ad quod ſcilicet ſubditos ſuos, vel alios, prout ipſis lubet, cogere volunt, aut ab ipſo libere contrahendo directe, vel indirecte deterrent. Nam hujuſmodi violentia juri naturali adverſatur, quod Matrimonii libertatem vindicat: eamque ſacri canones ſub pœna excommunicationis interdicunt, ut patet ex Can. *Nullus* cauſa 2. 36. q. 2., & ex Concilio Aurelianenſi IV. Can. 22. Hoc violentiæ genus peculiari decreto vetuit Synodus Tridentina *ſeſſ.* 22. *de Reform.* c. 9. his verbis. „ Ita ple„ rumque temporalium Dominorum, & Magi„ ſtratuum mentis oculos terreni affectus, atque „ cupiditates excæcant, ut viros, & mulieres ſub „ eorum juriſdictione degentes, maxime divites, „ vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis, „ & pœnis adigant, cum iis matrimonia invitos „ contrahere, quos ipſi Domini, vel Magiſtratus „ illis præſcripſerint. Quare cum maxime nefa„ rium ſit matrimonii libertatem violare, & ab „ eis injurias naſci, a quibus jura expectantur; „ præcipit S. Synodus omnibus cujuſcumque gra-

„ dus,

„ dus, dignitatis, & conditionis exiſtunt, ſub „ anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, „ ne quovis modo, directe, vel indirecte ſubditos „ ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus „ libere matrimonia contrahant “.

Violentia alia non minus lethalis ſpectat parentes, qui liberos ſuos ad vitam Monaſticam, aut Religioſam ſuſcipiendam adhibita vi, vel incuſſo metu compellunt: libertatem quippe ipſis adimunt, in quam jus nullum habent, præſertim cum agitur de vitæ ſtatu deligendo, in quo ad mortem uſque perſeverandum eſt. Hujuſmodi violentiam damnarunt Sancti Patres, ac nuperrime damnavit Concilium Tridentinum, dum *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*, *&* *Monialibus* cap. 18.: „ anathemati ſubjecit omnes, & ſingulas perſonas, cujuſcumque „ qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, „ quam laicos, ſæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam mulierem invitam, præterquam „ in caſibus a jure expreſſis, ad ingrediendum „ Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum „ cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem: quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte „ ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, „ aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem „ actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interpoſuerint “.

XVII. At non minus e contra peccato lethalis violentiæ obſtringuntur, qui ab habitu religionis ſuſcipiendo, vel ſolemnibus votis nuncupandis, citra juſtam cauſam aliquem impediunt. Hæc etiam regula Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini authoritate firmatur; qui hujuſmodi violentiæ reos excommunicatione percellunt. Ita imprimis ſtatuit Toletanum Concilium 3. Can. 10. his verbis: „ Pro conſultu Caſtitatis hoc ſanctum affirmat Concilium, ut viduæ, quibus placuerit „ tenere caſtitatem, nulla vi ad nuptias iterandas „ venire cogantur. Quod ſi priuſquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, „ quos propria voluntate elegerint habere maritos. „ Similis conditio & de virginibus habeatur, ne „ citra voluntatem parentum, vel ſuam cogantur „ maritos accipere. Si quis vero propoſitum caſtitatis viduæ, vel virginis impedierit, a ſancta „ Communione, & a liminibus Eccleſiæ habeatur „ extraneus “.

Et Can. *Puella* cauſa 20. q. 1. ſtatutum eſt, ut puellam, vel adoleſcentem, ætate religioſæ profeſſionis legitima, quæ olim *duodecim* annorum erat, ex hodierna vero diſciplina *ſexdecim*, parentes, vel tutores a religioſa profeſſione impedire jure non poſſint. „ Puella, inquit, ſi ante duodecim annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes, vel „ tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. „ At ſi annum, & diem id diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſi, ne ipſa mutare hoc „ poterunt. Si vero in fortiori ætate adoleſcentula, vel adoleſcens ſervire Deo elegerit, non eſt „ poteſtas parentum prohibendi “.

Denique Concilium Tridentinum loco laudato, anathemate ferit eos, qui ſanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo, ſine juſta cauſa, impedierint.

De Obduratione contra miſericordiam.

XVIII. Hæc eſt poſtrema inter ſeptem, quæ a S. Thoma aſſignantur, *avaritiæ* proles: & definiri poteſt: *Vitium, quo cor avari adeo tenaciter rebus ſuis temporalibus affixum eſt, ut miſeriis pauperum non emolliatur ad eorum inopiam ſublevandam.* Quoniam de præcepto charitatis proximi alibi opportunius agendum eſt, ideo quædam ſolum, quæ immanitatem oſtendunt hujus vitii ex avaritia prodeuntis, hic afferam. Itaque

XIX. In primis lethalis obdurationis contra miſericordiam rei ſunt, qui rem pauperum uſibus neceſſariam ab illis in pignus accipiunt, ac diu retinent. Hæc obduratio præcepto edito Deuteron. cap. 24. gravibus hiſce verbis prohibetur. „ Non „ accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem „ molam: quia animam ſuam oppoſuit tibi &c. „ Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam „ debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper eſt, „ non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum &c. Nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentum “. *Et Exodi cap.* 22.: „ Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. Ipſum „ enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum „ carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. „ Si clamaverit ad me, exaudiam eum: quia miſericors ſum “. Hinc etiam Conſtantinus Imperator ſub gravi pœna vetuit, *ne boves aratorii, aut aratorium inſtrumentum pignoris cauſa a creditoribus abſtrahantur.*

2. Lethalis obdurationis contra miſericordiam rei ſunt, qui frumenta, urgente fame, abſcondunt, & culpa ſua efficiunt, ut carior annona ſit. Hoc peccatum, quod frequens valde eſt, Spiritus Sanctus graviſſime damnat tum Prov. cap. 11., ubi ait: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*: tum Eccl. 4. *Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exauditur deprecatio illius.* Temporali ſimul, & æterna maledictione puniri crudeles illos, & immiſericordes, qui annonas abſcondunt, ut ex publica calamitate majus lucrum acquirant, teſtatur S. Joann. Chryſoſtomus *hom.* 39. *in Epiſt.* 1. *ad Corinth.*, cujus verba abſterrere deberent omnes ab hoc delicto: „ Sicut iſti, inquit, a curculione exeſum frumentum, & inutile redditum „ projiciunt in amnes; ita eos, a quibus id factitatum eſt, propter hoc ipſum inutiles factos Deus in ſtagnum ignis projiciet. Sicut „ enim frumentum arrodit curculio, & vermis; ita impiorum animas exedit crudelitas “.

Hujuſce criminis gravitatem adſtruit Sanctus Ambroſius *lib.* 3. *de officiis cap.* 6., inquiens: „ Non vincat honeſtatem utilitas, ſed honeſtas „ uti-

„ utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æſtimatur ſecundum vulgi opinionem. Mortificetur avaritia, moriatur concupiſcentia. Sanctus in negotiationem ſe introiſſe negat, quia pretiorum captare incrementa, non ſimplicitatis, ſed verſutiæ eſt; & alius ait: captans pretia frumenti maledictus in plebe eſt. Definita eſt ſententia, nihil diſputationi relinquens “.

Quoniam vero, qui hoc crimen committunt, excuſationes in peccatis prætexere ſolent, ideo harum futilitatem oſtendit idem S. Pater, aitque eorum nomine: „ Aravi ſtudioſius, ita ſcilicet ſe excuſant, uberius ſeminavi, diligentius excolui, bonos collegi proventus, ſollicitus recondidi, ſervavi fideliter, provide cuſtodivi. Nunc in tempore famis ſubvenio eſurientibus, vendo frumentum non alienum, ſed meum, non pluris quam cæteri, immo etiam minori pretio. Quid hic fraudis eſt, cum multi poſſent periclitari, ſi non haberent, quod emerent? Num induſtria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num providentia vituperatur? Fortaſſe dicat: & Joſeph frumenta in abundantia collegit, in caritate vendidit. Num carius aliquis vendere compellitur? Num vis adhibetur emptori? Omnibus defertur emendi copia: nulli irrogatur injuria “.

Has excuſationes ita inutiles manifeſtat S. Pater: „ Cur ad fraudem convertis naturæ indulgentiam? cur invides uſibus hominum publicos partus? cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis a pauperibus ſterilitatem? Cum enim non ſentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, recondente frumentum, optant potius nihil naſci, quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberis ſoli partus ingemiſcis, fles publicam fertilitatem, horrea plena frugum deploras, exploras, quando ſterilior proventus ſit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arriſiſſe maledictum, ut nihil uſquam naſceretur. Tunc meſſem tuam veniſſe lætaris, tunc tibi de omnium miſeria congeris opes: & hanc tu induſtriam vocas, quæ calliditatis verſutia, quæ aſtutia fraudis eſt? Et hoc tu remedium vocas, quod eſt commentum nequitiæ? Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinii tempora, quibus in viſcera hominum durus inſidiator obrepat; augetur pretium, tamquam ſorte cumulatum fœneris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur uſura, tu frumentum quaſi fœnerator occultas, quaſi venditor auctionaris &c. Lucrum tuum damnum publicum eſt. Joſeph ſanctus omnibus aperuit horrea, non clauſit: nec pretia captavit annonæ, ſed perenne ſubſidium collocavit. Nil ſibi acquiſivit, ſed quemadmodum fames etiam impoſterum vinceretur, provida ordinatione diſpoſuit “. Hæc Ambroſius.

Cæterum & ipſæ leges civiles in crudeles hos avaros pœnas decreverunt, & alios quidem a negotiatione interdicunt; alios relegandos, alios etiam præſertim ignobiliores ad opus publicum damnandos pronunciant. Ex quibus legibus, quam ſit execrabile crimen ipſorum colligi debet.

Tertio obdurationis contra miſericordiam peccatum committit creditor, qui debitorem, quem ſolvendo non eſſe ſatis conſtat, vexat, & opprimit, ut ſolvat, neque inducias ipſi concedit. Regulam hanc Deus ipſe tradidit declarans Judæis ipſorum jejunium ſibi non eſſe acceptabile ob vitia, quibus illud polluebant: illudque inter alia, quod credita a debitoribus ſuis, qui ſolvendo non erant, acerbius exigerent. *Ecce*, inquiebat per Iſaiam cap. 58. *in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis &c.* Eamdem tradidit Chriſtus Dominus apud *Matth. cap.* 18. celebri illa parabola de Rege rationem exigente a ſervis ſuis, quorum unus decem millium talentorum debitor erat, & cum non haberet, unde redderet, liberaliter Dominus debitum omne dimiſit. Ille vero inveniens unum de conſervis, qui debebat ei centum denarios, rogantem inducias, ut ſolveret, tenens vexavit acerbe, & in carcerem detruſit. Quod factum cum reſciviſſet Dominus, his verbis illum increpuit: *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?*

Hanc chriſtianæ miſericordiæ regulam confirmat S. Auguſtinus ſerm. 239., inquiens: „ Si hoc quod datum eſt, vel quod accepit (alter) exigitur, forte ad manum nondum habet . . . ., expecta non habentem: cum habuerit, cedet tibi. Noli clamare, & dicere, numquid fœnus quæro? Tantum peto, quantum dedi. Quod dedi, hoc accipiam. Benefacis: ſed nondum habet. Non es fœnerator, & vis, cui præſtitiſti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur, quare vis, ut propter te alium fœneratorem patiatur? Premis, ſuffocas. Et ſi tantum exigis, quantum dediſti, ſuffocando tamen, & anguſtias faciendo, non beneficium dediſti, ſed potius majores anguſtias intuliſti. Sed forte dicis: habet unde reddat: habet domum, vendat: habet poſſeſſionem, vendat. Quando a te petivit, ideo petivit, ne venderet: propter hoc non faciat, qui ſubveniſti, ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus “. Qui aliter ſe gerunt, & cor ſuum obdurant, ne audiant juſtas debitorum ſolvere non valentium preces, & eorum gemitus, & lacrymas non reſpiciunt, hi ſane nedum peccant contra charitatem, ſed etiam contra ipſam naturalem æquitatem, adeoque a Confeſſariis redarguendi, increpandi, monendique, periculum maxime fore, quod ipſis viſcera miſericordiæ ſuæ Deus claudat, & debita non remittat, quæ coram Divina Juſtitia contraxerunt, prout Chriſtus in laudata parabola ſatis aperte ſignificavit.

His demum quarto tamquam lethalis obdurationis rei contra miſericordiam annumerandi ſunt, qui ſuorum agrorum, aut vinearum colonis,

ſive

ſive conductoribus penſionem non remittunt pro rata gravis incommodi, aut jacturæ, quas vel ex ſterilitate, aut grandinis tempeſtate, aliove caſu fortuito perpeſſi ſunt, abſque ipſorum culpa, aut vitio rei contingente. Hi profecto nedum peccant adverſus miſericordiam, ſed etiam adverſus juſtitiam. Nam utroque jure ſancitum eſt, ut in hujuſmodi fortuitis caſibus annonæ penſionis remiſſio fiat pro rata damni, & incommodi, niſi forte ſterilitas oriatur ex defectu culturæ, quam colonus adhibere debuerat, aut ſterilitas anni præcedentis, vel ſubſequentis valeat ubertate compenſari. Ita reſpondit Gregorius IX. cap. *Propter*, extra *de locato*, *& conducto* his verbis: *Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, colonis Eccleſiæ tuæ pro rata eſt penſionis remiſſio facienda, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari.* Et hanc praxim ſervare ſolent quique agrorum Domini pii, & æqui, dum ordinariæ ſterilitates ex grandine, aliiſque ſimilibus fortuitis caſibus abſque culpa colonorum, aut conductorum contingunt.

§. III.

De vitio oppoſito Avaritiæ, ſcilicet Prodigalitate.

XX. Prodigalitas vitium eſt, quod ſimul *avaritiæ*, *& liberalitati* opponitur: Ut enim docet S. Thomas 2. 2. q. 19.: „ In moralibus attenditur „ oppoſitio vitiorum ad invicem, & ad virtutem „ ſecundum ſuperabundantiam, & defectum diver- „ ſimode. Nam in affectione divitiarum avarus „ ſuperabundat, plus debito eas diligens. Prodigus autem deficit, minus debito earum ſol- „ licitudinem gerens. Circa exteriora vero ad „ prodigalitatem pertinet excedere quidem in dan- „ do, deficere autem in retinendo, & acquirendo. „ Ad avaritiam autem pertinet e contrario defi- „ cere quidem in dando: ſuperabundare autem in „ accipiendo, & retinendo. Unde patet, quod „ *prodigalitas* avaritiæ opponitur ". Ex hac doctrina nedum oppoſitio prodigalitatis cum avaritia, ſed ejuſdem etiam germana notio ſatis liquet.

Peccatum eſſe prodigalitatem quis ambigat? Corrumpit quippe medium virtutis, & regulam rationis, quæ præſcribit quidem, ut bona noſtra, & divitias aliis largiamur, *ſed dum oportet*, *& quomodo oportet*, quam regulam prodigus nequaquam ſervat. Hinc Divus Thomas art. 2. ad 2. expendens illud Apoſtoli 1. ad Timoth. ultimo: *Divitibus hujus ſæculi præcipe*, *facile tribuere*, *communicare*, ait: „ Apoſtolum monere divites, ut fa- „ cile tribuant, & communicent ſua, ſecundum „ quod oportet: quod non faciunt prodigi. „ Quia, ut Philoſoph. dicit in 4. ethic.: *Datio-* „ *nes rerum non ſunt bonæ*, *neque boni gratia*, *ne-* „ *que ſecundum quod oportet*, *ſed quandoque dant* „ *multa illis*, *quos oporteret pauperes eſſe*, *ſcilicet* „ *hiſtrionibus*, *& adulatoribus*, *bonis autem ni-* „ *hil dant* ". Quod ſæpe contingere non ſine ingenti dolore cernimus in quibuſdam, qui cum nihil ex ſuis divitiis calamitoſis, & egenis tribuant, eas deinde profundunt in ludis, in ſaltatricibus, aliiſque mulierculis impudicis.

Equidem *ex genere ſuo* prodigalitas veniale tantum peccatum eſt. Lethalis tamen ſæpe fit ex circumſtantiis adjunctis. Sic lethaliter peccant ii, qui bona ſua profundunt in comeſſationibus, in ebrietatibus, in alea, in ludo, in ſcortationibus, & aliis ſimilibus illicitis voluptatibus, & filium prodigum imitantur, qui ut habetur Lucæ cap. 15. *Diſſipavit omnem ſubſtantiam vivendo luxurioſe.*

Lethale quoque *prodigalitatis* peccatum incurrunt, qui bona ſua prodigunt cum gravi aliorum damno, vel ſcandalo. Similiter Tutores, & Procuratores, qui bona pupillorum: Diſpenſatores, Æconomi, adminiſtri, qui bona ſuæ fidei commiſſa: Mercatores, Nobiles, & quicumque bona creditorum decoquunt: Patresfamilias, qui ſuarum pecuniarum profuſione uxori, & liberis grave damnum inferunt, eiſque neceſſaria non provident: mulieres demum, quæ in mundo muliebri, & ſuperfluo veſtium ornatu immodicos ſumptus faciunt. In his, aliiſque id genus pecuniæ, vel bonorum ſuorum profuſionibus, en regula allata a S. Thoma *quodlib. 6. q. 8. art. 1. ad 4.*, pro diſcernenda gravitate, aut levitate peccati, admodum opportuna. „ Dicendum, inquit, quod „ neque moderatus uſus divitiarum, neque bo- „ na fides diſpenſatoris ſalvari videtur in eo, „ qui ſcienter ſuperfluas expenſas facit in volu- „ ptuoſis conviviis, & aliis hujuſmodi ſuperflui- „ tatibus, & ideo non eſt dubium, quod in „ talibus peccat mortaliter. Si autem aliquis non „ multum in talibus excedat, poteſt bona fide „ fieri ab aliquo, qui vult ſecundum decen- „ tiam ſui ſtatus morem gerere his, quibus con- „ vivit ".

Atque hæc Sancti Doctoris regula in omnibus quidem etiam ſæcularibus, ſed præſertim locum habere debet in Eccleſiaſticis, qui ex reditibus Eccleſiæ vivunt. Unde in hoc *art. 2.* reſpondens Sanctus Thomas ad quamdam objectionem, ait: „ Prodigus peccat in ſeipſum, dum bo- „ na ſua conſumit, unde vivere deberet: pec- „ cat etiam in alterum conſumendo bona, ex qui- „ bus deberet aliis providere. Et præcipue hoc „ apparet in Clericis, qui ſunt diſpenſatores bo- „ norum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum, quos „ defraudant prodige expendendo ". De hoc Clericorum delicto legendus eſt inter alios Sanctus Bernardus in Epiſt. ad Henricum Senonenſem cap. 11.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA.

I. *Virtutis liberalitatis, quæ avaritiæ opponitur, legitima notio.*

II. *Quam periculoſum ſit vitium avaritiæ.*

III. *Merito ab Apoſtolo avaritia idololatriæ comparata eſt.*

IV. *Peccatum mortale eſt* ex genere ſuo, *ſi ſumatur*

tur ut oppoſita juſtitiæ, non autem ut oppoſita liberalitati; ſæpe tamen etiam ita accepta grave peccatum eſt.

V. *Sufficit ſola inordinata divitiarum affectio, ut peccatum lethale ſæpiſſime ſit.*

VI. *Plures caſus, in quibus avaritia lethale peccatum eſt, ob prædominantem in avaro cupiditatem.*

VII. *Nedum qui rapit aliena, ſed etiam qui nimium cupide ſervat ſua, nonnumquam reus eſt peccati mortalis. Pulchra S. Auguſtini ſententia.*

VIII. *Rei ſunt gravis culpæ, qui liberorum gratia nullum divitiis congregandis modum ſtatuunt. Alia de hac re S. Auguſtini præclara ſententia.*

IX. *Avaritiæ culpa non vacant, qui ex cupiditate bonorum temporalium forenſes lites ſuſcipiunt.*

X. *Maxime a litibus forenſibus ſuſcipiendis alieni debent eſſe viri Eccleſiaſtici, & Religioſi.*

XI. *Exempla plurium, qui crimine proditionis peccant, aliena ſibi commiſſa revelando.*

XII. *Interdum tamen arcana etiam jurata, non ſolum licite revelare poſſumus, ſed etiam tenemur.*

XIII. *Quomodo ſe gerere oporteat ſubditus, Prælato ſecreti revelationem præcipiente.*

XIV. *Dum ſigilli obſervantia illicita redditur, revelare ſecretum debemus, quamvis ſub ſigillo confeſſionis (extra tamen confeſſionem) creditum fuerit.*

XV. *Execrabile eſt tempore egeſtatis frumenta abſcondere, ut charius vendantur.*

XVI. *Obdurationis contra miſericordiam rei ſunt, qui egenis tempore famis non ſubveniunt.*

XVII. *Avaritiæ ſpiritualis peccati rei ſunt, qui in proximorum indigentiam ſublevandam talenta ſibi a Deo credita non impendunt.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PRæcipua virtus, quæ avaritiæ opponitur, eſt liberalitas, cujus legitima notio in eo eſt poſita juxta S. Thomam *q.* 117., quod ſit *virtus diſponens animum ad recte diſpenſandum divitias in uſus bonos ſibi, ſuiſque, & aliis*. Quare, ut docet *art.* 1. *ad* 2. „ Ad liberalem non pertinet ſic „ divitias emittere, ut non ſibi remaneat, unde „ ſuſtentetur, & unde virtutis opera exequatur, „ quibus ad felicitatem pervenitur. Debet autem „ homo (ut *ad* 1. habet) ſemper magis ſibi pro- „ videre in ſpiritualibus bonis, in quibus unuſ- „ quiſque ſibi præcipue ſubvenire poteſt. Et ta- „ men etiam in rebus temporalibus non pertinet „ ad liberalem, ut ſic aliis intendat, quod omnino „ ſe, & ſuos deſpiciat. Unde Ambroſius dicit in „ 1. de Offic.: *Eſt illa probanda liberalitas, ut* „ *proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere co-* „ *gnoſcas* ".

Conſectarium Secundum.

II. Avaritia peccatum eſt admodum periculoſum: tum quia latenter irrepit, ſeque occultat ſub prætextu neceſſitatis aut præſentis, aut futuræ; propterea *Lucæ* 12. Chriſtus ſpecialiter monuit: *Videte, & cavete ab omni avaritia.* Tum quia ingentem animo perniciem affert, nedum quod illum divina gratia privet, ſed etiam quia impedit, & extinguit amorem, guſtum, & intelligentiam rerum ſpiritualium: unde dicitur Matth. 13. *Fallacia divitiarum ſuffocat verbum*. Tum demum quia peccatum hocce difficillime curatur: nam & virtutis ſpecie ſeducit animum, quaſi quædam ſit providentia futuri, & naturæ magis conſentaneum videtur, quaſi duntaxat ſufficientia ad vitam, & ſtatum decentem quærat, ac tandem experientia ipſa confirmat, quod hujuſmodi morbum pauci agnoſcant, ut ipſi remedium congruum adhibeant.

Conſectarium Tertium.

III. Merito ad Apoſtolo Paulo Eph. 5. *Avaritia idolorum ſervitus appellatur*, ſive idololatriæ comparatur: quia, inquit S. Thomas q. 118. art. 5. ad 4., *Sicut idololatra ſubjicit ſe creaturæ exteriori; ita etiam avarus*: ille quidem ad cultum idolo exhibendum: iſte vero ad bona temporalia immoderate propter uſum diligenda. Cui etiam addi poteſt, quod ſicut idololatra in idolo, ita avarus in divitiis, ſive auro, & argento ſuam fiduciam collocat, ac propter eas velut finem operatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Quamquam avaritia peccatum mortale non ſit, dum non læditur, aut violatur juſtitiæ præceptum, ſolumque conſiſtit in nimia quidem, ſed non graviter inordinata affectione erga divitias, mortale tamen peccatum eſt, quoties hujuſmodi affectio, ut ſæpe contingit, adeo excreſcit, ut dominetur in corde, illudque ita poſſideat, ut divitiæ ſint ultimus finis avari, non Deus ſuper omnia dilectus. Hinc S. Thomas *in diſp. q.* 13. *de* „ *malo* docet: „ Si avaritia dicatur amor, & deſi- „ derium temporalium bonorum, ita quod in eis „ finis conſtituatur, avaritia ſemper erit peccatum „ mortale. Converti enim ad bonum creatum, ſi- „ cut ad finem, facit averſionem ab incommutabili „ bono, quod debet eſſe ultimus finis: eo quod „ non poſſunt eſſe plures ultimi fines ".

Conſectarium Quintum.

V. Quare neceſſum non eſt, ut avarus ſit in ſtatu peccati mortalis, quod inordinatus divitiarum amor ſemper erumpat in aliquam gravem tranſgreſſionem præceptorum Dei, ſed ſatis eſt prava animi ſui diſpoſitio ex amore illo prædominante profecta, quæ pugnat cum divina charitate. Qua de cauſa Apoſtolus Paulus cum plures commemoraſſet, qui regnum Dei poſſeſſuri non erant, *Fornicarii, adulteri, idolis ſervientes, molles, fures &c.* his etiam ſpecialiter accenſet *avaros*, ſatis aperte ſignificans divitiarum inordinatum amorem, qui in plurimorum corde dominatur, ſatis eſſe ad eos excludendos a regno Dei.

Conſectarium Sextum.

VI. Quoties tamen divitiæ ſunt ultimus finis avari, ut frequenter contingit, erumpere ſolet ille in plures actus legi Dei contrarios, graviterque peccaminoſos, quæ ſigna vocari queunt prædominantis affectus. Sic primo illi omnes, qui propter divitias comparandas, vel augendas, vel conſervandas quidpiam agunt, vel prætermittunt, quod repugnat vel honori Dei, vel juſtitiæ, vel præcepto charitatis proximi, ſatis oſtendunt hunc prædominantem amorem.

2. Qui fiduciam ſuam præcipuam conſtituunt non in Deo, ſed in divitiis, ut ad exitum optatum perducant quidquid magni animo revolvunt, aut meditantur. Qua de cauſa Apoſtolus ſpecialiter monuit Timotheum, ut *divitibus hujus ſæculi præciperet non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.*

Tertio: qui ſufficientia habentes ad naturæ neceſſitatem, ſtatumque decentem, tametſi aliqua non rapiant, nec concupiſcant, ſemper tamen in novis, noviſque opibus congregandis occupantur, non ut eas in opera pietatis, & charitatis impendant, ſed ut cupiditati ſuæ ſatisfaciant. Hoc enim Scripturæ, & Patres nulla facta injuſtitiæ mentione graviter reprehendunt. Id colligitur ex Iſaiæ loco cap. 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis &c. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Quem locum ita commentatur Hieronymus: *Generaliter adverſum omnes, quibus nihil ſatis eſt, dictum puta .... Quæ enim rabies, cum tecta, & agri ad depellendos imbres, & ad ferendas fruges haberi debeant, ea habere cupere, in quibus cunctis habitare non poſſis, & quæ colere non ſufficias, ulteriuſque neceſſitatem tuam facere voluptatem?*

Quarto: qui ingruentibus aliquando calamitatibus, terræ ſterilitate, camporum depopulatione, tanto mœrore afficiuntur, ut animo contabeſcant, ægrotent & pene in amentiam decidant, in graves prorumpant impatientiæ motus, in blaſphemias, obtrectationes, & alia maledica verba, etiam quandoque adverſus Deum, ejuſve providentiam. Ita ſe gerere, præterquam quod dominantis divitiarum affectus indicium eſt, eſt imitari Paganos, inquit Tertullianus *cap. 7. lib. de patient.*: *Gentilium ſiquidem eſt omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortaſſe animæ anteponunt.* Illud tamen advertere opus eſt haud raro contingere, ut aliquis impatienter quidem ferat jacturam divitiarum, ſed nihilominus Deum ſupra illas diligat, tamquam bonum ſuum ultimum, quod cæteris creatis bonis præfert, adeoque non niſi venialiter peccabit.

Conſectarium Septimum.

VII. Ex his etiam inferre oportet lethalis avaritiæ reum eſſe, nedum qui rapit aliena, ſed & illum, qui cupide ſervat ſua, ſi tanta ſit cupiditas, ut ea non ſit paratus amittere, ne Deum graviter offendat. Id colligit Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 107. ex verbis Chriſti Domini: *Videte, & cavete ab omni avaritia*: ſic enim ſubjicit: „ Fortaſſe tu avarum, & cupidum diceres, ſi quæreret „ aliena: ego autem dico, cupide, & avare non „ appetas nec tua. Hoc eſt *cavere ab omni avaritia* &c. Non ſolum avarus eſt, qui rapit aliena, „ ſed & ille avarus eſt, qui cupide ſervat ſua.... „ Ecce Chriſtus, ecce veritas, ecce ſeveritas. *Cavete*, dicit *veritas*. *Cavete* dicit *ſeveritas*. Si „ non amas veritatem, time ſeveritatem. *Non in* „ *abundantia hominis vita ejus eſt ex his, quæ habet*. Crede illi, non te fallit. Contra tu di- „ cis: immo in abundantia hominis eſt vita ejus „ ex his, quæ habet. Ille te non fallit: tu te „ fallis. Ecce amas tua, non tollis aliena: de „ labore habes: de juſtitia habes: hæres relictus eſt, donavit tibi, quem promeruiſti, navigaſti, periclitatus es, fraudem non feciſti, „ mendacium non juraſti, quod Deus voluit, „ acquiſiviſti, & ſervas cupide tamquam in bona „ conſcientia, quia non habes de malo, & non „ quæris aliena. Si non audieris illum, qui dixit, *Cavete ab omni avaritia*, audi quanta mala facturus es *propter tua*. Ecce contingit v. g. „ ut fieres judex. Non corrumperis; quia non „ quæris aliena.... Homo, qui non quæris aliena; vide quid mali facturus es *propter tua*. „ Ille qui vult, ut male judices, & pro ipſo „ feras ſententiam contra adverſarium ipſius, forte potens homo eſt, & poteſt tibi calumniam „ facere, ut perdas *tua*. Attendis potentiam ipſius, cogitas illam, *cogitas tua*: & dicis apud „ te ipſum, *offendo hominem iſtum, multum poteſt* „ *ad tempus*: *ſuggeret de me mala, & proſcribor,* „ *& perdo quod habeo*. Judicaturus es male, non „ cum quæris *aliena*, ſed cum ſervas *tua*. Da „ mihi hominem, qui audivit Chriſtum: da mihi „ hominem, qui cum timore audivit: *Cavete ab* „ *omni cupiditate*, & non mihi dicat aliquis, *ego* „ *homo pauper ſum, plebejus, mediocris, gregalis,* „ *quando ſpero me judicem futurum? Non timeo* „ *iſtam tentationem, cujus periculum ante oculos* „ *poſuiſti*. Ecce dico & pauperi quid timere debeat. Vocat te *dives, & potens*, ut pro illo „ *dicas falſum teſtimonium*. Quid facturus es modo? Dic mihi. Habes bonum peculium, laboraſti, acquiſiviſti, ſervaſti. Exigit ille: „ *dic pro me falſum teſtimonium, & tantum, &* „ *tantum dono tibi*. Tu qui non quæris aliena, „ *abſit a me*, inquit: *Non quæro, quod noluit* „ *mihi Deus dare*: *non accipio, recede a me*. Non „ vis accipere quod do? Quod habes, tollo. „ Ecce modo te proba: modo te examina. „ Quid me attendis? Intus te attende, intuere, „ vide &c. noli te palpare: reſponde tibi. Ecce, ſi hoc quiſquam minetur, quid facies? „ *Tollo tibi quod cum tanto labore acquiſiſti, niſi* „ *pro me falſum teſtimonium dixeris*. Da illum: „ *Cavete ab omni avaritia*. O ſerve meus, dicet tibi, quem redemi, & liberum feci, „ quem de ſervo fratrem adoptavi &c. audi me: „ *Tollat quod acquiſiſti: me tibi non tollat*. Ne „ pereas, ſervas tua? Nonne tibi dixi: *Cavete ab omni cupiditate?* Ecce turbaris, ecce „ fluctuas: cor tuum quaſi navis tempeſtatibus

„ qua-

„ quatitur. Dormit Chriſtus, excita dormien-
„ tem, & non timebis tempeſtatem ſævientem
„ &c. iterum dicam, *cave ab omni avaritia* "
&c. Hæc S. Auguſtinus, cujus pulcherrimam ſententiam, etſi prolixiorem, prætermittere piaculum judicavi.

Conſectarium Octavum.

VIII. Licet rectæ rationi, & charitati Chriſtianæ conſentaneum ſit, ut Patresfamilias facultates tum pro ſe, tum pro liberis ſuis comparent vitæ, ac ſtatui congruentes; rei tamen peccati mortalis dicendi ſunt, ſi nullum congerendis, filiorum gratia, divitiis, modum ſtatuant, eaque de cauſa ab erogandis eleemoſynis, maxime urgente præcepto, deſiſtant. Id fluere videtur ex iis, quæ præmiſſa jam ſunt, clariuſque patebit cum *de eleemoſyna* ſermo erit. Interim lubet hoc confirmare alia perpulchra ejuſdem S. Auguſtini ſententia ex *ſerm.* 87. ubi ſic ait: „ Dicit avari-
„ tia: conſule impoſterum homini fortaſſis victu-
„ ro nec in craſtinum. Sed ecce vivat, quantum
„ putat avaritia, non quantum oſtendit, non
„ quantum docet, non quantum fidit, ſed quan-
„ tum putat, vixerit, ſenuerit, finierit: ad-
„ huc ſenex incurvus, baculo innixus lucrum quæ-
„ rit, & audit avaritiam dicentem: *Conſule im-*
„ *poſterum*. In quod poſterum? Jam expirans lo-
„ quitur. Propter filios, inquit. Utinam vel il-
„ los ſenes non avaros haberemus, qui filios non
„ habent! Etiam ipſis, etiam talibus, etiam
„ iniquitatem ſuam nulla pietatis imagine excu-
„ ſantibus, non ceſſat dicere: *conſule impoſte-*
„ *rum*. Sed forte ipſi cito erubeſcunt: illos vi-
„ deamus, qui filios habent, utrum certi ſint
„ filios ſuos poſſeſſuros eſſe, quæ reliquerint ......
„ Fac certum; quid vis eis relinquere? Quod
„ acquiſiviſti tibi. Certe quod acquiſiſti, reli-
„ ctum non erat, & habes. Si tu habere potui-
„ ſti, quod tibi relictum non eſt, poterunt ergo
„ habere illi quod tu non reliqueris ..... ſerva
„ & filiis tuis: ſed audi me: ſi de filiis quiſque
„ ſuis aliquem amiſerit, intendite, fratres mei:
„ quia avaritia excuſationem non habet, neque
„ hic, neque in futuro ſæculo. Chriſtianum fi-
„ lium amiſiſti: non ergo amiſiſti, ſed præmiſiſti.
„ Interroga fidem tuam: certe & tu illo iturus
„ es, quo ille ante ceſſit. Vivit filius tuus. Si
„ ergo vivit, quare invaditur pars ejus a fratri-
„ bus ejus? Sed dices: nunquid rediturus eſt, &
„ poſſeſſurus? Mittatur ergo illic, quo præceſſit
„ ille. Ad rem ſuam venire non poteſt: res ejus
„ ad eum ire poteſt ...... Non dico: neceſſarium
„ habet ipſe. Dominus ejus, apud quem eſt filius
„ tuus, eget in terra. Hic vult accipere, quod
„ dat in cælo .... Da in peregrinos, quod recipias
„ in patria tua. Poſtremo jam de te nihil: de
„ filio tuo loquor. Dubitas dare tuum: dubitas
„ & reddere alienum. Certe convinceris, quia
„ non filiis tuis ſervabas ..... Sed habebunt illud,
„ ais, fratres illius. O mala doctrina docens fi-
„ lios tuos mortem optare fratribus tuis &c. Sed
„ nolo dicere de uno amiſſo &c. Non dico, unum
„ minus habebis, computa, quia unum plus ha-
„ bes. Fac locum Chriſto cum fratribus tuis:
„ accedat familiæ tuæ Dominus tuus &c. Duos
„ filios habes: tertium illum computa. Tres ha-
„ bes: quartus numeretur &c. Decem habes: un-
„ decimus ſit &c. Dabis portionem unam, quam
„ unius filii deputaſti. Deputa unum amplius
„ genuiſſe ...... Quid dicat avaritia, non habet.
„ Non vos vincat: non plus valeat in cordibus
„ veſtris, quam Redemptor veſter. Non plus
„ valeat in corde veſtro, quam ille, qui monet
„ ſurſum corda habere ". Hactenus Auguſtinus.

Conſectarium Nonum.

IX. Avaritiæ culpa non vacant, qui cupiditate bonorum temporalium lites forenſes ſuſcipiunt. Equidem fateor neceſſarium interdum eſſe, immo etiam laudabile res ſuas in judicio repetere, vel tueri. Sed ſi rationabilis cauſa non ſuppetat, ſolaque in cauſa ſit acquirendi cupiditas, non eſt a culpa immunis, qui lites intentat, aut perſequitur. Ita S. Thomas Comment. in cap. 6. Epiſt. 1. ad Corinth. ubi ait: *Judicium adverſus aliquem eſt illicitum omnibus quantum ad tria. Primo quidem quantum ad cauſam ex qua aliquis judicium habet, puta ex cupiditate, & avaritia. Unde Lucæ* 12. *cum quidam de turba Domino dixiſſet:* Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, *Dominus dixit:* Quis me conſtituit judicem ad dividendum inter vos? *Poſtea ſubdit:* Videte, & cavete ab omni avaritia. *Secundo quantum ad modum judicii, quia ſcilicet cum contentione, & detrimento pacis judicium proſequantur: ut enim dicitur Jacobi* 3. Ubi zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum. *Et hoc videtur Apoſtolus in eis reprehendere, ut patet ex hoc quod ſupra dixit:* Frater cum fratre in judicio contendit. *Tertio ex perverſitate judicii, puta cum aliquis injuſte, & fraudulenter in judicio procedit &c. Et hoc enim Apoſtolus in eis reprehendit, ut patet per id, quod ſubdit:* Sed vos injuriam facitis &c. Unde & Dominus mandat *Matth.* 5.: Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: *ait ergo Apoſtolus:* Omnino delictum eſt in vobis, *ideſt ad delictum vobis reputatur, quod judicia habetis, inter quos ſcilicet debet eſſe pax: quia ut dicitur* 2. *ad Tim. cap.* 11.: Servum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes.

Conſectarium Decimum.

X. At quamquam Chriſtianis omnibus valde periculoſæ ſunt lites rerum temporalium cauſa ſuſceptæ, utpote quæ ex ſola plerumque cupiditate habendi proficiſcuntur, & ex earum proſecutione charitas ſæpe læditur; magis tamen a litibus alieni eſſe debent Eccleſiaſtici, Religioſique viri, quos vel perfectos eſſe oportet, vel ad perfectionem tendere, & charitatis exemplo cæteris omnibus prælucere. Hinc in Concilio Carthaginenſi IV. can. 19. decretum eſt, ut *Epiſcopus pro rebus tranſitoriis non litiget provocatus*. Sanctus etiam Ambroſius *lib.* 2. *de officiis cap.* 21. ait:

ait: *Epiſcopum decet eſſe benignum, non alieni cupidum, immo de jure ſuo cedentem potius aliqua, ſi fuerit laceſſitus, quam aliena jura pulſantem, fugitantem litium, abhorrentem a jurgiis, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam. Siquidem de ſuo jure virum bonum aliquid relaxare, non ſolum liberalitatis, ſed plerumque etiam commoditatis eſt* &c. Sacri quoque Canones Clericos, & Monachos a litibus ex cupiditate ſuſcipiendis, ac perſequendis abſtinere jubent, ut conſtat ex cap. *Multa ſunt* extra, *ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant:* qui Canon 14. eſt Concilii Moguntini ſub Carolo Magno: „ Multa, *inquit*, negotia ſæcularia, ad quæ pertinet „ omnis concupiſcentia; contentiones, vel lites, „ vel rixas amare: in placitis ſæcularibus diſputare, excepta defenſione orphanorum, aut viduarum &c. & omnibus quibuslibet cauſis ſuperfluis intereſſe. Ecce talia, & his ſimilia „ Miniſtris Altaris Domini, nec non & Monachis „ omnino contradicimus: de quibus ait Apoſtolus: „ nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus".

Conſectarium Undecimum.

XI. Lethaliter peccat *proditionis* crimine, qui latroni manifeſtat abſconditas alicujus pecunias, veſtes, aut quamlibet ſupellectilem, ſicut etiam chartas, titulos, contractus, apochas, codices magni momenti, & id genus alia. Eodem quoque obſtringuntur delicto Conſiliarii, Miniſtri Principum, vel Rerumpublicarum, qui ipſorum arcana detegunt, prout ex dictis liquido fluit. Similiter proditionis *rei* dicendi ſunt Procuratores, & Advocati, qui Clientum arcana adverſæ parti abſque juſta cauſa revelant: Medici quoque, & Chirurgi, qui pudendos aliorum morbos, ſed occultos, & ipſorum fidei, & curæ commiſſos manifeſtant. Denique ii omnes, qui arcanum ſibi ab amico creditum, quod gravis momenti ſit, & ex cujus revelatione malum quodpiam ipſi probabiliter immineat, alteri præter ejus voluntatem patefaciunt. Qui enim amici arcanum revelat, violat amicitiæ jura, & fraudulenter nocet amico ſuo. Unde, ſi res ſit magni ponderis, ipſum non excuſat nec imprudentia, nec inconſideratio: tenetur ſiquidem quiſque in his diligenter advertere.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Arcana tamen etiam amicorum revelare opus eſt iis, quorum intereſt, quoties aliquis etiam ſecreto noverit aut hæreſim, aut pravum dogma, quod quis diſſeminat contra fidem, aut morum diſciplinam: quemadmodum etiam ſi quis meditetur, aut aliquid occulte moliatur contra fidem, ac reverentiam Principi debitam, contra Sacram Regis Majeſtatem, vel Reipublicæ jura, contra Regni tranquillitatem, atque etiam contra vitam, famam, aut bona alicujus privati, cui ſecreto inſidiæ ſtruantur. Idque revelare quoque debemus, licet amicus ſit, qui hæc meditatur, remque fidei noſtræ ſummopere commendaverit. Quoniam ipſum juramentum præſtitum contra bonum publicum, vel contra bonos mores non obligat. Quandoque, ut diximus ex S. Thoma, *arcana ſunt talia, quæ pertinent ad corruptionem multitudinis &c. vel in grave damnum alterius perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi, quod aliquis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando. Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum: quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Ex hac doctrina haud difficile eſt quæſtionem dirimere de obligatione ſubditorum relate ad Superiores ſub præcepto jubentes arcana cuicumque commiſſa ſibi manifeſtare. Quo in caſu nonnulli ſæpe ſcrupulis anguntur, num ea revelare teneantur, an ſecretum ſervare ſuæ fidei creditum. Si enim ſecreta commiſſa ejuſmodi ſint, ut in damnum publicum, vel Religionis, vel monaſticæ diſciplinæ, vel detrimentum alicujus perſonæ cedant, ea omnino revelare debet: *Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum.* Si autem talia non ſint, *obligari poteſt ex hoc, quod ſibi ſub ſecreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris: quia ſervare fidem eſt de jure naturali. Nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure naturali.*

Sed audiendus etiam eſt hac in re idem S. Doctor *quodlib.* 1. *q.* 8. *art.* 1. ubi quærit: *Utrum Religioſus teneatur revelare Prælato præcipienti ſecretum ſuæ fidei commiſſum:* cui quæſtioni reſpondens, iſtud principium ſtatuit ex S. Bernardo lib. *de diſpenſ. & præcep. cap.* 4. *Sufficiens obedientia eſt, ut Religioſus obediat ſuo Prælato* in his, *quæ ad Regulam pertinent*, vel directe, *ſicut ea, quæ ſcripta ſunt in Regula, vel indirecte ſicut ea quæ ad hæc reduci poſſunt, ſicut miniſteria exhibenda fratribus, & pœnæ pro culpis inflictæ, & hujuſmodi. Perfecta autem obedientia eſt, ut ſimpliciter in omnibus obediat, quæ non ſunt contra Regulam, vel contra Deum. Sed quod aliquis obediat Prælato in his quæ ſunt contra Deum, vel contra Regulam, eſt obedientia incauta, & illicita.* Tum vero ſubdit Angelicus quæſtioni reſpondens: „ Eſt „ enim aliquod ſecretum, quod illicitum eſt celare, ſicut, quod in periculum vergit aliorum, „ quibus aliquis cavere tenetur: unde & in juramento fidelitatis continetur, quod hujuſmodi „ ſervi ſecreta debeant dominis revelare. Ad præceptum ergo Prælati tenetur Religioſus tale „ ſecretum pandere, etiamſi promiſit ſe non revelare, dicente S. Iſidoro: *In male promiſſis reſcinde fidem*, niſi forte in confeſſione audierit: „ quia tunc nullo modo eſſet revelandum. Eſt autem „ ſecretum, quod de ſe celari poteſt ſine peccato: & „ tale ſecretum Religioſus nullo modo Prælato præcipienti pandere debet, ſi ſit fidei ſuæ commiſſum: „ peccaret enim frangendo fidem commiſſi.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Si quis alteri promiſerit ſe numquam ſecretum aliquid revelaturum, quod in nullius damnum tunc vergebat, poſtea tamen aliquid occur-

rat, ex quo illicita fiat ſecreti obſervantia, puta quod innocens aliquis damnetur, niſi revelet, vel neceſſe ſit mentiri, vel grave ſcandalum ſequatur &c. hoc caſu minime debet celare ſecretum. Idque locum habet etiam ſi ſecretum commiſſum iuerit ſub ſigillo confeſſionis (abſque tamen ſacramentali Confeſſione), velut ſi quis, ut conſilium, vel auxilium ab aliquo recipiat, ipſi peccatum ſuum manifeſtat, addatque ſe illud dicere in confeſſione, aut ſub ſigillo confeſſionis. Sunt enim, qui, ut arctius obligent ad ſecretum, ſignant ſe ligno crucis, dicuntque ſe ſecretum committere *in Confeſſione*, dum tamen reapſe peccata ſua ſacramentaliter non confitentur. Secretum hoc, quod ita fidei alterius commendant, haud amplius obligat, quam naturale ſigillum. Quare occurrente caſu, quod ſigilli obſervantia reddatur illicita, ad illam minime tenemur, ut docet Cajetanus, Dominicus Soto, aliique Doctores.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Cum in omnibus graviſſimum ſit avaritiæ, & obdurationis contra miſericordiam crimen, tempore publicæ egeſtatis, aut inopiæ abſcondere frumenta, vel fruges, ut charius vendantur, tum maxime execrabile eſt in Clericis, viriſque religioſis. Quare conſultiſſime ſtatutum eſt a Concilio Cabilonenſi II. cap. 8. „ Ut ſi quando Sacerdotes fruges, vel quoſdam reditus terræ congregant, & protelant, non idcirco faciant, ut charius vendant, & theſauros congregent, ſed ut pauperibus tempore neceſſitatis ſubveniant “.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Obdurationis peccati contra miſericordiam rei dicendi ſunt, qui peregrinos, aut hoſpites tempore famis urbe expellunt, dum ſatis annonæ ſuppetit, vel comparari poteſt, ut iis ſimul, & indigenis ſubveniatur. Hæc regula a S. Ambroſio traditur lib. 3. de offic. cap. 7. inquiente: „ Sed & illi, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent juvare, ſeparare commerciis communis parentis, fuſos omnibus partus negare, inita jam conſortia vivendi averruncare; cum quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore neceſſitatis ſubſidia partiri. Feræ non excludunt feras, & homo excludit hominem! Feræ, ac beſtiæ communem putant omnibus victum, quem terra miniſtrat &c. “

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Non minus ſe avaritiæ cujuſdam ſpiritualis peccato obſtringere coram Deo videntur ii, qui cum ſalutari ſcientia, ac doctrina præditi ſint, aut prædicationis talento donati, hæc in proximorum ſalutem, & ædificationem Eccleſiæ præſertim cum opus eſt, & fideles indigent, impendere renuunt. Tenentur enim ex officio charitatis ſpirituales opes ſuas in proximorum utilitatem conferre, & fratrum ſuorum inopiam, ſicut hujus ſæculi divites temporales opes quibus abundant, in pauperes erogare. Id perſpicue colligitur ex Evangelica talentorum parabola Matth. 25. Terribilis enim illa increpatio ſervi, qui talentum defoderat in terra, *ſerve male, & piger:* & verba illa: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis*, præceptum indicant, quemadmodum & pœna inflicta verbis illis expoſita: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores &c.*

REFLEXIO.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli; & deſideria multa inutilia, & nociva quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge. Sectare vero juſtitiam, fidem, pietatem, charitatem. Hoc eſt ſalutare documentum, quod Timotheo diſcipulo ſuo tradidit Sanctus Apoſtolus Paulus, commendavitque ſummopere, non modo, ut averteret animum ejus ab omni divitiarum affectu, verum etiam, ut ipſe alios inſtrueret ſuæ curæ ſubjectos, & ab inordinato amore rerum temporalium avocaret. Omnes, inquit, qui congregandis auro, & argento inhiant, qui nimio ſtudio terrenas facultates proſequuntur, qui avaritiæ ſerviunt, *in tentationem incidunt, & in laqueum diaboli*, atque in ea prava deſideria, ac peccata, quæ ipſos in interitum ducunt, & perditionem æternam. Et quare qui hunc immoderatum divitiarum amorem fovent in tam grande, tamque tremendum exitium tandem miſerrime prolabuntur? Quia, inquit, *radix omnium malorum eſt cupiditas.* Sicut enim ex radice arboris prodeunt, vitamque, & alimentum accipiunt rami omnes, ac fructus ipſius; ita ex venenata radice cupiditatis, & avaritiæ vitam hauriunt, incrementum ſumunt, ac firme conſiſtunt omnia illa mala, ex quibus damnatio ſempiterna certo conſequitur. Hinc enim oriuntur furta, rapinæ, concuſſiones, pauperum oppreſſiones, uſuræ, contractus injuſti, lites improbæ, monopolia, iniquæ exactiones; hinc homicidia, calumniæ; hinc proditiones, fraudes, fallaciæ, perjuria, violentiæ, ſævitiæ, obdurationes animi, aliaque id genus facinora, quæ ex hac veſana habendi cupiditate procreantur.

Verum malorum omnium maximum ex avaritia prodiens, quod cæterorum malorum origo, & fundamentum eſt, eſt omnimoda corruptio cordis, quæ avarum ita penetrat, ac pervadit, ut vel ipſam Dei fidem abneget, & Deum pro Deo amplius non habeat: ſed aurum potius, ac pecuniam, quam unice diligit, & cui dumtaxat ſervitutem, & cultum præſtat. Unde ſpecialiter de avaritiæ vitio dictum eſt ab eodem Apoſtolo *ad Epheſ. 5.* quod *ſit idolorum ſervitus*. Hujuſmodi namque tam deformis, & execrandus character avaritiæ præ cæteris aliis vitiis convenit, prout ſapienter adnotat S. Thomas in hunc locum. Siquidem *idololatria tunc eſt, quoties honor ſoli Deo debitus impenditur creaturæ.* Hoc autem horrendum flagitium maxime præſtat avarus.

Quan-

Quandoquidem *Deo dupliciter honor debetur*, *ſcilicet ut in eo finem noſtrum conſtituamus*, *& ut in eo fiduciam noſtram finaliter ponamus*: atque adeo *qui hæc in creaturis ponit*, *reus eſt idololatriæ*.

Porro avarus in primis ſpem, ac fiduciam ſuam non in Deo collocat, ſed in opibus ſuis, a quibus vitam, & vitæ neceſſaria expectat. Deinde in iiſdem finem ultimum ſuum ponit, dum eas ſupra Deum amat, ac ita deperit, ut totum cor ſuum in ipſis defixum, & occupatum habeat. Equidem & in aliis vitiis eadem ordinis perverſio eſt, ut creatura tamquam finis ultimus habeatur. At nihilominus in avaritia peculiariter invenitur: quoniam vitium hoc præ reliquis inexplebile eſt, arctiuſque, ac tenacius avarum creaturæ devincit. Nam cæteræ cupiditates uſu ipſo ſedantur, &, ſaltem ad aliquod tempus, ſaturantur. Sic cupiditas gulæ cibo, & potu demum expletur, adeo ut abeat etiam in faſtidium. Sic cupiditas venerea voluptatis ſatiatur fornicatione, aliave immunditia ad nauſeam aliquando, & execrationem. Non ita de avaritia eſt, quæ ſola nullis opibus ſedatur, nulla pecuniæ affluentia expletur, quin immo quanto creſcunt divitiæ, tanto magis accenditur, & inardeſcit: adeoque potiori jure hæc præ vitiis cæteris, *idolorum ſervitus* appellata eſt, quatenus cor, & mentem hominis ſic totaliter abſorbet, ſibique vendicat, ut ſuis deſideriis continenter inſerviat, & omnia ſtudia ſua, cogitationes, labores, vitamque ipſam novis opibus, & facultatibus comparandis impendat, quin ullo umquam tempore ab hac inſana ſolicitudine novas opes acquirendi deſiſtat. Hac de cauſa etiam Chriſtus Dominus, cum dixiſſet, *neminem poſſe duobus dominis ſervire*, ſingulariter de avaritia mentionem facit, ſubjiciens: *Non poteſtis Deo ſervire*, *& mammonæ*: quod ſcilicet divitiarum cupiditas maxime repugnat ſervituti Dei, nec ullatenus amor Dei cum amore pecuniæ cohærere queat. *Audiat hoc avarus*, clamat S. Hieronymus, *audiat qui cenſetur vocabulo Chriſtianus*, *non poſſe ſe ſimul divitiis*, *Chriſtoque ſervire*: *audiat*, *inquam*, *qui nomine Chriſtianus cenſetur*. Qui enim avaritiæ ſervit, non re, ac veritate Chriſtianus eſt; ſed umbra ſolum, ac nomine. Quomodo enim Chriſtianus revera dici poteſt, qui Chriſto non ſervit, qui, cum aurum acquirere ſtudet, Chriſti fidem amittit, ut ait Auguſtinus ex Apoſtolo, qui *ex auro*, *& argento ſuo*, ut apud Oſeam, *fecit ſibi idolum*, ut illud pro Deo ſuo colat, ipſique vota ſua nuncupet?

Quod ſi tot, tamque formidanda mala, quæ recta ducunt homines *in interitum & perditionem*, ex avaritia profluunt, quanto ſtudio, ac ſollicitudine carere nos oportet ab hoc monſtro truculento, humanique generis hoſte omnium teterrimo, ac fideliter ſequi illud, non jam conſilium, ſed præceptum Apoſtoli: *Tu autem*, *o homo Dei*, *hæc fuge*: *ſectare vero juſtitiam*! Fuge, quicumque es, avaritiam, fuge immoderatum divitiarum amorem, ama paupertatem, quæ ad hanc vitam agendam neceſſaria ſunt, quære tantum: quæ ſuperflua, deſere: excute, ſi eo premeris, fœdiſſimæ ſervitutis jugum, ne mergaris in interitum: cogita Salvatoris tui exemplum, *qui propter nos egenus factus eſt*, *cum dives eſſet*, *ut illius inopia divites eſſemus*, qui ex paupere matre, in ſtabulo natus, & in præſepi exceptus, pauperes diſcipulos elegit, pauperem cum pauperibus vitam duxit, nudus in cruce mori voluit. Quæ perpendens, & divinum exemplum ſimul alta mente conſiderans S. Auguſt. *ſerm.* 177. eloquenti ſermone ita omnes ad avaritiæ fugam hortatur, & urget: „ Turpe eſt, & nimis pudendum, & dolendum, ſi cultores idolorum inventi ſunt avaritiæ domitores, & cultor Dei unius ab avaritia ſubjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus ſanguis fit pretium . . . . . Hujus familiæ facti ſumus: in hujus familiam adoptati ſumus: hujus filii non noſtris meritis, ſed ipſius gratia ſumus. Nimis grave eſt, & nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris, cum illi dicamus: *Pater noſter qui es in cælis*, cujus deſiderio vileſcunt omnia, nec nata nobis ſunt, inter quæ nati ſumus: quia propter illum renati ſumus. Sint hæc ad neceſſitatis uſum, non ad charitatis affectum: ſint tamquam ſtabulum viatoris, non tamquam prædium poſſeſſoris. Refice, & tranſi. Iter agis: attende ad quem veniſti: quia magnus eſt, qui ad te venit. Diſcedendo de hac vita, locum facis venienti. *Stabuli* eſt iſta conditio: cedes, ut alius accedat. Sed ſi vis ad locum tutiſſimum pervenire, Deus a te non recedat, cui dicimus: *Deduxiſti me per ſemitas juſtitiæ propter nomen tuum*; non propter meritum meum. Aliud eſt ergo iter mortalitatis, aliud iter pietatis. Iter mortalitatis commune eſt. Illuc enim ambulant omnes nati: illuc nonniſi renati. Ad illud pertinet naſci, creſcere, feneſcere, mori. Propter hoc neceſſarius eſt victus, & tegumentum: ſufficientes ſint hujuſce itineris ſumptus. Quare te gravas? Quare tantum portas in via brevi, non unde ad hanc viam finiendam juveris, ſed unde potius gravius onereris? Nimium quippe mirabile eſt, quod tibi vis, ut contingat. Oneras te, multum portas, premit te in hac via pecunia, & per hanc viam premit te avaritia. Avaritia enim cordis eſt immunditia. Nihil tollis de hoc mundo, quem amaſti: ſed tollis vitium, quod amaviſti. Si perſeveranter amas mundum, qui fecit mundum, non te invenit mundum. Si ergo in uſum temporalem moderata pecunia ſit viatici, in eo fine conſtituto, qui ſcriptus eſt: *Sine amore*, inquit, *pecuniæ modus ſufficiens eſt præſentibus*. Vide ante omnia, quod perſtruxit: *Sine amore*, inquit, *ita manum mitte*, *ut cor inde ſolvas*. Nam ſi pecuniæ per amorem cor alligare volueris, *inferis te doloribus multis*. Et ubi eris “?

„ Quid igitur? Pergit Auguſtinus cum Apoſtolo: *Tu autem homo Dei*, *hæc fuge*. Non ait, relinque, & deſere; ſed *fuge* quaſi hoſtem. Quærebas fugere cum auro, fuge aurum. Cor tuum fugiat, & ſervus eſt tuus. Cupiditas non ſit: pietas tamen non deſit:

 „ eſt,

„ eſt, quod facias de auro, ſi dominus es auri, „ non ſervus. Si dominus es auri, facis de illo, „ quod bonum eſt: ſi ſervus, facis de te, quod „ malum eſt. Si dominus auri es, veſtitus de te „ Dominum laudat. Si ſervus auri es, ſpoliatus „ de te blaſphemat. Servum autem te facit cu- „ piditas, liberum charitas, inde ſervus, ſi non „ fugeris. *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge*. „ In hac cauſa, ſi non vis eſſe ſervus, eſto *fugi-* „ *tivus*. Audiſti quid fugias, habes & quod ſe- „ ctêris. Non enim inaniter fugis, aut ſic relin- „ quis, ut non apprehendas. *Sectare* ergo *juſti-* „ *tiam, fidem, pietatem, charitatem*. Hæc te di- „ vitem faciant. Hæ divitiæ intus ſint: fur ad „ eas non accedit, niſi mala voluntas ei dederit „ locum &c. Has divitias non tibi latro, non „ quilibet potentiſſimus inimicus, non irruens „ hoſtis, aut barbarus, non denique naufragium „ poterit auferre, unde ſi nudus exeas, plenus „ exis; neque enim vere inanis erat, quamvis „ foris ſecus nihil habere videretur, qui dicebat: „ *Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita fa-* „ *ctum eſt: ſit nomen Domini benedictum*. Lauda- „ bilis iſta plenitudo, ingentes divitiæ: inanis „ auro, plenus Deo: inanis omni tranſitoria fa- „ cultate, plenus ſui Domini voluntate. Quid „ quæritis aurum tantis laboribus, & peregrina- „ tionibus? Amate has divitias, & modo imple- „ mini: fons earum non latet, ſi cor patet: a- „ perit cor clavis fidei, & aperit, & mundat, „ ubi ponat. Noli tibi anguſtus videri: divitiæ „ tuæ Deus tuus: quando intravit, ipſe dilata- „ vit. Ergo ſine amore pecuniæ modus ſufficiens „ eſt præſentibus. Quare *præſentibus*? Quia, *ni-* „ *hil intulimus in hunc mundum, nec auferre ali-* „ *quid poſſumus*". Hæc & alia Auguſtinus di- ſertiſſime, quæ nos, ſi recte, & ſerio conſideremus, ab omni avaritia, ab omni rerum temporalium inſana cupiditate efficaciter abducere poſſunt.

CAPUT QUINTUM.

De Luxuria, ac vitiis ex ea progenitis.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit luxuria.*
II. *Venerea voluptas in ſolo legitimo matrimonio licita eſt.*
III. *Luxuria eſt peccatum de ſe mortale.*
IV. *Contingere tamen poteſt, ut veniale ſit. Quandonam id contingat.*
V. *Indicantur luxuriæ ſpecies.*
VI. *Vitium capitale luxuria eſt, ex quo alia vitia gignuntur.*
VII. *Luxuriæ filiæ exponuntur.*
VIII. *De exterioribus luxuriæ actibus, ac primum de* locutione, *prout ad luxuriam refertur.*
IX. *De* aſpectibus laſcivis. *Expoſitio ſententiæ Chriſti Domini*: Qui viderit mulierem *&c.*
X. *Aſpectus mulieris ſolius curioſitatis gratia non niſi veniale peccatum eſt.*
XI. *Oſcula, amplexus &c. ſi conſiderentur ſecundum genus, aut ſpeciem ſuam, peccata non ſunt.*
XII. *Sunt vero peccata mortalia, ſi libidinoſa ſint*
XIII. *Quænam oſcula, ſive amplexus, aut tactus* libidinoſa *dicenda ſunt.*
XIV. *Ad eam peccati ſpeciem reducuntur, ad quam pertinet actus conſummatus.*
XV. *Ejuſmodi oſcula, & amplexus aliquando etiam in uxoratis peccata mortalia ſunt.*

§. I.

De Luxuria in genere, & ſpeciebus ipſius.

I. DE luxuria generatim inſpecta, ac prout vitium capitale eſt, hic duntaxat ſermonem habemus. Nam de ſeptem luxuriæ ſpeciebus ad ſextum Decalogi præceptum tractationem remittimus. Luxuria igitur in genere conſiderata definitur, *inordinatus appetitus voluptatis venereæ*. Ex hoc, quod dicitur *appetitus*, luxuria id exprimit, quod commune habet cum cæteris quibuſque actibus noſtræ voluntatis, aut facultatis appetitivæ. Cum ſubditur *inordinatus*, ſignificatur id, quo in genere vitiorum conſtituitur: neque enim ad luxuriæ vitium pertinet uſus omnis venereorum, ut patet in Conjugatis, qui eorumdem uſum, ac modum ſervant, rectumque finem, prolis nempe generationem in eo ſibi præſtituunt. Cum demum dicitur appetitus *voluptatis venereæ*, deſignatur id, quo luxuria a vitiis cæteris diſtinguitur, ac ſpeciale vitium eſt. Siquidem *venerea voluptas* propria hujuſce vitii materia eſt, & in hoc differt a reliquis vitiis, aliiſque inordinatis delectationibus, etiam quæ verſantur circa cibum, & potum, quæ ſunt materia gulæ. *Luxurioſus*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 153. art. 1. *dicitur quaſi ſolutus in voluptates. Maxime autem voluptates venereæ animum hominis ſolvunt: & ideo circa voluptates venereas maxime luxuria conſideratur.*

Recte tamen animadvertit *in reſp. ad* 1. „Quod „ ſicut temperantia principaliter quidem, & pro- „ prie eſt circa delectationes tactus: dicitur au- „ tem ex conſequenti, & per ſimilitudinem quam- „ dam in quibuſdam aliis materiis; ita etiam lu- „ xuria principaliter quidem eſt in voluptate ve- „ nerea, quæ maxime, & præcipue animum ho- „ minis reſolvit; ſecundario autem dicitur in „ quibuſcumque aliis ad exceſſum pertinentibus. „ Unde ad Gal. 5. dicit Gloſ. quod *luxuria eſt* „ *quælibet ſuperfluitas*".

II. Veneream aliquam voluptatem, quæ nempe ex uſu matrimonii legitimi hauritur, ſine omni peccato conſiſtere dubitandum non eſt; idque fides ipſa Chriſtiana docet, probatque Sanctus Doctor *art.* 2. ſolido eo fundamento, quod „ Pecca- „ tum in humanis actibus eſt, quod eſt contra „ ordinem rationis. Habet autem hoc rationis „ ordo, ut quælibet convenienter ordinet in ſuum „ finem. Et ideo non eſt peccatum, ſi per ratio- „ nem homo utatur rebus aliquibus ad finem, „ ad quem ſunt, modo, & ordine convenienti; „ dummodo ille finis ſit aliquid vere bonum. „ Sicut autem eſt vere bonum, quod con- „ ſervetur corporalis natura unius individui; „ ita

„ ita etiam eſt quoddam bonum excedens, *quod* „ *conſervetur natura ſpeciei humanæ*. Sicut autem „ ad conſervationem vitæ unius hominis ordina- „ tur uſus ciborum; ita etiam ad conſervatio- „ nem totius humani generis *uſus venereorum*. „ Et ideo ſicut uſus ciborum poteſt eſſe abſque „ peccato, ſi fiat debito modo, & ordine, ſe- „ cundum quod competit ſaluti corporis; ita et- „ iam *uſus venereorum* poteſt eſſe abſque omni „ peccato; ſi fiat debito modo, & ordine, ſecun- „ dum quod eſt conveniens ad finem generationis „ humanæ “.

Ex hac doctrina ſequitur etiam, *luxuriam*, quę eſt appetitus *inordinatus voluptatis venereæ*, ſemper eſſe peccatum. Idque evidentius conſtat: quoniam, inquit art. 3., „ quanto aliquid eſt magis „ neceſſarium, tanto magis oportet, ut circa il- „ lud rationis ordo ſervetur. Unde per conſequens „ magis eſt vitioſum, ſi ordo rationis prætermit- „ tatur. Uſus autem venereorum, ſicut dictum „ eſt, eſt valde neceſſarius ad bonum commune, „ quod eſt conſervatio humani generis. Et ideo „ circa hoc maxime attendi debet rationis ordo: „ & per conſequens, ſi quid circa hoc fit, præ- „ ter id, quod ordo rationis habet, vitioſum e- „ rit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, „ ut ordinem, & modum rationis excedat circa „ venerea. Et ideo abſque dubio luxuria eſt pec- „ catum “.

Huic aſſertioni cæteroquin certiſſimæ opponi poteſt illud argumentum, quod habet Sanctus Doctor primo loco: nimirum quod luxuria præſertim conſiſtat in emiſſione ſeminis, quod eſt ſuperfluum alimenti; adeoque ſicut in emiſſione aliarum ſuperfluitatum corporis nullum peccatum eſt, ita &c. Sed idonea eſt reſponſio, quam adhibet tum hic, tum *q.* 15. *de malo art.* 1. *ad* 4., in eo poſita; quod ſemen eſt ſolummodo ſuperfluum, quantum *ad actum facultatis nutritivæ*, non autem quantum *ad actum generativæ*. Cum enim ſuapte natura ordinetur ad generationem, eo homo eget juxta conditionem humanæ ſpeciei propter actum generativæ facultatis. Et idcirco omnis voluntaria ſeminis emiſſio alio modo facta, quam convenienti ad generationem peccatum eſt. Non vero emiſſio aliarum ſuperfluitatum, quæ ſunt omnino ſuperfluæ ſecundum conditionem tum naturæ, tum ſpeciei, adeoque nullatenus iis indigemus, nihilque propterea refert, qualiter emittuntur, modo convictus humani decorum ſervetur.

III. Nedum luxuria utcumque peccatum eſt, ſed etiam de ſe *mortale*: de quo ambigere non licet, Apoſtolo ad Galat. cap. 5. veritatem hanc atteſtante, dum ait: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*.

Præterea, ut ait Sanctus Thomas ad 2.: *Ex eo, quod aliquis inordinate corpore ſuo utitur, injuriam facit Deo, qui eſt principalis Dominus corporis noſtri*. Hinc Apoſtolus idem 1. ad Corinth. cap. 3.: *Neſcitis*, inquit, *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illos Deus*. Et cap. 6.: *An neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt &c.?* Quæ loca præ oculis habens S. Auguſtinus ſerm. 9. de decem chordis ſcribit: „ Deus, qui ſcit, „ quid tibi utile ſit &c. qui ſic gubernat ſervos „ ſuos ad utilitatem illorum, non ad ſuam, hoc „ juſſit, hoc præcepit, ne per illecebras, & illi- „ citas voluptates corruat templum ejus, quod „ eſſe cœpiſti. Nunquid hoc ego dico? Apoſto- „ lum auditis: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis* „ *&c.? Si quis templum Dei corruperit, corrum-* „ *pet illum Deus*. Videtis, quomodo mina- „ tur &c. “.

IV. Contingere tamen poteſt, quod luxuria ſit aliquando peccatum veniale. Porro quandonam peccatum mortale ſit, quando veniale, poteſt ex D. Thoma *q.* 15. *de malo* ita explicari. Quoties actus luxuriæ ſolum inordinatus eſt ob nimiam concupiſcentiam, ſicut cum aliquis ad ſuam quidem uxorem accedit, libidine valde æſtuante, quæ tamen intra limites ſiſtit legitimi matrimonii, adeo ut neque ipſam, neque aliam cognoſcere vellet, quæ ſua uxor haud foret; veniale tunc tantum peccatum eſt. Quoties autem luxuriæ opus inordinatum eſt ex parte actus, quia ſcilicet actus non eſt conveniens, aut proportionatus generationi, & educationi prolis, ſemper eſt peccatum mortale. Idemque ferendum judicium eſt, ſi talis inordinatio concupiſcentiæ ſit inter conjuges, ut intra matrimonii limites haudquaquam ſiſtant, Tunc enim vel mente, vel opere inordinatio ſe tenet ex parte ipſius actus.

Id confirmari poteſt, & amplius explicari. Nedum homicidium, quo vita hominis aufertur, verum etiam furtum, quo exteriora bona auferuntur, quæ ad vitam ſuſtentandam ordinantur, lethale peccatum eſt. Proximius autem ordinatur ad vitam hominis ſemen humanum, in quo eſt homo in potentia, ex illo nempe oritur, & in ipſo continetur. Igitur etiam inordinatio circa ſeminis emiſſionem ex ſe peccatum eſt lethale, cum ſit inordinatio magis pertinens ad vitam hominis, quam ipſum furtum.

Neque vero luxuria ſolum eſt peccatum mortale, dum conſideratur ipſum principale luxurioſum opus, quod eſt inordinatus concubitus, aut inordinata ſeminis emiſſio, ſed etiam eam, quæ ad ipſum ordinantur, ſcilicet libidinoſus aſpectus, tactus, colloquia, hiſque ſimilia, quatenus ad expletionem libidinis referuntur; ſive interim is, qui hujuſmodi obſcœnitatibus oblectatur, in opus turpe conſentiat, ſive etiam non conſentiat, ut ſubinde dicemus. Quandoquidem idem judicium eſſe debet de actu ipſo lethaliter peccaminoſo, ac de actibus, qui ad illum ex ſe diſponunt.

V. Luxuriæ ſpecies ſex a S. Thoma qu. 157. art. 1. aſſignantur, nimirum *Fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam*: quibus Theologi frequentius ſpeciem aliam adjiciunt, nempe *ſacrilegium*, quod Sanctus Doctor ad adulterium revocat, & in eo complectitur *ad* 3., illa de cauſa, quod *mulier vovens continentiam, quoddam ſpirituale* ma-

matrimonium facit cum Deo, *& ideo ſacrilegium*, *quod committitur in violatione talis mulieris*, *eſt quoddam adulterium ſpirituale*. Diviſionis traditæ affert rationem Sanctus Doctor, quæ ita paucis proponi valet. Species peccati ſumuntur ex diverſitate formalis objecti. Ubi autem eſt materia cum diverſa ad rectam rationem repugnantia, ibi diverſitas eſt objecti formalis. Porro inveniri poteſt luxuriæ materia cum diverſa repugnantia ad rectam rationem, vel quatenus impeditur generatio prolis: & tunc eſt *peccatum contra naturam*, vel quatenus impeditur educatio, & promotio prolis natæ: & ſic eſt *ſimplex fornicatio*: vel quatenus actus exercetur inconvenienter relate ad alios homines: & hoc quia vel non ſervatur honor naturaliter debitus fœminæ, ut *in inceſtu*: vel quia non ſervatur rectitudo ex parte illius, in cujus poteſtate fœmina eſt: & ſi quidem ſit in poteſtate viri, eſt *adulterium*: ſi in poteſtate patris, *ſtuprum* eſt, ſi abſit violentia: *raptus* autem, ſi violentia fiat. Quod ſi non ſervetur honor debitus propter votum, quo ſe fœmina Deo obligavit, aut propter legem Eccleſiaſticam, tunc ſacrilegium erit.

§. II.

De Luxuria, prout vitium capitale eſt.

VI. Luxuriam vitium eſſe capitale, ex quo plura alia gignuntur vitia, aut peccata, conſentiunt omnes, docetque S. Thomas hic *qu.* 153. *art.* 4. Cum enim homo ex peccato primi Parentis ſummam contraxerit ad venereas voluptates propenſionem, hæ delectationes eumdem movent, atque impellunt ad pleraque peccata, ut eiſdem tandem frui poſſit. Sed audire præſtat S. Thomam ita loquentem: „ Vitium capitale, „ quod habet finem multum appetibilem, ita „ quod ejus appetitu homo procedat ad multa „ peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio „ tamquam ex principali oriri dicuntur. Finis „ autem luxuriæ eſt delectatio venereorum, quæ „ eſt maxima. Unde hujuſmodi delectatio eſt maxime appetibilis ſecundum appetitum ſenſitivum, tum propter vehementiam delectationis: „ tum etiam propter connaturalitatem hujuſmodi „ concupiſcentiæ. Unde manifeſtum eſt, quod „ luxuria eſt vitium capitale “.

Porro illud obſervo neceſſe non eſſe, ut vitium aliquod *capitale* cenſeatur, & vitia, quæ inde conſequuntur, ejus *filiæ* dicantur, quod ea vitia oriantur ex affectu finis iſtius peccati tamquam media in illud ordinata. Quædam enim vitia ſunt, quæ non habent rationem medii ordinati ad delectationem, ſicuti gulæ, ita nec etiam luxuriæ: quæ tamen earum *filiæ* appellantur. Quare ſatis eſt, ut ex affectu vitii, quod *capitale* dicitur, homo diſponatur ad alia incurrenda: quin immo ſufficit etiam, quod ex ipſo ſecundum rationem cauſæ efficientis, aut diſpoſitivæ proveniant. Unde Divus Thomas 1. 2. *qu.* 64. *art.* 4. diſertis verbis ſcribit: vitia capitalia dicuntur, ex quibus alia oriuntur præcipue ſecundum rationem cauſæ finalis. Ubi, dum ait *præcipue*, ſatis ſignificat etiam oriri nonnumquam poſſe in alio cauſarum genere.

VII. Octo luxuriæ *filias*, ſeu peccata S. Gregorium Magnum ſecutus recenſet Angelicus *art.* 5., quatuor ex parte intellectus, & quatuor ex parte voluntatis. Priores ſunt *cæcitas mentis*, *inconſideratio*, *præcipitatio*, *inconſtantia*. Poſteriores: *Amor ſui*, *odium Dei*, *affectus præſentis ſæculi*, *& horror futuri*. Quæ ſic ex ipſo explicantur.

Per *cæcitatem mentis* intelligitur & pœna peccati, & peccatum proprie dictum, quo ſcilicet luxurioſus nec advertit ſui operis fœditatem, nec finem honeſtum ſibi proponit, ut ab eo deflectat.

Per *præcipitationem* accipitur defectus conſilii, ita ut luxurioſus abſque mentis conſilio, ſed paſſionis æſtu, & impetu abreptus præceps ruat in flagitia, & facinora, ut ſuæ libidini ſatisfaciat.

Per *inconſiderationem* hic venit defectus attentionis ad Dei judicia, nimirum qui Veneris æſtu inardeſcit, pœnarum obliviſcitur, quæ Deus in Sacra Scriptura luxurioſis comminatur, nec aliud cogitat, quam de explenda ſua libidine omni quocumque modo, immo nec cogitat de ſtatu, & officio, quod plane ſi adverteret, facile poſſet a flagitio revocari.

Inconſtantiæ vocabulo denotatur levis, & verſatilis animus in rebus agendis, adeo ut luxuriæ deditus, ut voluptate, quam deperit, frui valeat, facillime a bono propoſito dimoveatur.

Quoad luxuriæ filias ad voluntatem ſpectantes, *amor ſui* ſignificat inordinatum illum affectum, quo libidinoſi carnis ſuæ voluptatibus ita afficiuntur, ut Deo, ejuſque mandatis præponant.

Ex hoc amore ſui, dum vehemens eſt, conſequitur *odium Dei*. Luxuria ſcilicet admodum flagrantes abhorrent a lege, qua Deus nefarias libidines prohibet, adeo ut cum impiis a Job memoratis proterve dicant Deo: *Recede a nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus*.

Sequitur etiam ex eodem amore ſui inordinatus *affectus præſentis ſæculi*: vellent nimirum libidinoſi, ut præſens vita perpetuo duraret, quo voluptatibus ſuis ſemper fruerentur.

Ex quo demum quoque ſequitur *horror ſæculi futuri*, eo quod, cum non credant voluptuoſi, ſe poſſe ex turpi cœno delectationum carnalium emergere, de æterna vita comparanda omnino deſperant.

Audiamus S. Præceptorem præclare admodum de hoc argumento loco laudato diſſerentem: „ Dicendum, inquit, quod quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad ſua objecta, „ conſequens eſt, quod ſuperiores vires impediantur, & deordinentur in ſuis actibus. Per „ vitium autem luxuriæ maxime appetitus inferior, ſcilicet concupiſcibilis, vehementer intendit ſuo objecto, ſcilicet delectabili, propter „ vehementiam paſſionis, & delectationis. Et ideo conſequens eſt, quod per luxuriam maxime „ ſuperiores vires deordinentur, ſcilicet ratio, & „ voluntas “.

„ Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem *ſimplex intelligentia*, quæ „ apprehendit aliquem finem ut bonum. Et hic

„ actus

„ actus impeditur per luxuriam ſecundum illud „ Dan. 13 : *Species decepit te*, *&* *concupiſcentia* „ *ſubvertit cor tuum*. Et quantum ad hoc poni- „ tur *cæcitas mentis*. Secundus actus eſt *conſi-* „ *lium* de his, quæ ſunt agenda propter finem. „ Et hic etiam impeditur per concupiſcentiam „ luxuriæ. Unde Terentius dicit in *Eunucho* lo- „ quens de amore libidinoſo : *quæ res in ſe ne-* „ *que conſilium*, *neque modum ullum habet*, *eam* „ *conſilio regere non potes*. Et quantum ad hoc „ ponitur *præcipitatio*, quæ importat ſubtractio- „ nem conſilii. Tertius actus eſt *judicium de a-* „ *gendis*. Et hic etiam impeditur per luxuriam. „ Dicitur enim Dan. 13. de ſenibus luxurioſis : „ *Averterunt ſenſum ſuum*, *ut non recordarentur ju-* „ *diciorum juſtorum*. Et quantum ad hoc poni- „ tur *inconſideratio*. Quartus autem actus eſt præ- „ ceptum rationis de agendis, qui etiam impedi- „ tur per luxuriam : in quantum ſcilicet homo „ impeditur ex impetu concupiſcentiæ, ne exe- „ quatur id, quod decrevit eſſe faciendum. Et „ quantum ad hoc ponitur *inconſtantia*. Unde „ Terentius dicit in Eun. de quodam, qui dice- „ bat ſe receſſurum ab amica : *Hæc verba una* „ *falſa lacrymula reſtinguet* “.

„ Ex parte autem voluntatis conſequitur du- „ plex actus inordinatus : quorum unus eſt appe- „ titus finis. Et quantum ad hoc ponitur *amor* „ *ſui*, quantum ſcilicet ad delectationem, quam „ inordinate appetit : & per oppoſitum ponitur „ *odium Dei*, in quantum ſcilicet prohibet dele- „ ctationem concupitam. Alius autem eſt appe- „ titus eorum, quæ ſunt ad finem. Et quan- „ tum ad hoc ponitur *affectus præſentis ſæculi*, „ in quo ſcilicet aliquis vult frui voluptate : & „ per oppoſitum ponitur *deſperatio futuri ſæculi* : „ quia dum nimis detinetur carnalibus delectatio- „ nibus, non curat pervenire ad ſpirituales, ſed „ faſtidit eas “.

§. III.

De actibus exterioribus, *qui vel ex luxuria procedunt*, *vel ad ipſam diſponunt*.

VIII. Angelicus Doctor conſiderans *art.* laudato luxuriæ filias, & ad ſibi propoſita argumenta reſpondens, mentionem facit *in reſp. ad* 4. de quibuſdam actibus exterioribus, qui vel a luxuria procedunt, vel ad ipſam diſponunt, in quorum numero ſunt etiam ii, de quibus ſermonem habet *art.* 4. quæſtionis ſequentis, de quibus propterea hic agendum puto, ut plena cognitio ſit de luxuriæ vitio, prout nunc a nobis conſideratur. Primum itaque dicam aliqua de his, quę locutionem ſpectant, circa quam quatuor veluti ſpecies, quæ ad luxuriam revocantur, diſtinguit S. Thomas. Prima eſt *turpiloquium*, ſive ſermo turpis, & obſcœnus. Secunda *ſcurrilitas*, qua in jocis, & facetiis ita exceditur, ut laſciva admiſceantur ad riſum excitandum. Tertia *ludricitas*, qua quis veluti ludens oblectatur verbis ludricis, ea ad delectationem carnalem referendo. Quarta demum *ſtultiloquium*; quo quis fatuas, & ineptas fabulas loquitur ad obſcœnitatem pertinentes. „ Sunt quidam (verba ſunt S. Thomæ) „ inordinati actus exteriores, & præcipue ad lo- „ cutionem pertinentes, in qua eſt aliquid inor- „ dinatum quadrupliciter. Uno modo propter „ materiam. Et ſic ponuntur *turpiloquia*. Quia „ enim *ex abundantia cordis os loquitur*, ut dici- „ tur *Matth.* 12. luxurioſi, quorum cor eſt tur- „ pibus concupiſcentiis plenum, de facili ad tur- „ pia verba prorumpunt. Secundo ex parte cau- „ ſæ. Quia enim luxuria inconſiderationem, & „ præcipitationem cauſat, conſequens eſt, quod „ faciat prorumpere in verba leviter, & incon- „ ſiderate dicta, quæ dicuntur *ſcurrilia*. Ter- „ tio quantum ad finem. Quia enim luxurio- „ ſus delectationem quærit, verba ſua ad dele- „ ctationem ordinat, & ſic prorumpit in ver- „ ba *ludrica*. Quarto quantum ad ſententiam „ verborum, quam pervertit luxuria propter cæ- „ citatem mentis, quam cauſat : & ſic pro- „ rumpit in *ſtultiloquia*, utpote cum ſuis verbis „ præfert delectationes, quas appetit, qui- „ buſcumque aliis rebus “. De his quemadmodum & aliis, quæ ſequuntur, quaſdam deinde regulas trademus, ad qualitatem malitiæ eorumdem diſcernendam idoneas.

IX. Nedum locutione, ſed etiam ſolo aſpectu laſcivo luxuriæ peccatum committitur. Dixi *aſpectu laſcivo*. Nam aſpectus caſtus, qui fit aut neceſſitatis, aut urbanitatis cauſa, non eſt peccatum ; *Eſt enim*, inquit S. Joann. Chryſoſt. homil. 17. in Matth., *poſſibile & aliter*, *quam libidinoſe*, mulieres ipſas *aſpicere*, *ut certe aſpiciunt &* *pudici*. Et *ideo non ſimpliciter aſpectum*, *ſed concupiſcentiæ Chriſtus interimit affectum*, cum nempe ait : *Omnis*, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, ſcilicet, qui mulierem intuetur, ut concupiſcat eam, hoc eſt, ut cogitatione concubitus ejus, quæ matrimonio cum alio juncta eſt, paſcatur animum, vel ut imaginetur pulchritudinem ejus, quamque delectabilis ſit ejus aſpectus, quamque ſit idonea ad concubitum, etiamſi ſtatuat numquam commiſceri cum ipſa, ſive quia ad eam pertingere nequit, ſive quia ratione aliqua vel honeſta, vel inhoneſta, opus ipſum abominetur : ſicut ſi Sacerdos nolens propter votum ſuum cuiquam mulieri miſceri, eo fine illam inſpiciat, ac cogitet, quam ſit amabilis ad concubitum.

Sequitur Chriſtus, & ait : *Jam mœchatus eſt in corde ſuo* : quibus verbis ſignificat aſpectum mulieris delectabilem cum ejus concupiſcentia conjunctum, mœchiæ reum efficere aſpicientem, *Salvatoris ſententia*, inquit Ambroſius ſerm. 16. in Pſalm. 118., *plena juſtitiæ eſt dicentis* : Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, adulteravit eam in corde ſuo. *Non dixit*, qui viderit mulierem, *ſed* ad concupiſcendum *viderit*, *oculum abſolvit*, *mentem ligat*. *Non dixit*, adulteravit eam in oculo, ſed in corde. *In oculo viſus eſt*, *in corde peccatum*. Neque id mirum eſſe debet. Nempe impudicus oculus, impudici cordis, ſive affectus indicium eſt. *Nec dicatis*, ait S. Auguſtinus in Regula, *vos habere animos pudicos*, *ſi habeatis oculos impudicos* ; *quia* im-

impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius . Et cum ſe invicem ſibi , etiam tacente lingua , conſpectu mutuo corda nunciant impudica , & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore , etiam intactis ab immunda violatione corporibus , fugit caſtitas ipſa de moribus .

X. Quod ſi tamen ſolius curioſitatis gratia aliquis mulierem aſpiciat, non ex hoc lethale peccatum eſt, licet facillime veniale ſit. Unde Auguſtinus eodem loco obſervat , nobis prohibitum abſolute non eſſe videre mulieres, *ſed eas appetere, vel ab ipſis appeti velle , criminoſum eſſe* . Addendum nihilominus eſt, periculum eſſe peccati lethalis , dum is, qui in fœminam defigit oculum, immoratur in ejus aſpectu , maxime ſi pulchra ſit , & ad affectum attrahendum compoſita . Qua de cauſa Sapiens Eccleſ. cap. 9. hoc ſervandæ caſtitatis veluti remedium neceſſarium commendat : *Virginem ne conſpicias , ne forte ſcandalizeris in decore illius . Noli circumſpicere in vicis civitatis , ne oberraveris in plateis illius . Averte faciem tuam a muliere compta , & ne circumſpicias ſpeciem alienam . Propter ſpeciem mulieris multi perierunt : & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit . Aſcendit enim mors per feneſtras noſtras .* Quod & aliis verbis , atque ſententiis ſæpius Sapiens idem inculcat.

XI. Demum ad actus luxuriæ exteriores (nam de interioribus, nempe delectationibus moroſis , deſideriis &c. ſatis alibi diximus) maxime ſpectant *oſcula , amplexus , & cæteri tactus* . Hujuſmodi actus poſſunt conſiderari duntaxat ſecundum ſe . Atque ita inſpecti proculdubio non ſunt ex genere ſuo , aut *ſecundum ſpeciem ſuam* peccata . Si enim ita forent, numquam fieri poſſet , quin peccaret is , qui actus illos exerceret , ut patet in mendacio, quod malitia exui numquam poteſt. Porro certum eſt, haud ſemper peccare virum , qui mulierem ex. gr. oſculatur . Id enim nonnumquam fit ſolius urbanitatis gratia , vel propter conſuetudinem, quæ obtinet quibuſdam in locis , ut nempe ii ſe oſculentur , qui ſe invicem inviſunt , aut cum de novo ex aliquo loco, in quem antea abierant , revertuntur . De hoc ita docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 154. art. 4. : *Dicendum , quod aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter . Uno modo ſecundum ſpeciem ſuam : & hoc modo oſculum , amplexus , vel tactus ſecundum ſuam rationem non nominant peccatum mortale . Poſſunt enim hæc abſque libidine fieri , vel propter conſuetudinem patriæ , vel propter neceſſitatem , aut rationabilem cauſam .* Qua doctrina veriſſima , ac indubitata mirum quantum abuſi ſint nuperi , quidam *tactuum mamillarum* defenſores .

XII. Quod ſi eadem oſcula, amplexus , ac tactus *libidinis* cauſa fiant, ut fieri ſolet præſertim inter viros, ac mulieres , tunc eſſe peccata mortalia omnino dicendum eſt . Quod in primis S. Thomas laudato loco adſtruit in argumento, ſed *contra* , hoc momento ex S. Evangelio deſumpto : „ Minus eſt aſpectus libidinoſus , quam tactus , „ amplexus , vel oſculum . Sed aſpectus libidi- „ noſus eſt peccatum mortale , ſecundum illud „ Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcen-* „ *dum eam &c.* : Ergo multo magis oſculum li- „ bidinoſum , & alia hujuſmodi ſunt peccata „ mortalia “ . Id confirmat auctoritate S. Cypriani ad Pomponium de Virginitate dicentis : „ Certe ipſe concubitus , ipſe complexus , ipſa „ confabulatio , & oſculatio , & conjacentium „ duorum turpis , & fœda dormitio , quantum „ dedecoris , & criminis confitetur !

Quod autem oſculum, & cætera hujuſmodi ſint peccata lethalia, id habent , inquit idem S. Doctor, *ex ſua cauſa* , videlicet ex libidine, qua in praxi plerumque fiunt . „ Alio modo dicitur „ aliquid eſſe peccatum mortale ex ſua cauſa , ſi- „ cut ille , qui dat eleemoſynam , ut aliquem in- „ ducat ad hæreſim , mortaliter peccat propter „ intentionem corruptam . Dictum eſt autem „ ſupra, quod conſenſus in delectationem pec- „ cati mortalis eſt peccatum mortale, & non „ ſolum conſenſus in actum . Et ideo cum for- „ nicatio ſit peccatum mortale , & multo magis „ aliæ luxuriæ ſpecies , conſequens eſt , quod „ conſenſus in delectationem talis peccati ſit pec- „ catum mortale , & non ſolum conſenſus in a- „ ctum . Et ideo cum oſcula, & amplexus hu- „ juſmodi , propter delectationem hujuſmodi „ fiant ; conſequens eſt, quod ſint peccata mor- „ talia : & ſic ſolum dicuntur *libidinoſa* . Unde „ hujuſmodi ſecundum quod ſunt libidinoſa, ſunt „ peccata mortalia “ .

XIII. Dicuntur porro *libidinoſa* oſcula , & alia hujuſmodi, quæ ad venereum aliquem actum ex ſe diſponunt, aut quæ fiunt ex intentione ejuſdem , aut quæ delectationem excitant de fornicatione , aut alia luxuriæ ſpecie , aut quæ fiunt cum aliqua libidinis commotione vel prævisa , vel quæ præviderі potuit , ac debuit, aut demum , quæ fiunt ob delectationem carnalem , & ſenſibilem ex ipſis oſculis , aut amplexibus ortam . Ea enim , quacumque ratione contingant, includunt conſenſum ſaltem interpretativum in delectationem alicujus ſpeciei luxuriæ ; ad quam hujuſmodi actus , qui ſunt tum in homine , tum in omnibus animantibus ad *veneris initia* revocantur .

XIV. Atque hoc, quod modo innui , diligenter eſt advertendum , ad eam ſcilicet libidinis ſpeciem pertinere oſcula, aſpectus, tactus , colloquia venerea , ad quam ſpectat conſummatio concubitus . Unde aſpectus , vel oſcula conjugum ſpectant ad actum , aut ſpeciem matrimonii , adeoque ſicut actus matrimonialis licitus eſt , ita oſcula & cætera hujuſmodi matrimonii honeſtate excuſantur . Aſpectus vero , oſcula &c. ſoluti erga ſolutam ad *fornicationem* reducuntur : ſoluti ad eam, quæ alterius conjux eſt, ad *adulterium* : ſi fiant inter conſanguineos , ad *inceſtum* ſpectant ; cum perſona Deo dicata, ſacrilegii culpa polluuntur &c. Fricare vero, vel palpare libidinoſe ſeipſum , *mollitiei* eſt : brutorum genitalia turpiter tangere *ad beſtialitatem* pertinet . Ad *ſodomiam* vero , ſi vir virum , aut fœmina fœminam libidinoſe aut oſculetur , aut contrectet &c. De quo ita loquitur Sanctus Auguſtinus Epiſt. 103. „ Non carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſ- „ ſe dilectio : nam quæ faciunt pudoris immemo-

„ res

„ res etiam fœminis fœminæ, jocando turpiter, „ & ludendo, non ſolum a viduis ancillis Chriſti „ in ſancto propoſito conſtitutis, ſed omnino nec a „ mulieribus nuptis, nec a virginibus ſunt facien- „ da nupturis “.

XV. Quamquam vero oſcula, & amplexus, ut dictum eſt, inter conjuges matrimonii ſanctitate honeſtentur, aut honeſtari valeant; ſi tamen ex iis actibus pollutio ſequatur, aut periculum ejus, quod conjugati prævidere debuerint, ac potuerint, actus illi peccata lethalia ſunt. Nam qui vult cauſam, vult etiam effectum, quem ex ea ſecuturum eſſe, aut prævidit, aut prævidere potuit. Quod ſi pollutio nec ſequatur, nec ſit ejus periculum, ſi hæc ad uſum matrimonii non ordinentur, aut ad honeſtum amorem fovendum, peccata ſaltem venialia ſunt. Quæ enim in non conjugatis peccata eſſent mortalia, honeſtas matrimonii efficit, ut tantummodo venialia ſint. Quod ſi eadem oſcula, & actus venerei fiant inter conjugatos, ut ſe ad actum conjugalem diſponant, in quo ſibi prolis generationem finem præſtituunt, tunc etiam omni culpa veniali carent.

CAPUT SEXTUM.

Regulæ quædam traduntur ad peccati luxuriæ qualitatem dignoſcendam idoneæ.

DOCTRINA.

I. *Voluptas venerea extra matrimonium quæſita, aut captata lethale peccatum eſt.*
II. *Lethale quoque peccatum eſt etiam ſolus ejuſdem voluptatis deliberatus appetitus.*
III. *Materiæ parvitas admittenda non eſt in luxuria deliberate quæſita, aut volita.*
IV. *Principia S. Thomæ, quibus nititur propoſita regula.*
V. *Lethale de ſe eſt peccatum tactus mamillarum mulieris abſque juſta cauſa peractus.*
VI. *Amplexus, & oſcula honeſta juxta patriæ morem, aut amicitiæ cauſa mala ex ſe dicenda non ſunt.*
VII. *Iidem tactus honeſti facti ex mera vanitate, vel joco non ſunt de ſe niſi culpæ veniales.*
VIII. *Inhoneſti vero, aut impudici etiam ex joco, aut vanitate peracti lethalis culpæ labe inquinantur.*
IX. *Liciti ſunt prædicti tactus ex rationabili cauſa, quin & illos pati nonnunquam mulieres ipſæ tenentur.*
X. *Diſtinguendæ ſunt delectationes, quæ oſculis, & tactibus percipiuntur, aut percipi queunt.*
XI. *Peccati lethalis rea efficitur mulier, quæ dum poteſt, non impedit tactus libidinoſos in ſe ab aliis exercitos.*
XII. *Aſpectus impudicus ex ſe peccatum lethale eſt.*
XIII. *Turpiloquium ſæpe mortale eſt peccatum.*
XIV. *Periculoſæ admodum ſunt ſuperfluæ, ac frequentes confabulationes virorum, & mulierum.*
XV. *Peccant mortaliter loquentes, & ſcribentes de rebus turpibus, & obſcœnis.*
XVI. *Converſationes promiſcuæ, prout in conſuetudine ſunt, damnandæ, ac fugiendæ.*
XVII. *Choreæ inter mares, & fœminas, ſpectatis circumſtantiis, pravæ ſunt, & periculorum plenæ.*
XVIII. *Quid de his ſentiant tum veteres, tum recentes Eccleſiæ Patres, piique ſcriptores.*
XIX. *Concluſio ex iis omnibus deducta.*

PLura equidem dicta ſunt capite præcedente, ex quibus haud difficile eſt cognoſcere peccati luxuriæ qualitatem; quia tamen materia hæc frequens admodum in praxi eſt, multique ſunt, qui hoc vitio inquinantur, & ad ſempiternam damnationem pertrahuntur; idcirco ad majorem hujuſce rei claritatem præſtat nonnullas peculiari Capite regulas proponere, quibus nedum Confeſſarii, verum etiam cæteri quicumque alii facile perſpiciant, quandonam lethaliter peccetur, aut ſolum venialiter. Sit itaque

Regula Prima.

Venerea voluptas extra matrimonium voluntarie quæſita, aut captata peccatum lethale eſt.

I. Hoc certiſſimum eſt tum authoritate jam laudata ex Apoſtoli ſententia, in qua manifeſtiſſime excludit a regno Dei, qui carnis opera conſectantur, tum ex evidente ratione: venereæ namque voluptates ad humani generis propagationem ordinatæ ſunt: adeoque has ad alium finem detorquere eſt enormis perverſio ordinis a natura, ac Deo præſtituti: quod abſque gravi culpa numquam contingit. *Sicut enim*, inquit S. Thomas, *lethale peccatum eſt, non ſolum homicidium, per quod vita hominis tollitur, ſed etiam furtum, per quod ſubtrahuntur exteriora bona*; ita, multoque magis debet eſſe lethale peccatum venerea voluptas extra matrimonium quæſita, in qua habetur inordinatio in eo, quod ſpectat ad vitam hominis in potentia propinqua.

Regula Secunda.

Lethalis culpa eſt ſolus appetitus plene deliberatus actus venerei extra fines legitimi matrimonii; venialis vero ſi plene deliberatus non ſit.

II. Id ſatis indicavit Chriſtus Dominus, dum Matth. 15. dixit: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c. hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Quæ verba expendens S. Auguſtinus *lib. de Contin. cap.* 11. ait: „ Nihil eſt iſtorum malorum quæ perpetrari „ etiam membris corporis poſſunt, quod „ cogitatio non antecedat mala, & coinqui- „ net hominem, etiamſi aliquid impediat, ne „ ſubſequantur opera flagitioſa, & facinoroſa „ membrorum. Si enim quia poteſtas non da- „ tur, vacat manus ab hominis interfectio- „ ne, numquid ideo mundum eſt a ſcelere cor „ homicidæ? Aut ſi rem ſurripere alienam „ non,

„ non, ut quis vult, poteſt, nunquid in ipſa voluntate fur non eſt? Aut ſi caſta eſt, quam vult „ adulterare non caſtus, ideo eam non eſt in corde „ mœchatus? Aut ſi meretrix non inveniatur in „ fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in „ mente?... Ita cetera facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ neſcit ullus corporis ſenſus, reos ſuos occultos habent, quos „ etiam ſolus inquinat in cogitatione conſenſus... „ A præcepto implendo utique alieni ſunt, qui ob „ hoc ad peccatum membra non movent, quia poteſtas nulla permittitur: quæ ſi adſit, protinus „ ex membrorum velut armorum motibus, quid in „ eis intus regnet oſtendunt (peccatum ſcilicet). „ Proinde quantum in ipſis eſt, membra ſua exhibent arma iniquitatis peccato".

Utramque partem regulæ tradit S. Thomas *q.* 15. *de malo art.* 2. inquiens: „ Quia appetitus interior „ accipit bonitatem, vel malitiam ex eo, quod „ appetitur; inde eſt, quod etiam appetitus hujuſcemodi actus inordinati eſt peccatum mortale, ſi ſit completus, ſcilicet cum ratione deliberatus: alioquin eſt peccatum veniale"; quod alibi ſæpe exprimit S. Doctor, dum generatim tradit ea, „ quæ ex genere ſuo lethalia peccata ſunt, „ ſolum eſſe venialia propter imperfectionem actus", ſive propter carentiam plenæ deliberationis, aut advertentiæ, quæ ad rationem lethalis peccati requiritur.

Regula Tertia.

In voluptate venerea deliberate quæſita, aut captata materiæ parvitas admittenda non eſt.

II. De hac regula non eſt concors Theologorum ſententia, tametſi in aliquibus omnes conveniant. Quapropter, ut quo ſenſu ea a nobis intelligatur, manifeſtum fiat, quædam in primis animadvertere conſultum duco. Alia in genere luxuriæ objecta inveniuntur, quæ de ſe *gravia* ſunt, ut copula carnalis extra matrimonium, pollutio, vehemens pudendorum commotio, eorumdem impudica contrectatio &c. Alia vero ſaltem phyſice conſiderata levia reputantur, ut modica partium commotio, aſpectus minus pudicus pulchræ mulieris, ejuſdem manuum contactus, digitorum intorſio &c. Delectatio quoque, quæ hujuſmodi objecta reſpicit, alia *gravis* eſſe poteſt, quæ ſcilicet carnem vehementer commovet, ac rationem abripit: alia levis, quæ nonniſi levem carnis commotionem infert, nec rationem abſtrahit.

Igitur in hoc conſentiunt, ac conſentire plane debent omnes, delectationem deliberatam, quæcumque ea fuerit, ſive gravis, ſive levis de objecto graviter impudico, ut de copula carnali, de pollutione, ſemper eſſe peccatum lethale: idque nos ſupra de humanis actibus agentes manifeſtum fecimus; quoniam delectatio, quæcumque ſit, ſpeciem, & malitiam ex objecto depromit, quod cum graviter malum ſit, gravem quoque malitiam in delectationem, quæ alias voluntaria ſupponitur, refundit.

Conſentiunt item, ac conſentire omnes debent, etiam delectationem veneream, dum vehemens, & gravis eſt ex parte ſui, tametſi capiatur ex objecto *levi* in genere luxuriæ, ut ex contactu manus mulieris, eſſe lethale peccatum. Quandoquidem ea delectatio cum vehementer carnem commoveat, proxime diſponit ad pollutionem, eamque ſuapte natura inducit, licet aliquando ex parte ſubjecti hujuſmodi delectationem deliberate captantis non ſequatur.

Quoties ergo in propoſita *Regula* ſtatuo, non eſſe admittendam materiæ parvitatem in delectatione, aut voluptate venerea quæſita, aut captata, de illa intelligo, quæ *levis* eſt phyſice conſiderata tum ex parte objecti, tum ex parte actus, ſive ipſius delectationis, adeo ut moraliter inſpecta *gravis* ſemper ſit in genere moris: ſi tamen non deſit, quod ad peccatum mortale ex generali moralis actus conditione requiritur, nimirum plena voluntatis deliberatio: ex hujus quippe conditionis defectu ſæpiſſime contingit, in viris præſertim timoratis, ut peccatum veniale ſit, præſertim cum objectum leve de ſe eſt.

Sententia, quam amplector, communior certe eſt penes Theologos, a quibus diſcedere minime debemus, niſi gravia admodum momenta cogant, quæ profecto pro opinione contraria non afferuntur. Ea autem probari in primis poteſt damnata ab Alexandro VII. propoſitione *n.* 40. quæ ita efferebat: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Quæ propoſitio non admittitur etiam tamquam *probabilis*, immo damnatur ex eo capite, quod *probabilis* ab aliquibus diceretur, adeoque tamquam certo falſa, laxa, & ſcandaloſa rejicienda eſt. Porro ex damnatione hujus propoſitionis conſequi videtur, generatim non eſſe admittendam materiæ parvitatem in voluptate venerea deliberate quæſita, aut captata. Oſculum enim objectum luxuriæ grave non videtur, immo ſi ſpectetur ſecundum ſpeciem ſuam, indifferens eſt. Sed neque gravis apparet delectatio ex oſculo quæſita, aut percepta: tum quia ſermo non eſt in propoſitione de quodam oſculorum genere, quæ *preſſa* vocantur; tum quia delectatio carnalis ex oſculo capta juxta Auctores propoſitionis talis erat, quæ ſecum non afferret *periculum conſenſus ulterioris, & pollutionis*: quę idcirco nonniſi *levis* reputari valet. Quamobrem, tametſi damnata propoſitio de ſola loquatur delectatione captata ex oſculo; complectitur etiam cæteras delectationes libidinoſas, quæ præcipiuntur ex manus, vel pedis contactu, aliiſque id genus, quæ phyſice leves ſunt, ac proinde in damnatione ipſius, etiam quæcumque aliæ *leves* delectationes comprehenduntur, quæ peccata levia judicantur ex parvitate materiæ. Unde inveniri nequit delectatio venerea *levis*, quæ gravi culpa careat, quoties deliberate quæritur.

IV. Rationes hujus regulæ præcipuæ hiſce nituntur doctrinæ Sancti Thomæ principiis, quorum primum iſtud eſt: *Diſpoſitio ad aliquam formam, & circumſtantia ejuſdem ſunt in eadem ſpecie*

cum ipſa forma. Alterum: *Imperfectum reducitur ad eumdem ordinem, ad quem pertinet perfectum*. Tertium tandem: *Pars, & initium alicujus rei ſpectat ad eamdem lineam cum termino, & complemento ejuſdem*. Ex quibus argumenta in rem noſtram, & illa quidem efficacia colligi queunt. Nam quælibet delectatio venerea preſſe dicta, etiam phyſice tenuis, oritur ex motu cujuſdam humoris ſeroſi, qui ſpermatis materia eſt, ut fidem faciunt Philoſophi, & medicæ artis Profeſſores, adeoque quælibet delectatio venerea eſt quædam inchoatio pollutionis, & diſpoſitio ad ipſam. Porro juxta primum laudatum principium *diſpoſitio ad formam eſt in eadem ſpecie cum ipſa forma*. Igitur ſi *forma*, ad quam *delectatio* diſponit, eſt ipſa pollutio, quæ procul dubio grave peccatum eſt, etiam ipſa delectatio diſponens ad ipſam, grave peccatum erit.

Rurſus *Imperfectum ad eumdem ordinem reducitur, ad quem pertinet perfectum*. Igitur ſi perfectum in hoc ordine eſt eadem pollutio, aut copula carnalis, quæ certe ſunt peccata mortalia, ipſa quoque delectatio venerea imperfecta ad eumdem ordinem, ſive genus peccati reducenda erit.

Demum: *Si pars, & initium alicujus rei ſpectat ad eamdem lineam cum termino, & complemento ejuſdem*, ſi terminus, & complementum venereæ voluptatis grave peccatum eſt; grave quoque peccatum erit ipſa, quamvis modica, delectatio venerea, quæ pars eſt, & initium completæ delectationis venereæ, & ex hac ſuam malitiæ gravitatem hauriet.

Neque reponere adverſarii valent, ſe loqui de modica venerea voluptate deliberate quidem quæſita, aut captata, ſed ſecluſo *periculo conſenſus in delectationem ulteriorem, & pollutionem*. Nam fictitia eſt, ac deluſoria hujuſmodi præciſio. Siquidem periculum iſtud intimum eſt cuicumque venereæ delectationi, ipſique natura ſua adnexum: ea quippe ex ſe ſemper tendit in opus perfectum, & pars eſt, ac initium ejuſdem. Unde quidquid mens præſcindere conetur, numquam reapſe ſejungere poteſt malitiam, quam ex intrinſeco ordine deſumit: ſolumque ut ſummum minuetur peccati gravitas, ſed intra limites lethalis ſemper conſiſtet.

Quidquid tamen ſit, aut quodnam judicium feratur de horum argumentorum efficacitate, cum Theologorum communior opinio materiæ parvitatem in delectatione qualibet venerea deliberate volita non agnoſcat, omneſque conveniant de re agi periculi plena, prudens quiſque, ac ſalutis ſuæ cupidus, quanta poteſt diligentia cavebit ab omni captanda delectatione, ac voluptate, ſtudiumque omne adhibebit, ut ſe ab omni carnali inquinamento immunem ſervet, & periculum, quod in hac viſcoſa, lubricaque materia ſemper invenitur, omnino devitet.

Regula Quarta.

Non ſolum tactus partium pudendarum, ſed etiam mamillarum mulieris abſque neceſſitate, aut juſta cauſa, peccatum lethale eſt.

V. De tactu partium pudendarum mulieris nemo ambigit: de tactu autem mamillarum nedum quidem antiquiores, ſed etiam nonnulli Neoterici peccatum eſſe dumtaxat veniale perfricte aſſeruerunt. Sed poſita regula omnino veluti certa tenenda eſt: quoniam inter tactus valde impudicos accenſeri debet, idque ex communi hominum ſenſu, qui naturali quodam pudore ducti, illum ut admodum turpem averſantur, & horrent. Quare in Pœnitentiali Romano edito ab *Auguſtinio* Tit. 4. can. 2. legitur: „ Si quis obtrectaverit puellæ, aut mulieris pectus, vel „ turpitudinem ejus, ſi Clericus eſt, quinque dies „ pœniteat: Monachus, vel Sacerdos a miniſterio „ divino ſuſpenſi, ſi aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant: ſcriptum eſt enim, neque „ tetigeritis, neque obtrectaveritis turpitudinem „ fœminarum “. Quibus in verbis tria conſideranda veniunt, primum in hoc textu non niſi actus externos ſpectari, qui ſolum ad Eccleſiæ forum, ac judicium pertinent. Alterum in eadem claſſe reponi, & eadem pœna puniri *obtrectare pectus puellæ, aut mulieris, & turpitudinem earum*. Tertium ex pœnitentiæ, cui æque ſubjiciuntur, magnitudine, gravem eſſe, ac lethalem malitiam eorum apertiſſime colligi. Plura alia argumenta ad eamdem regulam comprobandam protuli in libro, quem edidi adverſus modernos quoſdam tactuum mamillarium defenſores, qui illos a gravi ſaltem culpa excuſabant; quem vide, ſi lubet.

Regula Quinta.

Amplexus, & oſcula honeſta juxta patriæ conſuetudinem, aut cauſa amicitiæ, vel urbanitatis habitu, peccata ex ſe nullatenus dicenda ſunt.

VI. Hanc regulam, quemadmodum ſequentes, conſtituo ad magis illuſtrandam S. Thomæ doctrinam, quam tradidi capite præcedenti. Itaque regulæ veritas ex eo liquidiſſime conſtat: quoniam nulla in iis actibus ſe prodit turpitudo, cum hujuſmodi duntaxat ſint ſigna, ac teſtificationes unionis amicorum, ac civium, vel amicitiæ, benevolentiæ, & honeſtatis. Atque ita concorditer poſt D. Thomam ſentiunt alii Doctores, quorum plerique addunt licitam etiam eſſe delectationem non carnalem, aut voluptariam, ſed honeſtam, & amicabilem ex illis actibus profluentem: quoniam ſicut licet delectari de amicitia, & benevolentia aliorum, ita de ejuſdem ſignis, ac teſtificationibus: modo tamen in iis decorum perſonæ ſervetur, & ſcandalum caveatur. Neque enim decens eſt, quod Religioſi, aut Eccleſiaſticæ perſonæ oſculis, aut complexibus etiam honeſtis benevolentiam, aut amicitiam teſtentur erga puel-

puellas, aut mulieres præſertim juvenes, licet conſanguineas, aut Religioſæ deoſculentur viros, etſi cognatione junctos. Cæterum illud obſervo hujuſmodi oſcula honeſta, & licita etiam inter perſonas ſexus diverſi nunquam eſſe ori imprimenda, ſed vel genis, vel honeſtius fronti, ut omne periculum venereæ delectationis avertatur. Atque de his arbitror locutos eſſe SS. Apoſtolos Paulum, & Petrum, dum in ſuis epiſtolis non ſemel dicunt: *Salutate invicem in oſculo ſancto.*

Regula Sexta.

Amplexus, & oſcula, aliive tactus honeſti non niſi peccata venialia aſſerenda videntur, ſi fiant ex ſola vanitate, curioſitate, joco, aut alia ſimili de cauſa, ſublato ſcandalo, aut periculo conſenſus in veneream delectationem.

VII. Dixi, *ſublato ſcandalo, aut periculo conſenſus in delectationem veneream.* Hoc enim in hac aliiſque materiis ſemper ſubintelligendum eſt, tametſi haud ſemper exprimatur. Itaque expoſita regula probari facile poteſt. Nam ſi tactus honeſti ſint, & communi hominum ſenſu tales reputentur, quales certe non ſunt, nec reputantur tactus aut mamillarum, aut partium ſecretiorum mulieris, aut etiam pudendorum viri, prout mox dicemus, ſi ex mera vanitate, curioſitate, aut joco fiant, aliam malitiam contrahere nequeunt, quam quæ ex ipſorum cauſa derivatur. Cauſa autem meræ curioſitatis, aut joci, ſimiliſve, haud tantam turpitudinem exprimit, ut eos efficere valeat graviter peccaminoſos. Unde ſi intra eos limites tactus conſiſtat, puta ſi quis per manum, aut brachium fœminam ducat, aut manum premat, aut digitos torqueat, peccati mortalis damnandus non eſt. Cæterum etſi hæc, & ſimilia ex mera vanitate, aut joco peracta inter perſonas honeſtas, pudicas, & animum ab omni libidine alienum habentes ſine peccato lethali contingere queant, illud nihilominus certum eſt, ſi moroſe, aut frequenter fiant abſque cauſa legitima, plena eſſe periculi, adeo ut perquam difficile ſit, tactus hoſce jocoſos plene voluntarios a gravi culpa excuſare, eo ſolo titulo, quod ex joco fiant inter perſonas maxime diverſi ſexus, & ætatis non admodum provectæ.

Regula Septima.

Tactus de ſe inhoneſti, aut impudici ſive ex vanitate, ſive ex joco deliberate, & abſque neceſſitate peracti, peccati lethalis damnandi ſunt, ſive fiant inter perſonas diverſi ſexus, ſive ejuſdem.

VIII. Hæc regula ex præmiſſis ſatis colligitur. Tactus autem inhoneſti certiſſime ſunt, præter alios quos memoravimus, tactus partium generationi deſervientium, aut eis vicinarum. Unde procul dubio graviter peccant, qui eas partes etiam ex vanitate, vel joco advertenter, ac deliberate tangunt. Tum quia tactus hujuſmodi nimiam prodeunt turpitudinem, ac deformitatem: tum quia ex objecto ſuo libidinoſi ſunt, pariuntque natura ſua veneream delectationem. Tum demum quia ex ſe proxime diſponunt ad pollutionem. Pollutio autem, dum voluntaria eſt, ſemper eſt peccatum mortale, adeoque etiam proxima pollutionis cauſa voluntarie poſita in illo turpi contactu, dum nulla juſta neceſſitas ſubeſt illum ponendi.

Atque hæc regula locum habet in tactibus perſonæ nedum alterius, ſed etiam ejuſdem ſexus. Nimium quippe turpe eſt, & periculoſum, quod vel fœmina fœminæ, vel vir viri pudenda deliberate tangat, nimiumque provocat ad luxuriam: niſi forte hi tactus admodum tranſeunter, & caſu potius, & abſque ulla prava intentione contingerent, ut inter pueros natantes evenire nonnumquam poteſt. Quin etiam eadem regula vera eſt in tactibus verendorum ſuorum, quoties nempe aliquis verenda ſua attrectat vel cum delectatione venerea, vel cum ejuſdem periculo. Quod ſi tamen quis ſe tangeret ex mera vel levitate, vel curioſitate, non peccaret niſi ut ſummum venialiter: ſiquidem in ejuſmodi contactu neque tanta turpitudo eſt, quanta in contactu partium alienarum, neque par venereæ voluptatis periculum.

Regula Octava.

Liciti ſunt prædictis tactus de ſe inhoneſti ex cauſa rationabili, aut ex neceſſitate: & illos etiam pati ſine culpa poſſunt mulieres, quin & aliquando tenentur.

IX. Proxima pars liquet in medicis, & chirurgis, qui juſta urgente cauſa curationis, aut ſexus diverſitatem internoſcendi, partes etiam ſecretiores mulierum tangunt ſine ullo peccato ex Theologorum omnium conſenſione. Quandoquidem partes omnes humani corporis propter bonum, & integritatem, aut incolumitatem totius inſtitutæ ſunt: & ſi qua corporis pars male affecta ad exitium totius corporis tendat, merito curatur, ut corpus incolume perſeveret: adeoque liciti ſunt etiam turpiorum partium tactus ad eum finem exerciti. Nec propterea illiciti evadunt, quod ex iis, voluntate repugnante, delectatio venerea inſurgat: nam ex honeſtate cauſæ, qua fiunt, omni culpa vacant. Si tamen medicus, aut chirurgus pravis tentationibus ſuccumberet, & illicitam voluptatem admitteret, ab ejuſmodi curationibus abſtinere deberet: quemadmodum Confeſſarius officium audiendi mulierum confeſſiones dimittere tenetur, dum illud ſuæ ſpiritualis ruinæ cauſa eſt.

Quoad alteram partem attinet, ſi mulieres medicorum, aut chirurgorum curationem patientes, obnoxiæ ſint proximo periculo conſentiendi in venereæ voluptatis illicias, aut motus, quod ex experientia, propriave fragilitate compertum habere poſſunt, quodcumque malum potius perpeti debent, quam talem curationem permittere, ex qua ſalus animæ periclitetur. Cæterum, ſi hoc periculum abſit, ſe pudendarum etiam partium curæ ſubmittere debent, & naturalem verecundiam ſubire, potius quam mortem incurrere;

ne-

neque enim ob ſolum naturalem pudorem refugere licet remedium ad vitam ſuam conſervandam penitus neceſſarium.

Regula Nona.

Confundendæ non ſunt delectationes, quæ ex amplexibus, oſculis, & tactibus percipiuntur, aut percipi poſſunt.

X. Tria genera delectationum, quæ ad materiam hanc revocari poſſunt, diſtinguere ſolent Theologi. Alia *ſpiritualis* eſt, & ſola mente concepta, quæ nempe corporeo organo non eſt illigata, nec ſenſuum commotionem, ſaltem neceſſario, affert, ac definiri poteſt *complacentia voluntatis de re turpi, ſeu actu venereo cogitato*. Atque hæc illicita eſt, ſi objectum ſit illicitum: etiamſi nulla ſit in corpore venerea commotio. Unde Religioſus v. g. ſibi complacere non poteſt de copula etiam matrimoniali, ſicut neque de tactibus, oſculis, aut amplexibus cum fœmina habendis: quia hoc objectum ipſi illicitum eſt: & ſimiliter vir matrimonio cum aliqua junctus complacentiam voluntariam habere nequit de actu conjugali cum alia muliere vel exercito, vel exercendo, prout alibi dictum eſt.

Alia eſt delectatio *carnalis, & venerea*, de qua jam locuti ſumus, & ex Galeno ſolet definiri: *Delectatio in carne conſurgens ex motu humoris ſeroſi, qualis eſt ſubſtantia ſeminis, & incaleſcens ob commotionem ſpirituum generationi deſervientium*. Hæc autem ex oſculis, aliiſve tactibus deliberate percepta, culpa lethalis eſt in omnibus matrimonio ſolutis. Si enim matrimonio jungantur, licita eſt in ordine ad actum matrimonii, aut dum actum illum exercere volunt. Unde ſi abſentes ſunt, nec conjungi valeant, illicita erit, quemadmodum e contra licita eſt, dum ea delectatio, quam *ſpiritualem* diximus, in mera voluntatis complacentia conſiſtit.

Quod autem delectatio carnalis ac venerea ex oſculo, vel tactu deliberate captata peccatum mortale ſit, ex propoſitione ſupra relata ab Alexandro VII. proſcripta manifeſtum eſt, nempe *eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. In qua propoſitione illud obſervandum, conjungi delectationem carnalem cum ſenſibili, ut intelligamus nomine delectationis ſenſibilis eam accipi, quæ ſimul *carnalis* eſt. Sola enim delectatio ſenſibilis ad lethalem culpam contrahendam ſatis non eſt.

Quid eſt igitur delectatio *ſenſibilis*, quam tertio loco diſtinguunt, ac diſtinguere oportet a *carnali* ſimul, & *ſpirituali*? Eam ita definiunt, quod ſit illa *quæ oritur ex ſolo contactu, ſeu proportione, & conformitate rei ſenſibilis cum organo tactus*, qualis eſt delectatio, quæ percipitur ex contactu rei mollis, aut blandæ: ſicut enim in muſica, in guſtu &c. ſua delectatio hauritur ex proportione ſenſus cum proprio objecto; ſic idem contingit in tactu. Hæc autem delectatio in ſeipſa conſiderata, innocens eſt, & cujuſque culpæ expers, nullamque prodit inordinationem, niſi careat honeſto fine, ad quem actiones noſtras referre tenemur. Verum in praxi hujuſmodi delectationes *ſenſibiles*, dum ſtudioſe quæruntur a perſonis ſolutis, & adultis in oſculis, aut tactibus etiam de ſe honeſtis, vix, ac ne vix quidem a culpa lethali vacant, quia in hoc ſtatu corruptæ naturæ cum delectatione *ſenſibili* immiſcetur delectatio *carnalis*, quæ ab ea reapſe non ſejungitur in hujuſmodi perſonis, tametſi abſolute ſejungi poſſe minime diffitear.

Regula Decima.

Peccati lethalis rea eſt mulier, quæ ſe non retrahit, nedum quando advertit ſe tangi oſculis, aut aliis tactibus inhoneſtis, ac libidinoſis; verum etiam honeſtis quidem, ſed affectu libidinoſo peractis.

XI. Dubium nullum eſt lethaliter peccare fœminam advertentem ſe tangi tactibus inhoneſtis, ut mamillarum &c. dum non reluctatur, & ſpectatis circumſtantiis voluptuoſum hominem ita attentantem abs ſe non repellit. Cæterum ſi ſermo ſit de actibus honeſtis, ut oſculis, & manuum tactibus &c. ſi judicandi locus eſt ea nequaquam fieri affectu libidinoſo, ſed honeſto, illa permittere in ſe poteſt citra culpam. Si autem aliud judicium ex circumſtantiis ferre valeat, ea videlicet fieri animo, & affectu libidinoſo, graviter peccat ea permittens, aut non impediens; ſiquidem alterius peccato cooperatur. Qua de re audire præſtat fidelem Angelici Doctoris diſcipulum S. Antoninum ita differentem p. 2. tit. 5. cap. 1. Mulier „ quæ „ permittit hæc ſibi fieri ab eo, quem æſtimat ad „ hoc moveri amore libidinoſo, *mortaliter peccat*, „ *quia facientem, & conſentientem par pœna contingit*, ut dicitur cauſa 11. q. 1. Can. *notum*. „ Sed quæ permittit hoc ſibi fieri credens talem „ moveri ex dilectione fraterna, aut quadam amicitia, ſeu quadam humanitate, ſeu more patriæ, non peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per conſequens mortaliter „ peccaret. Ex hoc quoad oſcula, amplexus, & „ dando alter alteri manum, ut moris eſt: quod „ tamen periculoſum eſt: & ideo cavendum eſt ab „ eis inter virum, & mulierem, etiam Religioſos. „ *Bonum eſt*, inquit Apoſtolus, *mulierem non tangere*. Nam, ut dicitur Eccleſiaſt. 13. *Qui tetigerit* „ *picem*, cui ſimilis eſt mulier, *inquinabitur ab* „ *ea* “.

„ Permittere autem ſe tangi in membris genitalibus; idem fere dicendum eſt de pectore, ſeu „ ſinu, ſeu in mammis, niſi ſint conjuges, vel „ niſi ſit neceſſitatis cauſa, ut infirmitas, & hujuſmodi, credo non poſſe excuſari a mortali: „ cum iſtud non fiat communiter niſi amore libidinoſo. Et credere quod hoc fiat pura intentione, eſt *fatuitas*, non ſimplicitas. Et quamvis prædicta, ſcilicet oſcula, amplexus, & tactus non impediant bonum prolis generandæ, „ & educandæ, quia ex his præciſe non poteſt ſequi generatio, tamen ipſa procedunt ex libidine, „ quæ eſt radix hujuſmodi impedimenti: & ſe-

„ cun-

„ cundum hoc, ideſt in quantum libidinoſa, ſunt „ mortalia, & non aliter ". Hactenus S. Antoninus. Sed de iis, quæ ſenſum tactus ſpectant, ſatis: nunc de aliis actibus ad luxuriam pertinentibus: ac primum de aſpectibus.

Regula Undecima.

Aſpectus impudicus lethale ex ſe peccatum eſt.

XII. Hæc regula ita propoſita tamquam certa tenenda eſt. Siquidem impudicitia quælibet ſive in tactibus, ſive in ſermonibus, ſive in aſpectibus natura ſua grave peccatum eſt. Sed difficultas in hoc eſt poſita, quandonam aſpectus impudicus, aut libidinoſus reapſe exiſtimandus ſit. Circa quod illud affero, impudicum eſſe aſpectum illum, qui pro objecto habet quidpiam de ſe natum excitare carnalem commotionem, aut accendere concupiſcentiam, ſive id contingat ratione rei, quæ aſpicitur, ſive ratione ſubjecti, quod aſpicit: & quidem ratione rei, in quam aliquis defigit oculos, *impudicus* dicendus eſt in primis, ſi vir deliberate, & abſque urgenti neceſſitate fœminæ aut fœmina viri pudenda, aut vicinas partes aſpiciat, quamquam non cauſa excitandæ libidinis, ſed ex curioſitate, vel *ſtulta mortificatione* aſpectus fieret. Hic enim tum honeſtati naturali valde repugnat, tum ad libidinem potenter allicit, & luxuriæ proximum periculum affert, ut conſtat in Davide, qui licet vir ſanctiſſimus foret, conſpiciens a longe Berſabeam ſe lavantem, in peccatum lapſus eſt. Signanter adjeci, vel *ſtulta mortificatione* &c. Nam teſte S. Antonino, aliiſque Scriptoribus extiterunt, ac fortaſſe exiſtunt Directores nonnulli, qui a Diabolo plane obcæcati, mulieres, ut vocant, *pœnitentes*, denudari jubent, ut ſub mortificationis obtentu flagella, aut, ut loquuntur, *diſciplinam* recipiant. Hi profecto non pietate, ſed voluptate lethali ducuntur, ut nempe mortificationis ab illis mulieribus obtinendæ prætextu impudicos oculos ſuos libidine paſcant: *Non eſt*, inquit, laudatus S. Antoninus, *vera hujuſmodi mortificatio, ſed deceptio diaboli, & laqueus animarum inſipientium &c.*

Etiam impudicus, ac lethali culpa corruptus, dicendus eſt aſpectus, quo quis concubitum viri cum fœmina, tametſi ex curioſitate intueretur, utpote qui valde ad libidinem provocaret. Similiter aſpicere ſtudioſe, moroſe, ac de induſtria nudas ejuſdem ſexus perſonas, aut carnalem brutorum congreſſum, ſimileſque alias turpitudines, gravi peccato plerumque non caret: quia hujuſmodi aſpectus natus eſt ad excitandas obſcœnas in animo cogitationes, & pravos in corpore motus, vixque fieri poteſt, habita ratione corruptæ naturæ humanæ, ut excitatis illis obſcœnis cogitationibus animus non delectetur.

Cæterum plures caſus ab hac generali regula excipiendi videntur, primo nempe cum iſti aſpectus fortuiti potius ſunt, quam deliberati, ac ſtudioſe quæſiti. 2. Quando ſubeſt aliqua rationabilis cauſa, ut contingit in ruſticis jumenta *ad ſaltum* ducentibus. 3. Quando ſpectata conditione aut perſonæ inſpicientis, aut perſonæ inſpectæ, nullum eſt delectationis carnalis periculum, velut cum fœminæ lactantes inſpiciunt eoſdem infantes, quos continenter habent in manibus, aut vir propria membra inhoneſta ſine carnali ulla delectatione intuetur. Neque enim tanta videtur eſſe in hoc intuitu inhoneſtas, & indecentia, ut culpæ mortali tribuenda ſit.

Verum in aſpectibus, qui de ſe, & natura ſua impudici non ſunt, aut poſſunt non eſſe ob occurrentes aliquando circumſtantias, antequam culpæ gravitas definiatur, attendenda eſt intentio, inclinatio, & conditio perſonæ aſpicientis. Nam ſæpe reſpectu unius culpa gravis erunt, qui non erunt reſpectu alterius, qui nullam experitur carnis commotionem, nullamque vel modicam tentationem. Quia tamen vix umquam a peccato ſaltem veniali immunes ſunt; ideo vir pius, ac caſtimoniæ amator ab omni aſpectu, qui neceſſarius non ſit, aut conveniens, prudenter cavebit.

Regula Duodecima.

Turpiloquium, ſive ſermo, aut locutio de rebus turpibus, quamvis quandoque non ſit, niſi peccatum veniale; ſæpe tamen mortale peccatum eſt.

XIII. Non eſt *turpiloquium* peccatum lethale, quoties ex inadvertentia, & quaſi ex improviſo ab homine profertur, vel ira, vel paſſione commoto. Tunc enim non eſt plene deliberatum. Ubi, inquit S. Antoninus p. 2. tit. 5. cap. 5. *talia verba dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium, quamvis in ſe non videantur mortalia: quia peccata oris ſecundum S. Thomam, permaxime judicantur quoad gravitatem peccati, ex intentione proferentis: propter quod dicit Auguſtinus, quod reos lingua non facit, niſi rea mens. Tamen per accidens* poteſt eſſe mortale *ratione ſcandali, ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus, ut cum audientes ſint debiles ſpiritu. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis.* Nec ſolum loquentes, aut cantantes hujuſmodi turpes ſermones, *ſed etiam*, ſubdit S. Epiſcopus, *audientes libenter talia, non tantum ex quadam levitate, & ſolatio vano, ſed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur poſſe excuſari a mortali; ſicut nec a delectatione moroſa turpis cogitationis, præcipue in mentibus infirmorum, niſi forte hoc foret inter conjuges.*

Illud hic obſervandum puto quædam eſſe verba, quæ proferri frequenter ſolent a perſonis quibuſdam vilioribus, quæ licet ex origine ſua, ac prima inſtitutione valde turpia ſint, & ſcandaloſa; nihilominus ex uſu, aut frequentia, primævum ſenſum ſuum veluti amiſerunt, adeo ut nullum jam amplius ſcandalum pariant, nec quid revera in ſeipſis exprimant, intelligant aut illi qui ea proferunt, aut alii qui audiunt: unde nihil aliud concipiunt, niſi in genere verba fœda, & abſona: adeoque nec lethalis peccati abſolute damnari queunt, niſi forte in gravem alicujus contumeliam proferantur, aut in perſonam ſpeciali reverentia dignam.

Re-

Regula Decimatertia.

Periculoſæ valde ſunt confabulationes virorum, & mulierum, ſi frequentes ſint, nec ad eas aut neceſſitas, aut charitas compellat.

XIV. Hæc regula ab ipſo Spiritu Sancto tradita eſt, dum Eccleſiaſt. cap. 9. admonuit: *Colloquium mulieris alienæ quaſi ignis exardeſcit*: quibus verbis denotat, quantum periculum ſit in his confabulationibus, præſertim dum frequenter fiant, nec ad illas aut neceſſitas, aut charitas non fucata movet. Immo non ſine peccato ſæpe contingunt, quando fiunt cauſa delectationis, quæ ex voce mulieris percipitur, vel, ut Heſſelius ait, ex eo quod habeatur cum muliere, præſertim adoleſcente, aut ſpecioſa. Quare ſerio advertere debent Animarum Directores, qui toties, tamque frequenter confabulantur cum mulieribus, ut ajunt, *pœnitentibus* de rebus vel ad Confeſſionem ſpectantibus, vel in ipſis nimium temporis impendunt, dum expedire ſe facile poſſent. Timere ſcilicet debent, ne ſub pallio charitatis concupiſcentia deliteſcat, aut dum neceſſitate moveri ſe putant, moveantur delectatione, ac voluptate, ac ne tamdem eodem morbo laborent, de quo tam ſæpe ſermocinantur.

Quoniam vero de periculis, quæ imminent incautis Confeſſariis, ſive Directoribus mulierum aliqua hic tetigimus, lubet quædam attexere ex *Opuſc.* 64. inter eos, qui ſub Divi Thomæ nomine circumferuntur. In hoc itaque capite *de periculo familiaritatis Dominarum, vel mulierum* hæc leguntur. „ Et quoniam ſpiritualibus loquor, noverint ipſi, quod licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, eis tamen pernicioſa eſt magis, maxime, quando converſantur cum perſona, quæ *ſpiritualis* videtur. Nam quamvis eorum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motivum, & utriuſque puritas maculatur. Non tamen de hoc ſtatim perpendunt: quia ſagittarius a principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſolum aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum vero in brevi deveniunt, ut jam non velut Angelos, ſicut cœperant, ſe invicem alloquantur, & videant, ſed tamquam carne veſtitos ſe mutuo intueantur, & ſentiant moveri quibuſdam commendationibus, ac verbis blandis, quæ videntur primo ex devotione procedere. Exinde unus incipit appetere alterius præſentiam corporalem: quia forma, vel ſpecies corporis in utriuſque mente concepta incitat cor ad volendum præſentiam corporalem, qua corrumpitur præſentia mentalis. Sicque ſpiritualis devotio paullatim convertitur in corporalem, & carnalem: & ſic ipſorum mentes, quæ ſolebant in oratione cum Deo abſque intermedio loqui, nunc inter Deum, & ſe alter ponit alterius corporalem effigiem, quam velant, & obtenebrant ponentes ſibi ipſis faciem Dei cum facie creaturæ “. Atque alia plura ſubinde refert, quæ inſidias Diaboli, & peccata ex eo amore promiſcuo ſuborta liquido patefaciunt.

Regula Decimaquarta.

Peccare mortaliter dicendi ſunt, tum qui ſermones de rebus turpibus habent, tum qui ſcribunt de rebus obſcœnis.

XV. Conſtat hæc regula quoad primam partem ex Divo Paulo dicente 1. ad Corinth. cap. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*: quia ſermones de rebus turpibus, & luxurioſis vehementer libidinem excitant; nam ut ait S. Baſilius *hom.* 24. de legendis Gent. libris, *pravis aſſueſcere ſermonibus via quædam eſt ad rem ipſam*. Docentque malitiam dum narrant. Certe ſi quis diligenter introſpiciat conſcientias plurimorum, qui jam in cœno libidinum jacent, comperiet primam plerumque originem morum eorumdem corruptionis extitiſſe ſermones, quos de rebus turpibus ab aliis, maximeque a ſodalibus audierunt, a quibus malitiam, quam antea ignorabant, didicerunt, & opere deinde compleverunt.

Quoad vero alteram partem non minus eſt illa manifeſta; nam qui ſcribunt, aut typis edunt obſcœna, quantum de ſe eſt, perpetuo duraturum ſcandalum præbent: ac inſuper impoſſibile moraliter eſt, ut ii, qui vel ſermocinantur, vel ſcribunt de rebus obſcœnis, de iiſdem turpes delectationes non foveant, dum eas animo, ac mente continuo verſant.

Regula Decimaquinta.

Converſationes promiſcuæ, prout modo in conſuetudine ſunt, damnandæ, ac fugiendæ tamquam periculorum libidinis pleniſſimæ.

XVI. Non loquor modo de illo civili, ac honeſto, & neceſſario commercio, a quo, poſita humana ſocietate, nec viri, nec mulieres abſtinere congrue poſſunt. Hoc enim licitum eſſe, nullumque de ſe inferre honeſtatis periculum, nemo dubitat. Sed de hodierna, quæ inolevit, in quibuſdam regionibus, conſuetudine, qua viri, & mulieres promiſcue converſantur, & plures horas impendunt in ſermonibus ut minus de rebus vanis, ac mundanis, in ludis, facetiis, ac jocis, & illecebris. De illis loquor etiam, in quibus mulieres, licet matrimonio ſæpe junctæ, amant ſibi ſervitutem præſtari ab aliis viris, quos *Clientulos* vocant, qui ſibi continenter aſſideant, manus ad ambulandum porrigant, aliaque officia præbeant tum diurno tempore, tum etiam aliquando nocturno. Et quamvis ex argumentis, & indiciis facile conjectari queant haud pudico amore erga ſe ferri, eos tamen admittunt, permittuntque ſaltem aliqua, quæ abſque peccato permittere nequeunt. Ad hujuſmo-

modi virorum, ac mulierum converſationes damnandas, ac reprobandas ſatis ſunt documenta, quæ proſtant tum in Sacris Scripturis, tum in Sanctis Patribus, ipſaque experientia, quam ſint ejusmodi converſationes periculorum, immo peccatorum pleniſſimæ, evidenter confirmat.

Regula Decimaſexta.

Choreæ inter mares, & fœminas, prout, ſpectatis omnibus circumſtantiis, exerceri ſolent, ita peccandi occaſiones plerumque ſunt, ut Chriſtiani communiter loquendo, ab eis abſtinere debeant.

XVII. Choreæ inter perſonas ejuſdem ſexus, omni actu impudico, geſtuque ſemoto fieri poſſunt, cujuſmodi fuerunt, quas egit Maria ſoror Moyſis cum aliis mulieribus ad teſtificandam lætitiam de Pharaone ſubmerſo in mari rubro, & Hebræorum liberatione ab ejus exercitu; ſicut etiam Davidis coram Arca Domini exultantis præ gaudio. Atque hæ nulla inficiuntur malitia, & honeſtæ reputandæ ſunt. Aliæ fiunt vel in theatris ab impudicis mulieribus, vel a mixtis viris, ac fœminis prava intentione, verbis, aut geſtibus obſcœnis, aut etiam inhoneſtis tactibus, & has nullus a gravi culpa immunes defendit, aut defendere valet, quoniam libidinem, ac luxuriam prodeunt apertam, omnibuſque conſpicuam. Sed aliud genus chorearum eſt, quod ſub controverſiam cadit, & peragi ſolet inter mares, & fœminas ad animi, ut inquiunt, honeſtam relaxationem, ac lætitiam: de quo regulam poſui, quam ſubinde magis exponam. Sed placet prius quædam afferre de choreis teſtimonia, quæ habentur in Scripturis, ac Patribus, ut ex iis, quæ dicunt, ac ſentiunt, ſalutarem omnes timorem concipiant. Eccleſiaſt. cap. 12. Sapiens monet: *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* S. Job cap. 21. *Egrediuntur quaſi greges, parvuli eorum, & infantes eorum exultant in luſibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitus organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

XVIII. S. Joannes Chryſoſt. hom. 47. in Matth.: *Non ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus: non ut impudentes Camelorum modo ſaliamus, ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quod ſi corpus deforme fit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari credendum eſt? His tripudiis Diabolus ſaltat: hic a Dæmonum miniſtris homines decipiuntur &c.*

S. Ephrem Syrus in quadam homilia, „ Nolite „ inquit, errare; nullus ſervus poteſt duobus Do„ minis ſervire. Nemo poteſt Deo ſervire & „ cum Diabolo choreas ducere . . . . Noli hodie „ pſallere cum Angelis, & craſtina die in tripu„ diis eſſe cum Dæmonibus. Noli hodie ſa„ cras lectiones audire, & cras citharis inten„ tus eſſe, ut prævaricator, & Chriſti inimi„ cus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & „ cras in perditionem tuam ſaltare in cho„ reis".

S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus cap. 6. de Herodiadis filia mentionem faciens, ita cæteras matres alloquitur: *Quid dicitis vos, ſanctæ fœminæ? Videtis, quid docere, quid etiam dedocere debeatis. Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem.*

Ex his elicere oportet, choreas generatim conſideratas juxta Scripturas, & Patres non eſſe ſine peccato, aut ſine periculo peccati: quod ſatis eſſe deberet, ut tam viri, quam mulieres vere chriſtianæ, ſuæque ſalutis, ac conſcientiæ puritatis ſtudioſæ a vanis hujuſmodi oblectationibus abhorrerent. At quoniam multi hiſce generalibus Patrum doctrinis minime contenti, quærunt quænam pravitas determinate ſit in modernis choreis juxta Theologos recentiores, audiamus quid hi quoque ſentiant, ac doceant.

S. Antoninus prolixum ſermonem habet de hoc argumento *p.* 2. *tit.* 6. *cap.* 6. Præmittit id, in quo cæteri quique Theologi unanimiter conveniunt, ſi nempe choreæ *ſecundum ſe* duntaxat ſpectentur, non eſſe peccatum; ſed in praxi pluribus eſſe culpis inquinatas: deinde ſubjicit: „ De chorizanti„ bus poteſt moraliter exponi illud Pſal. *96.*: *In*„ *flammabit in circuitu inimicos ejus ignis.* Iſtud „ autem eſt iter Diaboli: ipſe enim *circuit*, 1. „ Pet. 5. *adverſarius veſter Diabolus circuit quæ*„ *rens, quem devoret.* Non ſolum autem ſequun„ tur tripudiantes iter Diaboli, quin imo Dia„ bolus ipſe inſidians eis, ut aſſeſſor equo ducit „ eos: quod pulchre oſtendit Joannes Apocal. 11., „ ubi dicit, quod de puteo abyſſi, quem vidit, „ *aſcendit fumus fornacis magnæ, & obſcuratus* „ *eſt ſol, & aer, & de putei fumo aſcenderunt* „ *locuſtæ ſuper terram.* Et harum ſimilitudinem „ ponens dicit, quod *locuſtæ iſtæ erant ſimiles* „ *equis paratis ad prælium, & ſuper capita eo*„ *rum tamquam coronæ ſimiles auro, & facies* „ *earum tamquam facies hominum, & habebant* „ *capillos ſicut capillos mulierum &c.*. Notate „ verba ſingula, ſignate myſteria. Locuſtæ il„ læ ſunt mulieres chorizantes: puteus abyſſi, „ unde iſtæ aſcendunt, eſt profunditas inferni, un„ de ſuggeritur tale exercitium chorizandi a „ Dæmonibus: *Fumus fornacis magnæ*, cum quo „ exeunt locuſtæ de puteo, eſt incitamentum, & „ ſignum magnæ concupiſcentiæ, & laſciviæ, un„ de ortum habent choreæ, & cum qua fiunt: „ *Et hic fumus obſcurat ſolem, & aerem*, ideſt „ concupiſcentia obtenebrat viros, etiam ſapien„ tes, & doctores, & *aerem*, ideſt contemplati„ vos, & ſpirituales homines, ut patet in Da„ vide, Salomone, & vitis Patrum per plura „ exempla. *Eæ aſcendunt ſuper terram*, ſcilicet „ chorizantes, diſcurrendo ſicut locuſtæ ſaltan„ tes, & ſicut *locuſtæ regem non habent*, ut di„ citur Prov. penult.; ita tales rationem non ha„ bent regentem eas, ſed ut bruta animalia hinc „ inde levitate diſcurrunt . . . . . ſicut homines „ utuntur equis phaleratis ad impugnandum ini„ micos; ita Dæmones utuntur mulieribus orna„ tis ad expugnandum ſervos Dei, qui ſunt ini„ mici Dæmonum: & ſicut equus odorat pro„ cul bellum *Job 39.*, & appetit currere ad „ campum; ita vanæ mulieres inquirunt de lo-

„ cis,

„ cis, ubi poſſint oſtentari, & currunt ad talia loca, in quibus Diabolus dejiciat, & proſternat multos gladio concupiſcentiæ, &c. “ Omitto cætera.

Joannes Gerſonius IV. P. Dom. 3. Adventus teſtatur, *choreas ob fragilitatem difficile ſine diverſis peccatis agitari, & omnia peccata cadere, & concurrere in choreas*.

Pius, ac celebris ævo ſuo Theologus Joan. Nider *in 6. Decal. præcepto cap. 3.* hæc habet: „ Eſt præterea aliud multum peccatum peccato luxuriæ deſerviens, videlicet chorea. Chorea diabolicum habet exordium, ut refert Magiſter hiſtoriarum. Nam a quodam Dæmone exordium habuit “.

De hoc quoque argumento hæc ſcripſit S. Carolus Borromæus in lib. Memor. p. 2. c. 6., his verbis: „ Valeant execrandæ illæ publicæ ſaltationes, Chriſtianorum caſtitati adeo exitioſæ, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices, & occaſiones, imo cujuſcumque laſciviæ ſeminaria. Quid plura? Ex hujuſmodi ſaltationum conſortiis oriuntur corporum, famæque, rerum, & chriſtianæ denique poſthac diſciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo choreæ, & una cum his tot aliæ morum corruptelæ, quibus hoc maxime tempore ſolet Satanas hominum mentes ſuo imperio vendicare, prorſus abrogentur „.

Sed quoniam potiſſima illuſio quorumdam Caſuiſtarum, qua ſe alioſque decipiunt, ex eo oritur, quod choreas ſecundum ſe, aut naturam ſuam conſiderant, non prout eæ ſunt in praxi, ac frequentius exercentur, idcirco ut hac arce, aerea licet, exturbentur, placet duas alias adjicere auctoritates in hanc rem admodum opportunas. Prima eſt P. Pauli Segneri, non ex ſua quidem *Confeſſarii*, aut *Pœnitentis inſtructione*, in qua laxæ plures opiniones continentur, ſed ex ſuo *Chriſtiano inſtructo in lege ſua*, ubi purior doctrina eſt, dictiſque SS. Patrum, maximeque S. Thomæ conformior. Author iſte *p. 3. ſerm. 29.* choreas omni argumentorum genere vernaculo idiomate inſectatur. Ac imprimis animadvertit, alio modo de his loqui Caſuiſtas, alio SS. Patres, pioſque Doctores. Iſti ſiquidem choreas, & ſaltationes damnant. Caſuiſtæ vero nonnulli tamquam licitas defendunt, aut permittunt. Unde vero tanta de re eadem opinionum diverſitas? Non alio ex capite, inquit ille, niſi quod Caſuiſtæ choreas in quadam abſtractione metaphyſica contemplantur, ſive *ſecundum ſe*, ſub qua conſideratione nullam plane malitiam exprimunt. Sancti vero Patres, virique pietate inſignes eaſdem ſpectant *prout ſunt in praxi*, in qua tot pravis circumſtantiis veſtiuntur, ut illæ a peccato purgari nullatenus valeant.

Idem advertit Sapientiſſimus Cardinalis Lambertini poſtea Summus Pontifex Benedictus XIV. in Collect. Notific. *Tom. 4. Notific. 9.* his verbis latine redditis: „ Etiamſi ſaltatio, ut ſaltatio, ſeu ut ars movendi pedes ad ſonitus leges, peccatum non ſit: admittatur quoque in aliqua circumſtantia choream bonam eſſe, meritoque dignam, ut quando Maria Prophetiſſa Aaronis ſoror, aliæque mulieres ſonabant, & ſaltabant &c. „ Verum nimis luculentum eſt, hodiernas choreas diverſi omnino generis eſſe, alioque tendere, cum in his communiter peccata committantur, totque occurrant honeſtatis offendicula, quæ a nobis deſcribentur verbis, non alicujus Anachoretæ, non alicujus rigidi Theologi non Concionatoris, qui exaggeret, ſed *Franciſci Petrarchæ*, qui in ſuo Dialogo 24. *de choreis* hæc ſcribit “: *In choreis non tam delectatio præſens eſt, quam ſperatæ delectationis auſpicium. Veneris præludium illud quidem ſolet ſtupidas, & miſellas circumducere, atque urgere, ac ſtringere, ac ſpecie urbanitatis atterere. Libera ibi manus, liberi oculi, liberæ voces: pedum ſtrepitus, & multarum cantus diſſoni, & tubarum clangor, concurſatio, & pulvis, & quæ ſæpe ludis additur, hoſtis pudicitiæ & amica ſcelerum nox ipſa. Hæc ſunt, quæ timorem, ac pudorem pellunt. Hi ſunt libidinum ſtimuli, hæc laxamenta licentiæ, & hæc eſt, ne me falli facilem putes, illa delectatio, quam ſimpliciter, & veluti innocua chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubilatis.* „ Hos mulierum, ſequitur deinde doctiſſimus Pontifex, virorumque laqueos, & ſcopulos ſerio conſiderans Conradus Elingius Theologus Ordinis Sancti Franciſci in ſuo Catechiſmo Catholico *lib. 4. cap. 14.* hæc docet: *Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt Diabolus, & circumferentia Angeli ejus circumſtantes, & ideo raro, aut numquam ſine peccato fit.* Cum hæc ita ſe habeant, quis negare auſus fuerit choreas (etiamſi ſpeculative loquendo culpa carerent) vitioſas eſſe, & communiter in praxi peccatorum plenas “.

Hæc, quæ prolixius ſcripſit Author Sapientiſſimus, paucis complexus eſt *Inſtit. Eccleſ. 76. §. v.* inquiens, *Choreæ quamvis ex ſui natura ſint licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti poſſunt: cum plerumque ſint peccandi occaſio.*

XIX. Quid igitur ex his omnibus concludendum? Omnes choreas, ſi fieri quidem poſſet, prout nunc peraguntur inter mares, & fœminas, eliminandas eſſe e Chriſtianorum finibus dicerem. Verum, quia præſertim abrogandæ ſunt ob pericula luxuriæ, quibus ſcatent, ideo quo majora ſolent eſſe pericula hujuſmodi, major quoque diligentia, majuſque ſtudium adhibendum eſt tum a Prælatis, & Parochis, tum ab aliis, quorum interdum intereſt, quo abrogentur, aut impediantur eæ, in quibus frequentius, & gravius conſuevit eſſe periculum, & occaſio peccandi. Porro experientia manifeſta nos docet, choreas, quæ in civitatibus fieri ſolent inter vulgares viros, ac mulierculas, præſertim bacchanaliorum, ac nuptiarum tempore, laſciviis, libidinibus, ac impudicitiis plenas eſſe præ ceteris aliis. Nam in iis, quæ exercentur inter nobiles perſonas, aut inter ruſticos, quamvis ubique ſuum non deſit periculum, minus tamen eſſe deprehenditur. Nobiles quippe potius ad fidium numerum, motuſque corporis compoſitos, quam ad aliud quidpiam, animum, & cogitationes intendunt. Ruſtici autem, niſi ſint malitia corrupti, ſaltibus, & agitationibus membro-

brorum vires ſuas potius oſtentare conſueſcunt. Nihilominus quia & in hiſce facile ſe immiſcet hoſtis humani generis, & concupiſcentia nimium in malum prona ſemper ſollicitat animum, præſertim dum occaſiones peccandi ſuppetunt, ideo cura omni hoc luxuriæ incitamentum vitare debemus, memores illius documenti Sancti Spiritus, *Qui amat periculum in illo peribit*.

Ad luxuriæ materiem ſpectant etiam ſpectacula Theatralia. Verum de his alibi opportunius.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Damnata ab Alexandro VII. propoſitio de oſculis &c. comprehendit alios tactus ob eumdem finem carnalis delectationis habitos.*

II. *Si deſit cauſa honeſta, nunquam licet ponere actiones ad venerem provocantes.*

III. *Laxa Thomæ Hurtadi propoſitio reprobanda.*

IV. *Lethale peccatum ex ſe non eſt actionem ponere, tametſi venerea delectatio ſequutura prævideatur, ſublato conſenſus periculo.*

V. *Nunquam ſine culpa gravi actio poni poteſt ob finem captandæ venereæ delectationis.*

VI. *Periculo impendente conſenſus in rem turpem, etiam actio honeſta deſerenda. P. Gobati propoſitio rejecta.*

VII. *Alia ejuſdem doctrina deteſtanda.*

VIII. *Culpa lethali non carent oſcula libidinoſa habita inter Sponſos, & Sponſas.*

IX. *Conjux in abſentia alterius veneream delectationem de tactibus alias honeſtis captare nequit.*

X. *Delectatio ſenſibilis vix a ſenſuali ſejungi valet in tactibus habitis inter perſonas ſexus diverſi.*

XI. *Tactus impudici etiam facti ſupra veſtes in partibus verendis gravi culpa non vacant.*

XII. *Nimia Defenſorum tactuum mamillarum temeritas damnanda.*

XIII. *Peccatum mortale eſt ponere actionem proxime, & per ſe influentem in veneream delectationem.*

XIV. *Peccant lethaliter, qui turpia loquuntur apta ad libidinem provocandam.*

XV. *Excuſari tamen quidam poſſunt a gravi culpa.*

XVI. *Scribere de rebus obſcœnis ſæpe mortale peccatum eſt.*

XVII. *Locutio, auditus &c. rerum turpium ad eas peccati ſpecies referuntur, circa quas verſantur; adeoque id in Confeſſione exprimendum eſt.*

XVIII. *Sermones habiti de pulchritudine hujus, aut illius mulieris plerumque ad luxuriam pertinent, & ex ea malitiam ſumunt.*

XIX. *Quinam mulierum aſpectus peccato vacare dicendi ſint.*

XX. *Ut plurimum lethaliter peccant, qui imagines obſcœnas retinent apud ſe, aut in eis ſtudioſe oculos defigunt.*

XXI. *Officio ſuo recte non funguntur Confeſſarii, admittentes ad Sacramenta mulieres hodiernas converſationes ſectantes.*

XXII. *Caſus aliquando contingere poteſt, in quo choreis intereſſe liceat.*

XXIII. *Numquam tamen excuſatur a gravi culpa Eccleſiaſticus, aut Religioſus, ſi interſit eiſdem.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUamquam in damnata ab Alexandro VII. propoſitione: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale &c.* mentio ſolummodo fiat de *oſculis* ob carnalem delectationem habitis; in iis tamen intelligi debent comprehenſi etiam amplexus, tactus, amatoria verba, & cætera hujuſmodi ob eumdem finem venereæ delectationis peracta. Par ſiquidem eſt de omnibus ratio: idque verum eſt, tametſi ob finem eumdem tangatur vir, puer, aut aliquod animal, aut figantur oculi in aliquod objectum ob veneream voluptatem hauriendam.

Conſectarium Secundum.

II. Poſita cauſa honeſta, & ſecluſo conſenſus periculo, licitæ ſunt eæ actiones, quæ de ſe delectationem veneream etiam proxime inducunt; ut ex. gr. ſi ob medendum verendis partibus, eas vel tangere oporteat, vel aliquid iis afferre remedii. Secluſa vero cauſa honeſta, aut neceſſaria, hujuſmodi actiones ad venerem provocantes ponere minime licet, etiamſi homo iis conſenſum nequaquam præbere ſtatuat, ac firmiter proponat.

Conſectarium Tertium.

III. Quare improbanda, ac tamquam falſa, laxa, ac in prædicta damnatione contenta, rejicienda eſt opinio Thomæ Hurtadi, *Tom. 1. q. 73. ar. 4.* docentis: *Valde probabile eſſe, oſcula, & tactus, dummodo non ſint in partibus ad generationem deſtinatis immediate, & proxime, ſi fiant abſque intentione carnali* (actus ſcilicet completi), *non eſſe peccata mortalia, ſed ad ſummum venialia.* Ex qua non minus laxe collegit, *Confeſſorem ſolicitantem in Confeſſione ad hujuſmodi oſcula, & tactus, abſque intentione prava, non eſſe denunciandum, vi motus proprii Gregorii XV., & aliorum Summorum Pontificum.*

Conſectarium Quartum.

IV. Mortale peccatum contra caſtitatem non eſt, actionem haud libidinoſam ponere, ex qua tamen tamquam ex cauſa, ſive potius diſpoſitione remota, & per accidens delectatio venerea, ſive etiam pollutio ſequutura prævidetur; modo ea non intendatur, nec ſubſit conſenſus periculum. Neque enim motus illi carnales, qui facillime naturaliter ſuboriuntur, in æſtimatione prudenti ſatis voluntarii cenſentur in cauſa remota, adeo ut illi imputentur, qui alio ex fine eam ponit. Ab iis tamen cauſis quamvis remotis ponendis verus Caſtitatis amator ſine juſto motivo abſtineat oportet ſaltem ſub veniali culpa. Siquidem

dem nonnihil caſtitati adverſari videtur, quod quis abſque honeſto motivo, aut utilitate cauſam remotam ponat delectationis, aut motuum caſtitati aliquatenus, licet abſque conſenſus periculo, repugnantium.

Conſectarium Quintum.

V. Nunquam tamen ſine gravi culpa exercere poſſumus prædictas actiones remote influentes in venereas commotiones ob finem captandæ voluptatis, aut promovendi pollutionem, ex. gr. equitare ad hunc finem, hoc aut illo modo cubare, calida manducare, ſtudere medicinæ, vel conſcientiæ caſibus &c. Quoniam tunc delectatio venerea actionum illarum objectum eſt, & ex illa malitiam gravem deſumit. Unde explodenda eſt opinio Joannis Sancii aſſerentis *in ſelect. Diſp.* 21. *n.* 13. ; *Qui ederet calida, ut ſomnia immunda haberet, non peccaret; quia ſomnium impudicum voluntarium in cauſa nullo jure prohibitum eſt.*

Conſectarium Sextum.

VI. Quoties probabile periculum eſt, aliquem conſenſurum in delectationem veneream, quam percipit in tactibus, converſatione, aliiſve actibus de ſe honeſtis, aut indifferentibus, illos deſerere omnino tenetur. Quare exſcindendum penitus eſt e Morali Chriſtiana hoc corruptæ probabilitatis germen, quod in lucem eduxit P. Georgius Gobat *in Exper. Theolog. Vol.* 1. *tract.* 7. *caſ.* 16. „ Quando eſt duntaxat ſolum *probabile*, „ te ſuccubiturum tentationi, certe etiam *probabile* eſt, te non ſuccubiturum. Atqui, ſicut in „ plurimis aliis materiis fas tibi eſt, ex utralibet ſententiarum ſpeculative probabilium deducere concluſionem tibi gratam: ita licebit tibi „ argumentari: *Occurrunt mihi graves tentationes,* „ *ob quas vir prudens ſapienter judicare poteſt, me* „ *lapſurum in novum crimen mortale, ſi acceſſero hanc domum: Viceverſa ſunt etiam rationes etiam graves, ob quas alius æque prudens* „ *pronunciaret me non lapſurum*. Ergo poſſum „ ſine nota temeritatis, & imprudentiæ me committere iſti occaſioni, certo non commiſſurum, ſi liquido ſcirem, me in illa admiſſurum illud grave peccatum. *Atque adeo fas eſt* „ *per ſe loquendo committere ſe periculo probabili peccandi mortaliter* “. Hæc Gobatus. qui eodem argumento probare poterat, etiam *fas tibi eſſe*, te exponere gravi tentationi, cum *probabilius eſt te ſuccubiturum*: neque enim ex hoc deſinit eſſe *probabile*, te etiam *non ſuccubiturum* in Probabiliſtarum doctrina. Colligat ex hoc prudens & pius Lector, num hæ ſententiæ cum ſuis libris merito diris devovendæ non ſint. Sed arrigat aures, & pulchriorem ſententiam audiat in Conſectario ſequenti.

Conſectarium Septimum.

VII. Deteſtatione plane digna eſt ſequens ejuſdem Gobati propoſitio, quam tradit *Tract.* 7. *Cap.* 16. „ Liquido ſcio, crebro fieri, præſertim „ inter plebejos, & ruſticos, ut *eodem in lecto puella cum proco* cubent aliquot horas *induti, & exuti*, & tamen nihil omnino impudicum agant, vel *nonniſi oſcula, & turpes attrectationes exerceant*. Unde judico non poſſe „ a Confeſſario negari abſolutionem omnibus illis puellis plebejis . . . . quæ non videntur habere propoſitum nunquam amplius admittendi „ procum in lecto ſuo.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non eſt toleranda, quamquam a pluribus doceatur, quos inter a P. Sanchez *lib.* 6. *Diſput.* 46., ſententia, ex qua mox dicta opinio profecta videtur, nimirum lethali culpa vacare oſcula ob delectationem carnalem habita inter Sponſos, & Sponſas de futuro. Siquidem ideo ſolutis interdicta ſunt oſcula libidinoſa, quia iis interdicta carnalis copula eſt. Porro non minus Sponſis de futuro eſt interdicta copula, quam aliis: ergo iis quoque ſub mortali prohibentur oſcula, aliique tactus, qui ſunt quædam ejus inchoatio, aut ad illam diſpoſitio.

Conſectarium Nonum.

IX. Quamquam conjux in abſentia alterius delectari queat delectatione mere ſpirituali de copula cum eodem habita, vel habenda; delectari tamen nequit delectatione carnali, ac venerea, orta videlicet in corpore ex apprehenſione actus conjugalis. Tunc enim ea commotio, aut delectatio, quæ præſens eſt, ordinari non poteſt propter abſentiam ad conjugalem actum, qui illam duntaxat licitam efficit, ſed potius ordinatur ad pollutionem. Quare improbanda eſt ſententia Pauli Laymani, qui cum aliis pluribus venereas hujuſmodi delectationes uxoratis permittit *T.* 1. *lib.* 1. *Tract.* 3. *cap.* 6.

Conſectarium Decimum.

X. Tametſi delectatio *mere ſenſibilis*, quæ captatur vel ex oſculis, vel ex tactibus, aſpectibus, &c. inter perſonas ſexus diverſi, abſolute, ac metaphyſice ſejungi queat a delectatione carnali, & venerea, atque adeo gravi culpa vacare: nihilominus practice loquendo gravi culpa non vacat; ſiquidem in hoc ſtatu corruptæ naturæ, & in concupiſcentiam pronæ *ſenſibilis* delectatio inter ejuſmodi perſonas a *carnali* minime ſeparatur. Unde admittenda non eſt doctrina PP. Salmanticenſium, quam ſic exponunt *Tract.* 26. *cap.* 3. *punct.* 3. §. 3. „ Tactus, amplexus, „ oſcula inter perſonas ſolutas, & adultas, ac „ diverſi ſexus, etiam idoneas ad coitum, ſi „ fiant præciſe ob ſolam delectationem ſenſitivam, „ & naturalem, ſecluſo periculo ulterioris delectationis venereæ, & pollutionis, vacant „ culpa mortali. Quoniam (inquiunt) hæc delectatio metaphyſice, & ſecundum ſua prædicata eſſentialia ſpectata nullam prodit malitiam, nec alterius ſpeciei eſt ab ipſo tactu, „ quem conſequitur &c.“ Admittenda, inquam,

hæc doctrina non eſt *in praxi*: neque enim, dum homines, amplectuntur, aut oſculantur mulieres, hæc peragunt *metaphyſice*, & *ſecundum prædicata eſſentialia*, ſed prout carne induti ſunt, & quidem corrupta, ac libidine ardenti. Separari utique abſolute poteſt delectatio *mere ſenſibilis* a venerea, & carnali; ſed non reapſe ſeparatur in exemplo a Salmanticenſibus allato: ſolumque ſejungi ut ſummum poteſt in aliquo alio caſu; v. gr. ſi mulier in brachiis tenens infantulum, oſcularetur ipſum. Sed exemplum ab illis productum intempeſtivum eſt, ac practice falſum; præbetque incautis Lectoribus errandi occaſionem, & ex oſculis &c. percipiendi utramque delectationem, ſenſibilem nempe, atque veneream. Hinc ipſe Diana, cum retuliſſet ſimilem Sylvii, ac Comituli opinionem, poſt illorum adductas rationes ita concludit T. 8. tract. 6. Reſol. 9. *Sed ego puto, contrariam ſententiam tenendam eſſe; & in his materiis non eſſe laxandas habenas*. Utinam tali cautione ſemper Author iſte ſcripſiſſet!

Conſectarium Undecimum.

XI. Nedum tactus impudici, immediate facti in partibus verendis ſive mulierum, ſive virorum, aut illis affinibus, lethali culpa polluuntur ob grave incitamentum libidinis, quod cauſant, nimiamque cum pudore, & honeſtate naturali repugnantiam; ſed etiam ſi mediate ſupra veſtes exerceantur ob eandem rationem. Quare audiendus non eſt Navarrus, qui in Manual. *Cap.* 14. ejuſmodi tactus a culpa gravi excuſat: quemadmodum nec P. Lacroixius, qui *lib.* 3. *p.* 1. *num.* 904. cum aliis veniale tantum peccatum eſſe docet, ſi fiant ejuſmodi tactus *ex levi delectatione tactus veſtium*. Hæc ſiquidem delectatio non quæritur in contactu veſtis: veſtes namque tangi poſſent vel in brachiis, vel in aliis partibus honeſtis; ſed in tactu pudendorum, media veſte. Hanc autem delectationem deliberate quæſitam eſſe mortalem, non venialem dubitandum non eſt.

Conſectarium Duodecimum.

XII. In nimiam, planeque non ferendam laxitatem prolapſi ſunt, qui poſtremis hiſce temporibus *vellicationem genarum*, ac *tactus mamillarum* etiam *Monialium*, ſive mulierum Deo ſacrarum primum a culpa mortali, deinde ab ipſa culpa veniali purgare conati ſunt. Author laxiſſimæ hujus opinionis fuit P. Bernardinus Benzius Soc. Jeſu, qui *in Diſſertatione* in Caſus Venetæ Diœceſeos anno 1743. edita hæc ſcripſit: „ Quæritur tertio, an Reſervatione afficiatur, qui cum Moniali peragat, vel attentet actus *ſubimpudicos* de ſe *veniales*; v. gr. *genas vellicare*, *mamillas tangere*, & ſolum ex pravo affectu, vel prava intentione mortales. Reſpond. *negative*. Nam juxta noſtram regulam octavam nonniſi peccata per externam malitiam reſervantur “.

Hæc propoſitio ita expoſita, vix in lucem edita fuit, magnum quemdam in animis tum proborum omnium, tum etiam improborum horrorem incuſſit, & ad Sacram Congregationem delata juſſu Summi Pontificis Benedicti XIV. anno 1744. proſcripta eſt; liberque, qui eam continebat, prohibitus ſequenti Decreto: *Sanctiſſimus Dominus noſter* &c. *auditis* &c. *Eminentiſſimorum Cardinalium ſuffragiis prohibendum, ac damnandum cenſuit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet librum Venetiis impreſſum anno* 1743. *cui titulus*: Diſſertatio in Caſus Reſervatos Venetæ Diœceſeos &c. *tamquam continentem propoſitiones reſpective falſas, maleſonantes, ſcandaloſas* &c. Deinde compulit Authorem retractare ſpecialiter *ſupradictam propoſitionem*; quod ſtatim præſtitit, & hujus retractationis exemplar apud me eſt.

At nihilominus etiam poſt prohibitionem, & damnationem prædictæ propoſitionis, plures ex eadem Societate Scriptores ingenti omnium ſcandalo in defenſionem ejuſdem arma ſumpſerunt; eoque audaciæ, & impudentiæ devenerunt, ut etiam aſſererent, prædictos tactus *genarum*, ac *mamillarum* omni penitus ſecundum ſe, culpa eſſe immunes; nimiumque rigidum fuiſſe Bentium, docentem eſſe *veniales*. Sed omnes hujuſmodi infames libelli ab Apoſtolica Sede damnati ſunt, & a me, ut innui, penitus confutati. Quare firmiſſimum apud omnes eſſe debet, tactus illos nedum cum *Monialibus*, verum etiam cum cæteris mulieribus peractos, peccata eſſe mortalia; nec oppoſitam poſſe ulla ratione defendi.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Peccatum mortale eſt abſque neceſſitate ponere actionem, ex qua tanquam proxima cauſa ex ſe influente in libidinem prævidetur ſecutura delectatio venerea, quamvis aliunde non intendatur, imo propoſitum adſit comprimendi motus libidinoſos inſurgentes. Quoniam eadem lex naturalis, quæ prohibet quærere, aut captare voluntarie veneream delectationem; obligat etiam, ut eas cauſas non ponamus, quæ proxime concurrunt, & per ſe influunt in ejuſmodi delectationem, quæ tunc in illa cauſa indirecte volita eſt. Vide, quæ *de voluntario indirecto* dicta ſunt.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Graviter peccare dicenda ſunt, qui turpia loquuntur, quoties ſermones vel ex rebus ipſis, vel ex conditione perſonarum, coram quibus habentur, apti ſunt ad venereas commotiones excitandas, aut ad ſcandalum pariendum. Sic vix a gravi culpa excuſari poteſt pudendorum *abſque cauſa* graphica deſcriptio, concubitus narratio, aut eorum, quæ concubitum ipſum circumſtant. Sic gravia crimina ſunt colloquia de rebus obſcœnis habita coram mulieribus, puellis, honeſtis virginibus, aut adoleſcentibus. Siquidem & de ſe ad venerem provocant, & malitiam docent, dum narrant, ut experientia nimium frequenti compertum eſt. In his

ta-

tamen locutionibus circumſtantiæ loci, temporis, maximeque perſonarum attendendæ ſunt, quemadmodum & in verbis amatoriis, quæ proferuntur, aut canuntur a juvenibus; quæ licet haud ſemper gravem malitiam contineant, ſemper tamen periculi plena ſunt, adeoque omni, qua fieri cura poteſt, eliminanda.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Exiſtimandum non eſt ſtatim peccare mortaliter, qui obſcœna ab aliis dicta, aut cantata non ſine gravi peccato, audiunt, & audiendo rident, aut de ipſis gaudere videntur. Si enim ſolum hoc præſtent ex quadam levitate, ridentque revera de ſolo artificioſo, ſeu lepido dicendi modo, non autem de rebus ipſis, de quibus etiam nullam capiunt animo delectationem, imo potius ab iis abhorrent, non peccant niſi venialiter: modo per ſuum riſum nulli ſcandalum ingenerent, neque authoritatem præſtent turpia loquentibus, vel canentibus.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Etſi nullum peccatum ſit ſcribere de rebus turpibus ob aliorum inſtructionem, ſive doctrinam, ob ſuperiores informandos, ob hiſtoriæ veritatem enarrandam, aut etiam ob arguenda aliorum peccata; ſicut neque peccatum eſt ob ſimilem finem ea loqui, vel audire: attamen de iis ſcribere ad voluptatem veneream de rebus ipſis imaginationi objectis vel percipiendam, vel in aliis excitandam, mortale procul dubio peccatum eſt; quemadmodum & eadem ſcribere abſque prava quidem hujuſmodi intentione, ſed tamen cum judicare Scriptor probabiliter poteſt, ut tenetur, Lectores ex impudicis rebus, de quibus tractat, facile ad libidines eſſe provocandos: quod frequenter contingit præſertim in juvenibus, aliiſque ad venerem propenſis. Illud hic adnotare lubet, quod, tametſi liceat ad doctrinam de rebus obſcœnis ſcribere, abſtinendum tamen ſit etiam in talibus libris ad inſtructionem conſcriptis a referendis turpiſſimis quibuſdam portentoſæ laſciviæ modis, aut circumſtantiis, quibus ea docentur putidiſſima ſcelera, quæ nec nominari, multoque minus explicari deberent. Unde improbari merito debet Thomas Sanchez, qui in hac declaranda materia nimium exceſſit, pluresque modos peccandi docuit, quos forte hominum multitudo ignoraſſet. Hanc quoque cautionem a Parochis adhibendam eſſe monuit Catechiſmus Concilii Tridentini 3. p. de ſexto præcepto: „ Ut *nempe* „ in hac re explicanda cautus admodum ſit Parochus, & prudens, & certis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius deſiderat, „ quam orationis copiam. Verendum eſt enim, „ ne, dum is late atque copioſe nimis explicare „ ſtudet, quibus modis homines ab hujus legis „ præſcripto diſcedant, in illarum rerum ſermonem forte incidat, unde excitandæ potius libidinis materia, quam extinguendæ illius ratio „ emanare ſolet “.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Quoties mortale peccatum eſt turpia loqui, audire, ſcribere, legere, ſicut etiam intueri &c. opus eſt in Confeſſione exprimere circumſtantias perſonarum, de quibus percepta fuit obſcœna delectatio: quia ſermo de fornicatione pertinet ad fornicationem, de adulterio ad adulterium, atque ita de cæteris. Eadem ratione exprimenda eſt qualitas perſonæ confitentis; num ſcilicet ſoluta ſit, an conjugata, num Deo ſacra &c. niſi Confeſſario perſpecta jam ſit qualitas confitentis perſonæ.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Sermones, qui dedita opera habentur de forma, pulchritudine, aut venuſtate hujus, aut illius mulieris, plerumque ad luxuriam pertinent, & ex ea malitiam contrahunt. Quandoquidem aut oriuntur ex pravis cogitationibus, quibus loquentis animus demulcetur, aut pravas cogitationes excitant in mente præcipue juvenum, aut luxuriæ vitio deditorum: atque adeo ſive loquentem, ſive audientem exponunt aut moroſæ delectationi, aut ſaltem ejus periculo.

Conſectarium Decimumnonum.

XIX. Plures equidem aſpectus mulierum peccaminoſi ſunt, prout ex dictis facile conſtat: at plures etiam poſſunt carere peccato. Sic aſpectus improviſus mulieris peccatum non eſt. Sic etiam datur aſpectus caſtus, qui fit urbanitatis cauſa, qui nullatenus peccatum eſt: neque enim eſt inordinatus, cum finem habeat honeſtum. Unde nimium rigida, neque approbanda videtur locutio illa Tertulliani *in Apologetico cap.* 46. generatim prolata: *Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt.* Nam, ut S. Joann. Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Matth.* appoſite obſervat: *Eſt poſſibile & aliter, quam libidinoſe aſpicere* (mulieres) *ut certe aſpiciunt & pudici. Et ideo non ſimpliciter aſpectum, ſed concupiſcentiæ junctum Chriſtus interimit affectum.*

Conſectarium Vigeſimum.

XX. Ut plurimum lethaliter peccant, qui imagines valde obſcœna repræſentantes, puta fœminas nudas, aut maris, & fœminæ concubitum &c. aut retinent apud ſe, aut in eis oculos ſtudioſe defigunt; eoque gravius peccant, quo ſtudioſius, aut data opera illas intuentur, aut contemplantur. Priores namque ſibi, proximiſque ſuis peccandi occaſionem præbent: alii vero ſub vanæ curioſitatis prætextu ſuos oculos libidine paſcunt. *Horum*, ſcribit Clemens Alexandrinus in Admonit. ad Gentes, *non ſolum uſus, ſed etiam aſpectus, & auditus deponendam eſſe memoriam vobis annunciamus. Scortatæ ſunt aures veſtræ, fornicati ſunt oculi, &, quod eſt magis, novum ante conſpectum veſtri adulterium admiſerunt aſpectus.*

Conſectarium Vigeſimumprimum.

XXI. Officio ſuo recte non fungitur Confeſſarius, qui mulieres vanas, hodiernas converſationes, prout jam uſus nimium deplorandus obtinuit, ſectantes, ac ſectari volentes admittit ad Sacramentorum tum Confeſſionis, tum Sacræ Communionis participationem; ſinitque ſe illudi fucatis earum excuſationibus, nihil ſcilicet in his commerciis aſſerentium ſe advertere impudicitiæ, nihil libidinis. Neque enim viri hiſce mulierculis tanto ſtudio ſe ſe ſubjicerent, ac veluti mancipia viliſſima ad nutum continenter inſervirent, atque etiam pro ipſarum oblectamentis pecunias libenter prodigerent, rem domeſticam negligerent, proprias uxores faſtidirent, aut aliis dimitterent, pluraque alia id genus incommoda ſuſtinerent, ſi nulla explendæ libidinis fiducia ſuppeteret, aut in earum converſatione nullam ſibi vetitam delectationem captarent. Quamobrem, cum ipſolum peccatis ſaltem hæ mulieres cooperentur, adeoque & ipſæ peccent, arcendæ ſunt a Sacramentorum participatione, niſi tales converſationes ſerio dimittant.

Conſectarium Vigeſimumſecundum.

XXII. Generatim, & abſolute choreas inter viros, ac mulieres præſertim juvenes damnandas eſſe docuimus ob fundamenta rationis, & authoritatis, quæ produximus. Sed nihilominus caſus aliquis admittendus videtur, in quo quis choreis poſſit intereſſe ſine culpa. Qua in re placet reſponſum, quod ex Villelmo S. Raymundi interprete refert, & approbat Joannes Nyder *Cap.* 13. *in* 6. *Decal. Præc.* his verbis: „ Si aliquis, vel aliqua mulier raro, & ſine aliqua intentione immiſceat ſe hujuſmodi choreis, non audeo dicere, quod ſit mortale peccatum: ſed nec audeo eum, vel eam excuſare, & aſſecurare a peccato mortali, cum ſe ingerat periculo provocandi alios ad libidinem, & ipſo facto videatur approbare choreas, & exemplo ſuo authoritatem aliis ſimilia faciendi præſtare. “ Hæc ille, quibus addendum arbitror, contingere poſſe, ut a culpa excuſetur vir, aut mulier, ſi ex. gr. nuptiarum tempore, aut alia rara occaſione ob rationabilem aliquam cauſam choreas agat caute, & omni modeſtia ſervata; nullumque ex circumſtantiis advertat nec in ſe, nec in aliis peccandi periculum.

Conſectarium Vigeſimumtertium.

XXIII. Numquam tamen a gravi culpa excuſandum cenſeo Eccleſiaſticum, aut Religioſum, ſi ſe immiſceat choreis virorum, & mulierum, etiam quæ peraguntur nuptiarum tempore, & in propria domo, & cum agnatis, & conſanguineis. Hoc enim valde dedecet ſtatum ſuum, ſuoque exemplo alios ad actionem, quæ vix ſine peccato exercetur, pellicit, & invitat. Hinc ſummus Vir Cardinalis Lambertinus, poſtea Benedictus XIV. in *Inſtit. Eccleſ.* 76. §. 7. aſſerit, & confirmat authoritate plerorumque Theologorum, *Choreas a Clericis non ſine peccato gravi agi poſſe.* Quin & ſubjicit, *poſſe Epiſcopos prohibere Clericis omnibus, ne choreas ducant, ne in illis inſtrumentis ludant; immo ne permittant eas fieri in ſuis ædibus Eccleſiaſticis, Canonicalibus, Parochialibus, ſeu etiam Beneficialibus, deputatis pro domicilio Beneficiati; etiamſi illæ fierent nomine conſanguineorum ibidem cohabitantium.* Quæ verba ſunt Decreti Sacræ Congregationis relati loco citato §. 8.

REFLEXIO

Ubi etiam remedia adverſus Luxuriæ vitium exhibentur.

Quamquam luxuria inter capitalia vitia omnium graviſſimum nequaquam ſit: quemadmodum nec temperantia, cui opponitur, nobiliſſima eſt inter morales virtutes; nullum tamen feralius vitium eſt, & humano generi infeſtius; nullum quod majores in Mundo clades edat, magiſque ſalutem animarum impediat: nullum denique, quod Infernum Chriſtianorum multitudine copioſius impleat; adeo ut pronunciare veritus non ſit Sanctus Remigius, *demptis parvulis, paucos propter vitium hocce ſalvari.* Unde recte animadvertit Sanctus Thomas, Dæmonem capitaliorem inimicum noſtrum de hoc *præſertim vitio gaudere; quia, cum ſit maximæ adhærentiæ,* & contagione ſua generatim inficiat homines, innumeras propterea infeliciſſimas prædas ad perditionem trahit, & in æternæ damnationis abyſſum præcipites agit. Enimvero quis, ipſa teſte experientia nimium luctuoſa, non perſpicit, quam facile homines, carnis concupiſcentia impellente, a Deo, & a via ſalutis abducantur; quam vero difficile ad Deum, & ad ſalutis ſemitam revertantur? *Per peccatum luxuriæ* (inquit idem S. Doctor lect. 1. in cap. 31. Job) *homo videtur maxime a Deo diſcedere. Accedit enim homo ad Deum per ſpirituales actus, qui maxime impediuntur per delectationem veneream;* quæ præ cæteris vitiis defigit animum in rebus ſenſibilibus, ac voluptatibus carnis, iiſque omnium vehementiſſimis.

Profecto ſi paulisper perpendamus exitioſos effectus, quos luxuria cauſat in omnibus ſua lue peſtilenti afflatis, atque pollutis, de hac tam lugenda generali pernicie ne dubitare quidem poſſumus. Neque enim ullum aliud vitium eſt, quod æque, ac luxuria *magis ex arce dejiciat animum virilem*, ut ait S. Auguſtinus *lib.* 1. *Solil. cap.* 10. ſive, ut S. Thomas, *ſuperiores vires, rationem ſcilicet, & voluntatem magis deordinet*, ac denſioribus tenebris offundat intellectum; quod apprehenſionem decipiat, quod conſilium impediat, quod judicium de rebus agendis pervertat, quodque a bono exequendo potentius abripiat, ac pertrahat. Luxuriæ ea vis eſt, ut dum carnali delectatione mentem obruit, corpori ſpiritus veluti miſceatur, illique ita adhæreat, ut quaſi carnalis, & corporeus efficiatur, & ad ſua obeunda munera prorſus ineptus. Ejus quippe lumen pene extinctum eſt; nihilque jam præter carnem, & ſanguinem, quodque delectat, atque demulcet affe-

affectiones ipſis conſentaneas, cogitat, animoque revolvit: quod in nullo plane alio vitio contingere ſolet. Cætera ſiquidem vitia etiam in ipſo peccandi actu permittunt, ut mens ad alia ſimul ſe avocet. Sed luxuria ita mentem abſorbet, ut ad ſe omnem ejus cogitationem pertrahat.

Cum igitur tot mala, tamque horribilia ex luxuria proveniant, nemo ſane erit prudens, ac ſapiens, ſuæque ſalutis æternæ ſollicitus, qui non omnem curam, ac diligentiam adhibeat, ut vitium adeo pernicioſum longiſſime avertat, nec umquam in ſemetipſo nedum dominari, ſed neque locum invenire patiatur. At quænam erunt tam contagioſæ peſtis, tamque lethalis remedia? Primum in eo maxime verſatur, ut alte cognitum habeamus, atque comprehenſum, quanta ſit hujus flagitii turpitudo, & pernicies; quæ pœnæ ipſum conſequantur, quantoque odio Deus Spiritus puriſſimus illud proſequatur. Errant enim, ac vehementer errant, qui peccatum iſtud veluti fragilitatis parvi pendunt, ſibique perſuadent, facile a Deo condonari. Proponant ſibi iſti ante oculos univerſale totius orbis Diluvium, quod ad hæc punienda peccata a Deo juſtiſſimo Judice immiſſum eſt: *Omnis quippe caro*, inquit ſacer textus, *corruperat viam ſuam ſuper terram*. Unde Deus dixit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum; quia caro eſt*. Et dixit ad Noe: *Finis univerſæ carnis venit coram me. Repleta eſt terra iniquitate a facie eorum: & ego diſperdam eos cum terra*. Recogitent ignem illum contra naturam e cælo delapſum, quo conflagrarunt impiæ quinque, infameſque Civitates: ſupplicium Iſraelitarum, qui fornicati ſunt cum filiabus Moab, de quibus Apoſtolus 1. *ad Cor.* 10. ait: *Et ceciderunt una die viginti tria millia*. Benjamiticæ quoque tribus, quæ propter hoc peccatum ferme deleta eſt. Quibus, aliiſque exemplis edocemur, quantum Deus hoc ſcelus averſetur, & odio habeat: quantaque Deum injuria afficiant, qui ſummum bonum viliſſimæ, ſordidiſſimæque voluptati peccando poſtponunt.

Sed & illud ad ſceleris hujuſce magnitudinem cognoſcendam perpendere Chriſtiani præſertim debent; quod per Baptiſmum regenerati Spiritus S. templum, quin & corpus, & membra Chriſti, teſte Apoſtolo, effecti ſunt. Hinc fornicationis enormitatem declarans: *Neſcitis*, ajebat ille, *quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis?* Præcipuus profecto Chriſtiani hominis honor, ac dignitas eſt corporis Filii Dei membrum eſſe. Numquidnam igitur tam ſancto corpori, tam ſanctis membris atrociorem inferre poteſt injuriam, quam ſi meretricis membra faciat, aut impuris delectationibus polluat? „ Si unuſquiſque, *inquit* „ *S. Auguſtinus*, cupiens fornicari, aut aliquid „ turpe, & flagitioſe committere, vileſcat ſibi, & „ in ſe contemnat ſeipſum; ſaltem non in ſe con„ temnat Chriſtum. Non dicat: *Peccabo; infirmus* „ *ſum, & omnis caro eſt fœnum*. Sed dicat ſibi: *Cor*„ *pus tuum eſt membrum Chriſti*. Quo ruis? quo „ te præcipitem agis? parce in te Chriſto: agno„ ſce in te Chriſtum. Parum illi fuit fratres ſuos „ nos facere: fecit & ſua membra. Itane tanta „ dignitas viluit, quia tam benigne præſtita eſt? „ Corpora noſtra membra ſunt Chriſti: corpora „ noſtra propter inhabitantem Spiritum Sanctum „ templum ſunt Spiritus Sancti. Quid horum „ in te contemnis? Chriſtum, cujus membrum „ es: an Spiritum Sanctum, cujus templum es. “? Quis Chriſtianorum horrore quodam non concutitur, ſi videat Eccleſiam pollui, quæ ædificium eſt lapidibus conſtructum, & Epiſcopi benedictione Deo conſecratum? Et non verebitur polluere in ſe ipſo templum Dei, quod & Baptiſmi Sacramento, & unctione Spiritus Sancti conſecratum fuit?

Sed præter hoc remedium in cogitatione poſitum, alterum eſt in actione conſiſtens; nimirum fuga otii, crapulæ, & ebrietatis, quæ ad luxuriam magnopere provocant. Hinc *Ezech.* 16. de Sodoma dictum legimus: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ; ſuperbia, ſaturitas panis, & otium ipſius, & filiarum ejus*. Ac de Davide illud obſervatum eſt in adulterium lapſum eſſe, cum de ſtrato ſuo ſurrexiſſet poſt meridiem, & in ſolario domus regiæ deambularet, otio vacans *eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere*. Quare S. Hieron. *Epiſt.* 4. monebat: „ Ama ſcientiam „ Scripturarum; & carnis vitia non amabis. Fa„ cito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus in„ veniat occupatum “. Quanto vero ſtudio fugiendæ ſint ad caſtitatis cuſtodiam crapulæ, & ebrietates, non uno in loco Scriptura nos docet. *Exod.* 32. dicitur: *Sedit populus manducare, & bibere; & ſurrexerunt ludere*, ideſt impudicitiæ ſe tradere. Ad Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*. Unde S. Hieron. *lib.* 2. *cont. Jovinian.* ſcribit: „ Non ei debemus, cui naſcimur, „ ſed cui renaſcimur, qui repugnantem carnem, „ & ad libidinum incentiva rapientem inediâ ſub„ jugamus. Eſus carnium, & potus vini, ven„ triſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt. Unde „ & Comicus: ſine cerere, inquit, & libero fri„ get venus “. Et S. Gregorius Curæ Paſtor. p. 3. admon. 20. „ Plerumque, *ait*, edacitas uſque „ ad luxuriam pertrahit; quia, dum ſatietate „ venter extenditur, aculei libidinis excitantur... „ Gulæ deditos luxuria ſequitur. Propheta te„ ſtante, qui, dum aperta narrat, occulta de„ nunciat dicens: *Princeps coquorum deſtruxit mu*„ *ros Jeruſalem* .... Coquorum Princeps muros „ Jeruſalem dejecit: quia dum venter ingluvie di„ ſtenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtru„ untur “.

Tertium adverſus luxuriam remedium eſt vitare nimiam frequentiam, ac familiaritatem mulierum præſertim adoleſcentularum, ac etiam ſpiritualium. Hoc remedium a Sapiente traditur *cap.* 42. *Eccleſiaſt.*, & inculcatur magnopere, dum admonet: *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea; & a muliere iniquitas viri. Melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium;* ideſt mulieris etſi piæ ſocietas periculoſior eſt, quam viri improbi. Et cap. 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Atque alia id genus.

 Re-

Remedium quartum, & illud quidem valde neceſſarium, eſt vigil ſenſuum noſtrorum cuſtodia. Siquidem, ut dicitur Jerem. cap. 9. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domus noſtras*; & ut exponit S. Hieronymus *lib. 2. cont. Jovin.* „ Per quinque ſenſus quaſi per quaſdam feneſtras „ vitiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt ante metropolis, & arx mentis capi, „ niſi per portas ejus irruerit hoſtilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur; & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu. Si Circenſibus quiſpiam „ delectetur, ſi Athletarum certamine, ſi mobilitate hiſtrionum, ſi formis mulierum, ſplendore „ gemmarum, veſtium, & cæteris hujuſcemodi; „ per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt „ . . . . . Rurſus auditus vario organorum cantu, & vocum inflexionibus delinitus, & carmine Poetarum, & Comœdorum, Mimorumque urbanitatibus, & ſtrophis; & quidquid per „ aures introiens virilitatem mentis effœminat. „ Odoris autem ſuavitas, & diverſa thymiamata „ &c. nemo niſi diſſolutus negat . . . . . Tactus „ autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus vicinior inſaniæ eſt. Ob „ hunc ſenſum cupimus, iraſcimur, geſtimus, „ ſolliciti ſumus; & expleta voluptate, per „ quamdam plenitudinem rurſum accendimur, „ quærimuſque facere, quod cum fecerimus, rurſus pœniteamus . . . . . His igitur rationibus „ invitati multi Philoſophorum reliquerunt frequentias Urbium, & hortulos ſuburbanos, „ ubi ager irriguus, & arborum comæ &c. ne „ per luxum, & abundantiam copiarum animæ fortitudo molleſceret, & ejus pudicitia conſtupraretur . . . . Vetus ſententia eſt: *Difficile eſt, imo impoſſibile deliciis, & voluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerimus*; fruſtraque „ quidam ſimulant, ſalva fide, & pudicitia, & „ integritate mentis ſe abuti voluptatibus; cum „ contra naturam ſit, copiis voluptatum ſine voluptate perfrui: & Apoſtolus hoc ipſum cavens „ dixerit: *Quæ autem in deliciis eſt vidua, vivens mortua eſt*. Senſus corporum quaſi equi „ ſunt ſine ratione currentes. Anima vero in „ aurigæ modum retinet fræna currentium: & „ quomodo æqui abſque rectore præcipites ruunt; „ ita corpus ſine ratione, & imperio animæ in „ ſuum fertur interitum“.

Denique remedium nedum admodum utile, ſed etiam neceſſarium eſt *humilitas*, ſive practica cognitio propriæ fragilitatis, conjuncta cum fiducia in Dei auxilio, quod jugiter per humilem, ac ferventem orationem implorare debemus. Humilitas namque id præſtat, ut de noſtris viribus nihil fidentes, occaſiones, & pericula luxuriæ toto ſtudio, ac diligentia fugiamus; ſimulque, cum fugere occaſiones omnes, & pericula nequeamus, noſtroque in corpore hoſtis ſit ad turpes delectationes indeſinenter ſollicitans, & impellens, ad Deum humillime confugiamus, ut gratia ſua ita nos roboret, atque confirmet, ne in pugna deficiamus. Hujuſce ſalutaris remedii neceſſitatem exemplo ſuo declarat laudatus S. Hieronymus *Epiſt. 22. ad Euſtoch.* de cuſtodia caſtitatis, inquiens: „ O quoties ego ipſe in Eremo „ conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ „ exuſta Solis ardoribus horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis! Sedebam ſolus, qui amaritudine „ repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia: & ſquallida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctu aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choreis intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, „ & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, „ & ante hominem ſua jam carne præmortuum „ ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Jeſu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam. „ Memini me clamantem diem ſæpe junxiſſe cum „ nocte, nec prius a pectoris ceſſaſſe verberibus, „ quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam; „ & mihimet iratus, & rigidus ſolus deſerta „ penetrabam. Sic ubi concava vallium, aſpera „ montium, rupium prærupta cernebam, ibi „ meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum: &, ut ipſe mihi teſtis eſt „ Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo „ inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus, „ gaudenſque cantabam: *Poſt te in odorem unguentorum tuorum currimus*“. Hæc Divus Hieronymus.

His itaque mediis adjuti, ac divino præſertim auxilio roborati ſtrenue, ac viriliter adverſus hunc hoſtem caſtitatis fortiſſimum ſimul, ac inſidioſiſſimum, carnis ſcilicet concupiſcentiam in hoc mortalis vitæ ſtadio dimicemus. Neque enim unquam deerit pugnandi finis, donec vita hæc ipſa finiatur, ac pax illa ſempiterna ſuccedat ab omni præliandi labore immunis. Sequamur fideliter monitum illud Apoſtoli Pauli ad Galatas: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*. „ Non ait, inquit Auguſtinus, *Concupiſcentias carnis adverſarias ne habueritis*; quoniam videbat perfectam pacem carnis, & ſpiritus non poſſe in corpore mortis hujus impleri. „ Sed ait: *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis*; „ ubi certamen nobis potius, quod contra carnem adverſantem debeamus exercere, propoſuit, ut concupiſcentias ejus non perficiamus „ conſentiendo, ſed reſiſtendo vincamus“. *Caro enim*, ſubdit Apoſtolus, *concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. „ Hoc bellum, ut idem Auguſtinus, nunquam ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in „ rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc „ vero, quæ pacem felix cum Deo habere noluit, ſecum pugnat infelix . . . . In tali au-

„ tem

„ tem pugna ſanitas erit tota victoria; nec tempo- „ raria ſanitas, ſed æterna, ubi non ſolum finiatur „ hic languor, verum etiam deinceps nullus oria- „ tur “.

CAPUT OCTAVUM.

De Gula.

DOCTRINA.

I. *Gulæ definitio explicatur.*
II. *Peccatum eſt: quandoque ſolum veniale; quandoque mortale: etiam prout ab ebrietate ſejuncta conſideratur.*
III. *Senſus quorumdam Scripturæ textuum de gula exponitur.*
IV. *Quinque gulæ ſpecies, aut modi explicati.*
V. *Quædam in has gulæ ſpecies animadverſiones.*
VI. *Ex S. Antonino latius ejuſmodi gulæ ſpecies declarantur.*
VII. *Vitium capitale gula eſt, ex qua alia vitia oriuntur.*
VIII. *De prima filia gulæ; ſcilicet* inepta lætitia.
IX. *De* ſcurrilitate; *altera gulæ filia.*
X. *De tertia filia gulæ; nempe* immunditia. *Quid hic veniat hoc nomine.*
XI. *De* multiloquio; *quarta filia gulæ.*
XII. *De poſtrema filia gulæ; nimirum* hebetudine mentis.
XIII. *De ebrietate ſpecialiter agitur. Quid ea proprie ſit, & quando peccatum ex S. Thoma.*
XIV. *Nedum utcumque peccatum ebrietas eſt, ſed etiam ex ſe lethale.*
XV. *Scripturarum, ac Patrum teſtimonia in confirmationem adducta.*
XVI. *Quandonam excuſetur, aut minuatur peccatum ebrietatis.*
XVII. *Quid de illa quæſtione, num aliquando licita ſit ebrietas ad valetudinem obtinendam. S. Thomæ doctrina propoſita.*

§. I.

Definitio Gulæ, *& pravitas ipſius.*

I. LUxuriæ proxima gula eſt, eamque nutrit, fovet, atque inflammat. Definitio ejus ex D. Thoma 2. 2. *q.* 148. *art.* 7. hæc eſt; nempe *inordinatus appetitus edendi, & bibendi.* Neque enim, ut notat, quemcumque appetitum nominat edendi, vel bibendi: ſed duntaxat *inordinatum.* Inordinatus autem eſt *ex eo, quod recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis conſiſtit.* Recta ſiquidem ratio præſcribit, cibum & potum ſumendum eſſe in ea quantitate, aut qualitate, menſura, quæ neceſſaria, aut utilis eſt ad conſervationem vitæ ac ſanitatis cujuſque individui. Hæc enim finalis cauſa eſt edendi, ac bibendi juxta illud S. Auguſtini lib. 10. Confeſſ. cap. 31. *Hoc me docuiſti* (Domine) *ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Ab hac itaque rectæ rationis regula recedere ob amorem delectationis, quæ in edendo, ac bibendo percipitur, vitium *gulæ* eſt.

Equidem S. Doctor in ea *gulæ* definitione, quam in corpore articuli tradit, mentionem non facit *de delectatione*, quæ in edendo, & bibendo per gulam quæritur; ſed illam diſerte exprimit in *reſp. ad* 2. ſuamque definitionem magis declarat inquiens: „ Vitium gulæ non conſiſtit in ſubſtan- „ tia cibi, ſed in concupiſcentia non regulata ra- „ tione. Et ideo ſi aliquis excedat in quantitate „ cibi non propter concupiſcentiam cibi, ſed æſti- „ mans id ſibi neceſſarium eſſe, non pertinet hoc „ ad gulam, ſed ad aliquam imperitiam. Sed hoc „ pertinet ad gulam, quod aliquis propter concu- „ piſcentiam cibi (*aut potus*) delectabilis ſci- „ enter excedat menſuram in agendo.

Ex his colligere oportet, non eſſe gulam, ſive gulæ peccatum, delectationem percipere ex cibo, & potu provenientem, quando moderata juxta rationis regulam corporis refectio ſumitur: tunc enim & ipſa, quæ percipitur, delectatio intra rectæ rationis limites continetur. Humana namque infirmitas nedum cibo, & potu indiget, ſed etiam cibi ſapore, ac delectatione, ut finem, ob quem alimenta ſumenda ſunt, melius, ac plenius aſſequatur, ſcilicet nutrimentum corporis, vitæque conſervationem. Unde Auguſtinus ait lib. 4. cont. Julian. cap. 14. „ Non ſolum cibo, „ ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis „ noſtri, non propter exſaturandam libidinem, ſed „ propter tuendam ſalutem “. Tunc autem ea delectatio limites rectæ rationis prætergreditur, dum ipſa potius in ſumendis alimentis quæritur, quam corporis valetudo, & conſervatio: quemadmodum & qui ſe alimentorum voluptate abripi ſinit, ut amplius ſumat, vel avidius, quam naturæ congruit; cum ea voluptas neceſſitatem præire non debeat, ſed potius comitari, nec longius progredi, quam illa permiſerit, ut ex Auguſtino explicavimus *de temperantia* loquentes.

II. Ex quibus liquet, *gulam* eſſe peccatum. Quod enim a rectæ rationis regula recedit, ſemper peccatum eſt: *gula* autem recedit ab hac regula in edendo, & bibendo, ut oſtendimus. Igitur &c. Hinc ab Apoſtolo prohibetur *cap.* 13. *ad Rom.* dicente: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis;* ubi non abſolute curam carnis, ſive corporis prohibet, cum *ad Epheſ.* 5. dicat: *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam;* ſed vetat, *ne carnis curam agamus in deſideriis*, ſive ad ſatisfaciendum deſideriis, & voluptatibus carnis, prout agunt ii, qui prætextu alendi corporis in qualitate, quantitate, vel modo excedunt.

At vero cujus generis *gula* peccatum eſt; mortale ſcilicet, an veniale? Quæſtionem dirimit Doctor Angelicus *art.* 2. hac ſolida doctrina: „ Vitium gulæ proprie conſiſtit in concupiſcen- „ tia inordinata. Ordo autem rationis concupi- „ ſcentiam ordinantis *dupliciter* tolli poteſt. *Uno modo* quantum ad ea, quæ ſunt ad finem, „ prout ſcilicet non ſunt ita commenſurata, „ ut ſint proportionata fini. *Alio modo* quan- „ tum ad ipſum finem, prout ſcilicet con- „ cupiſcentia hominem avertit a fine debito. „ Si ergo inordinatio concupiſcentiæ accipiatur „ in gula ſecundum averſionem a fine ultimo, „ ſic

„ ſic *gulæ erit peccatum mortale*. Quod quidem „ contingit, quando delectationi gulæ inhæret ho„ mo tanquam fini, propter quem Deum conte„ mnit, paratus ſcilicet contra præcepta Dei age„ re, ut delectationibus hujuſmodi fruatur “.

„ Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio „ concupiſcentiæ tantum ſecundum ea, quæ ſunt „ ad finem, utpote quia nimis concupiſcit dele„ ctationes ciborum, non tamen ita, quod propter „ hoc faceret aliquid contra legem Dei; eſt pec„ catum veniale “.

Ex hac doctrina manifeſtum eſt, *gulam* etiam ab ebrietate (de qua quæſt. ſequenti agit S. Thomas) ſejunctam, prout videlicet conſiſtit in ſola concupiſcentia cibi, vel potus inordinata, quandoque eſſe *peccatum mortale*; cum ſcilicet *tollit ordinem rationis ad ipſum finem*, ſeu avertit a Deo: quandoque autem *veniale*; cum ſcilicet inordinatio reſpicit ea, quæ ſunt ad finem, ſeu fini non proportionata; veluti cum aliquis delectationes ciborum nimis equidem concupiſcit, ita tamen, quod propter eas nullum crimen committere vellet.

III. Porro idcirco in priore caſu *gula* peccatum lethale eſt; quoniam tunc aut formaliter, & directe, aut interpretative, & indirecte conſtituitur finis ultimus in delectatione cibi, & potus: *formaliter* quidem, & *directe*, veluti ponitur ab iis, de quibus *ad Philip.* 3. dicitur: *Quorum Deus venter eſt*; quia nimirum propter delectationem ventris omnia faciunt, quærentes delicias ciborum, & potuum ſupra cætera alia; ac de iis dicitur etiam ad Rom. 16. *Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri*. *Interpretative* vero, aut *indirecte* collocatur ab illis, qui malunt committere crimen aliquod, aut omittere, quod gravi præcepto præſtare tenentur, potius, quam ſuæ gulæ non ſatisfacere; ut ſi quis ſibi inferat, vel aliis grave detrimentum in corpore, vel in rebus exterioribus ob alicujus alimenti ſumptionem, aut ſi ob idem motivum graviter deſit in obeundo officio ſuo, dum ex juſtitiæ lege obſtringitur, aut etiam violet Eccleſiæ præceptum. Atque de his intelliguntur verba illa Chriſti Domini apud Luc. cap. 21. *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra crapula, & ebrietate*; ſicut & illud *ad Rom.* 13. ubi inter opera tenebrarum recenſentur *comeſſationes*, & *ebrietates*; quæ etiam recenſentur inter opera carnis ad Galat. 5. *quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur*.

§. II.

De quinque ſpeciebus Gulæ hoc verſiculo contentis:
Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

IV. Has ſpecies, ſive modos gulæ primum diſtinxit S. Gregorius Magnus *lib.* 30. *Moral. cap.* 13. his verbis: „ Quinque modis nos gulæ vitium ten„ tat. Aliquando namque indigentiæ tempora *præ„ venit*: aliquando *lautiores* cibos quærit: aliquan„ do, quæ ſumenda ſunt, præparari *accuratius* ap„ petit: aliquando in ipſa quantitate ſumendi „ *menſuram* refectionis *excedit*: aliquando ipſo *æſtu* „ immenſi *deſiderii* aliquis peccat “. Hanc autem diſtinctionem adoptans S. Thomas hic *art.* 4. ſic illam illuſtrat.

„ Gula importat inordinatam concupiſcentiam „ edendi (ſicut & bibendi). In eſu autem duo „ conſiderantur, ſcilicet ipſe *cibus*, qui comedi„ tur, & ejus *comeſtio*. Poteſt ergo inordinatio „ concupiſcentiæ attendi dupliciter. Uno qui„ dem modo, quantum ad ipſum *cibum*, qui ſu„ mitur: & ſic, quantum ad ſubſtantiam, vel „ ſpeciem cibi, quærit aliquis cibos *lautos*, ideſt „ pretioſos: quantum ad qualitatem quærit cibos „ *nimis accurate præparatos*, ideſt *ſtudioſe*: quan„ tum autem ad quantitatem, excedit *nimis* in „ edendo “.

„ Alio vero modo attenditur inordinatio concu„ piſcentiæ quantum ad ipſam *ſumptionem*, vel „ quia *propere*; vel quia non ſervat *modum debi„ tum* in edendo, quod eſt *ardenter*. Iſidorus „ vero comprehendit primum, & ſecundum ſub „ uno dicens: quod guloſus excedit in cibo ſe„ cundum *quid*, *quantum*, *quomodo*, & *quan„ do* “.

V. Circa autem has ſpecies, aut modos gulæ tria animadvertas; primo nempe omnes, & ſingulas propoſitas gulæ ſpecies abſque *ebrietate* inveniri poſſe: quod gulæ peccatum latius pateat, quam ebrietas.

Alterum, has gulæ ſpecies mutuo poſſe conjungi, adeo ut in unum eumdemque gulæ actum plures earum, quin & omnes concurrant. Quoties vero *ſecunda* ex his, aut *quinta* conditio concurrit cum *tertia*, ſive in cibo, & potu ſimul, ſive in alterutro tantum, videtur eſſe *comeſſatio*, quam Sacræ Litteræ ſpecialiter damnant.

Tertium, ſumere cibum, aut potum delicatum, aut accuratius paratum, non eſſe ex ſe peccatum. Contingere quippe poteſt, quod vel ſanitatis gratia id fieri oporteat, vel quod non alia, quam ejuſmodi alimenta præbeantur. Quare ſolum tunc peccatum eſt, quando hæc in cibo, & potu ultra rectæ rationis regulam appetuntur. *Neque enim*, ut ait S. Gregorius loco laudato cap. 27. *cibus, ſed appetitus in vitio eſt*; dum ſcilicet eſt inordinatus. *Unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus*.

VI. At non abs re, quin potius utillimum erit hic afferre expoſitionem, quam habet Magnus S. Archiepiſcopus Antoninus de quinque modis memoratis *p.* 2. *tit.* 6. *c.* 1. licet eos ordine aliquantulum inverſo expendat. Primo ſiquidem ponit *exceſſum in quantitate*; atque ita diſſerit: „ Pri„ ma ſpecies gulæ, ſeu modus, eſt nimis come„ dere, vel etiam bibere . . . . Cum autem ita „ exceditur in quantitate, ut incurratur ebrietas, „ illud eſt unum vitium ſpeciale, de quo dice„ tur infra. Cum vero bibitur ultra debitum, ſed „ citra ebrietatem, pertinet ad hanc ſpeciem gu„ læ. Et perpetrari poteſt iſtud vitium ita circa „ viliſſimos cibos, & potus, ſicut circa delicatos, „ & pretioſos. Unde dicitur Ezech. 16. *Hæc fuit „ iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſaturitas panis, & „ aquæ*. De quantitate autem cibi, & potus „ non poteſt dari una certa regula omnibus ſecun„ dum eamdem menſuram, ſed plus, & minus exi-

„ gi-

„ gitur ſecundum varietatem complexionum, & „ fatigationum. Unus etiam, & idem plus indi- „ get uno tempore, quam alio ſecundum diſpoſi- „ tionem ſui corporis...... Tantum ergo poteſt „ quis comedere, & bibere, quantum credit ſe in- „ digere ad ſuſtentationem, & executionem eo- „ rum, quæ ſibi incumbunt agenda, ita ut non „ uſque ad nauſeam ſumat, ſed cum aliquali ad- „ huc appetitu finem faciat. Cum autem ex dele- „ ctatione cibi, vel potus plus ſumit, quam ſibi „ dictat conſcientia opportunum, tunc peccat, & „ de crapula carnis privii, ex his, quæ habentur „ *diſtinct.* 4. cum Gloſſa, videtur ibi eſſe morta- „ le "; intellige, ſi nimium exceſſerit, ut poſtea conſtabit.

Pergit ſubinde Sanctus Archiepiſcopus ad alias explicandas gulæ ſpecies; & ait: „ Secunda ſpecies „ eſt comedere cibos nimis delicatos propter dele- „ ctationem, ut capones, phaſianos, perdices &c., „ vina ſolemnia &c. Si tamen utatur cibariis de- „ licatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc „ exigentem, aut generis nobilitatem, ut Prin- „ ceps, aut temporis congruitatem, ut in nuptiis, „ & conviviis diſcretis, poteſt eſſe hoc abſque pec- „ cato ".

Exemplum habetur in S. Thoma Cantuarienſi, de quo refertur in ejus Vita, quod „ ei in menſa „ multa quidem afferebantur, & varia, ſed inter „ plurima ad eſum proprium pauca retinebat: & „ ea, quibus ipſe utebatur, & delicatiora qui- „ dem, & pretioſiora erant .... Unde cum unus „ juſtorum talium ſuper hoc inter diſcumbendum „ ſemel quaſi ſubridens notaret Pontificem, ali- „ quantiſper zelo motus Pontifex ſic ei reſpondit: „ *Certe, frater, niſi fallor, cum aviditate majori* „ *tu tuam ſumis fabam, quam ego appoſitam mihi* „ *phaſidem*. Nec enim refert, ut tradunt anima- „ rum Medici Patres Orthodoxi, quid, quantum- „ ve quis ſumat, ſi ſolum neceſſitatis, & valetu- „ dinis ſuæ, non voluptatis indulgeat. Pontifex „ igitur, qui groſſiora non poterat, utpote mini- „ me enutritus in his, deliciosa quidem, ſed par- „ ce admodum ſumebat, & ſobrie &c. Unde S. „ Auguſtinus *lib.* 3. *de Doctr. Chriſt.* cap. 10. *Fieri* „ *poteſt, ut ſine aliquo vitio cupidinis, vel voraci-* „ *tatis pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur; inſipiens* „ *autem fœdiſſima gulæ flamma in viliſſimum olus* „ *ardeſcat* ".

„ Tertia ſpecies gulæ (ſequitur S. Antoninus) „ eſt ponere nimis de tempore, & cura (ideſt ni- „ mium temporis, & curæ impendere) ad præpa- „ randos cibos, ut magis delectent.... Et præci- „ pue in hoc ſolent delinquere divites, & etiam „ Prelati Eccleſiæ. Unde Alanus *de planctu naturæ* „ ait: *Hodie gulæ vitium profundius ſe porrigit in* „ *Dominos, & Prælatos, qui ſalmones, lucios,* „ *cæteroſque piſces æquipollenti generoſitati inſi-* „ *gnes, variis decoctionum cruciant martyriis, bal-* „ *neantes officio ſacri piperis fonte baptizant, ut* „ *multiformis ſaporis gratiam conſequantur; alius* „ *Miniſtrorum contundit, colat alius, & confi-* „ *cit, ſubſtantiam vertit in accidentia, naturam* „ *mutat in artem*: Hæc ille. Sed magnam con- „ ſcientiam ſibi debent facere tales de tanto „ tempore, quod amittunt, & faciunt amitte- „ re miniſtros pro hujuſmodi præparatione, & „ expenſis ſuperfluis, quibus deberent paupe- „ ribus ſubvenire ". Grave namque peccatum facile eſſe poteſt, expenſas notabiliter ſuperfluas in iſtis facere, ubi tot Chriſti membra pane indigent.

„ Quarta gulæ ſpecies eſt *nimis ardenter*, ſeu ni- „ mia aviditate cibum, vel potum ſumere. Ad „ quod pertinere videtur comedere nimis rapaci- „ ter, & feſtinanter. Et licet quidam habeant a „ naturali conditione, vel aſſuefactione tamen „ corpori nocet...... Et cum procedit ex in- „ ordinato appetitu delectationis, gulæ pecca- „ tum eſt "; quod tamen ex ſe non niſi veniale eſt.

Poſtrema tandem gulæ ſpecies tunc habetur, cum non ſervatur comedendi, bibendique tempus, quaſi qualibet hora abſque regula comedere quis, aut bibere vellet; quod argumento eſt quæſitæ potius in cibo, & potu voluptatis, quam neceſſitatis. Id enim non prodeſt valetudini, ob quam comedere oportet, ſed potius officit. „ Nec hoc facientes, „ *inquit S. Antoninus*, ſani vivere poſſunt (cum „ ponant indigeſtum ſuper indigeſtum; unde mali „ humores generantur, & caput etiam fumoſitati- „ bus eſt gravatum, & male aptum ad ſpiritualia). „ Et hoc niſi magnus labor excuſet, ut laboran- „ tes in agris, viatores, pueri, dum ſunt in aug- „ mento ".

§. III.

De Gula, prout vitio capitali, ac de filiabus ejus.

VII. Gulam vitium eſſe *capitale*, principio ſæpe alias propoſito, ac proponendo probat Præceptor Angelicus *art.* 5. hujus *quæſt.* 148. quod ſcilicet, „ vitium *capitale* dicitur, ex quo alia vitia „ oriuntur ſecundum rationem cauſæ finalis, in „ quantum videlicet habet finem multum appe- „ tibilem: unde ex ejus appetitu homines pro- „ vocantur multipliciter ad peccandum. Ex „ hoc autem aliquis finis redditur multum ap- „ petibilis, quod habet aliquam de conditio- „ nibus felicitatis, quæ eſt naturaliter appetibi- „ lis ".

„ Pertinet autem ad rationem felicitatis delecta- „ tio. Et ideo vitium gulæ, quod eſt circa delecta- „ tiones tactus (in ordine aliquo determinato), „ quæ ſunt præcipuæ inter alias, convenienter po- „ nitur inter vitia capitalia ".

Porro vitia, quæ oriuntur ex gula, & tamquam filiæ ipſius reputantur, quinque enumerat *art.* 6. nimirum *ineptam lætitiam*, *ſcurrilitatem*, *immunditiam*, *multiloquium*, & *hebetudinem mentis circa intelligentiam*. De quibus pauca curſim ex eodem S. Thoma.

De inepta lætitia.

VIII. Prima itaque Gulæ filia eſt *inepta letitia*: ea nempe, quæ percipitur ex rebus, quæ nullam, ſi recta ratio conſulatur, parere delectationem poſſunt; vel, ſi aliquam afferre valent, in eam diſ-

diſſoluto prorſus animo hoc eſt rationis gubernaculo per cibi, ac potus immoderationem veluti ſopito, aliquis effunditur. Ad hanc lætitiam jocandi genus pertinet illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum; cum ſcilicet aliquis ludendi cauſa verbis, vel factis turpibus utitur, vel etiam quæ in proximi nocumentum vergunt. Pertinent quoque choreæ diſſolutæ, tripudia, motus incompoſiti, & laſcivi, qui ſigna ſunt intemperantis hilaritatis. Pertinet pariter vanitas hiſtrionum, larvatorum, hominumque ad parum ingenuam voluptatem vel cantu, vel manu, vel aliis geſticulationibus prævocantium.

Hujuſmodi pravos effectus ex immoderato præſertim vini potu profluentes deſcribit S. Baſilius Magnus hom. *in ebriet. & luxum*: „ Rationem, „ inquit, & mentem vinum demergit: voluptates, & animi cæteros affectus malos velut apum „ examen excitat. Quis currus equorum indomitorum ita præceps fertur, aurigam ſuum excutiens? Quod navigium ita gubernatore deſtitutum, ita fluctibus exagitatum, & concuſſum? „ Ex talibus, itaque malis viri, & fœminæ communes conſtituentes choros maloque Dæmoni „ miſere tradentes animas, ſeſe invicem libidinum „ telis confodiunt, atque lacerant. Riſus inter ſe „ hiſtrionicos, cantus probroſos, meretricios geſtus ad libidinem invitantes exercent . . . Quas „ ego fleam, puellaſne conjugii expertes, an maritis junctas? Hæ quidem amiſſa virginitate reverſæ ſunt: illæ vero pudicitiam maritis minime reduxerunt. Nam ſiquæ forſan peccatum „ corpore vitavere, animo tamen admiſere: quæ „ quidem & de viris dicta mihi, monitaque „ ſint . . . . . Si fortuiti occurſus iis, qui obiter mulierculam inſpexerunt, tantum pariunt „ periculi; quanto majus fuerit, cum de induſtria congrediuntur, cum dedita opera mulieres in ebrietate, & convivio, & omni laſcivo geſtu, ſaltatione, cantu impudico ad „ libidinem effrænes juvenes invitantes ſpectantur“? Quorum pleraque ſunt peccata mortalia.

De Scurrilitate.

IX. Nomine *ſcurrilitatis*, de qua aliqua ſupra dicta ſunt, intelligitur hic a S. Thoma „ jocularitas „ quædam proveniens ex defectu rationis, quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus. Unde ad Epheſ. 5. ſuper illud, aut ſtultiloquium, aut ſcurrillitas, dicit Gloſſa, quod a ſtultis *Curialitas* dicitur, ideſt jocularitas, quæ riſum movere ſolet; quamvis „ poſſit utrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare vel ratione ſuperfluitatis, „ quod pertinet ad *multiloquium*, vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad *ſcurrilitatem*“.

Hinc definiri ſcurrilitas poteſt *immoderatio in jocis, & facetiis, aut in ſtudio commovendi alios ad riſum*. Veniale plerumque peccatum eſt, cum perſonarum quidem decorum non ſervatur, ſed ſcandalum abeſt, & prava intentio. Interdum tamen lethale poteſt eſſe peccatum ratione materiæ, ſive objecti, ſi jocus redundet in gravem Dei, aut Religionis, aut proximorum injuriam, aut obſcœnus ſit, & ad libidinem provocet. Unde *ad Epheſ.* 5. inter peccata a Chriſtianis fugienda ſpecialis mentio fit de *ſcurrilitate*.

De hoc præſertim vitio verba faciens S. Joan. Chryſoſt. *hom.* 17. *in Epiſt. ad Epheſ.* hæc habet inter alia; & eos, qui nimium *in ſcurrilitatibus*, ut multi ſunt, tempus conſumunt, ita monet, ac terret. „ Tu in dictis urbanis, & facetis tempus teris. Quis athleta ſtadium ingreſſus, miſſa ſolicitudine decertandi cum adverſario, urbana verba loquitur, & faceta? Inſtat Diabolus, circuit quærens, ut rapiat, omnia movet, „ & in caput tuum vertit, omnia molitur, ut te „ e nido dejiciat, dentibus ſtridet, rugit, ignem „ ſpirat adverſus tuam ſalutem: & tu ſedes urbana, & faceta verba dicens, & ſtulta loquens, „ & quæ ad rem non pertinent, proferens? Recte ergo poteris eum ſuperare? Ludis, deliciaris, facetaque, & urbana dicis, & riſum „ moves, remque nihil exiſtimas? A lepidis, „ & urbanis dictis quot perjuria, quot damna, „ quam multa verba turpia, & obſcœna? &c.... „ Sed quoniam videtur quibuſdam res eſſe indifferens (ejuſmodi ſcurrilitas) . . . videamus, unde naſcatur; vel potius videamus, cujuſmodi „ oportet eſſe ſanctum, mitem, manſuetum, lugentem. Qui ergo dicit urbana, & faceta, non „ eſt ſanctus. Iis ſolis, qui ſunt in ſcena, hæc „ permittuntur. Ubi eſt turpitudo, illic eſt etiam urbanitas, & dicacitas. Audi Prophetam dicentem: *Servite Domino in timore, & exultate* „ *ei in tremore*. Nam urbanitas, & dicacitas mollem efficit animam, pigramque attollit, & excitat, multaque probra parturit, & contumelias, & bella facit . . . . Procul eſt a Chriſtiano „ comicis dictis inceſſere: & neceſſe eſt ei, qui „ urbanis, & facetis dictis utitur, ſupervacaneas „ ſuſcipere inimicitias eorum, qui temere urbanis dicteriis irridentur, ſive adſint, ſive abſentes audierint. Si res eſt pulchra, & honeſta, „ cur relinquitur mimis? Mimus evadis, & te „ non pudet? Magna mala habitant in anima, quæ verba uſurpat urbana, & faceta: magna effuſæ lætitiæ diſſolutio & ironia“ &c.

De Immunditia.

X. Non hic nomine *immunditiæ*, quæ tertia gulæ filia eſt, venit determinate *mollities*, aut *pollutio*; ſed impuritas omnis verborum, & factorum, omnis obſcœnitas, qua vel per vomitum, vel pollutionem etiam in ſomno ex intemperantia conſecutam corpus, & anima helluonum, ac potantium contaminantur. Quo ſpectat illud Iſaiæ cap. 28. *Hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt. Sacerdos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt a vino. Omnes menſæ eorum repletæ ſunt vomitu, ſordiumque, ita ut non eſſet ultra locus*. Has immunditias cernere ſæpe eſt in conviviis, & in compotationibus vulgarium hominum, eorumque maxime, qui feriales dies in laborando conſumpſerint, feſtos poſtea in edendo, & bibendo terere ſolent.

De

De Multiloquio.

XI. Multiloquium, quod eſt quarta gulæ filia, idem eſt, ac garrulitas effrænis. Ex ea progigni teſtis eſt experientia nobis oſtendens, cibo, & vino deditos maxime eſſe loquaces, & garrulos. Quoniam vero, ut Sapiens ait: *In multiloquio non deerit peccatum*, ideo ſæpe peccant hi, dum multa loquuntur, & quandoque etiam lethaliter, ſi nimirum in Dei, aut proximorum injuriam effunduntur, quod illis cibo, & potu exhilaratis contingere ſolet: arcana etiam ſibi commiſſa revelant, præſentes contumeliis afficiunt, abſentibus frequenter detrahunt, ac de rebus quoque divinis temere, & impie loquuntur. Unde iis jure aptantur verba Pſal. 72. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis: cogitaverunt, & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo loquuti ſunt: poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terram.* Hinc *Proverb.* 31. dicitur: *Noli Regibus* (atque ita Conſiliariis, aliiſque) *dare vinum; quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas: & ne forte bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſas filiorum pauperis.*

De Hebetudine mentis.

XII. Hæc poſtrema filia gulæ eſt, quamvis de ea primo loco mentionem faciat S. Thomas. *Hebetudo mentis circa intelligentiam*, inquit, *ponitur filia gulæ propter fumoſitates ciborum perturbantes caput: ſicut e contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem, ſecundum illud Eccleſ. 2. Cogitavi in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam.* Profecto crapula, & ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut hominem ineptum efficiant ad contemplationem veritatis, & ad eas omnes actiones, quæ ingenii, rationis, ac prudentiæ lucem, ac moderamen magis exigunt; Deique etiam oblivionem inducant.

De hac re præſtat audire Tertullianum *lib. de jejun. cap.* 4. ita ſcribentem: „ Conſcientiam communem conſulamus: ipſa natura enunciabit, „ quales nos ante pabulum, & potum in virgine „ adhuc ſaliva exhibere conſuevit rebus duntaxat „ ſenſus agendis, quo divina tractantur, ſi multo „ pollentioris mentis, ſi multo vivacioris cordis, „ quam cum totum illud domicilium interioris „ hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis jam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo tamen nihil „ tam in proximo ſuperſit, quam ad laſciviam „ ſapere ... Cæterum quotuſquiſque meminerit Religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis ſapientiæ membris? Nemo ita, ut decet, ita ut „ par eſt, ita ut utile eſt, recordabitur Dei in eo „ tempore, in quo ipſum ſibi hominem excidere „ ſolemne eſt. Omnem diſciplinam victus aut occidit, aut vulnerat. Mentior, ſi non Dominus „ ipſe oblivionem ſui exprobrans Iſraeli, cauſam „ plenitudini deputat: *Incraſſatus eſt dilectus, & pinguefactus, & dilatatus eſt: & dereliquit Deum, qui fecit eum, & receſſit a Domino ſalutari ſuo* “.

Illud eſt hic obſervandum, *hebetudinem mentis* nedum pœnam eſſe peccati, ſed & ipſam peccatum eſſe, prout eſt voluntaria, ut in is, qui ſcientes, & avertentes, aut ad avertendum obligati, in eam hebetudinem incurrunt: quod certe in multis locum habet, & in omnibus, qui cernentes, aut cernere debentes ſe ex nimio cibo, vel potu hebetari, nihilominus ab eorum delectatione abſtracti, & illecti in illis perſeverant. Hoc autem peccatum eſt lethale, cum aliquis ex inordinato affectu ad crapulam faſtidit, ac negligit conſiderationem ſpiritualium eo tempore, quo ſub ſalutis periculo adſtringitur; vel cum ineptus redditur ad ea officia obeunda ſive Civilia, ſive Eccleſiaſtica, quæ adimplere tenetur, ex. gr. Judicis, Advocati, Medici, Curati, Confeſſarii, aliorumve.

§. IV.

De Ebrietate.

XIII. Quamquam nedum nimia vini potatio, ſed etiam *ebrietas* ad gulæ vitium pertineat, peculiarem tamen de ebrietate quæſtionem inſtituit S. Thomas, cui aliam præmittit de virtute ipſi oppoſita, nimirum de *ſobrietate*, quæ, prout preſſe ſumitur, *in moderando uſu potus, & quidem quatenus vim habet inebriandi*, verſatur. Vinum quippe minime prohiberi neque a lege naturæ, neque ab aliqua lege poſitiva certiſſimum eſt; tum quia nihil habet in ſe, quod rectæ rationi adverſetur; tum quia Apoſtolus Timotheo ſuadet, *ut modico vino utatur propter ſtomachum, & frequentes infirmitates*: & ipſe Chriſtus Dominus non modo generatim dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*; verum etiam exemplo ſuo uſum vini licitum eſſe docuit: eo namque uſum fuiſſe ex Evangeliis compertum eſt.

Sola igitur *ebrietas*, ſive uſus vini uſque ad ebrietatem, vitium eſt, & quidem admodum vituperabile. Unde hæc eſſe poteſt, ſi de perfecta loquamur, ipſius definitio; nimirum, *Ebrietas eſt voluntarius exceſſus in potu, ſive voluntaria potatio uſque ad privationem uſus rationis*; ſive ſit vini, prout frequentius eſt, ſive alterius liquoris, puta cereviſiæ, ſuccus pomorum, aut aliarum arborum, ſeu fructuum.

Ebrietatem eſſe peccatum oſtendit Doctor Angelicus hic *quæſt.* 150. *art.* 1., ſimulque declarat, quo ſenſu, & quoties peccatum ſit, inquiens: „ Ebrietas dupliciter poteſt accipi. Uno modo prout ſignificat ipſum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato: ex quo fit, ut non „ ſit compos rationis. Et ſecundum hoc ebrietas „ non nominat culpam, ſed defectum pœnalem „ conſequentem ex culpa “.

„ Alio modo ebrietas poteſt nominare actum, „ quo quis in hunc defectum incidit. Qui poteſt „ cauſare ebrietatem dupliciter: uno modo ex „ nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis; & ſic etiam ebrietas poteſt accidere

„ ſine

„ ſine peccato, præcipue ſi non ex negligentia ho-„ minis contingat: & ſic creditur Noe inebriatus „ fuiſſe, ut legitur Geneſ. 9. “.

„ Alio modo ex inordinata concupiſcentia, & „ uſu vini. Et ſic ebrietas ponitur eſſe pecca-„ tum, & continetur ſub gula, ſicut ſpecies ſub „ genere. Dividitur enim gula *in comeſſationem*, „ *&* *ebrietatem*, quæ prohibet Apoſt. ad Rom. „ 13. “.

XIV. Nec ſolum quodcumque peccatum ebrietas eſt, ſed etiam lethale, quotieſcumque aliquis bibit advertens, potum eſſe immoderatum, & inebriantem, & tamen potius quam a vino abſtinere, bibere pergit uſque ad ebrietatem. Ratio eſt, inquit S. Thomas hic *art.* 2., quia *ſecundum hoc homo volens*, *&* *ſciens privat ſe uſu rationis*, *quo ſecundum virtutem operatur*, *&* *peccata declinat*; *&* *ſic peccat mortaliter*, *periculo peccandi ſe committens*. Di-„ cit enim Ambroſius *in lib. de Patriarchis*: „ Vi-„ tandam diſcimus ebrietatem, per quam vitia „ cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrie ca-„ vemus, per ebrietatem ignorantes committi-„ mus “. *Unde ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale*.

Fundamentum itaque præcipuum, cur ebrietas ſit ex ſe peccatum lethale, in eo poſitum eſt, quod uſum rationis violenter auferat, qua nihil eſt in homine præſtantius: & conſequenter ita perturbat vitam hominis, ut ea gravibus animæ, corporiſque periculis exponatur. Quemadmodum enim qui alterum privat libero uſu domus ſuæ, etiam ad aliquod tempus, injuriam ipſi facit, ac mortaliter peccat; ita multo magis peccare dicendus eſt, qui ſeipſum per violentiam privat, etiam ad tempus, libero rationis uſu, ſibi infert injuriam contra charitatem, quam ſibi ipſi debet.

XV. Præterea ab Apoſtolo *ad Galat.* 5. ebrietas inter ea opera recenſentur, quæ a Regno Dei excludunt, dum ait: *Manifeſta ſunt opera carnis &c. homicidia*, *ebrietates*, *comeſſationes*, *&* *his ſimilia*, *quæ prædico vobis*, *ſicut prædixi*: *quoniam qui talia agunt*, *regnum Dei non conſequentur*. Et Salomon Proverb. 23. *Cui væ?* ... *Nonne his*, *qui* ... *ſtudent calicibus epotandis?* .... *Vinum ingreditur blande*, *ſed in noviſſimo mordebit ut coluber*. Et id genus alia.

Patres etiam Eccleſiæ in ebrietatis vitium acriter invehuntur, ejuſque fœditatem dignitati hominis admodum repugnantem exaggerant. Inter alios Baſilius Magnus *hom.* 14. ita ſcribit: „ Qua „ in re, dic, homo miſer, a brutis differs? Non-„ ne rationis munere, quam a Deo omnium Con-„ ditore accepiſti; reliquæ Creaturæ omnis factus „ dominus, & imperator? Hoc igitur te mentis „ lumine per ebrietatem privans, inter beſtias ra-„ tione carentes annumerari poteris, ſimiliſque vi-„ deri? Immo & beſtiis longe pejores eos exiſti-„ maverim, qui ab ebrietate ſuperantur: quum „ illæ coeundi ſtatas habeant leges, & horas; at „ ii, quod plus æquo ſe vino ingurgitaverint, „ corpuſque ſupervacuo calore concitaverint, in „ commiſcendo nullius temporis, & horæ ratio-„ nem habentes, nequiſſimis complexibus, & amo-„ ribus inter ſe utuntur. Nec ſolum pejores bru-„ tis, quod mente inſani, aut ebrii; ſed etiam „ quod ſenſibus longe infra illa deficere videan-„ tur “. Gemina habent S. Ambroſius *lib. de Helia*, *&* *jejunio c.* 16., Chryſoſt. *hom.* 58. *in Matth.*, Auguſt. *ſerm.* 231. *de tempore*, aliique.

XVI. At vero, inquires, excuſatur ne, & excuſat ebrietas aliquando a peccato? Quæſtionem hanc movet S. Thomas *art.* 5., eamque ita reſolvit: „ In ebrietate duo attenduntur; ſcilicet *defectus* „ *conſequens*, *&* *actus præcedens*. Ex parte au-„ tem defectus conſequentis, in quo ligatur uſus „ rationis, ebrietas habet excuſare a peccato, in „ quantum cauſat involuntarium per ignoran-„ tiam “.

„ Sed ex parte actus præcedentis, videtur eſſe „ diſtinguendum. Quia ſi ex actu illo præcedente „ ſubſequuta eſt ebrietas ſine peccato, tunc pecca-„ tum ſequens totaliter excuſatur a culpa, ſicut „ forte accidit de Loth “.

„ Si autem actus præcedens fuit culpabilis, ſic „ non totaliter aliquis excuſatur a peccato ſequenti: „ quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate „ præcedentis actus; in quantum ſcilicet aliquis „ dans operam rei illicitæ incidit in ſequens pec-„ catum “.

„ Diminuitur tamen peccatum ſequens, ſicut & „ diminuitur ratio voluntarii. Unde Auguſtinus „ dicit contra Fauſtum, quod *Loth culpandus eſt*, „ *non quantum ille inceſtus*, ſed quantum ebrietas „ meruit “.

Igitur ſi ebrietas ſit voluntaria, & culpabilis, peccatum, quod ex ea committitur, aliquatenus diminui poteſt quatenus nimirum non ita plene voluntarium eſt, ſicut dum a rationis uſu prædito perpetratur, ſi neque ex genere ſuo, neque ex peccantis conſuetudine natum erat ex ebrietate conſequi. Verumtamen ordinarie non penitus excuſatur. Sed ſi ebrietas directe voluntaria ſit, & peccatum ex ea conſequens fuerit perfecte præviſum, illud augetur potius, quam ullatenus excuſetur; ut in eo contingit, qui bene novit ſe in ebrietate ſolere fornicari, convicia, aut blaſphemias proferre: & nihilominus de induſtria ſe inebriat. Si autem peccatum imperfecte duntaxat præviſum fuerit, vel ebrietas indirecte tantum voluntaria ſit; diminuitur quidem peccatum ex ea commiſſum, ſed non ita, ut veniale ſemper fiat, quod eſt mortale, dum ſufficienter in cauſa volitum eſt. Dixi tamen, *ordinarie* non excuſari actionem malam conſecutam ex ebrietate. Siquidem ſi contingeret nullo prorſus modo præviſam fuiſſe, neque prævideri potuiſſe, utpote omnino inuſitatam, & cujus nulla ſuberat cauſa illam prævidendi, ad peccatum nequaquam imputaretur; neque enim vel imperfecte voluntaria foret. Atque hac ratione Loth a peccato ſaltem inceſtus excuſatur: quî enim prævidere poterat id, quod cum ipſo filiæ ejus patraturæ fuerant in ebrietate?

XVII. Controverſia fervet inter Theologos, & magna quidem animorum contentione, ſcilicet *licita ne ſit ebrietas ad finem recuperandæ ſalutis*, aliis affirmantibus, negantibus alis. Sed cum caſus metaphyſicus ſit, nullumque hacte-

nus

nus Medicorum invenerim, qui ebrietatem ad ſalutem aliquando neceſſariam judicaverit, ideo nolo tempus, & operam perdere in diſcutienda ſuperflua, & inutili quæſtione; ſolumque aſſero, licere ſecundum Medicinæ conſilium ſumere interdum vinum in ea quantitate, quæ ad vomitum provocandum ſufficiat, licet ex accidente ebrietas ſequeretur: idque diſerte tradit S. Thomas *quæſt.* 150. *art.* 2. *ad* 3. Cum enim ſibi objeciſſet, *nullum peccatum faciendum eſſe propter medicinam: ſed aliqui ſuperflue bibunt ſecundum conſilium medicinæ, ut poſtea per vomitum purgentur; & ex hoc ſuperfluo potu ſequitur ebrietas.*

Reſpondet: „ Sicut dictum eſt, cibus & potus „ eſt moderandus, ſecundum quod competit cor- „ poris valetudini, & ideo, ſicut quandoque con- „ tingit, ut cibus & potus, qui eſt moderatus „ ſano, ſit ſuperfluus infirmo; ita etiam poteſt e „ converſo contingere, ut ille, qui eſt ſuper- „ fluus ſano, ſit moderatus infirmo. Et hoc mo- „ do, cum aliquis multum comedit, vel bibit „ ſecundum conſilium medicinæ ad vomitum pro- „ vocandum, non eſt reputandus ſuperfluus ci- „ bus, vel potus “.

Sapienter nihilo ſecius addit S. Doctor: „ Nec „ tamen ad vomitum provocandum requiritur, „ quod ſit potus inebrians: quia etiam potus a- „ quæ tepidæ vomitum cauſat: & ideo propter „ hanc cauſam non excuſatur aliquis ab ebrieta- „ te “. Ex quo confirmatur id, quod notavimus, ſupervacaneam eſſe quæſtionem, num ad ſalutem obtinendam ebrietas poſſit eſſe quandoque licita, cum nunquam ita neceſſaria ſit, aut cenſeri poſſit, ut aliis pluribus remediis ſuppleri nequeat.

CAPUT NONUM.

Doctrinæ præcedentis

CONSECTARIA.

I. *Menſura cibi, & potus regulanda juxta cujuſque neceſſitatem, & conditionem.*
II. *Magna cautio adhibenda in uſu ciborum, & potuum, ut peccata vitemus.*
III. *Dum finem in delectatione homo conſtituit, appetitus edendi, ac bibendi ſemper pravus eſt.*
IV. *Lethale peccatum eſt ſe cibo, & potu ingurgitare uſque ad vomitum.*
V. *Nullum tamen, vel leve peccatum eſt, ſi vomitus alio ex capite contingat.*
VI. *Convivia quandoque facere licet ex honeſta cauſa.*
VII. *Sed neque vetitum eſt ſumere aliquando cibos delicatiores.*
VIII. *Studio ſingulari vitanda crapula eſt ab iis, quibus cura incumbit alios vel regendi, vel docendi.*
IX. *Scurrilitas verbis, aut ſententiis Scripturæ habita grave plerumque peccatum eſt.*
X. *Vini uſus de ſe quidem licitus eſt, ſed per accidens fieri poteſt illicitus.*
XI. *Sobrietas in uſu vini quibuſdam præſertim valde neceſſaria.*
XII. *Vinolentia, & ebrietas Clericorum gravius peccatum eſt, graviorique pœna plectendum.*
XIII. *Grave peccatum eſt certare de majori vini copia bibenda.*
XIV. *A peccato excuſandus, qui alium non cogit, ſed amice tantum ad bibendum invitat.*
XV. *Peccant Tabernarii vinum miniſtrantes iis, quos prævident inebriandos.*
XVI. *Definitio ebrietatis a Buſembaum tradita nullatenus approbanda.*
XVII. *Rejicienda alia ejuſdem opinio; haud peccare, qui ad ebrietatem cogitur intento enſe.*
XVIII. *Rejicienda etiam alia ejuſdem, & aliorum ſententia, poſſe aliquem inebriare alium ob grave motivum.*
XIX. *Haud licet ſumere potus quantitatem inebriantem, etiamſi pharmaco impediri ebrietas poſſit.*
XX. *Signa perfectæ, & lethalis ebrietatis a quibuſdam Caſuiſtis tradita probanda non ſunt.*
XXI. *Alia de hac re laxior P. Lacroixii explodenda ſententia.*
XXII. *Regula certa exceſſus in bibendo mortalis præfiniri nequit.*
XXIII. *Quædam doctrina cavenda circa peccata, quæ ex ebrietate ſequuntur.*
XXIV. *Admodum cauti Confeſſarii ſint oportet in abſolvendis vino deditis.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUum finis edendi, & bibendi ſit vita, & valetudo hominis; ideo menſura, aut quantitas cibi, & potus non eſt eadem pro omnibus determinanda, ut gulæ vitium devitetur, ſed prout neceſſitas, aut conditio cujuſque requirit. Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 3. docet, ne quis edendo, aut bibendo a recta ratione deflectat, & peccet, „ cibum & potum eſ- „ ſe moderandum, ſecundum quod competit cor- „ poris valetudini. Et ideo, ſicut quandoque con- „ tingit, ut cibus, vel potus, qui eſt moderatus „ ſano, ſit ſuperfluus infirmo; ita etiam poteſt e „ converſo contingere, ut ille, qui eſt ſuperfluus „ ſano, ſit moderatus infirmo “. Atque ita pariter ſæpe contingit, quod uni alia cibi, vel potus quantitas congrua ſit, quæ alteri congrua non eſt ob diverſam corporis diſpoſitionem.

Conſectarium ſecundum.

II. Magna cautela, atque circumſpectio adhibenda eſt in uſu ciborum, & potuum, ut ab omni peccato caveamus, ſemperque ante oculos habendus eſt finis, propter quem ea ſumenda a nobis ſunt juxta rectæ rationis regulam; conſervatio ſcilicet vitæ noſtræ, & corporis valetudo. Nam ſæpe fit, ut voluptate potius, ac delectatione trahamur, dum moveri neceſſitate putamus. Natura namque, ut eſt in proloquio, *paucis contenta eſt*; & frequenter non neceſſitati, ſed voluptati ſervimus, & nimium, quam par eſt, edendo, vel bibendo, non valetudini ſtudemus, ſed ipſi potius detrimentum inferimus. Gula ſi-

qui-

quidem valde inſidioſum vitium eſt, tegitque delectationem, quam ex cibo, potuque haurimus, neceſſitatis, aut convenientiæ tegmine, ſive prætextu: ad illam quippe maxime propenſa eſt corrupta hominis natura. *Ad peccatum*, inquit S. Thomas q. 150. art. 3. ad 1. cuidam objectioni reſpondens, *intemperantiæ maxime homo habet pronitatem propter hoc, quod hujuſmodi concupiſcentiæ, & delectationes connaturales nobis ſunt. Et ſecundum hoc dicuntur hujuſmodi peccata eſſe maxime amica Diabolo, non quia ſint aliis graviora, ſed quia ſunt apud homines frequentiora.*

Conſectarium Tertium.

III. Quare appetitus edendi, & bibendi ſemper pravus, & inordinatus eſt, dum finem in delectatione, & voluptate homo conſtituit. Hinc tamquam laxa, quin & damnata cenſenda eſt ſententia, quam docuerunt Joannes Sancius, Eſcobarius, Moya, aliique, nimirum licitum eſſe intendere delectationem, quæ capitur ex cibo, vel potu moderato. Dixi, eam quoque damnatam eſſe ab Eccleſia, in Decreto ſcilicet Innocentii XI. num. 8., ubi hæc propoſitio legitur: „ Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui “. Hanc propoſitionem alibi late expendimus, & quid ex ejuſdem damnatione neceſſario conſequatur, demonſtravimus adverſus P. Vivam, alioſque, qui nihilominus alios ſimiles actus ob ſolam delectationem peractos veluti culpa omni immunes defendunt.

Conſectarium Quartum.

IV. Peccatum mortale eſt, ſe cibo & potu deliberate ingurgitare uſque ad vomitum. Hoc conſectarium ex oraculis jam productis Scripturarum, & Patrum ſententiis clariſſime fluit. Merito proinde ab Academia Lovanienſi confixa eſt propudioſa illa nonnullorum Caſuiſtarum doctrina; „ comeſſationem *ſcilicet*, qua quis, ſecluſo ſcandalo, & gravi ſanitatis damno ſe cibo, & potu ingurgitat uſque ad vomitum, ac reipſa uſque ad vomitum ſe provocat, ut iterato epulari poſſit, nonniſi veniale peccatum eſſe “. Hanc opinionem Buſembaum *probabilem* falſo judicat apud Lacroixium dicens: „ Hinc probabilis eſt opinio, quam docet Navarrus, Tol. &c. & non repugnat Laymanus, ſecluſo ſcandalo &c., veniale tantum eſſe uſque ad vomitum ſe cibo, & potu implere: *idque etiam*, ſiquis vomat, ut iterato poſſit bibere “.

Conſectarium Quintum.

V. Si tamen vomitus non ex intemperantia edendi, aut bibendi contingat, ſed alio ex capite, puta ſtomachi debilitate; nullum, vel leve tantum juxta cauſæ qualitatem peccatum eſt. Unde non ex hoc ſolo colligi poteſt eſſe mortale, quod ſequatur vomitus, ut falſo putant quidam ruſtici, & imperiti, ſed ex cauſa ipſius, ſive intemperantia, prout parva, vel magna fuerit; quemadmodum animadvertunt Cajetanus Verbo *Gula*, Navarrus *Cap.* 23. *n.* 119., & Toletus *de ſeptem peccatis mortalibus cap.* 62.

Conſectarium Sextum.

VI. Convivia quandoque facere, ubi cibi lautiores præparantur, cum vel ex amicitia, vel nuptiarum motivo, vel alia honeſta cauſa fiunt, abſolute reprehendi, ac damnari minime poſſunt. Nam & Job permittebat filiis mutua inter ſe agitare convivia: & Joſeph convivium paravit fratribus ſuis, & Abraham Angelis hoſpitibus &c. Si tamen valde frequentia ſint, culpa plerumque non vacant, quæ interdum poteſt eſſe lethalis; ſi nempe ob convivia quis ære alieno gravetur, cui ſolvendo pares haud ſunt facultates domus, ſi miſeriis pauperum, dum tenetur, opem non ferat, aliaque hujuſmodi. Meminiſſe divites debent Divitis illius apud S. Lucam memorati, qui *epulabatur quotidie ſplendide: & mortuus eſt, ac ſepultus in inferno.*

Conſectarium Septimum.

VII. Equidem culpa non caret cibos ob delectationem quærere lautius præparatos, ac juxta morem nonnullorum ita confectos, atque alteratos, ut obſint potius valetudini, quam proſint; nihilominus ſumere cibum delicatiorem, aut accuratius paratum ſive ſanitatis gratia, ſive alia honeſta de cauſa, nullum per ſe loquendo peccatum eſt. Neque enim *cibus*, inquit S. Gregorius Magnus *lib.* 30. *Moral.* cap. 27., *ſed appetitus in vitio eſt*; dum nempe fertur in cibum ſupra rectæ rationis dictamen. *Unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus*. Et exemplum ſubjicit de *Eſau, qui primatum per lenticulam perdidit*; & de *Elia, qui in eremo virtutem ſpiritus carnes edendo ſervavit. Unde & antiquus hoſtis, quia non cibum, ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne, ſed pomo ſubdidit; & ſecundum* (Chriſtum ſcilicet in deſerto) *non carne, ſed pane tentavit. Hinc eſt, quod plerumque culpa committitur, etiam cum abjecta, & vilia ſumuntur.*

Conſectarium Octavum.

VIII. Singulari ſtudio vitanda gula eſt iis omnibus, quibus incumbit cura alios regendi, judicandi, vel docendi. Etenim ii omnes in ſuis officiis, & functionibus ſapientia præſertim indigent, cujus exercitium gula vehementer impedit. Propterea tum ad Epiſcopatum, tum ad Diaconatum Apoſtolus non vult aſſumi *multo vino deditos*, ut habetur *ad Timoth.* 3. Et Sapiens *Eccleſiaſt.* 10. clamat: *Væ terræ, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis eſt, & cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam*. Neque vero putandum eſt, mentis illam

illam hebetudinem, quam *gulæ filiam* diximus, eo duntaxat tempore guloſos afficere, quo in peccato gulæ verſantur. Nam ſi frequentes ſint comeſſationes, ac potationes, ita hebetudo ſæpe menti adhæreſcit, ut in omnem ſubſequentem ætatem protendatur, ac lumen intellectus obnubiletur, ut experientia conſtat.

Conſectarium Nonum.

IX. *Scurrilitas*, quæ inter gulæ *filias* adnumeratur, quamvis plerumque peccatum veniale ſit; mortale tamen eſt abuti Scripturæ Sacræ, aut officiorum Eccleſiaſticorum verbis, ac ſententiis ad *ſcurrilia*, *fabuloſa*, *vana &c.* Unde Concilium Tridentinum eos omnes, qui hanc irreverentiam, & contemptum committunt, tamquam temeratores, & violatores Verbi Dei jubet coerceri pœnis Epiſcoporum arbitrio infligendis *ſeſſ.* 4. inquiens: *Poſt hæc temeritatem illam reprimere volens* (Sancta Synodus) *qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ S. Scripturæ; ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias &c., & libellos etiam famoſos: mandat, & præcipit ad tollendam hujuſmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ ſacra ad hæc, & ſimilia audeat uſurpare; ut omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Epiſcopos coerceantur.* Quod & poſtea ſtatutum eſt in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. ſub S. Carolo, & in aliis.

Conſectarium Decimum.

X. Quamquam uſus vini de ſe illicitus nequaquam ſit; & tamquam hæreſis exploſa merito fuerit opinio Manichæorum, putantium vinum eſſe malum, & a Diabolo factum; nihilominus illicitus *per accidens* effici poteſt: *Quandoque quidem*, inquit Sanctus Thomas quæſt. 149. artic. 3., *ex conditione bibentis; quia vino de facili læditur: vel quia ex ſpeciali voto obligatur ad vinum non bibendum. Quandoque autem ex modo bibendi: quia ſcilicet menſuram in bibendo excedit. Quandoque autem ex parte aliorum, qui ex hoc ſcandalizantur.* Quoad votum non bibendi vinum, illud obſervo, non eſſe facile emittendum ſaltem pro tota vita, ſed cum conſilio duntaxat Medici ſpiritualis, vel etiam aliquando temporalis.

Conſectarium Undecimum.

XI. Sobrietas in potu vini in quibuſdam præſertim valde neceſſaria eſt; ſcilicet ratione concupiſcentiæ magis vividæ, & ratione officii, ad quod aliquis deputatus eſt. Hoc egregie declarat S. Thomas *q.* 149. *art.* 4. de ſobrietate loquens his verbis: „ Virtus habet habitudinem ad duo. „ Uno quidem modo ad contraria vitia, quæ excludit, & concupiſcentias, quas refrænat: alio „ modo ad finem, in quem perducit. Sic ergo „ aliqua virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione. Uno modo quia in eis eſt major „ pronitas ad concupiſcentias, quas oportet per „ virtutem refrænari, & ad vitia, quæ per virtutes tolluntur. Et ſecundum hoc ſobrietas maxime requiritur *in juvenibus, & mulieribus*; „ quia in juvenibus viget concupiſcentia delectabilis propter fervorem ætatis; in mulieribus autem non eſt ſufficiens robur mentis ad hoc, „ quod concupiſcentiis reſiſtant. Unde ſecundum „ Valerium Maximum mulieres apud Romanos „ antiquitus non bibebant vinum.

„ Alio vero modo ſobrietas magis requiritur in „ aliquibus, utpote magis neceſſaria ad propriam „ operationem ipſorum. Vinum autem immoderate ſumptum præcipue impedit uſum rationis. Et ideo *ſenibus*, in quibus ratio debet „ vigere ad aliorum eruditionem; & *Epiſcopis*, „ ſeu *quibuslibet Eccleſiæ Miniſtris*, qui mente „ devota debent ſpiritualibus officiis inſiſtere; & „ *Regibus*, qui per ſapientiam debent populum „ ſubditum gubernare, ſpecialiter ſobrietas indicitur “: quod etiam ſupra diximus, de virtute generatim gulæ oppoſita loquentes.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Ex hoc colligere neceſſe eſt, vinolentiam, ſive ebrietatem Clericorum gravius peccatum eſſe, graviorique pœna plectendum. Unde Apoſtolus non uno in loco mentionem faciens de vitiis, quibus carere debent Sacri Miniſtri, ſpecialiter commemorat *vinolentiam*, ſive nimium vini appetitum, & uſum, propter quem ab altari arcendi ſunt. Quod conſiderans Sanctus Hieronymus Comment. in epiſtolam *ad Tit.* ait: *Miramur, Apoſtolum in Epiſcopis, ſive Presbyteris damnaſſe vinolentiam, cum in veteri quoque lege præceptum ſit, Sacerdotes, cum ingrediuntur Templum miniſtrare Deo, vinum omnino non bibere: & Nazaræum, quamdiu ſanctam comam nutriat, & nihil contaminatum, nihil mortale conſpiciat, & a vino abſtinere, & ab uva paſſa, & a delicatiori, quæ fieri ſolet ex vinaceis, potione, omnique ſicera, quæ mentem ab integra ſanitate pervertit.*

Sanctus quoque Petrus Chryſologus *ſerm.* 36. loquens de Nadab, & Abiud Altaris igne conſumptis, ſcribit: *Vini odor odorem flagrarat incenſi: & ebrietatis ignis flammam provocarat altaris. Unde quia alienati vino alienum portaverant ignem, mox divino ipſi referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium: quia alter animam ſuam necat vino, Sacerdos ſpiritum ſanctitatis extinguit.*

Quare Eccleſiæ Concilia ebrietatis vitium in Clericis maximopere puniendum edicunt. Concilium Agathenſe *Can.* 41. ait: *Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix eſt. Quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio.* Quæ etiam pœna in Clericos ebrioſos inflicta memoratur a Gratiano Can. *Ante omnia* Diſtinct. 35.

Concilium Treverenſe anno 1548. celebratum *Can.* 1. ſic ſtatuit: „ *Ebrietas inſignium flagitiorum incitatrix, & ſcaturigo, quæ in comeſſationibus, & conventiculis dominatur, eccleſiaſticum gradum ſumma cum turpitudine paſſim infamavit. Qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab officiis, & beneficiis Synodus primum ſuſpendit: deinde ſi etiam impudenter deteſtandæ conſuetudini & dictu pariter, & viſu fœdiſſimæ ulterius inhæſerint, omnibus honorum gradibus exutos ad quadrupedum ſortem, quæ natura prona, ac ventri obedientia finxit, majoribus ſuppliciis affectos ſtatuit abjiciendos.*

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Gravis peccati rei ſunt, qui certa bibendi lege contendunt, quis ad bibendum valentior ſit; aut ad æquales potus bibere cogunt, ſive in ebrietatem incidant, ſive illius duntaxat periculo ſe exponant. Hoc plane aſſerere oportet, ſi Patres Eccleſiæ, non laxos aliquos Caſuiſtas, audimus de hac re ſermonem habentes. S. Baſil. *hom.* 14. *in ebriet.* hæc ſcribit: „ Deinde potatione „ præcedente eo veniunt, ut de augenda hac in„ ſania certent, & de ebrietate per ambitionem „ contendant. Cujus authorem legis, præſidem„ que certaminis Diabolum habent, victoriæ ve„ ro præmium peccatum. Nam qui plus hauſe„ rit meri, is præ cæteris laudatur, is victo„ riam refert. Atque ita vere gloria in igno„ minia illorum eſt". Et *ibidem*. „ Novum „ genus hoc menſuræ, ubi nullus eſt menſuræ „ modus, ut per poculorum æqualitatem inter „ eos nulla ſit invidia, nec alius alium biben„ do excedat, aut ſuperet..... Quamobrem ju„ re clamat Propheta: *Væ ſurgentibus mane, &* „ *ſiceram perſequentibus, & in vino perdurantibus* „ *uſque ad veſperam, & diem in ebrietate conſu*„ *mentibus &c.*"

Paria habent S. Ambroſius *lib. de jejun. c.* 13. S. Hieronymus *in cap.* 1. *epiſt. ad Timoth.*, & S. Auguſtinus, ſive Author *ſerm.* 90. inter Auguſtinianos, ubi hæc dicuntur: „ Frequenter etiam „ uſque ad vomitum ingurgitare ſe non erubeſcunt, „ & ad menſuram ſine menſura bibere. Majora „ enim pocula providentur; certa bibendi lege „ contenditur: qui potuerit vincere, laudem me„ retur ex crimine &c. Conſiderent ebrioſi, ſe„ num pejores animalibus judicandi ſint? &c. „ Miſerabiliter ſe excuſare conantur dicentes: *in*„ *gratum habeo amicum meum, ſi quoties illum ad* „ *convivium vocavero, potum ei, quantum vo*„ *luerit, ipſe non dedero*. Non ſit tibi ami„ cus, qui te Deo vult facere inimicum, qui „ & tuus, & ſuus eſt inimicus. Si te, & a„ lium inebriaveris, hominem amicum habebis, „ & Deum inimicum. Et ideo ſapienter conſi„ dera, an juſtum ſit, ut te a Deo ſepares, dum „ te ebrioſo conjungis. Ad extremum, tu eum „ noli adjurare, noli cogere, ſed in poteſtate il„ lius dimitte, ut quantum ipſi placuerit, bibat: „ ut, ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, „ & non ambo pereatis".

Denique, ut alios prætermittam, Innocentius III. Cap. *A crapula*. Extra. *de vita, & honeſtate Clericorum* ita ſtatuit: *Illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe ſe obligant potatores; & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi a Superiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.*

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. A peccato tamen excuſandus eſt, qui alterum quidem ad bibendum non cogit, ſed amice tantummodo invitat, putans non eſſe inebriandum, nec ultra neceſſitatis, aut convenientiæ metas bibiturum. Hoc tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 150. *art.* 1. *ad* 3. inquiens: *Sicut ille, qui inebriatur, excuſatur a peccato, ſi ignoret fortitudinem vini; ita etiam ille, qui invitat aliquem ad bibendum, excuſatur a peccato, ſi ignorat talem eſſe conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur. Sed ſi ignorantia deſit, neuter a peccato excuſatur*. Quapropter, cum plerumque compertum ſit, aliquos inebriari ex vini potu largius ſumpto, hi ad ſæpe bibendum invitandi minime ſunt.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Peccant Tabernarii, qui ſcientes, aut prævidentes inebriari eos, qui popinas ſuas frequentant, nihilominus propter lucri cupiditatem iis vinum, quoties petunt, miniſtrare non renuunt. Hoc traditur a S. Antonino *part.* 2. *tit.* 6. *c.* 3. §. 2. Nam ex præcepto charitatis, quo *Deus unicuique mandavit de proximo ſuo*, tenentur, quoties ſine magno periculo poſſunt, impedire peccatum ebrietatis. Nec eſt, quod ſe excuſent eo prætextu, quod illi parati jam ſint ad ebrietatem; ſicut nec excuſaretur a peccato, qui videns aliquem ad ſe interficiendum paratum, ſuicidium non impediret, dum ſine gravi ſuo detrimento, aut periculo illud impedire poſſet.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Probanda nullo modo eſt definitio tradita a P. Buſembaum *lib.* 5. *c.* 3., & a P. Lacroixio probata de ebrietate, his verbis concepta: *Malitia ebrietatis plenæ, & perfectæ in eo conſiſtit, quod quis ſine juſta, & gravi cauſa, tantum ob voluptatem, & ingluviem, ſciens & volens privet ſe uſu rationis*. Probanda, inquam, non eſt, propter eam præſertim particulam: *tantum ob voluptatem, vel ingluviem*. Siquidem nonnulli ſunt, qui inebriantur non propter *ingluviem*, aut *voluptatem;* ſed vel ne invitantes ad bibendum contriſtent, vel ut ſodalibus, aut potentibus rem gratam faciant, vel ne a corruptis aliorum moribus alieni videantur: qui omnes, poſita Buſembaum definitione, rei minime forent *plenæ, & perfectæ* ebrietatis; quod oppido falſum eſt.

Con-

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Rejicienda quoque eſt alia ejuſdem Buſembaum opinio, quam tradit ex Leſſio, Azorio, Reginaldo, Baldello; eamque refert P. Lacroixius, ac vi ſui ſyſtematis tamquam probabilem approbat: videlicet *non eſſe peccatum, ſiquis cogatur intenſo enſe ad ſe inebriandum*. Falſitas hujus opinionis patet ex doctrina tradita a S. Thoma *de gula*; quod nempe conſiſtat *in cibo, & potu inordinato*. Siquidem, ut potus inebrians *inordinatus* haudquaquam ſit, neceſſe eſt, ut ex ordine naturæ ſit neceſſarius ad vitæ conſervationem; non ex vi, aut voluntate pravorum hominum. Unde ſi deſit finis conſervationis corporis, aut valetudinis, qui profecto deeſt, cum natura uſum vini non exigit, ſumptio ejuſdem *inordinata* ſemper eſt; adeoque ſuapte natura mala, non ſecus ac fornicatio, aut pollutio &c. nec vel ex metu, vel ſpe quacunque poteſt fieri licita. Unde author ſermonis laudati inter Auguſtinianos ait: „ Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant: perſona potens me coegit, ut amplius bibam; & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus: & quod implere noluimus, non potuiſſe nos dicimus ..... Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: *aut bibe, aut morieris*; melius erat, ut caro tua ſobria moreretur, quam per ebrietatem anima moreretur “. Hæc ille apertiſſime: vanaque proinde, arbitraria, ac prorſus falſa eſt interpretatio hujus textus adducta a P. Leſſio, loqui nimirum de caſu, in quo ebrietas in contemptum Religionis urgeretur. Neque enim vola, aut veſtigium eſt in toto ſermone, quod huic interpretationi faveat.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Non minus rejicienda eſt opinio ejuſdem Buſembaum eodem loco *dub.* 5. *art.* 2. ex Leſſio, & Sanchez ita docentis: „ Si juſta cauſa eſt, ut ex. gr. ſi grande malum non poſſit aliter impediri, niſi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ ſaltem ipſi non ſit voluntaria; ut ſcilicet præter intentionem, adeoque inculpabiliter inebrietur, v. g. vinum fortiſſimum, aut medicatum propinando, cujus vi ignorata decipiatur &c. “ Falſa, inquam, hæc opinio eſt: neque enim licet unquam inducere aliquem ad peccatum etiam ipſi involuntarium. Peccatum quippe ſcandali eſt, alium ad involuntarie peccandum inducere: quoniam & hic agit contra legem; tametſi *per accidens*, hoc eſt ratione involuntarii, excuſetur a culpa. At ſi hic, quia involuntarius eſt, a culpa excuſatur; excuſari tamen minime poteſt a culpa inducens, quia voluntarie inducit. Quare ſicut nunquam inducere liçet aliquem ad involuntarium perjurium, adulterium, homicidium; ſic nulla unquam de cauſa licitum eſt inducere ad ebrietatem ex nimio potu profectam, quæ non minus, quam illa, natura ſua prava eſt, ac peccatum.

„ An vero hoc caſu, *ſequitur Buſembaum*, liceat inducere ad ebrietatem ipſi voluntariam, dubium eſt “. Leſſius &c. affirmat; „ quia, inquit, licet ſuadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur majus. Layman &c. rectius negat: quia nullo caſu licet inducere ad peccatum “. Lacroixius hic *n.* 333. poſteriorem ſententiam *probabiliorem* putat: priorem *probabilem*. Igitur juxta probabiliſticum ſyſtema illam quoque licitam admittit: adeoque ſine peccato, juxta ipſum, licebit inducere in eo caſu aliquem ad ebrietatem etiam ipſi voluntariam, ac proinde formaliter, ac lethaliter peccaminoſam. Quis id ferat?

Conſectarium Decimumnonum.

XIX. Admittenda non eſt opinio Gobati, a culpa mortali excuſantis eos, qui nimio quidem potu vini ſe replent, & ingurgitant, at ſimul pharmacum habent, vel pulverem, quo aut impediunt privationem rationis, aut amiſſam brevi recuperant. Hæc enim ſententia recta pugnare videtur cum textibus Sacræ Scripturæ mortem & alia mala comminantis iis, qui nimio vino repleri ſolent, quidquid ſit de ſuppoſito ebrietatis remedio, ut cum Salomon ait Prov. 23. *Cui væ, cui rixæ, cui foveæ &c. cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Et Iſaias Propheta: *Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. Porro, ut alibi notavimus, dum Scripturæ denunciant *væ* alicui actioni, indicium eſt peccati gravitatis.

Conſectarium Vigeſimum.

XX. Audiendi non ſunt plures Caſuiſtæ, laxa multa tradentes in deſcribendis ſignis, unde colligi poſſit ebrietatem ad peccatum uſque mortale pertingere. Aliqui namque aſſiduitatem, & frequentiam ſe inebriandi pro ſigno tantum habent mortalis ebrietatis. Sed licet aſſiduitas oſtendat, ebrietatem eſſe voluntariam, adeoque lethale peccatum; abſque ea tamen completa & mortalis ebrietas haberi poteſt: „ Aſſiduitas, *inquit S. Thomas hic art.* 2. *ad* 3. facit ebrietatem eſſe peccatum mortale, non propter ſolam iterationem actus; ſed quia non poteſt eſſe, quod quis aſſidue inebrietur, quin ſciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & ſuam habilitatem ad inebriandum “.

Alii ebrietatem perfectam non eſſe ajunt, adeoque a gravi culpa excuſant, ſi eo non perveniat, ut homo magis irrationalis, aut brutum appareat, quam rationalis: nimirum ſi homines, ebrietatis tempore, in pecora, & in bruta quoad actiones non convertantur, juxta hos Authores haud peccant lethaliter; puta ſi a via ſecedere nequeunt, ne curru, vel equo opprimantur, a quo vel ipſa bruta cavere ſolent. Quis eſt, qui non videat, nimium hoſce Theologos ad lethalem ebrietatem requirere?

Alii, ut Buſembaum loco laudato, hujuſmodi ebrietatem his ſignis declarant: *Siquis poſt potum diſcernere adhuc poſſit inter bonum, & malum, li-*

cet nonnihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur; nondum plena eſt ebrietas, adeoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, ſi deliberate ſit commiſſum. P. Layman loco citato: plena ebrietas notatur ex his ſignis, quæ dat Leſſius n. 30. &c. Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus. 2. Si commiſit ea, quæ numquam ſana mente ſolet; ver. gr. ſi præter morem turpia ſit loquutus, turbavit domum, uxorem verberavit &c. Hactenus ex Buſembaum.

Quidquid ſit, num ex quibuſdam commemoratis ſignis colligatur ebrietas plena, atque perfecta; mihi tamen videtur colligi poſſe, ac debere, talem eſſe exceſſum in potando, dum deliberatus eſt, ut a gravi culpa excuſandus non ſit; ſiquidem exceſſus potationis a Buſembaum deſcriptus valde notabilis, & admodum turpis eſt, & valde dedecet hominem ratione præditum, adeoque ſufficientem arbitror ad lethale peccatum. Certe Patres Eccleſiæ, dum in ebrietatem tam acriter invehuntur, exceſſum nimium in potu damnant, qui proxima occaſio eſt, ſeu probabile periculum affert mortalium peccatorum, prout merito exiſtimari debet exceſſus a Buſembaum deſcriptus: inde enim ordinarie loquendo fœda turpiloquia, libidines, contumeliæ, rixæ &c. ſuboriuntur. Hos ergo potius audiat prudens Confeſſarius, quam Buſembaum; & hujuſmodi ebrietates, ut ut perfectæ fortaſſe non ſint, non permittat, quaſi peccata venialia; ſed arguat, increpet, negetque abſolutionem ejuſmodi ebrioſis, quouſque ab hoc vitio deſiſtant, prout mox dicemus.

Conſectarium Vigeſimumprimum.

XXI. Multo magis veluti laxior explodenda eſt P. Lacroixii doctrina, quam tradit *n.* 317. ubi ſic ait: *Ang. Tann. Fagund. Gob. c. 6. n. 37. univerſaliter docent, ebrietatem nullam eſſe mortalem, niſi diu privet uſu, & potentia rationis.* Hæc ſiquidem doctrina præcedenti deterior eſt. Unde hac rejecta, ea ſub oculos tenenda doctrina eſt, quam ex D. Thoma produximus *q.* 150. *art.* 2. nimirum: „Tertio modo poteſt eſſe, quod aliquis „ bene advertat, potum eſſe immoderatum, & „ inebriantem; & tamen magis vult ebrietatem „ incurrere, quam a potu abſtinere; & talis pro„ prie dicitur ebrius: quia moralia recipiunt ſpe„ ciem non ab his, quæ per accidens eveniunt „ præter intentionem, ſed ab eo, quod eſt per ſe „ intentum. Et ſic ebrietas eſt peccatum mor„ tale: quia ſecundum hoc homo volens & ſciens „ privat ſe uſu rationis, qua ſecundum virtutem „ operatur, & peccata declinat: & ſic peccat „ mortaliter, periculo peccandi ſe committens. „ Dicit enim Ambroſius in lib. de Patriarchis: „ *Vitandam diſcimus ebrietatem, per quam vi„ tia cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrii ca„ vemus, per ebrietatem ignorantes committi„ mus.* Unde ebrietas per ſe loquendo eſt pec„ catum mortale". *Si igitur ebrietas diu privet uſu rationis*, gravius peccatum erit; ſi per breve tempus, minus grave: ſed ſemper culpa mortalis; quia *ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale*. Neque quod tale per ſe eſt, ex circumſtantia durationis majoris, minoriſve aliud deſumit, niſi majorem, minoremve gravitatem, in eodem tamen genere peccati mortalis.

Conſectarium Vigeſimumſecundum.

XXII. Præfiniri quidem generalis regula nequit, qua certo cognoſci valeat, quiſnam exceſſus in bibendo peccatum mortale ſit. Sed ex hoc nullus animum ſumere debet ad excedendum; quinimmo ab exceſſu ſibi quiſque magnopere caveat, oportet, ne ſe periculo graviter excedendi committat. Quemadmodum enim, *quæ peccata gravia ſint, quæ levia*, ut ait Auguſtinus, *non humano, ſed divino, ſunt ponderanda judicio;* ita & quiſnam in cibo, vel potu gravis exceſſus ſit, vel levis. Scripturæ, & Patres graviſſime damnant nimium vino deditos. Hoc nobis ſatis eſſe debet, ut omni ſtudio, & cura ab immoderatis potationibus caveamus.

Conſectarium Vigeſimumtertium.

XXIII. Alia etiam doctrina cavenda eſt circa peccata, quæ in ebrietate committuntur, prout ſaltem proponitur a Buſembaum loco citato, & ab aliis pluribus ſuſtinetur, ſcilicet: *Mala in ebrietate commiſſa, ſi prævisa non ſunt, aut ſi adhibita cautio, culpa vacant.* Neque enim ſufficit abſolute ſolum dicere: *ſi prævisa non ſunt*; ſed addere oportet: *aut ſi prævideri non potuerunt*, uti fuit inceſtus Loth cum filiabus. Nam ſi prævideri potuerunt, ut frequentius contingit, ſunt voluntaria *indirecte*, & *in cauſa*: quia ex negligentia culpabili non ſunt prævisa. Deinde, quod ait, *aut ſi adhibita cautio*; nec hæc ſufficiens fuit, ſi nihilominus malum accidit; ideoque hoc culpæ merito adſcribitur, quia ex culpa, & negligentia ſufficientis cautionis profectum.

Conſectarium Vigeſimumquartum.

XXIV. Cauti admodum, atque difficiles Confeſſarii ſint oportet in abſolvendis ebrioſis, & popinis frequentandis aſſuetis: imo ordinarie loquendo abſolutio iis impendenda non eſt, ſed differenda, quouſque adverſus conſuetudinem ſtrenue, viriliterque pugnando, eam veraciter emendare ſtuduerint, ac emendationis ſinceræ ſigna exhibuerint: neque enim aliter conſtare poteſt de vera, ac plena converſione ipſorum. Ebrietatis vitium inter ea computatur, e quibus difficillime emergunt homines, niſi totis viribus, ac divino ex toto corde implorato gratiæ auxilio, in eo eradicando elaborent. Unde Sanctus Auguſtinus pugnam hanc contra inolitam conſuetudinem virilem, & non intermiſſam neceſſariam judicat, atque inculcat *ſerm.* 151. Libro etiam V. Capitularium *cap.* 162. ſtatuitur, ebrioſum excommunicandum eſſe *uſque ad emendationem congruam.*

Idem-

Idemque ſtatutum eſt in Concilio Moguntino anni 813. *can.* 46. Et certe frequenti experientia compertum eſt, plures ex luxuriæ vitio, paucos ex ebrietate emerſiſſe, & ad bonam frugem converſos eſſe.

REFLEXIO.

Mirari plane ſubit, permultos eſſe inter ipſos Chriſtianos tam alta ignorantiæ caligine obductos, ut execrabile *gulæ* vitium parvi admodum pendant, ac nec peccatum ferme eſſe arbitrentur. Lubens equidem fateor, gravioribus, quæ perpetrari ſolent, peccatis non eſſe accenſendum; cum certum omnino ſit, ea quæ Deum directe reſpiciunt, cæteris malitiæ gravitate præſtare. Verum ſi, quæ peccatum iſtud veluti circumſtant, quæque ex ipſo conſequuntur, mala animo complectamur, magnum procul dubio peccatum eſſe, magnique æſtimandum nemo negaverit. Hinc cum Doctor Angelicus *q.* 148. *art.* 3. quæſiviſſet, *utrum gula ſit maximum peccatorum* (quæ ſane quęſtio inſtituta ſola ſatis aſſe deberet ad pravitatis ſuæ magnitudinem comprobandam) quæſtionem ſolvens, aſſentitur quidem, ac docet, *peccata, quæ ſunt circa res divinas, eſſe maxima*. Sed gulæ peccatum poſtmodum conſiderans *ex parte effectus conſequentis*; ſubjicit, *ſecundum hoc vitium gulæ habere quamdam magnitudinem, in quantum ex ea occaſionantur diverſa peccata*.

Enimvero ſi quis Scripturæ textus, qui de gula, ſive crapula loquuntur, & quos vel jam attulimus, vel afferre facile poſſemus, attenta mente perpenderit; grave plurimum eſſe hujuſmodi peccatum minime diffitebitur. Gulam Sacræ Litteræ nobis exhibent veluti ſpeciem quamdam *idololatriæ*, dum homines gulæ deditos, ventri ſuo tamquam Deo ſervientes pronunciant, ut habetur *in Epiſt. ad Rom. cap.* 16. ubi Apoſtolus ait: „ Hujuſcemodi homines Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri “. Et ad Philipp. 2. „ Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis; nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum “. Hoc etiam inſinuavit Sapiens *Eccleſiaſ. c.* 19. dicens: „ Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes “. Quæ conſiderans Tertullianus *lib. de Jejuniis c.* 16. *&* 18. ſcribit: „ Ethnicus idolo gulam ſuam mactat, tu Deo non vis. Deus enim tibi venter eſt, & pulmo Templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus Prophetia ..... Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet “. Illud quoque Tertullianus idem expendit, quod primus homo Adam gulam Deo, ſive Dei mandato prætulit: „ Acceperat, *inquit*, Adam a Deo legem non guſtandi de arbore agnitionis boni, & mali; moriturus, ſi guſtaſſet. Verum facilius ventri, quam Deo ceſſit: pabulo potius, quam præcepto annuit: ſalutem gula vendidit: manducavit denique, & periit; ſalvus alioquin, ſi vel uni arbuſculo jejunare maluiſſet .... Teneo igitur a primordio homicidam gulam “. S. etiam Gregorius Magnus *in Paſtor. q.* 7. *admon.* 20. ait: „ Hoſti callido, qui primi hominis ſenſum in concupiſcentia pomi aperuit, ſed in peccati laqueo ſtrinxit, divina voce dicitur: *pectore*, *&* *ventre repes*; ac ſi ei aperte diceret: cogitatione, & ingluvie ſuper humana corda dominaberis “. Gregorio præluſerat S. Ambroſius *lib. de Paradiſo c.* 15. ſcribens: „ Qui ſunt, qui in utero ſuo ambulant, niſi qui ventri, & gulæ ſerviunt, quorum Deus venter eſt, & gloria in pudendis eorum, qui terrena ſapiunt, & cibo onerati ad terrena curvantur?

Atque hæc quidem peccati magnitudinem, quam ex ſe ipſa gula habet, ſatis oſtendunt: nunc quam depromit *ex parte affectus*, *in quantum* ſcilicet *ex ea occaſionantur diverſa peccata*, paulo attentius advertamus. Quædam innuit, ac probat S. Thomas art. laud. in ſibi objectis argumentis; nimirum quæ refert ex Chryſoſtomo, & Caſſiodoro. Prior namque *homil.* 13. *in Matth.* ita loquitur: „ Adam intemperantia ventris expulit e paradiſo: Diluvium, quod fuit tempore Noe, ipſa fecit, & pœnam Sodomorum, ſecundum illud Ezech. c. 16. Hæc fuit iniquitas ſororis tuæ Sodomæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus; & manum egeno, & pauperi non porrigebant: & elevatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me; & abſtulit eas, ſicut vidiſti “. Alter vero ſuper illud Pſal. 135. „ Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, *ait*: Luxuria, concupiſcentia, ſuperbia ſunt ea, quæ primo venter generat “.

Uberius de hoc argumento diſſerit S. Gregorius Magnus *in cap.* 39. *Job cap.* 23. ubi nomine *Exactoris*, quem Jobus memorat, ventris, ſive gulæ, & crapulæ intemperantiam intelligens, oſtendit, hanc ſpirituale ædificium virtutum a fundamentis ſubvertere, inquiens: „ Cum continenti viro contra innumera vitia multa virtutum certamina ſuppetant; cur ſub *Exactoris* clamore contempto, de ſolo hic *ventre* dicitur, quod ejus impetum, impulſumque reſtringat, niſi quod nullus palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo prius per afflictam ventris concupiſcentiam carnis incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum ſpiritalis agonis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis poſitus, *gulæ* videlicet appetitus edomatur: quia, ſi non ea, quæ nobis ſunt viciniora, proſternimus, nequaquam ad ea, quę longius ſunt, impugnanda tranſimus. Incaſſum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra ipſa Urbis mœnia civis inſidians habetur. Mens quoque ipſa certantis ſub gravi confuſionis dedecore a ſpiritalis certaminis congreſſione repellitur, quando infirma in carnis prælio, *gulæ* gladio confoſſa ſuperatur. Nam, cum ſe parvis proſterni conſpicit, confligere cum majoribus erubeſcit. Nonnulli vero ordinem certaminis ignorantes edomare gulam negligunt, & jam ad ſpiritualia bella conſurgunt. Qui ali- „ quan-

„ quando etiam , quæ magnæ ſunt fortitudi- „ nis, faciunt : ſed *dominante gulæ vitio*, per „ carnis illecebram omne, quod fortiter egerint, „ perdunt: & dum venter non reſtringitur, per „ carnis concupiſcentiam ſimul cunctæ virtutes „ obruuntur. Unde & de Nabuchodonoſor vin- „ cente ſcribitur: *Princeps cocorum deſtruxit mu-* „ *ros Jeruſalem*. Quid enim per muros Jeruſalem „ ſignificans Scriptura exprimit, niſi virtutes ani- „ mæ, quæ ad pacis viſionem tendit? Aut quis „ *cocorum Princeps*, niſi *venter* accipitur, cui di- „ ligentiſſima a coquentibus cura ſervitur? Mu- „ ros igitur Jeruſalem Princeps cocorum de- „ ſtruit: quia virtutes animæ, dum non reſtrin- „ gitur venter, perdit ".

Quod ſi crapula, D. Gregorio teſte, *virtutes animæ perdit*; nonne neceſſe eſt, ut eadem latiſſimam vitiis adverſis, ac malis omnibus viam adaperiat? Hinc rixæ, imprecationes, blaſphemiæ, detractiones, pugnæ, & quandoque etiam homicidia. Hinc non unius generis impudicitiæ, & monſtroſæ ſæpe libidines, turpiſſima verba, aliæque obſcœnitates fœdiſſimæ. Hinc jactura bonorum, quibus vel familia alenda foret, vel filiis providendum, vel Chriſto in pauperibus ſuis egenti, & algenti ſuccurrendum. Hinc ſcandala, quæ tum proli, ac domeſticis, tum aliis affatim præbentur, feſtorum profanatio, neglectus cujuſque officii hominis Chriſtiani, ac æternæ ſalutis, & ipſius temporalis valetudinis, ac vitæ detrimenta; adeo ut mortem, ipſa Scriptura atteſtante, qui comeſſationibus, & ebrietatibus addicti ſunt, ſibi accelerent, & ſui ipſius interfectores merito vocari valeant.

Quæ cum ita ſint, quis eſt, qui non videat, plurimi faciendam eſſe peccati gulæ gravitatem, atque magnitudinem; adeoque quantum ſtudii, curæque impendere debeamus, ut in nobis dominium non uſurpet; aut, ſi forte magno infortunio noſtro illud ſibi jam præripuerit, ut infenſiſſimum hoſtem de corde exturbemus, eaque propterea arma tota vi, animique contentione adhibeamus, quibus illum, divina gratia opitulante, vincamus, rationiſque imperio ſubigamus. Ad coercendam gulam divitis illius epulonis in inferis cruciatus acerbiſſimos meditari valde opportunum eſt. Ut enim ait Tertullianus laud. lib. de Jejuniis, *apud inferos in divite convivia cruciantur*; *in paupere vero jejunia recreantur*. Perpendendum, quod Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 6. ſcribit: *Eſca ventris, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet*. Et ad Hebr. 13. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*. Et rurſus ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*. Quod præceptum implere nequiquam poſſumus crapula, & ebrietate, quæ certe in Dei gloriam nec referuntur, nec referri queunt: ſed ſola modeſtia, frugalitate, & temperantia in edendo, & bibendo implere fas eſt, prout explicat S. Auguſtinus *in pſal.* 140., ubi modum aſſignat, quo Deum in omni vita noſtra laudemus, inquiens: „ Si bene agis, quod „ & manducas, & bibis ad refectionem corporis „ ſumis, reparationemque membrorum, gratias „ agens ei, qui tibi præbuit mortali, & fragi- „ li iſta ſupplementorum ſolatia; & cibus „ tuus, & potus tuus laudat Deum: ſi vero „ modum naturæ debitum in moderatione vora- „ citatis excedas, & vinolentia te ingurgites, „ quantaslibet laudes Dei lingua tua ſonet, vita „ blaſphemat ".

Præclarum, ac Chriſtianis omnibus imitandum temperantiæ hujus exemplum reliquere nobis primævæ Eccleſiæ Fideles, de quorum conviviis Tertullianus *in Apologetico cap.* 39. ita ſcribit: „ Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. „ Id vocatur, quod *dilectio* penes Græcos. Quan- „ tiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pieta- „ tis nomine facere ſumptum. Siquidem ino- „ pes quoſque refrigerio iſto juvamus, non „ qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam fa- „ mulandæ libertatis ſub auctoramento ventris „ inter contumelias ſaginandi; ſed qua penes „ Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si „ honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem „ diſciplinæ æſtimate, qui ſit, de Religionis „ officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ „ admittit. Non prius diſcumbitur, quam ora- „ tio ad Deum prægustetur. Editur quantum „ eſurientes cupiunt; bibitur, quantum pudi- „ cis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui memi- „ nerint etiam per noctem adorandum Deum ſi- „ bi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Domi- „ num audire. Poſt aquam manualem, & lumi- „ na, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de „ proprio ingenio poteſt, provocatur in medium „ Deo canere. Hinc probatur, quomodo bibe- „ rit. Æque oratio convivium dirimit. Inde „ diſceditur non in catervas cæſionum, neque „ in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones „ laſciviarum, ſed ad eamdem curam mode- „ ſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam „ cœnaverint, quam diſciplinam ". Hæc omnia paucis complexus eſt Minutius Felix in Octavio: „ Convivia, *ait*, non tantum pudica colimus, „ ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, „ aut convivium mero ducimus, ſed gravitate „ hilaritatem temperamus, caſto ſermone, cor- „ pore caſtiore ".

Hanc denique *Reflexionem* noſtram concludat ſalutaris ad appetitum gulæ frænandum, modumque temperantiæ ſervandum conſideratio, quam ſuggerit S. Joannes Climacus in ſuæ Scalæ myſticæ gradu 14., Noviſſimorum ſcilicet hominis, & paſſionum Chriſti, his verbis; „ Si Chriſto te „ per anguſtam, & aſperam ſalutis viam ambu- „ laturum eſſe pollicitus es, appetitum tuum „ temperantia compeſce. Si enim corpus tuum „ mollius, & indulgentius curaveris, pacta cum „ Chriſto inita reſcidiſti. Attende diligentius ad „ verba ex ipſius ore profecta: *Lata & ſpatioſa* „ *via eſt*, genialium ſcilicet epularum, *quæ ad* „ *interitum* luxuriæ *deducit*. Ex adverſo: *Quam* „ *anguſta, & arcta via eſt*, abſtinentiæ, *quæ ducit ad vitam* caſtitatis? *& pauci ſunt, qui in-* „ *trant per eam*. Quemadmodum Lucifer de cæ-

„ lo

„ lo deturbatus Dæmonum principatum, ita & „ intemperantia vitiorum, ſeu libidinum principatum obtinet. Ubi ad cibum capiendum accubueris, tibi in mente mortis, & judicii recordatio veniat: hoc pacto intemperantiam coercere poteris. Ubi poculum bibiturus acceperis, memineris acetum, & fel Jeſu Chriſto oblatum: atque ita ſobrietatis limitem non tranſilies, vel certe majori humilitatis, & modeſtiæ ſenſu concepto, in altiora ſuſpiria prorumpes. „ Cave, ne tibimetipſi fucum facias. Nuſquam a Pharaonis ſervitute vindicabere, nec unquam cæleſte Paſcha celebrabis, quin lactucas agreſtes, & acerbiores cum azymis toto vitæ curriculo comederis. Lactucæ autem illæ guſtatu acerbæ ſunt, violentia, & mortificationis labor inter jejunia tolerari ſolitus &c.

CAPUT DECIMUM.

De quinto vitio capitali, ſcilicet Ira.

D o c t r i n a.

I. *Quid ira ſit, & in quo ejus inordinatio conſiſtat.*

II. *Egregia S. Gregorii Magni* iræ *expoſitio, prout appetitus vindictæ eſt, ſive ex parte objecti conſideratæ.*

III. *Licet ira ordinata ſit ex parte objecti, poteſt eſſe inordinata ex parte* modi iraſcendi.

IV. *Ira peccatum eſt ex parte quidem objecti de ſe lethale; ex parte autem iraſcendi modi veniale.*

V. *Explicantur tres iræ gradus a Chriſto in Evangelio commemorati.*

VI. *Expoſitio horum graduum facta a S. Thoma proponitur.*

VII. *De ira, prout* capitale vitium; *quænam iræ filiæ ſint.*

VIII. *De tumore mentis ex ira prognato; quid ille ſit.*

IX. *De indignatione altera filia iræ: quodnam peccatum ſit. S. Gregorii Magni ſententia.*

X. *De clamore, prout ab ira proficiſcitur.*

XI. *De quarta filia iræ, ſcilicet contumelia.*

XII. *De poſtrema filia iræ, nempe rixa.*

§. I.

Iræ notio, & peccati gravitas.

I. IRæ communis definitio eſt *appetitus vindictæ*; ſive, prout modo ſumitur tamquam *vitium*, *inordinatus animi motus, quo quis injuſtam, & indebitam vindictam ſumit, vel expetit ab eo, a quo vel reipſa læſus eſt, vel ſe læſum arbitratur.*

Quæ habet S. Thomas 2. 2. *q.* 158. *art.* 1. & 2. lucem poſitæ definitioni afferunt ſplendidiſſimam. Advertit ille in primis, „ quod ira proprie loquendo eſt paſſio quædam appetitus ſenſitivi, a quo vis iraſcibilis denominatur “: ac de hac paſſione fuſiſſime egit 1. 2. *q.* 46. &c. Quia vero illam modo conſiderat, quatenus mala, aut vitioſa eſt, obſervat „ circa paſſiones animæ, dupliciter poſſe in eis malum inveniri. Uno modo ex ipſa ſpecie paſſionis, quæ quidem conſideratur ſecundum objectum paſſionis “; quod ex ſe malum non eſt, ſicuti eſt objectum invidiæ, quæ eſt triſtitia de bono aliorum, ſed indifferens: poteſt enim vindicta, quæ ejus objectum eſt, & *bene*, & *male appeti.*

„ Alio modo, *ſequitur S. Præceptor*, invenitur „ malum in aliqua paſſione ſecundum quantitatem ipſius, ideſt ſuperabundantiam, vel defectum ipſius. Et ſic poteſt malum in ira inveniri; quando ſcilicet aliquis iraſcitur plus, vel minus præter rationem rectam. Si autem aliquis iraſcitur ſecundum rationem rectam, tunc iraſci eſt laudabile “.

Igitur cum ordo rationis quantum ad duo in ira attendi queat, quantum ſcilicet *ad objectum* ipſius, & quantum *ad modum iraſcendi*, ſi objectum, in quod tendit ira, quod eſt vindicta, ſit juxta ordinem rationis, laudabilis eſt iræ appetitus, & vocatur *ira per zelum*. Si vero aliquis vindictam appetat contra ordinem rationis, v. g. ſi puniri velit eum, qui non meruit, vel ultra quod meruit, vel etiam non ſecundum legitimum ordinem, ideſt non ſervato ordine juris, vel non propter debitum finem, qui eſt *conſervatio juſtitiæ*, & *correctio culpæ*; motus iræ vitioſus eſt, peccatumque, & vocatur *ira per vitium*.

II. Id egregie explicavit S. Gregorius Magnus *lib.* 5. *Moral. c.* 30. inquiens: „ Sciendum eſt, „ quod alia eſt ira, quam impatientia excitat: alia, quam zelus juſtitiæ format; illa ex vitio; hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute ſurgeret, divinæ animadverſionis impetum Phinees per gladium non placaſſet. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra ſe implacabiliter ſupernæ ultionis excitavit. Nam quo contra ſubditorum vitia tepuit, eo contra illum diſtrictio æterni Rectoris exarſit. De hac ira per Pſalmiſtam dicitur: „ *Iraſcimini, & nolite peccare.* Quod nimirum non recte intelligunt, qui iraſci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim ſic proximos, ut nos, amare præcipimur, reſtat, ut ſic eorum erratibus, ſicut noſtris vitiis iraſcamur. De hac per Salomonem dicitur: *Melior eſt ira riſu: quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* „ De hac iterum Pſalmiſta ait: *Turbatus eſt præ ira oculus meus*; ira quippe *per vitium* oculum mentis excæcat: ira autem *per zelum* turbat; quia, cum ſaltem recti æmulatione concutitur, ea, quæ niſi tranquillo corde percipi non poteſt, contemplatio diſſipatur “.

III. Atque hæc quidem de ira conſiderata ex parte *objecti*, quod appetit. Ex parte autem *iraſcendi modi*, „ Attenditur (inquit S. Thomas) „ ordo rationis circa iram, ut motus iræ non immoderate ferveſcat nec interius, nec exterius: quod quidem ſi prætermittatur, non erit ira abſque peccato, etiamſi aliquis appetat juſtam vindictam.

IV. Cujuſmodi autem ira peccatum ſit, oſtendit

dit S. Doctor *art.* 3. nimirum ſi ſpectetur ira *ex parte objecti*, videlicet *vindictæ*, quam appetit, ex genere ſuo peccatum lethale eſt: ſiquidem opponitur charitati, ac juſtitiæ; veniale tamen fit, ſicut & cætera peccata, *propter imperfectionem actus*: „ Quæ quidem imperfectio attenditur vel „ ex parte *appetentis*, puta, cum metus iræ prævenit judicium rationis, vel ex parte *appetibilis*, puta cum aliquis appetit in aliquo *modico* „ ſe vindicare, quod quaſi nihil eſt reputandum; „ ita ut, etiamſi actu inferatur, non eſſet peccatum mortale, puta ſi aliquis parum trahit „ puerum per capillos, vel aliquid hujuſmodi “.

Si autem ſpectetur ira ex parte *modi iraſcendi*; ut ſi nimium quiſpiam ardenter iraſcatur interius, vel ſigna, & motum iræ exterius nimium manifeſtet; tunc ira non habet ex genere ſuo peccati mortalis rationem. „ Poteſt tamen contingere, „ *inquit S. Thomas*, quod ſit mortale peccatum, „ puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei, & proximi “.

Quamquam vero ira ex parte appetentis maximum peccatorum non ſit, etiamſi ea peccata conſiderentur, quæ proximi dilectioni contraria ſunt: *odium* quippe, & *invidia* graviora peccata ſunt; „ quamdam tamen, *ut docet Angelicus art.* 4. habet excellentiam quantum ad inordinationem, „ quæ eſt ſecundum modum iraſcendi, propter „ vehementiam, & velocitatem ſui motus, ſecundum illud Proverb. 27. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Unde Gregorius dicit in 5. Moral.: „ Ira ſua ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe „ præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi; „ & nequaquam recognoſcuntur noti: lingua quidem clamorem format, ſed ſenſus, quid loquatur, ignorat “.

§. II.

Tres iræ gradus a Chriſto commemorati explicantur.

V. Chriſtus Dominus apud S. Matth. *cap.* 5. falſas traditiones, ac perſuaſiones Scribarum, ac Phariſæorum corrigens in celebri ſermone ſuo in monte, hæc habet quoad præſens argumenrum: „ Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non occides; „ qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit „ fratri ſuo *raca*, reus erit concilio. Qui autem „ dixerit, *fatue*, reus erit gehennæ ignis “. Quo in textu tres iræ gradus a Divino Magiſtro diſtingui manifeſtum eſt. Quomodo ergo accipiendi, & intelligendi ſunt? Sunt enim aliqui, qui arbitrantur, tertio quidem peccatum lethale deſignari; non autem primo, & ſecundo: qui plane falluntur, nec vim Dominici ſermonis percipiunt. Siquidem his tria peccata lethalia ſignificari, quæ tamen in gravitate æqualia minime ſunt, omnino dicendum eſt.

Itaque dum primo dicitur: *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio*, denotatur peccatum lethale, quo quis ſive offenſus, ſive non, ira inflammatus deliberato animo gravem ultionem injuſte appetit, puta mortem proximi, aut grave ipſius nocumentum: adeoque non ſolum homicidium externo opere conſummatum, ut falſo exiſtimabant Phariſæi, ſed etiam ipſe appetitus, aut voluntas occidendi, aut grave aliquod nocumentum inferendi, lethale peccatum eſt, quemadmodum & ſola voluntas mœchandi, furandi &c.

Deinde cum ſecundo loco dicitur: *Qui autem dixerit fratri ſuo*, raca, *reus erit concilio*, ſignificatur injuſtæ vindictæ animus, aut concepta voluntas, aliquo ſigno exteriore prodita. Vox namque *raca* interjectio quædam eſt, quæ motum internum iræ manifeſtat; aut, ut vult S. Hieronymus, convicium aliquod, ſeu motum convicii præſefert. Quare qui gravis vindictæ appetitu accenſus in convicia ſimul prorumpit, aut motum conviciandi exterius manifeſtat, gravius peccatum committit, ac reus eſt *Concilio*; Concilio nempe *Sanedrin*, ut interpretatur S. Auguſtinus, quod ex ſeptuaginta Senioribus conſtabat. Quoniam ad hoc Concilium graviora facinora deferebantur.

Tertius gradus iræ exprimitur his verbis: *Qui autem dixerit, fatue*; ideſt ſi ſtultitiam exprobret, quod eſt convicium gravius priore *raca*; *reus erit gehennæ ignis*, ideſt Inferni. Qui ergo ex ira grave damnum proximo deſiderat, aut ejus honori graviter detrahit; quod plane fit, dum *fatuum* exprobrando appellat, peccatum lethale perpetrat, quod dignum illum efficit æterna pœna.

VI. Hæc omnia complexus eſt S. Thomas hic *art.* 5. *ad* 3. dicens: „ Gradus iræ, quos Dominus ponit, non pertinent ad diverſas iræ ſpecies; ſed accipiuntur ſecundum proceſſus humani actus, in quibus *primo* aliquid in corde „ concipitur. Et quantum ad hoc dicit: *Qui* „ *iraſcitur fratri ſuo*. *Secundum* autem eſt, cum „ per aliqua ſigna exteriora manifeſtatur exterius, „ etiam antequam prorumpat in effectum. Et „ quantum ad hoc dicit: *Qui dixerit fratri ſuo* „ *raca*, quod eſt interjectio iraſcentis. *Tertius* „ gradus eſt, quando peccatum interius conceptum „ ad effectum perducitur. Eſt autem effectus iræ „ nocumentum alterius ſub ratione *vindictæ*: minimum autem nocumentum eſt, quod fit ſolo „ verbo. Et ideo, quantum ad hoc dicit: *Qui* „ *dixerit fratri ſuo, fatue*. Et ſic patet, quod „ ſecundum addit ſupra primum, & tertium ſupra utrumque. Unde ſi primum eſt peccatum „ mortale in caſu, in quo Dominus loquitur, „ ſicut dictum eſt (*art.* 3. hujus *quæſt. ad* 2.); „ multo magis alia. Et ideo ſingulis eorum ponuntur correſpondentia aliqua, pertinentia ad „ condemnationem. Sed *primo* ponitur *judicium*, „ quod minus eſt: quia, ut Auguſtinus dicit, in „ *judicio adhuc defenſioni locus datur*. In *ſecundo* vero ponit *Concilium*, in quo Judices inter „ ſe conferunt, quo ſupplicio damnari oporteat. „ In *tertio* ponit gehennam ignis, quæ eſt certa „ damnatio “.

§. III.

§. III.

De Ira, prout capitale vitium eſt, & filiabus ejus.

VII. Capitale vitium iram eſſe, ex ratione ſæpe allata pro aliis vitiis capitalibus, evidens eſt ex eo, quod multa ex ipſa vitia gignantur, vel gigni facile queant. Sex autem potiſſima vitia ex ira prodeuntia enumerat Sanctus Thomas hic *art.* 7. eaque ſunt *rixa*, *tumor mentis*, *contumelia*, *clamor*, *indignatio*, & *blaſphemia*: quam diviſionem eleganti admodum ratione illuſtrat ex triplici iræ conſideratione deducta, inquiens. „ Uno „ modo ira conſiderari poteſt, ſecundum quod „ eſt *in corde*. Et ſic ex ira naſcuntur duo vi- „ tia: unum quidem ex parte ejus, contra quem „ homo iraſcitur, quem reputat indignum, ut „ ſibi tale quid fecerit; & ſic ponitur *indigna-* „ *tio*. Aliud autem vitium eſt ex parte ſui i- „ pſius; in quantum ſcilicet excogitat diverſas „ vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum „ ſuum replet &c. Et ſic ponitur *tumor men-* „ *tis* “.

„ Alio modo conſideratur ira, ſecundum quod „ eſt *in ore*. Et ſic ex ira duplex inordinatio pro- „ cedit. Una quidem ſecundum hoc, quod homo „ in modo loquendi iram ſuam demonſtrat; ſicut „ dictum eſt de eo, qui dicit fratri ſuo *raca*. Et „ ſic ponitur *clamor*, per quem intelligitur inor- „ dinata, & confuſa locutio. Alia autem eſt inor- „ dinatio, ſecundum quod aliquis prorumpit in „ verba injurioſa: quæ quidem ſi ſint contra „ Deum, erit *blaſphemia*; ſi autem contra proxi- „ mum *contumelia* “.

„ Tertio modo conſideratur ira, ſecundum quod „ procedit uſque ad factum. Et ſic ex ira oriuntur „ *rixæ*, per quas intelligimus omnia nocumen- „ ta, quæ facto proximis inferuntur ex ira “. De his iræ filiabus pauca quædam adnotare proderit.

De Tumore mentis.

VIII. Non hic *tumor mentis* accipitur pro ſuperbia, ut ex verbis S. Thomæ liquet; ſed, ut habet *ad* 3. *pro quodam conatu*, *ſive audacia hominis intentantis vindictam*. Hujuſce mentis tumoris malitia, & gravitas repetitur ex qualitate ultionis, cujus deſiderio mens accenditur: adeoque lethale peccatum eſt, cum homo iratus gravem, & injuſtam vindictam meditatur proximo, a quo læſus eſt.

De Indignatione.

IX. *Indignatio* definiri poteſt *animi commotio adverſus eum*, *cui quis iraſcitur*, *ob malum ab ipſo acceptum*. Lethale peccatum eſt, ſi gravem proximi contemptum contineat, vel grave puſillis ſcandalum afferat; vel ſi quis alium a familiaritate, collocutione ſua tamquam indignum arceat, in iis caſibus, in quibus ſub peccato mortali tenetur cum eo familiariter verſari, & colloqui; vel demum ſi ita ſit affectus; ut ei in gravi aut corporis, aut animi neceſſitate conſtituto opem ferre recuſet. Siquidem omnes hi motus, aut affectus animi charitati, & manſuetudini Chriſtianæ adverſantur. Quin imo ſilentium ipſum, dum ab ira imperatur, grave in quibuſdam caſibus peccatum eſſe docet S. Gregorius Magnus *lib.* 5. *Moral. cap.* 30. his verbis: „ Aliquando ira „ perturbato animo quaſi ex judicio ſilentium in- „ dicit, & quo ſe foras per linguam non ex- „ primit, intus deterius igneſcit, ut iratus „ quiſque collocutionem ſuam proximo ſubtra- „ hat, & nil dicendo, quam ſit averſus, di- „ cat. Et nonnunquam hæc ſilentii ſeveritas „ per diſciplinæ diſpenſationem geritur: ſi ta- „ men ſollicite in intimis diſcretionis forma te- „ neatur. Nonnunquam vero, dum accenſus „ animus a conſueta locutione reſtringitur, per „ acceſſum temporis penitus a proximi dile- „ ctione ſeparatur, & acriores ſtimuli ad men- „ tem veniunt, cauſæ quoque, quæ gravius „ exaſperant, oriuntur: Atque in irati ocu- „ lo feſtuca in trabem vertitur, dum ira in „ odium permutatur. Plerumque ira per ſilen- „ tium clauſa intra mentem vehementius æſtuat, „ & clamoſas tacita voces format: verba ſibi, „ quibus exaſperetur, objicit; & quaſi in cau- „ ſæ examine poſita durius exaſperata reſpondet: „ quod Salomon breviter inſinuat dicens: *Præſto-* „ *latio impiorum furor*. Sicque fit, ut perturba- „ tus animus majorem ſtrepitum ſui ſilentii ſen- „ tiat, eumque gravius clauſa iræ flamma con- „ ſumat &c. “. Hæc ille diſertiſſime, quibus iræ, aut potius proprii amoris fraudes detegit, ut ab his, dum ab aliquo lædimur, attente caveamus.

De Clamore.

X. *Clamor*, prout hic ſumitur, eſt *inordinata*, & *confuſa in proximum vocis elatio*. Hic ex ſe nonniſi peccatum veniale eſt; ſed fieri poteſt aliquando mortale, ſi nempe ex ira, ſive ex appetitu vindictæ procedat; ſive ſi mortis, aut gravis alicujus damni proximo inferendi deliberatam voluntatem exprimat. „ Plerumque fit, „ *inquit eodem loco S. Gregorius*, ut uſque ad „ manus ira proſiliat; & quo ratio longius re- „ cedit, audacior exurgat, ſeque ipſum animus „ retinere non valeat &c. Aliquando autem manus „ non exerit, ſed in maledictionis jaculum lin- „ guam vertit &c. fitque, ut voto, & voce ho- „ micidium peragat, etiam cum a læſione proximi „ manibus ceſſat “.

De Contumelia.

XI. *Contumelia*, ſive convicium eſt injurioſa locutio *contra proximum præſentem*, & *audientem*. De hac fuſe alibi dicturi ſumus, cum *de injuriis verborum* ſermo erit. Interim illud certum ſit, contumeliam, vel convicium peccatum mortale eſſe, dum profertur animo dedecorandi proximum, & honorem illius violandi, aut tam grave de ſe fuerit, ut, ſpectatis perſonarum con-

conditione, ac circumſtantiis, ejus honorem reapſe plurimum lædat, tametſi eo fine verbum injurioſum non proferatur. Id exploratiſſimum eſt ex oraculo Chriſti, qui tertium iræ gradum exponens ait: *Qui dixerit fratri ſuo*, fatue, *reus erit gehennæ ignis*. Nihil enim damnationem æternam meretur, ſive, quod perinde eſt, *gehennam ignis*, niſi peccatum mortale.

De Rixa.

XII. *Rixa* juxta S. Thomam 2. 2. q. 41. art. 1. & 2. *Eſt contradictio uſque ad facta perveniens, dum unus alterum lædere molitur.* Filiam iræ eſſe, ex Proverb. patet cap. 15. ubi dicitur: *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Et rurſus cap. 29. *Vir iracundus provocat rixas; & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior.* Rixam in eo, qui alterum invadit, peccatum lethale eſſe, conſtat ex Apoſtolo *ad Galat.* 5. recenſente *rixas inter opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur.* De hac, ſicut & de *blaſphemia* poſtrema filia iræ, alibi ſermo erit.

CAPUT UNDECIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Ira, prout paſſio, quæ ad rationem* antecedenter *ſe habet, ſemper mala eſt.*
II. *Ira, quæ* conſequenter *ſe habet ad rationem, & dicitur* ira per zelum *haud rectitudinem rationis aufert: adeoque laudabilis eſſe poteſt.*
III. *Illicitum ſemper eſt appetere vindictam propter malum ejus, qui puniendus eſt.*
IV. *Motus inordinatus iræ, cum aliqualiter ſemper ſit in poteſtate noſtra, aliquam peccati labem ſemper affert.*
V. *Motus iræ repentinus, vel deliberatus quidem, ſed cum appetitu vindictæ levis, nonniſi veniale peccatum eſt. Sancti Thomæ doctrina notanda.*
VI. *Ira inveterata odium eſt, atque adeo graviſſimum peccatum.*
VII. *Quo pacto intelligendum, quod ira vehemens ex parte ſolius* modi iraſcendi *quandoque lethale peccatum ſit.*
VIII. *Gravius peccant, qui tardiores ſunt ad deponendam iram.*
IX. *Vindicta, aut vindictæ voluntas pro privatis injuriis vitioſa ſemper eſt, ac peccatum.*
X. *Licita nihilominus eſt, ac etiam laudabilis ob correptionem peccantis, aut ob aliorum utilitatem. Pulchra S. Auguſtini ſententia.*
XI. *Etiam ira* per zelum *aliquando peccatum eſt, ſi nempe ſit immoderata.*
XII. *Ira gravius peccatum eſt in Epiſcopis, & Eccleſiaſticis.*
XIII. *Convicium interdum vel nullum, vel leve tantum peccatum eſt.*
XIV. *Contumelias contumeliis repellere nunquam licet.*
XV. *Laxa, & omnino rejicienda ſententia eſt P. Buſembaum, a gravi culpa excuſantis mulieres, pueros, & infimæ ſortis viros* conviciis ſeſe onerantes.
XVI. *Alia quoque ejuſdem, aliorumque Theologorum circa contumelias improbanda doctrina.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. IRa, prout paſſio quædam eſt, dupliciter ad rationem ſe habere poteſt, *antecedenter*, & *conſequenter*. Si *antecedenter* ſe habeat, ſemper mala eſt: ſi *conſequenter*, poteſt eſſe bona, & laudabilis. Declarat hoc S. Thomas hic *art.* 1. *ad* 2. docens: „ Ira, prout *antecedenter* ſe habet ad ratio„ nem, trahit rationem a ſua rectitudine: unde „ habet rationem mali. Prout vero ſe habet *conſe„ quenter*, quatenus appetitus ſenſitivus movetur „ contra vitia ſecundum ordinem rationis; hæc „ ira eſt bona, quæ dicitur ira *per zelum*. Unde „ Gregorius ait in 5. Moral. *Curandum ſummopere „ eſt, ne ira, quæ ut inſtrumentum virtutis aſſumi„ tur, menti dominetur; ne quaſi domina præeat, „ ſed velut ancilla ad obſequium parata a rationis „ tergo nunquam recedat* “.

Conſectarium Secundum.

II. Ira, quæ *conſequenter* ſe habet, & dicitur *ira per zelum*, etſi in executione actus judicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinem rationis tollit. Unde Gregorius ibidem ait: *Ira per zelum turbat rationis oculum; ſed ira per vitium excæcat.* Non eſt autem contra rationem virtutis, ut intermittatur deliberatio rationis in executione ejus, quod eſt a ratione deliberatum: quia etiam ars impediretur in ſuo actu, ſi, dum debet agere, deliberaret de agendis. Ita D. Thomas in eadem reſponſione.

Conſectarium Tertium.

III. Semper illicitum eſt appetere vindictam propter malum ejus, qui puniendus eſt. Sed appetere vindictam propter vitiorum correptionem, & bonum juſtitiæ conſervandum, nedum malum non eſt, ſed potius bonum, atque laudabile. Et in hoc poteſt tendere appetitus ſentiens, quatenus a ratione movetur. Et dum vindicta ſecundum ordinem judicii fit, a Deo fit, cujus miniſter eſt poteſtas puniens. Ita pariter S. Thom. *ibid. ad* 3.

Conſectarium Quartum.

IV. Motus inordinatus iræ aliquatenus in poteſtate noſtra eſt; & ideo ſemper aliquam peccati rationem affert. Hoc egregie declarat Doctor Angelicus hic *art.* 2. *ad* 3. inquiens: „ Homo eſt do„ minus ſuorum actuum per arbitrium rationis. „ Et ideo motus, qui præveniunt judicium ratio„ nis, non ſunt in poteſtate hominis, in genera„ li; ut ſcilicet nullus eorum inſurgat, quamvis „ ratio poſſit quemlibet ſingulariter impedire, ſi „ inſurgat. Et ſecundum hoc dicitur, quod mo„ tus iræ non eſt in poteſtate hominis; ita ſcilicet,

„ quod

„ quod nullus inſurgat. Quia tamen aliqualiter „ eſt in hominis poteſtate, non totaliter perdit „ rationem peccati, ſi ſit inordinatus “. Inordinatus, inquam, ſive ex parte *objecti*, ſive ex parte *modi iraſcendi*.

Conſectarium Quintum.

V. Repentinus iræ motus, vel deliberatus quidem, ſed conjunctus cum appetitu vindictæ levis, veniale duntaxat peccatum eſt. Id ſequitur apertiſſime ex doctrina jam ſupra tradita S. Thomæ, ubi diſerte docet, veniale peccatum eſſe iram, ſive vindictæ appetitum *propter imperfectionem actus*. Tum vero explicans hanc *actus imperfectionem*, docet eam tenere ſe poſſe *vel ex parte appetentis*; *cum nempe motus iræ prævenit judicium rationis*, ſive cum plene deliberatus non eſt: *vel ex parte appetibilis*; cum ſcilicet vindicta, quæ ex motu iræ appetitur, levioris momenti eſt: quod frequentius dici ſolet *propter parvitatem materiæ*. Atque hæc diſtinctio, quæ hic expreſſe fit a Sancto Doctore, attentius notanda eſt pro ſimilibus aliis peccatis, quæ parvitatem materiæ admittunt; in quibus, quoties ſtatuit quidpiam eſſe *ex genere ſuo* lethale, & ſolum veniale *propter imperfectionem actus*, hæc actus imperfectio utroque modo eſt accipienda; *ex parte* ſcilicet *appetentis*, & *ex parte appetibilis*.

Conſectarium Sextum.

VI. Ira inveterata odium eſt, adeoque graviſſimum peccatum. Hoc declarat ex Sacris Litteris S. Auguſtinus *ſerm.* 58. his verbis: „ *Turbatus eſt* „ (inquit Propheta) *præ ira oculus meus*. Utique, „ cui turbatur (oculus), Solem videre non pot„ eſt: &, ſi conatus fuerit, pœna illi eſt, non „ voluptas. Quid eſt ira? *libido vindictæ* . . . . . „ Quid eſt odium? *Ira inveterata*. Ira inveterata „ ſi facta eſt, jam *odium* dicitur. Quod videtur „ confiteri ille, qui cum dixiſſet: *Turbatus eſt* „ *præ ira oculus meus*; addidit: *Inveteravi in o*„ *mnibus inimicis meis*. Quod erat *ira*, cum eſſet „ *nova*, *odium* factum eſt; quia in vetuſtatem „ converſum eſt. Ira feſtuca eſt, odium trabs eſt. „ Aliquando reprehendimus iraſcentem, & odium „ tenemus in corde; & dicit nobis Chriſtus: *Fe*„ *ſtucam in oculis fratris tui vides*, *& trabem* „ *in oculo tuo non vides*. Unde crevit feſtuca, „ ut trabem faceret? quia non ſtatim evulſa „ eſt, quia paſſus es exire, & intrare Solem „ toties ſuper iracundiam tuam; feciſti illam „ veterem, attraxiſti malas ſuſpiciones, & ri„ gaſti feſtucam, rigando nutriſti, nutriendo tra„ bem feciſti. Expaveſce vel quando dicitur: „ *Qui odit fratrem ſuum*, *homicida eſt*. Gla„ dium non eduxiſti, non vulnus in carne fe„ ciſti &c.: cogitatio ſola odii in corde tuo „ eſt, & teneris homicida: reus es ante oculos „ Dei “.

Conſectarium Septimum.

VII. Cum ex parte *modi iraſcendi* ira de ſe venialis, quandoque juxta S. Thomam fiat peccatum mortale; ſi nempe *ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei*, *& proximi*; hoc ita intelligendum eſt, quod ira vehemens, tametſi nullum vindictæ appetitum contineat, lethale peccatum eſt; ſi nimirum dentibus frendeat, morſu ſe laniet, menſas evertat, & ſimilia, quæ pene inſanientem ira produnt, & multo magis ſi in injuriam Dei, aut blaſphemiam prorumpat, ſi charitatem erga proximum in animo extinguat, ſi gravem contumeliam quis in alium proferat, vel grave ſcandalum proximo afferat. Unde, cum ſibi S. Doctor *art.* 3. objeciſſet illud Job cap. 5. *Virum ſtultum interficit iracundia*, reſpondet: „ Ad pri„ mum dicendum, quod ex illa authoritate non „ habetur, quod omnis ira ſit peccatum mortale; „ ſed quod ſtulti per iracundiam ſpiritualiter oc„ ciduntur; in quantum ſcilicet non refrænando „ per rationem motum iræ, dilabuntur in aliqua „ peccata mortalia, puta in blaſphemias Dei, vel „ injuriam proximi “.

Conſectarium Octavum.

VIII. Gravioris culpæ rei ſunt, qui tardius iram deponunt, quam qui licet citius iraſcantur, ab ira tamen cito conquieſcunt; & ſi quem ex ira offenderint, ad veniam obtinendam feſtinant. Hoc tradit S. Auguſtinus *in Reg.* ſive *Epiſt.* 211. dicens: *Melior eſt autem*, *qui quamvis ira ſæpe tentetur*, *tamen impetrare feſtinat*, *ut ſibi dimittat*, *cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam*; *quam qui tardius iraſcitur*, *& ad veniam petendam tardius inclinatur*. Quod etiam confirmat S. Gregorius Magnus *lib.* 5. *Moral. cap.* 30. ubi ait: „ Sciendum eſt, quod „ nonnullos ira citius accendit, facilius deſerit: „ nonnullos vero tarde quidem commovet, ſed „ diutius tenet. Alii namque accenſis calamis ſi„ miles, dum vocibus perſtrepunt, quaſi quoſdam „ accenſionis ſuæ ſonitus reddunt: citius quidem „ flammam faciunt, ſed protinus in favilla frige„ ſcunt. Alii autem lignis gravioribus, duriori„ buſque non diſpares, accenſionem tarde ſuſci„ piunt, ſed tamen accenſi ſemel difficilius extin„ guuntur; & quia ſe tardius in aſperitatem con„ citant, furoris ſui diutius ignem ſervant. Alii „ autem, quod eſt nequius, & citius iracundiæ „ flammas accipiunt, & tardius deponunt. Non„ nulli vero has & tarde ſuſcipiunt, & citius „ amittunt. In quibus nimirum quatuor modis „ liquido lector agnoſcit, quia & ad tranquillita„ tis bonum ultimus pluſquam primus appropin„ quat, & in malo ſecundus tertium ſuperat “. Adeoque horum iracundia cæteris omnibus deterior eſt.

Conſectarium Nonum.

IX. Vindicta, aut vindictæ libido pro privatis injuriis nobis illatis ſemper vitioſa eſt, & peccatum; adeoque illatas injurias ſemper, & ubique, quantum eſt ex animi affectu, condonare *tenemur*. Documentum hoc omnibus ſuis Diſcipulis reliquit Divinus Magiſter Chriſtus Dominus ſerm. in Monte apud Matth. cap. 5. ubi cor-

corrigens falſam traditionem Phariſæorum, ait: *Audiſtis, quia dictum eſt: oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram &c.* Quo in textu illud obſervare par eſt, quod, cum Chriſtus inimicorum dilectionem præcepiſſet, ſubjecit etiam condonationem injuriarum, quæ nobis præſcribitur, ut remiſſionem peccatorum a Patre cæleſti obtineamus. Vult ergo, ut quemadmodum integram, plenam, & perfectam miſericordiam ab ipſo deprecamur, atque ſperamus; ita & plenam, perfectamque miſericordiam exerceamus in inimicos noſtros, nullamque de ipſis ſumamus unquam, aut expetamus vindictam. „ Si enim, *inquit cap.* 6. „ dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet „ & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si „ autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater ve„ ſter dimittet vobis peccata veſtra “. Sic ad divinæ bonitatis, & perfectionis imitationem a Chriſto imperatam contendimus. „ Ego autem dico „ vobis: diligite inimicos veſtros: benefacite his, „ qui vos oderunt; & orate pro his, qui vos „ perſequuntur, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in „ Cælis eſt. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & „ Pater veſter, qui in Cælis eſt, perfectus eſt “. Ut enim ait S. Auguſtinus in hunc Chriſti ſermonem cap. 21. „ Perfectio miſericordiæ, qua plu„ rimum animæ laboranti conſulitur, ultra dile„ ctionem inimici porrigi non poteſt; & ideo „ ſic clauditur: Eſtote ergo vos perfecti, ſic„ ut & Pater veſter, qui in Cælis eſt, perfectus „ eſt “.

Præceptum hoc confirmat Apoſtolus *ad Rom.* 12. monens fideles: „ Nulli malum pro malo redden„ tes: providentes bona non tantum coram Deo, „ ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri „ poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus „ pacem habentes: non voſmetipſos defendentes, „ chariſſimi: ſed date locum iræ. Scriptum eſt e„ nim mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Do„ minus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba il„ lum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens car„ bones ignis congeres ſuper caput ejus. Noli „ vinci a malo; ſed vince in bono malum “.

Conſectarium Decimum.

X. Licita tamen vindicta eſt, ſi fiat ad correptionem peccantis, vel ad aliorum utilitatem legitima authoritate: nec eam urgere prohibetur Chriſtianus offenſus apud Superiores, modo id faciat ob hoſce fines, non animo vindictæ. Hanc doctrinam tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. his verbis: „ Tenemur habere animum paratum ad „ contumelias (*aliaſque offenſas*) tolerandas, ſi „ expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut „ contumeliam illatam repellamus, maxime propter „ duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui „ contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia „ reprimatur, & de cætero talia non attentet, ſe„ cundum illud Proverb. 26. Reſponde ſtulto juxta „ ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Alio „ modo propter bonum multorum, quorum pro„ fectus impeditur propter contumelias nobis illa„ tas “. Hoc autem fieri poteſt, ac debet animo tranquillo, & ab omni iracundiæ motu penitus alieno.

Hauſit hanc doctrinam S. Thomas ex Patribus, ac præſertim ex S. Auguſtino, qui loco laudato *cap.* 19. hæc habet: „ Neque hic ea vindicta pro„ hibetur, quæ *ad correptionem* valet. Etiam ipſa „ enim pertinet ad miſericordiam: nec impedit il„ lud propoſitum, quo quiſque paratus eſt ab eo, „ quem correptum eſſe vult, plura perferre. Sed „ huic vindictæ referendæ non eſt idoneus, niſi qui „ odium, quo ſolent flagrare, qui ſe vindicare de„ ſiderant, dilectionis magnitudine ſuperavit. Non „ enim metuendum eſt, ne odiſſe parvulum filium „ parentes videantur, cum ab eis vapulat peccans, „ ne peccet ulterius. Et certe perfectæ dilectionis „ ipſius Dei Patris imitatione nobis proponitur, „ cum in ſequentibus dicitur: *Diligite inimicos ve„ ſtros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate „ pro eis, qui vos perſequuntur.* Et tamen de ipſo „ dicitur per Prophetam: *Quem enim diligit Do„ minus, corripit: flagellat autem omnem filium, „ quem recipit.* Dicit & Dominus: *Servus, qui „ neſcit voluntatem Domini ſui, & facit digna pla„ gis, vapulabit pauca: ſervus autem, qui ſcit vo„ luntatem Domini ſui, & facit digna plagis, va„ pulabit multa.* Non ergo quæritur, niſi ut & „ ille vindicet, cui rerum ordine poteſtas data eſt, „ & ea voluntate vindicet, qua pater in parvulum „ filium, quem per ætatem odiſſe nondum poteſt. „ Hinc enim aptiſſimum exemplum ducitur, quo „ ſatis appareat, poſſe peccatum amore potius vin„ dicari, quam impunitum relinqui; ut illum, in „ quem vindicat, non pœna miſerum, ſed corre„ ptione beatum velit: paratus tamen, ſi opus „ ſit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, „ quem vult eſſe correptum, ſive in eum habeat „ poteſtatem coercendi, ſive non habeat. Magni „ autem, & ſancti viri, qui jam optime ſcirent, „ mortem iſtam, quæ animam diſſolvit a corpo„ re, non eſſe formidandam, ſecundum tamen eo„ rum animum, qui illam timerent, nonnulla pec„ cata morte punierunt; quod & viventibus utilis „ metus incuteretur, & illis, qui morte punieban„ tur, non ipſa mors noceret, ſed peccatum, quod „ augeri poſſet, ſi viverent. Non temere illi judi„ cabant, quibus tale judicium donaverat Deus. „ Inde eſt, quod Elias multos morte affecit & „ propria manu, & igne divinitus impetrato: „ quod & alii multi magni, & divini viri eodem „ ſpiritu conſulendi rebus humanis non temere fe„ cerunt “.

Conſectarium Undecimum.

XI. Quamvis ira *per zelum* laudabilis ſit, peccatum tamen eſt, ſi ſit immoderata. Hoc oſtendit S. Gregorius Magnus *lib.* 5. *Moral. cap.* 30. „ Cum „ *per zelum*, ait, animus movetur, curandum „ ſummopere eſt, ne hæc eadem, quæ inſtrumen„ to virtutis aſſumitur, menti ira dominetur „ &c. Tunc enim robuſtius contra vitia erigi„ tur, cum ſubdita rationi famulatur. Nam „ quantumlibet ira ex zelo rectitudinis ſurgat, „ ſi immoderata mentem vicerit, rationi proti-

„ nus

„ nus ſervire contemnit ; & tanto ſe impruden-„ tius dilatat, quanto impatientiæ vitium virtu-„ tem putat. Unde neceſſe eſt, ut hoc ante o-„ mnia, qui zelo rectitudinis movet, attendat, „ ne ira extra mentis dominium tranſeat, ſed in „ ultione peccati tempus, modumque conſide-„ rans, ſurgentem animi perturbationem ſubti-„ lius retractando reſtringat, animoſitatem repri-„ mat, & motus fervidos ſub æquitate diſpo-„ nat; ut eo fiat juſtior ultor alienus, quo prius „ extitit victor ſuus: quatenus ſic culpas delin-„ quentium corrigat, ut ante ipſos qui corrigit, „ per patientiam creſcat, & fervorem ſuum tran-„ ſcendendo judicet, ne intemperanter excitatus „ zelo rectitudinis, longe a rectitudine aber-„ ret “. Gemina habet Sanctus Bernardus Epiſt. 69.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Ira gravius peccatum eſt in Epiſcopis, & Eccleſiaſticis. Id conſtat ex eo, quod hi ſpecialiter tenentur imitari Chriſtum; qui quamvis omnibus dixerit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*; hoc tamen maxime convenit Miniſtris ejus, ac Sacerdotibus, quorum proprius character in docendo, & prædicando debet eſſe manſuetudo, & humilitas: &, ſicut Apoſtolis dictum fuit, *ſicut agni* ſint oportet *inter lupos*; ideſt in medio hominum ſæcularium. Hinc inter Canones, qui *Apoſtolici* dicuntur, habetur ille, qui refertur Can. *Epiſcopum* diſt. 45. „ Epiſcopum, aut Presbyte-„ rum, aut Diaconum percutientem fideles delin-„ quentes, aut infideles inique agentes, & per „ hujuſmodi volentem timeri, dejici ab officio „ ſuo præcipimus: quia nuſquam nos hoc Domi-„ nus docuit. E contrario vero ipſe cum percu-„ teretur, non percutiebat; cum malediceretur, „ non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur “.

Idem confirmat ſæpe laudatus S. Gregorius Magnus *Epiſt.* 52. *lib.* 2. *Ind. XI.* inquiens: „ Quid au-„ tem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, „ Canones dicant, bene Fraternitas veſtra novit. „ Paſtores etenim facti ſumus, non percuſſores. Et „ egregius Prædicator dicit: *argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Nova vero, „ atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberi-„ bus exigit fidem.

Hoc ipſum præſertim ab Eccleſiaſticis exigit Concilium Toletanum XI. *Can.* 7. his verbis: „ Cum „ juxta antiquæ inſtitutionis edictum plus erga „ corrigendos agere debeat benevolentia, quam „ ſeveritas; plus cohortatio, quam commotio; „ plus charitas, quam poteſtas: relatum eſt no-„ bis, quod quidam ex fratribus plus livore „ odii, quam correctionis ſtudio ſubditos inſe-„ quentes, dum ſe ſimulant ſpiritualem eis adhi-„ bere correctionem, indiſcretam ſubito afferunt „ mortem, cum inauditos a ſe projiciunt, & „ occultis eos judiciis ſub pœnitentia puniunt “. Hos igitur tamquam antiquæ, & firmatæ in Eccleſia diſciplinæ tranſgreſſores Concilium redarguit, ac damnat.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Convicium aliquando vel nullum, vel leve peccatum eſt; ſi nempe vel ex levitate proferatur, aut joci gratia, vel cauſa correptionis; & verba prolata ſecundum ſe, aut ſpectata qualitate perſonarum, aut circumſtantiis, levia ſint, aut communiter æſtimentur. Si vero animo lædendi, aut dedecorandi perſonam dicatur, & grave convicium ſit, mortale peccatum eſt. Partes omnes hujus conſectarii docentur a S. Thoma 2. 2. *q.* 77. *art.* 11. ubi ait: „ Si aliquis verbum convicii, vel „ contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo de-„ honorandi, ſed forte propter correctionem, vel „ propter aliquod hujuſmodi &c.; hoc poteſt eſſe „ quandoque peccatum veniale, quandoque autem „ abſque omni peccato. In quo tamen neceſſaria „ eſt diſcretio, ut moderate homo talibus verbis „ utatur &c. “ Ibid. vero ait: „ Cum convicium, „ vel contumelia de ſui ratione importet quam-„ dam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad „ hoc feratur, ut per verba, quæ profert, hono-„ rem alterius auferat &c.; hoc eſt peccatum mor-„ tale non minus, quam furtum &c. “ Id alibi fuſius adſtruetur.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Contumelias contumeliis repellere nunquam licet. Unde non excuſatur a peccato mortali, qui verbis contumelioſis laceſſit alterum, quamvis ab ipſo provocatus ſit. Etenim *Proverb.* 6. dicitur: *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris*. Et Chriſtus diſcipulis ſuis patientiam commendans apud Matth. 5. *Beati eſtis*, inquit, *cum maledixerint vobis, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes &c.* Et Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis*. Quod & alibi in Sacris Scripturis ſæpe nobis commendatur.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Laxa eſt, & omnino rejicienda doctrina P. Buſembaum *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 6. dum ait: *Sic excuſantur ſaltem a mortali . . . mulieres, pueri, & infimæ ſortis homines, conviciis ſe onerantes &c.* Cur dicit in primis *ſaltem a mortali*? Numquid forte etiam a veniali excuſandos putat? Sed non ſolum a veniali, ſed neque a mortali peccato excuſari debent *mulieres, pueri* vi rationis præditi, *& infimæ ſortis homines, conviciis ſe onerantes*. Quid enim in hoc genere facere amplius poſſunt, quam *conviciis ſe onerare*? An dictum illud Chriſti Domini: *Qui dixerit fratri ſuo*, fatue, *reus erit gehennæ ignis*, locum non habet, & habere non debet etiam in *mulieribus, pueris, & infimæ ſortis hominibus*, ſe mutuo conviciantibus, imo *ſe conviciis onerantibus*? Num hi a Chriſti lege immunes ſunt; aut lex Chriſti pro omnibus lata non eſt? An injurioſa verba, dum ſe mutuo appellant *fatuos, fures, adulteros, ſodomitas, maleficos, Dæmones &c.*, in horum ore injuriæ non ſunt, ſuamque ſignificationem amittunt?

Sed

Sed audi pulcherrimam Buſembaum rationem, cur *ſaltem a mortali* excuſentur: *quia*, inquit, *cum fides iis non habeatur*, *non læditur graviter honor*. Optime profecto. At ſi ejuſmodi *conviciis oneratur* perſona graviſſima, Sacerdos, Epiſcopus, Princeps &c.; multo minus *fides iis non habetur*. Igitur neque in hos prolata peccatum mortale erunt; ſed ut ſummum veniale. Vah doctrinam diris omnibus devovendam!

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Alia quoque ejuſdem Buſembaum, & Authorum, quos laudat, improbanda in eodem loco doctrina eſt; nimirum: *Adde*, *quod contumeliæ mortalis qualitatem in Confeſſione explicare non ſit neceſſarium*, *ut contra Filliuc. &c. docent Azor.*, *Sà*, *Mol.*, *C. de Lugo D.* 56. *de Pœnit. n.* 269. Hæc, inquam, doctrina improbari meretur. In Confeſſione namque neceſſario explicandæ ſunt circumſtantiæ, nedum quæ ſpeciem mutant, ſed etiam quæ intra eamdem ſpeciem peccatum notabiliter aggravant, ut in loco dicetur. Quare ſi contumeliæ qualitas notabiliter peccatum aggravet, ut non raro contingit, ea in Confeſſione neceſſario exprimenda erit.

REFLEXIO.

„ Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut digne „ ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni „ humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare „ unitatem ſpiritus in vinculo pacis ... Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram ... Omnis amaritudo, & ira, „ & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur „ a vobis cum omni malitia. Eſtote autem invicem benigni, & miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis “. Hæc ſunt aurea documenta, atque præcepta, quæ S. Apoſtolus Paulus commendavit Epheſiis, commendatque omnibus Chriſti fidelibus; quæ in omnium Chriſtianorum cordibus alte impreſſa eſſe deberent, ut ad amuſſim Evangelicæ Legis ſe conforment, digneque ambulent vocatione divina, qua per Chriſti gratiam vocati ſunt. Nemo eſt, qui non videat, nihil magis in hiſce verbis a nobis expeti, quam humilitatem, manſuetudinem, atque patientiam, eaque omnia, quæ ad iram compeſcendam, pacemque, & charitatem cum omnibus ſervandam neceſſaria ſunt, ut veri ſimus diſcipuli illius, qui de ſe dicebat: *Diſcite a me*, *quia mitis ſum*, *& humilis corde*; ut perfectum, abſolutumque patientiæ, ac manſuetudinis, quam ſequeremur, in ſemetipſo exemplar relinqueret. Nullum profecto malum eſt, quod æquo animo non feramus, ſi hoc divinum exemplar ob oculos noſtros continenter verſetur. Quid enim perpeti poſſumus, quod ille ſumma cum manſuetudine, ac patientia perpeſſus non fuerit? „ Si paupertate affligeris, inquit Magnus Baſilius hom. *de Ira*, memor ſis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum dives eſſet, noſtri gratia egere voluit. Si vero & „ ſtultus, & indoctus appellaberis, reminiſcere „ eorum, quæ a Judæis jactata ſunt in veram Sapientiam: *Samaritanus es*, *& Dæmonium habes*. „ Alapa, ſeu pugillo cæſus es? At enim etiam „ Dominus. Expuit aliquis in faciem? Eadem „ & Dominus eſt paſſus: Nec enim ab expuentibus, aut cædentibus faciem avertit. Calumniam „ pateris? Et Dominus (paſſus eſt). Tua laceratur „ veſtis? Et a Domino quoque veſtis per vim extracta, & ſuper eam miſſæ ſortes. Nondum condemnatus es, nondum Cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imitationem pervenias. „ Talia igitur, & horum ſimilia tibi concurrant; „ mentiſque tuæ impetum, & iram compeſcant. „ Similes namque præparationes, & animi diſpoſitiones morſus cordis, & impulſus facile delebunt, & animæ cogitationes in tranquillum ſtatum deducent. Hoc enim eſt, quod David ait: „ *Paratus ſum*, *& non ſum turbatus*. Oportet itaque, motus animi inſanos, ac præcipites, exemplo ſanctorum, ac beatorum præceptorum (Chriſti, ejuſque Apoſtoli Pauli) propoſito, memoria „ cohibere “; ut *digne ambules vocatione tua cum omni humilitate*, *& manſuetudine*, *ſupportans* adverſarios te lædentes, *in charitate*, *ſollicitus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. *Iraſcere*, ſi ita quandoque oporteat; *ſed noli peccare*: Neque *Sol* rationis *occidat ſuper iracundiam tuam*. *Omnis amaritudo*, *& ira*, *& indignatio*, *& clamor*, *& blaſphemia tollatur a te cum omni malitia*. *Eſto ergo benignus*, *& miſericors* proximo tuo, tametſi verbo, aut opere te læſerit, donans ei offenſam omnem tibi illatam, *ſicut & Deus in Chriſto donavit tibi*.

His concinit Eccleſiæ Doctor S. Ambroſius; ſimulque docet, quomodo cohibere iram, noſque, ſi accenditur, gerere debeamus *lib.* 1. *de Offic. Miniſt. cap.* 21. ubi exempla Chriſti, ac Sanctorum præ oculis habens, manſuetudinem adverſus iræ motus commendans, hæc ait: „ Caveatur iracundia; aut, „ ſi præcaveri non poteſt (neque enim in poteſtate „ noſtra eſt, inſurgentes omnes iræ motus impedire) cohibeatur. Magna enim illex peccati indignatio eſt, quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primum eſt igitur, ſi fieri poteſt, ut morum tranquillitas uſu „ quodam, affectione, propoſito in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerumque motus „ infixus eſt naturæ, ac moribus, ut evelli, atque „ evitari non queat, ſi prævideri potuerit, ratione reprimatur. Aut ſi prius occupatus fuerit „ animus ab indignatione, quam conſilio proſpici, „ ac provideri potuerit, ne occuparetur; meditare, quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Reſiſte iræ, ſi potes: cede, ſi „ non potes; quia ſcriptum eſt: *date locum iræ* ... „ Ergo ſi prævenerit, & occupaverit mentem tuam „ iracundia, & accenderit in te, non relinquas „ locum tuum. Locus tuus patientia eſt, locus „ tuus ſapientia eſt, locus tuus ratio eſt, locus „ tuus ſedatio indignationis eſt. Aut ſi te contumacia reſpondentis moverit, & perverſitas impulerit ad indignationem, ſi non potueris mitigare „ mentem, reprime linguam tuam. Sic enim ſcriptum eſt: *Cohibe linguam tuam a malo*, *& labia tua ne loquantur dolum*. Deinde: *Inquire pacem*,

„ *cem*, *& perſequere eam*. Pacem illam S. Jacobi „ vide, qua tu primum ſedes animum; ſi non „ prævalueris, frænos linguæ impone tuæ: de- „ inde reconciliationis ſtudium non prætermit- „ tas “.

Eadem valde utilia documenta tradit idem S. Pater in *Pſal.* 36. exponens illum verſiculum: *Deſine ab ira*, *& relinque indignationem*; ſive, ut modo legimus, *& derelinque furorem*, ubi ita loquitur: „ Sunt multa vitia, quæ obrepunt inſi- „ pientibus. Ira gravis eſt paſſio: plerumque ac- „ cendit invitum, & volentem mitius vindicare, „ in furorem rapit, ut perimat, & quem putave- „ rit coercendum . . . David ſapienter monet di- „ cens: *Deſine ab ira*; ne cum accenderis eam, „ illa non deſinat, priuſquam te ejus flamma con- „ ſumat. *Relinque*, inquit, *indignationem*; hoc „ eſt: natura te rapit, movet affectus; culpa te „ alicujus excitat, vel offenſa, ut indigneris, ſed „ non uſquequaque, ut modum neſcias: relinque „ eam; finem impone, ne te in peccatum trahat. „ Hoc eſt, quod ſupra dixit: *Iraſcimini*, *& nolite* „ *peccare*. Non enim hortatur, ut iraſcaris, ſed „ ad tempus cedit affectui: dat tamen medicamen- „ tum, ne diutius vis ulceris ſerpat. *Iraſcimini*; „ quod, ait, tuæ eſt paſſionis. Medicus enim non „ ſtatim adhibet medicamenta languori: ſi dolor „ fervet, fomenta adhibet, ut miteſcat dolor: ſi „ febris exæſtuat, remedii tempus expectat; ipſum „ potum ſitientibus negare conſuevit. Non dicit: „ *noli febrire*, cum vapor fervet ægroti; ſed di- „ cit: *expecta*, *deſinat febris*, *digeratur commotio*. „ Sic & Propheta non potuit dicere homini, cu- „ jus caro ut variis morborum, ita commotioni- „ bus excitatur: *non iraſcere*; ſed dicit: *deſine ab* „ *ira*, *& indignationem relinque*, ne pecces. *Ira* „ *enim gravis eſt magiſtra peccati* (ad Epheſ. 4.). „ Alius quoque Medicus dicit: *Sol non occidat* „ *ſuper iracundiam veſtram*; ne, dum diu differs, „ veniat ille, qui calefactum corporis ſomno ex- „ citare conſuevit, & ſtimulet te, inſerat tibi „ cogitationes, & in ſecreta ſe tui pectoris im- „ mergat dicens: *vindica injuriam tuam*: *virum* „ *te eſſe cognoſce*: *fœmineæ infirmitatis eſt*, *non ca-* „ *pere vindictam*. *Ergo contemnere te debuit ſervus*, „ *frater decipere*, *amicus illudere*: *& tu adhuc* „ *tuam non ulciſceris contumeliam*!... His ſtimulis „ plus accenditur, plus movetur, ut compleatur, „ quod ſcriptum eſt: *ira perdit etiam ſapientes* “. Audiamus igitur con omni animi docilitate laudatum Apoſtoli monitum: ſectemur cum proximo humilitatem, manſuetudinem, patientiam, *ſupportantes invicem in charitate*, *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. *Simus invicem benigni*, *& miſericordes*, facile condonantes offenſas adverſum nos commiſſas: atque ita motus iræ inordinatos cohibentes, *digne ambulabimus vocatione*, *qua vocati ſumus in Criſto Jeſu*; *terramque* illam beatorum *hereditate* aſſequemur, quæ *mitibus* repromiſſa eſt.

CAPUT DUODECIMUM.

De Invidia ſexto vitio Capitali.

Doctrina.

I. *Invidiæ definitio*, *& natura ex D. Thoma explicata.*

II. *Ad quos proprie invidia habeatur.*

III. *Invidia ex natura ſua peccatum eſt. Quibus modis triſtitia de bono alterius nullum peccatum ſit*, *imo etiam laudabilis.*

IV. *Invidia proprie dicta peccatum eſt ex genere ſuo mortale.*

V. *Imo unum ex gravioribus*, *quæ proximi charitati adverſantur. Illuſtris de hoc S. Joannis Chryſoſtomi ſententia.*

VI. *Aliud de invidiæ malignitate S. Gregorii Magni teſtimonium.*

VII. *Invidia unum ex vitiis capitalibus merito aſſeritur. Ejus filiæ plures. De quibuſdam remiſſive.*

VIII. *De* ſuſurratione *prima inter Invidiæ filias. Quid illa ſit*, *ejuſque gravis malitia juxta S. Thomam.*

IX. *Quid ex ratione a S. Thoma adducta conſequatur.*

X. *Gravius peccatum eſt ipſa detractione.*

XI. *De altera invidiæ filia*, *ſcilicet* exultatione in proximi adverſis, & afflictione in proſperis. *Pulchra S. Gregorii Magni de hac re authoritas.*

XII. *Quid indoles Chriſtianæ Charitatis a nobis expoſcat in rebus proximi ſive proſperis*, *ſive adverſis. Alia ejuſdem S. Doctoris non minus pulchra ſententia.*

§. I.

Quid ſit invidia: & in quo proprie conſiſtat. & quale peccatum ſit.

I. Invidia, quam inter peccata capitalia ſexto loco ponimus, ex definitione a S. Thomæ doctrina deſumpta, eſt *triſtitia de bono alterius apprehenſo ut malo proprio.* Triſtitia in primis eſt, cujus objectum eſt *proprium malum*. „ Contingit „ autem, inquit S. Doctor 2. 2. *q.* 36. *art.* 1., id, „ quod eſt alienum bonum, apprehendi ut ma- „ lum proprium: & ſecundum hoc de bono alie- „ no poteſt eſſe triſtitia. Sed hoc (ſubjicit) „ contingit dupliciter. Uno modo, quando quis „ triſtatur de bono alicujus, in quantum imminet „ ſibi ex hoc periculum alicujus nocumenti: ſic- „ ut cum homo triſtatur de exaltatione inimici „ ſui, timens, ne eum lædat. Et talis triſtitia „ non eſt invidia, ſed magis timoris effe- „ ctus “.

„ Alio modo bonum alterius æſtimatur ut ma- „ lum proprium, in quantum eſt diminutivum „ propriæ gloriæ, vel excellentiæ. Et hoc mo- „ do de bono alterius triſtatur invidia. Et id- „ eo præcipue de illis bonis homines invident, „ in

„ in quibus eſt gloria, & in quibus homines a-
„ mant honorari, & in opinione eſſe “.

II. Hinc *in reſp. ad* 2. illud obſervat, „ quod,
„ quia invidia eſt de gloria alterius, in quantum
„ diminuit gloriam, quam quis appetit; conſe-
„ quens eſt, ut ad illos tantum invidia habeatur,
„ quibus homo vult ſe æquare, vel præferre in
„ gloria: hoc autem non eſt reſpectu multum
„ a ſe diſtantium. Nullus enim, niſi inſanus,
„ ſtudet ſe æquare, vel præferre in gloria his,
„ qui ſunt multo eo majores; puta plebejus
„ homo Regi, vel etiam Rex plebejo, quem
„ multum excedit. Et ideo his, qui multum
„ diſtant vel loco, vel tempore, vel ſtatu, ho-
„ mo non invidet; ſed his, qui ſunt propinqui,
„ quibus ſe nititur æquare, vel præferre. Nam
„ cum illi excedunt in gloria, accidit hoc con-
„ tra noſtram voluntatem: & inde cauſatur triſti-
„ tia “.

III. Ex hoc autem, quod invidia ſit triſtitia de alieno bono, colligit ille *artic.* 2. eſſe peccatum. Ut autem hoc adſtruat, animadvertit, triſtitiam de alieno bono poſſe contingere „ Uno
„ quidem modo, cum aliquis dolet de bono ali-
„ cujus, in quantum ex eo timetur nocumentum
„ vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis. Et talis
„ triſtitia non eſt invidia, ut dictum eſt, & po-
„ teſt eſſe ſine peccato. Unde Gregorius 22. *Mo-*
„ *ral.* ait: *Evenire plerumque ſolet, ut non a-*
„ *miſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet;*
„ *& rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contri-*
„ *ſtet: cum &, ruente eo, quoſdam bene erigi cre-*
„ *dimus; & proficiente illo, pleroſque injuſte op-*
„ *primi formidamus* “.

„ Alio modo poteſt aliquis triſtari de bono al-
„ terius, non ex eo, quod ipſe habet bonum;
„ ſed ex eo, quod nobis deeſt bonum illud, quod
„ ipſe habet. Et hoc proprie eſt *zelus*. Et ſi
„ iſte zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt
„ ſecundum illud Corinth. 14.: *Æmulamini ſpi-*
„ *ritualia*. Si autem ſit de bonis temporalibus,
„ poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato “; juxta qualitatem ſcilicet affectionis erga hujuſmodi objecta, & circumſtantias.

„ Tertio modo aliquis triſtatur de bono alte-
„ rius, in quantum ille, cui accidit bonum, eſt
„ eo indignus. Quæ quidem triſtitia non poteſt
„ oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis ju-
„ ſtus efficitur: ſed ſicut Philoſophus dicit, eſt
„ de divitiis, & de talibus, quæ poſſunt prove-
„ nire dignis, & indignis. Et hæc triſtitia ſe-
„ cundum ipſum vocatur *nemeſis*, & pertinet ad
„ bonos mores. Sed hoc ideo dicit, quia conſi-
„ derabat ipſa bona temporalia ſecundum ſe, pro-
„ ut poſſunt magna videri non reſpicientibus ad
„ æterna. Sed ſecundum doctrinam fidei tempo-
„ ralia bona, quæ indignis proveniunt, ex ju-
„ ſta Dei ordinatione diſponuntur vel ad eorum
„ correptionem, vel ad eorum damnationem.
„ Et hujuſmodi bona quaſi nihil ſunt in com-
„ paratione ad bona futura, quæ ſervantur bo-
„ nis. Et ideo hujuſmodi triſtitia prohibetur
„ in Scriptura Sacra ſecundum illud Pſalm. 36.:
„ *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris*
„ *facientes iniquitatem*. Et alibi Pſal. 72.: *Pene*
„ *effuſi ſunt greſſus mei; quia zelavi ſuper iniquos,*
„ *pacem peccatorum videns* “.

„ Quarto modo aliquis triſtatur de bonis alicu-
„ jus, in quantum alter excedit ipſum in bonis.
„ Et hoc proprie eſt invidia. Et iſtud ſemper
„ eſt peccatum, ut etiam Philoſophus dicit: quia
„ eſt dolor de eo, de quo eſt gaudendum, ſcili-
„ cet de bono proximi “; ac proinde affectus inordinatus, qui nunquam pravitate caret.

IV. Hoc peccatum ex genere ſuo eſſe mortale conſtat ex eo, quod ab Apoſtolo *ad Galat.* 5. inter opera illa numeretur, de quibus dicitur: *quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*; & ex ratione allata a Sancto Thoma *art.* 3. quia invidia ſecundum objecti ſui rationem adverſatur charitati, ex qua vita animæ pendet, aut potius ipſa vita animæ eſt. „ Utriuſque au-
„ tem objectum, *ait*, & charitatis, & invidiæ eſt
„ bonum proximi: ſed ſecundum contrarium mo-
„ tum. Nam charitas gaudet de bono proximi:
„ invidia autem de eodem triſtatur. Unde ma-
„ nifeſtum eſt, quod invidia ex ſuo genere eſt
„ peccatum mortale “.

Verum & in invidia locum habet, quod de aliis peccatis ex genere ſuo mortalibus obſervatum eſt ex eodem S. Præceptore; quod poſſit eſſe, & veniale ſæpe ſit propter *imperfectionem actus: inveniuntur* enim aliqui imperfecti motus in ſenſualitate exiſtentes, qui ſunt *peccata venialia*. Unde hujuſmodi etiam primi motus invidiæ, quibus quandoque non carent ipſi ſancti viri, lethali culpæ nunquam adſcribuntur. Poteſt etiam invidia eſſe venialis ex parvitate boni, quod alteri invidet, ſive *ex imperfectione actus ex parte objecti*; ut ſi bonum illud, quod eſt invidiæ objectum, ſit nullius, vel levioris momenti.

V. At nedum invidia ex genere ſuo peccatum lethale eſt; ſed etiam unum eſſe ex gravioribus, quæ proximi charitati adverſa ſunt, eidemque magis infeſta oſtendit Sanct. Joann. Chryſoſtom. *hom.* 41. *in Matth.*, ubi fontes ſuæ malignitatis aperit, fuſeque deſcribit; ex quo pauca tantum cauſa brevitatis excerpam. „ Tale certe,
„ inquit, malum eſt invidia, quæ ita graſſatur
„ in animas, ut omnem malignitatem, & ne-
„ quitiam prætergrediatur. Nam adulterio dedi-
„ ti teterrimam voluptatem quæritant in ſuo
„ crimine, quod brevi tempore perpetratur. In-
„ vidi autem multo ante ſeipſos diſcruciant,
„ quam eos, quibus invident, perturbent, ac
„ torqueant. Sua invidia ita laniantur, & tam
„ aſſidue, ut nullum peccandi finem faciant. Sed
„ quemadmodum lutulentæ ſues cœno, & Dæ-
„ mones noſtro geſtiunt exitio; ſic invidi in pro-
„ ximorum calamitatibus tripudiant. Siquid ma-
„ li proximo accidiſſe reſcierit, tunc nonnihil
„ acquieſcit invidus, & reſpirat: alienas enim
„ jacturas ſuos quæſtus exiſtimat; & aliorum fe-
„ licitatem ſuam reputat miſeriam, & calamita-
„ tem: nec magis conſiderat, quid ſibi lætum,
„ & proſperum obtingat, quam quid proximo
„ adverſum, & calamitoſum inferatur. Nonne i-
„ gitur ejuſmodi homines lapidibus eſſent appe-
„ tendi? nonne omni ſupplicio mactandi? Siquidem
„ non ſecus ac canes rabie perciti allatrant omnes:
„ &

„ & ſunt veluti Dæmones conſpicui , & pejores
„ ſunt furiis fabuloſo Poetarum carmine decan-
„ tatis . Nam quemadmodum ſcarabæi alieno ſter-
„ core paſcuntur ; ita invidi adverſa cæterorum
„ hominum fortuna nutriuntur : & ſic toti ho-
„ minum cœtui inimicitias , & bella denun-
„ ciant “ .....
„ Nonne igitur jure, ac merito fornicatori-
„ bus, & Publicanis patuit aditus in cælum ,
„ e quo invidi æternum ſunt expulſi, licet ejus
„ hæredes legitimi forent? *Filii enim Regni e-*
„ *jicientur foras*, ut Evangelium atteſtatur. Il-
„ li, Fornicatores nimirum, & Publicani , ab-
„ dicata omni pravitate, & nequitia, bonis in-
„ ſperatis ab ipſo Deo ſunt cumulati. Phariſæi
„ autem iis bonis, quibus jam donati fuerant ,
„ ſua ſunt invidia deſtituti. Quod ſane juſtiſſi-
„ mum eſt. Nam invidia peſtiferum, & perni-
„ ciale malum hominem de omni humanitatis
„ gradu dejectum in teterrimum Dæmonem trans-
„ format. Invidia primum in terras homicidium
„ invexit. Invidia fratrem inflammavit in fra-
„ trem, & ad fraternæ charitatis contemptum im-
„ pulit. Invidia inſontis Abel terram innocuo
„ ſanguine reſperſit, & fœdavit. Invidia fecit ,
„ ut Dathan , Core, & Abiron Moyſi, & Aaro-
„ ni obtrectantes una cum familiis vaſto terræ ja-
„ tu vivi abſorberentur “ . Hæc, & alia perſequi-
tur eloquentiſſimus Pater .

VI. Paria de invidiæ malignitate ſcribit S. Gre-
gorius Magnus *lib.* 5. *Moral. cap.* 30. ad illud
Job. 5. : *Parvulum occidit invidia*. „ Parvulus eſt,
„ ait ille , qui invidia occiditur : quia niſi ip-
„ ſe inferior exiſteret , de bono alterius non do-
„ leret . Sed inter hæc ſciendum eſt , quia
„ quamvis per omne vitium , quod perpetra-
„ tur, humano cordi antiqui hoſtis virus in-
„ funditur ; in hac tamen nequitia tota ſua vi-
„ ſcera ſerpens concutit , & imprimendæ malitiæ
„ peſtem vomit ; de quo nimirum ſcriptum eſt :
„ *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terra-*
„ *rum*. Nam cum devictum cor livoris putredo
„ corruperit , ipſa quoque exteriora indicant ,
„ quam graviter animum veſania inſtigat. Color
„ quippe pallore afficitur , oculi deprimuntur ,
„ mens accenditur, & membra frigeſcunt; fit in
„ cogitatione rabies, in dentibus ſtridor : cum-
„ que in latebris cordis creſcens abſconditur o-
„ dium , dolore cæco tenebrat conſcientiam vul-
„ nus incluſum. Nihil lætum de propriis libet :
„ quia tabeſcentem mentem ſua pœna ſauciat ,
„ quam felicitas torquet aliena : quandoque ex-
„ tranei operis in altum fabrica ducitur , tanto
„ fundamentum mentis lividæ profundius ſuffodi-
„ tur : ut quo alii ad meliora properant , eo ipſi
„ deterius ruant ; qua ruina videlicet etiam il-
„ lud deſtruitur , quod in aliis actibus perfecto
„ opere ſurrexiſſe putabatur. Nam invidia, cum
„ mentem tabefecerit , cuncta , quæ invenerit ,
„ bene geſta conſumit “.

§. II.

De Invidia , prout vitium capitale eſt .

VII. Invidiam unum eſſe, & ex præcipuis qui-
dem vitiis capitalibus , nemo eſt , qui in dubium
revocet : idque evincit Sanctus Thomas hic *art.*
4. tum authoritate S. Gregorii *lib.* 31. *Moral.* di-
centis , quod *ex invidia oritur odium* , *ſuſurratio*,
detractio , *exultatio in adverſis proximi* , *& affli-*
ctio in proſperis ; tum ratione a paritate *accidiæ*
deprompta, de qua egerat quæſtione præcedente ,
noſque agemus in ſequenti Capite XIV. *Sicut e-*
nim , inquit , *accidia eſt triſtitia de bono ſpiri-*
tuali divino ; ita invidia eſt triſtitia de bono pro-
ximi . *Dictum eſt autem* , *accidiam eſſe vitium*
capitale ea ratione, *quia ex accidia homo impelli-*
tur ad aliqua facienda vel ut fugiat triſtitiam ,
vel ut triſtitiæ ſatisfaciat . *Unde eadem ratione*
invidia ponitur vitium capitale . Congrue autem
recenſeri a Sancto Gregorio invidiæ filias , decla-
rat *in reſp. ad* 3. , quam videſis , ſi lubet . Inte-
rim de quibuſdam ex iis, aliqua dicamus , o-
dium & detractionem ad alios Tractatus remit-
tentes .

De Suſurratione .

VIII. Prima inter invidiæ filias ponitur *ſuſur-*
ratio , cujus hæc poteſt eſſe definitio ; nimirum
eſt ſecreta oblocutio, *qua quis malum culpæ alienæ*,
aut pœnæ , *vel aliquem etiam naturæ defectum con-*
tra charitatis ordinem cuipiam renunciat , *ut ju-*
ſtam, *quæ inter eos verſatur* , *amicitiam lædat* ,
aut minuat, *aut diſſolvere valeat* . Sanctus Tho-
mas , ex quo tradita definitio deducitur , 2. 2. *q.*
74. *art.* 1. ſapienter obſervat, & in quo ſuſurra-
tio cum detractione convenit , & in quo differt,
inquiens: „ Suſurro, & detractor in materia con-
„ veniunt, & etiam in forma, ſive in modo lo-
„ quendi : quia uterque malum occulte de proxi-
„ mo dicit ; propter quam ſimilitudinem interdum
„ unum pro alio ponitur &c. Differunt autem
„ *in fine*: quia detractor intendit denigrare famam
„ proximi ; unde illa mala de proximo præcipue
„ profert , ex quibus proximus infamari poſſit ,
„ vel ſaltem diminui ejus fama . Suſurro autem
„ intendit amicitiam ſeparare , ut patet .... per
„ illud , quod dicitur Proverb. 26. *Suſurrone ſub-*
„ *lato* , *jurgia conquieſcunt* . Et ideo ſuſurro ta-
„ lia mala profert de proximo , quæ poſſunt con-
„ tra ipſum commovere animum audientis, ſecun-
„ dum illud Eccleſiaſt. 28. : *Vir peccator contur-*
„ *babit amicos* , *& in medio pacem habentium im-*
„ *mittet inimicitiam* “.

IX. Ex hoc conſequitur, quod *bilinguis* , quem
Scriptura reprobat, proprie dicatur *ſuſurro*. „ Cum
„ enim amicitia, ut habet *ad* 3. , ſit inter duos,
„ nititur ſuſurro ex utraque parte amicitiam rum-
„ pere : & ideo duabus linguis utitur ad duos ,
„ uni dicens malum de alio . Propter quod di-
„ citur Eccleſ. 28.: *Suſurro*, *& bilinguis maledi-*
„ *ctus* . Et ſubditur : *Multos enim turbavit pacem*
„ *habentes* “ .

Conſequitur etiam ex eodem S. Thoma, quod *criminator* differat a ſuſurrone, & detractore: quia *criminator* eſt, qui publice crimina aliis imponit vel accuſando, vel conviciando; quod ad ſuſurrationem, & detractionem minime pertinet.

Suſurrationem peccatum eſſe, & quidem ex genere ſuo mortale, certum eſt, cum charitati opponatur; idque Concilii Tridentini Catechiſmus veluti exploratum habet in explicatione præcepti octavi Decalogi §. 10. Poſtquam enim de obtrectatoribus, & maledicis loquutus eſt, ſubdit: „ In eodem genere ſunt, qui ſuis artificiis diſtrahunt homines, & inter ſe committunt, magnopereque ferendis diſcordiis delectantur, & ſummas conjunctiones, ac ſocietates fictis ſermonibus dirimentes amiciſſimos viros ad immortales inimicitias, & ad arma compellunt ... Tales erant multi ex conſiliariis Saulis, qui ejus voluntatem a Davide alienare, & in illum Regem concitare conabantur ".

X. Quin imo S. Thomas *art.* 2. probat, ſuſurrationem ſuapte natura gravius eſſe peccatum ipſa detractione hoc ſolido principio; quod „ peccatum in proximum tanto ſit gravius, quanto per ipſum majus nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tanto majus eſt, quanto majus eſt bonum, quod tollitur ". Porro *inter cætera exteriora bona præeminet amicus*: quia ſine amicis in ſocietate poſitus nullus vivere poteſt. Unde in Eccleſiaſt. dicitur: *Amico fideli nulla eſt comparatio*. Fama autem ipſa, quæ per detractionem aufertur, ad hoc maxime neceſſaria eſt, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. „ Et ideo, *concludit*, ſuſurratio eſt majus peccatum, quam detractio, & etiam quam contumelia; quia amicus eſt melior, quam honor; & amari, quam honorari ".

Hæc quamquam vera ſint, nihilominus pluribus in caſibus ſuſurrationis peccatum non incurritur; puta, dum quis malum proximi renunciat alteri, vel ad procurandam ipſius ſalutem, vel ob Eccleſiæ, aut Reipublicæ utilitatem, vel ut amicorum ſuorum bono conſulat, vel ut pravas, & in alterius damnum conſpirantes amicitias diſſolvat. Bonum enim proximi, multoque magis bonum commune prævalere debet: & renunciatio illa eo in caſu potius provenit ex charitate, cui inſervire debemus eo meliori modo, quo poſſumus.

De Exultatione in proximi adverſis, & afflictione in proſperis.

XI. Hæ ſunt perverſæ duæ invidiæ filiæ; & utraque peccatum mortale, poſita materiæ gravitate. Hæ enim peccata ſunt oppoſita charitati proximi, cujus eſt *gaudere cum gaudentibus*, *& flere cum flentibus*, juxta Apoſtolum ad Rom. 12.: *Pro invicem* namque *ſolicita debent eſſe membra*, ut ſchiſma non ſit, aut diviſio in corpore: *Et ſi quid patitur unum membrum, compatiantur alia membra*; ſive ſi glorietur unum membrum, congaudeant alia membra. Hinc Apoſtolus idem ad Corinthios de ſe ipſo dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Idemque pariter de ſemetipſo dixerat antea S. Jobus cap. 31.: *Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quod inveniſſet eum malum*.

Hac de re præſtat audire S. Gregorium Magnum, qui *lib.* 22. *Moral. cap.* 6. ita ſcribit: „ Omnipotentis Dei nos eſſe diſcipulos, ſola cuſtodia charitatis probat. Hinc eſt enim, quod per ſemetipſam veritas dicit: *In hoc cognoſcent omnes, quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Quæ nimirum dilectio, ſi cor noſtrum veraciter replet, duobus modis oſtendi ſolet: ſcilicet ſi & amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed ſciendum eſt, quod inimici dilectio tunc veraciter cuſtoditur, cum nec de profectu affligimur, nec de ruina illius lætamur. Nam ſæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeque hunc diligere æſtimat, ſi ejus vitæ contrarius non exiſtat. Sed dilectionis vim occulte, & veraciter aut profectus inimici, aut caſus interrogat. Hac etenim de re ad plenum ſemetipſam mens hominum neſcit, niſi eum, quem ſibi adverſarium credit, in defectu, vel profectu mutaſſe modum ſui ſtatus invenerit. Si enim de proſperitate affligitur, & de calamitate ſe odientis lætatur, conſtat, quod non amat, quem non vult eſſe meliorem: eumque etiam ſtantem voto perſequitur, quem cecidiſſe gratulatur ".

XII. Equidem legitimum, Chriſtianumque gaudium eſt lætari ſive de noſtra, ſive de proximorum liberatione ab iis, qui nobis, aliiſve vel nocent, vel nocere moliuntur, ſicut & de juſtitia Dei malos punientis; nunquam tamen gaudere licet de noſtrorum inimicorum calamitate, vel interitu. Hanc quoque Chriſtianæ Moralis regulam tradit eodem loco Sanctus Gregorius Magnus his verbis: „ Neceſſarium eſt ſubtiliſſimæ diſcretionis examen, ne cum noſtra odia exequimur, fallamur ſub ſpecie humilitatis alienæ. Si enim de inimici morte gaudendum omnino non eſſet, Pſalmiſta non diceret; *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam impiorum*. Sed aliud eſt impium, aliud vero inimicum perpeti. Nam ſunt plerique inimici, qui non ſunt impii: & ſunt nonnulli impii, qui nobis ſpecialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem, quem inimicum tolerat, etiam impium, & iniquum putat: quia ejus culpas apud cogitationem ſuam livor accuſator exaggerat. Quibuslibet vero flagitiis prematur, minus iniquus creditur, ſi adverſarius minime ſentitur. Qua in re diſcernendum eſt, aliud eſſe, quod nobis; aliud vero quod ſibi, & cæteris noſter inimicus nocet. Nam ſi aliis bonus eſt, ſine noſtra forſitan culpa eſſe non poteſt nobis malus: nec omnino jam de ejus ruina gaudendum eſt, cujus nos ſolos certum eſt adverſa toleraſſe. Cum vero noſter, ac multorum hoſtis perimitur, de ereptione proximorum potius, quam de inimici interitu neceſſe eſt, ut animus lætetur. Oportet namque, ut pereunte adverſario, ſubtiliter penſare debeamus, & quid debemus ruinæ pec-

„ peccatoris, & quid juſtitiæ ferientis. Nam „ cum perverſum quemque Omnipotens percutit, „ & condolendum eſt miſeriæ pereuntis, & congaudendum juſtitiæ Judicis: ut nobis & in luctu ſit pœna morientis proximi, & rurſus in „ gaudium veniat exhibita æquitas judicantis „ Dei; quatenus nec pereunti homini exiſtamus „ adverſarii, nec judicanti Deo inveniamur ingrati. Beatus igitur Job . . . . qui & inimicum diligens, dum adverſario ruenti condoluit, in malis illius ipſe ad bonum crevit, ut „ inde iſte ad benignitatem creſceret, unde ille „ mala, quæ merebatur, inveniſſet “.

CAPUT SEPTIMUM.

CONSECTARIA.

I. *Bonum alterius non eſt invidiæ objectum, niſi quatenus apprehenditur diminuere propriam gloriam.*

II. *Invidia magis, & directius opponitur miſericordiæ, & charitati, quam* nemeſi, *ſive triſtitiæ de bono indigne agentium.*

III. *Confundi non debet invidia cum aliis voluntatis motibus, qui illi ſimiles videntur.*

IV. *Plures indicantur, qui rei peccati invidiæ dicendi ſunt.*

V. *Reprobanda omnino eſt doctrina P. Thomæ Tamburini, qua licitum facit triſtari de proximi bono, prout ſibi malum eſt.*

VI. *Ex ea doctrina liquido ſequitur, Tamburinus omne reapſe de medio tollere invidiæ peccatum.*

VII. *Suſurratio computari debet inter graviora peccata, & quæ maxime ſunt contra Deum.*

VIII. *Suſurrationis peccati reus non eſt, qui aliquando malum proximi renunciat alteri ob bonum finem.*

IX. *Veniale ſuſurratio peccatum eſt, ſi leve ſit, quod amico de altero renunciatur, aut quo graviter amicitia non læditur.*

X. *Suſurrationis peccatum ob circumſtantias alterum altero ſæpe gravius eſt.*

XI. *Qui occultis oblocutionibus amicos inter ſe disjunxit, abſolvendus non eſt, niſi invicem illos reconciliare conetur.*

XII. *Hinc cavere maxime oportet a renunciandis iis, quæ inimicitias ſerere, aut diſſidia fovere poſſunt.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. BOnum alterius non eſt objectum invidiæ, niſi quatenus aut diminuit, aut diminuere putatur gloriam, aut excellentiam ſive veram, ſive imaginariam illius, qui invidet. Unde non habetur niſi relate ad illos, qui invidentem in aliquo bono excedunt, quibus ſe æquare appetit, vel præferri. Hoc notandum maxime eſt, ut diſtinguatur invidia ab aliis pravis affectionibus, quæ pariter bonum alienum reſpiciunt, ſed ſub diverſa ratione. *Quia invidia*, inquit Sanctus Thomas artic. 1. ad 2. *eſt de gloria alterius, in quantum diminuit gloriam, quam quis appetit; conſequens eſt, quod ad illos tantum invidia habeatur, quibus homo vult ſe æquare, vel præferre in gloria.*

Conſectarium Secundum.

II. Cum duæ ſint virtutes, quibus invidia adverſa eſt, *miſericordia* ſcilicet, & *nemeſis*, quæ *eſt triſtitia de bono indigne agentium*, principalius, & directe miſericordiæ opponitur, prout eſt proprius effectus charitatis: ex qua oppoſitione habet, quod ex genere ſuo ſit peccatum mortale. Id docet, ac declarat Doctor Angelicus *artic. 3. ad 3.* inquiens: „ Invidia opponitur & nemeſi, „ & miſericordiæ; ſed ſecundum diverſa. Nam „ miſericordiæ opponitur directe, & ſecundum „ contrarietatem principalis objecti; Invidus enim „ triſtatur de bono proximi: Miſericors autem „ triſtatur de malo proximi. Unde invidi non „ ſunt miſericordes, nec e converſo. Ex parte vero ejus, de cujus bono triſtatur invidus, „ opponitur invidia nemeſi, Nemeſicus enim triſtatur de bono indigne agentium ſecundum illud Pſal. 72. *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Invidus autem triſtatur de bono eorum, qui ſunt digni. Unde patet, quod „ prima contrarietas eſt magis directa, quam ſecunda. Miſericordia autem quædam virtus eſt, „ & charitatis proprius effectus. Unde invidia „ miſericordiæ opponitur, & charitati “. Quod autem charitati opponitur, ſemper ex genere ſuo peccatum mortale eſt, ut *in Corp.* oſtendit.

Conſectarium Tertium.

III. Ne, ut fieri non raro ſolet, confundamus invidiam, quæ peccatum eſt, cum aliis motibus voluntatis, qui ſimiles ejuſdem videntur, neque tamen peccata ſunt; egregia illa regula a Sancto Gregorio tradita *lib. 22. Moral. cap. 6.* attendenda eſt; ſcilicet: „ Evenire plerumque ſolet, ut, non „ amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, „ & rurſum nos ejus gloria ſine invidiæ culpa „ nos contriſtet: cum &, ruente eo, quoſdam „ bene erigi credimus, &, proficiente illo, pleroſque injuſte opprimi formidamus. Qua in re „ mentem noſtram nec ejus jam defectus erigit, „ nec ejus profectus addicit, ſi recta noſtra cogitatio, non quid in ipſo, ſed quid ab ipſo circa alios agatur, attendit “. Sic Eſther, totuſque Judæorum populus gaviſus eſt de ruina impii Amani, qui in illum excidium univerſale moliebatur; & de exaltatione in ejus dignitatem piiſſimi Mardochæi.

Conſectarium Quartum.

IV. Reus invidiæ dicendus eſt Concionator, qui affligitur, dum cernit alios majori in æſtimatione eſſe, populumque ad eos audiendos magna cum frequentia concurrere; ſeque interim ab omnibus ferme deſeri. Idem dicas de artificibus, qui triſtantur, quod plurimi ad aliorum officinas ob merces emendas confluant, aut aliorum opera, atque labore frequentius utantur. Hi tamen ab

 invi-

invidiæ culpa ſunt immunes, ſi non quidem de bono aliorum triſtentur, ſed unice de proprio infortunio, aut carentia boni, quod ipſi non habent. *Alio modo*, inquit Sanctus Thomas loco laudato, *poteſt aliquis triſtari de bono alterius, non ex eo, quod ipſe habet bonum, ſed ex eo, quod nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet. Et hoc proprie eſt zelus. Et ſi iſte zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt &c. Si autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato*; ſi nempe ex nimia ad hæc bona affectione proveniat, *& ſine peccato*; cum ſcilicet ex honeſto fine profluit, puta ſublevandæ ſuæ indigentiæ.

Conſectarium Quintum.

V. Reprobatione digna eſt doctrina, quam tradit P. Thomas Tamburinus *lib. 5. in decal. cap.* 1. §. *3. n.* 35. &c. ubi hæc ſcribit: „ Inquires „ tertio, an, ſicut poteſt quis modo hactenus ex- „ plicato *gaudere de malo alterius, quia ſibi bo-* „ *num ſit*; ita e contra *licite queat triſtari de al-* „ *terius bono, ut ſibi malum eſt*? Reſpondeo. „ Hic videtur eſſe actus *invidiæ*, quam ſic com- „ muniter deſcribunt Doctores ex Sancto Thoma „ 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 2. *&* 3. Valent. Con. Sua- „ rez, Bonac. aliique apud Caſtrop. &c. *Eſt inor-* „ *dinata triſtitia de bono alterius, non quatenus* „ *eſt illius bonum, ſed quatenus videtur diminue-* „ *re proriam excellentiam, ſeu proprium bonum* „ &c. n. 56. Hæc communiter". Fatetur itaque Tamburinus, laudatam invidiæ definitionem depromi ex Sancto Thoma, communiterque probari a Doctoribus etiam ſuæ Societatis. Num ergo, ut deberet, ejuſmodi definitioni ipſe quoque ſubſcribit? Audi, quæ ſequuntur: *Quæ tamen mihi ſemper difficilia viſa ſunt. Cum enim ad eumdem habitum* &c. Atque ita probare nititur, falſam eſſe notionem invidiæ traditam a tot Authoribus, ac præſertim a Sancto Thoma; quod ſolum ſufficere deberet, ut nullam rationem haberemus ſophiſmatum omnium, quæ contra affert.

Præcipuum tamen ejus fundamentum referre placet. „ Jam ſic arguo; inquit n. 37. Quando „ doleo de bono alterius, ut eſt diminutivum „ meæ excellentiæ, non doleo de bono alterius „ abſolute, ſed formaliter de malo meo, ſeu de „ diminutione meæ excellentiæ, quæ mihi mala „ eſt ..... Sicut enim ſi gauderem de malo, „ v. g. *de morte Patris ut cauſante immediate bo-* „ *num meum*, puta hæreditatem ſucceſſionem, non „ eſſe peccatum ſupra *omnes* vidimus; ſic contra, „ ſi doleam de bono alterius ut cauſante imme- „ diate malum meum, culpa non erit".

Ecquis juſto horrore, & indignatione non vehementer commovetur, dum audit Tamburinum promoventem falſitatem laxæ doctrinæ adverſus Sanctum Thomam, & præcipuos Doctores, ut invidiæ capitale vitium de medio tollat, alia laxiore, planeque horribili doctrina, quæ jam ab Eccleſia damnata eſt; quamque perperam omnibus tribuit, noſque jam alibi refutavimus? En triplex propoſitio ab Innocentio XI. anathemate perculſa, quæ fundamentum præbet Tamburino novam invehendi de invidia laxitatem. N. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* N. 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* N. 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Nonne doctrina harum propoſitionum illud idem fundamentum eſt, quod ſtatuit Tamburinus, ut ſuper illam novam erigat falſam, laxiſſimamque opinionem?

Conſectarium Sextum.

VI. Ex his colligitur, *invidiam* juxta Tamburinum nullum eſſe peccatum, contra ac ſtatuimus ex D. Thoma, & Eccleſiæ Patribus, qui invidiam peccatum eſſe, & quidem ex genere ſuo mortale, tamquam certum habuerunt. Hæc conſecutio nedum minime a ſententia ſua deterret Tamburinum, quin potius illam ſatis evidenter admittit. *Urges*, ait num. 38. *at ſic tolleretur de medio peccatum invidiæ, unum ex ſeptem capitalibus.* Quid vero? num id negat? minime. Sed rem quidem verbis plurimis implicare conatur. Ac tandem ſatis aperte concludit, peccatum non eſſe, niſi ratione malorum effectuum, qui ex invidia gignuntur, & ſunt *inſidiæ contra proximum, odia, detractiones, infamia* &c. Subditque num. 40. *Et Sanctus quidem Thomas, cæterique Doctores, quando tamquam certum ſupponunt, invidiam eſſe triſtitiam, qua quis dolet de bono alterius, ut eſt diminutivum propriæ excellentiæ; ſunt* (N. B) *intelligendi deſcripſiſſe invidiam ab effectu. Ex voluntaria enim &c. naſcitur tamquam effectus triſtitia illa, peccaminoſa quidem, ſi ſit alicujus mali cauſa &c. non tamen peccaminoſa, ſi in ea duntaxat ſiſteremus.* Inaudita hæc paradoxa retuliſſe, confutaſſe abunde eſt.

Conſectarium Septimum.

VII. *Suſurrationis* peccatum inter graviora peccata computari debet, quæque maxime ſunt contra Deum. Ita Sanctus Thomas *quæſt.* 74. *artic.* 2. *ad.* 3. cuidam objectioni reſpondens: „ Ille, „ inquit, qui detrahit fratri, in tantum videtur „ detrahere legi, in quantum contemnit præce- „ ptum de dilectione proximi; contra quod di- „ rectius agit, qui amicitiam diſrumpere niti- „ tur. Unde *hoc peccatum maxime contra Deum* „ *eſt*: quia Deus *dilectio* eſt, ut dicitur 1. *Joan.* „ 4. Et propter hoc dicitur Proverb. 6. *Sex* „ *ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſta-* „ *tur anima ejus.* Et hoc ſeptimum ponit eum, „ *qui ſeminat inter fratres diſcordiam*", ſive ſuſurrationem.

Con-

Conſectarium Octavum.

VIII. Suſurrationis peccatum non incurrit, qui malum proximi alteri renunciat ob bonum finem; puta ob ejus ſalutem procurandam, vel ob Eccleſiæ, aut Reipublicæ utilitatem, vel ut bono conſulat amicorum ſuorum, vel ut diſſolvat pravas, & in damnum alterius conſpirantes amicitias. Quare ſuſurrationis peccati rei non ſunt, qui Superiori ſubditorum mala pateſaciunt, ut ea facilius, ac validius emendet; vel boni publici gratia, puta ne ad Sacros Ordines promoveatur indignus, ne ad Profeſſionem Monaſticam admittatur, qui vel juxta Canones, aut conſtitutiones Ordinis Religioſi ineptus eſt, vel admitti non poteſt; ſicut etiam ne Matrimonium contrahere ſinatur, qui canonicis impedimentis irretitus eſt, & propter alias hujuſmodi cauſas. Hoc enim expedit vel proximorum, vel communitatis bono.

Conſectarium Nonum.

IX. Reus culpæ lethalis non eſt, cum quis amico aliquid de altero amico renunciat, quod ingratum quidem ipſi futurum agnoſcit, & ex eo nonnihil commovendum fore adverſus alium exiſtimat; non ita tamen, ut amicitia vel diſſolvatur, vel mutuus amor admodum tepeſcat. Menſura ſiquidem peccati in hoc genere repetenda eſt ex graviori, vel leviori damno, quod aliquis infert. Unde ſi grave damnum reſpectu amicitiæ ex iis, quæ renunciantur, oriatur, mortale ſuſurrationis peccatum eſt; ſi leve, duntaxat veniale. Circumſtantiæ tamen potiſſimum perſonarum in hoc attendendæ ſunt. Sæpe namque contingit, quod eadem verba, quæ relate ad aliquem poſſunt infringere amicitiam, relate ad alium vel nullatenus, vel ſolummodo leviter lædunt.

Conſectarium Decimum.

X. Ratione circumſtantiarum ſuſurrationis peccatum aliud altero gravius eſt. Sic ex. gr. ſuſurratio, qua quis alteri conjugum aliquid de altero renunciat, quod ipſorum animos inter ſe disjungit, gravius peccatum eſt, quam ſi neceſſitudines alias, quarum non ita ſacrum vinculum eſt, disrumpere nitatur. Sic gravius peccat ſuſurro, qui verbis ſuis ita Patrem commovet adverſus filium, ut ipſum hæreditate privet, aut aſperius tractet: aut qui Domino aliqua renunciat de ſervo, propter quæ ipſum vel domo expellat, vel de fidelitate ipſius graves ſuſpiciones concipiat, aut ipſum durius habeat. Sic Aulicus, qui aliquid de altero Principi refert, quod ejus animum ita alienum ab illo efficiat, ut a gratia ſua, beneficiis, ac officiis illum abdicet; vel ſuſurrationibus ſuis bella ſive inteſtina, ſive externa accendit. Sic ſuſurrones, qui Religioſorum hominum amicitiam dirimunt, aut ſubditos adverſus Prælatos, aut Superiores inflammant &c. Hi omnes gravius peccant, adeo ut peccatum ita valde excreſcens in gravitate, ſit in Confeſſione aperiendum.

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui occultis oblocutionibus amicos inter ſe disjunxit, aut legitimam eorum amicitiam graviter læſit, aut labefactavit, abſolvendus non eſt, donec illos, quoad fieri poteſt, invicem reconciliet; aut, ſi id præſtare nequit, pro damnis inde conſecutis ſatisfaciat. Hæc ſiquidem Chriſtianæ Moralis generalis regula eſt, peccata, quæ proximo damnum inferunt, a Deo non remitti, niſi damna illata reſarciantur juxta vulgatum illud S. Auguſtini, quod inter regulas juris cap. *Peccatum* refertur: *Peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum.*

Conſectarium Duodecimum.

XII. Quapropter caveat diligenter oportet Chriſtianus a renuntiandis iis, quæ inimicitias ſerere, aut diffidia excitare, vel fovere poſſunt. Qua de re S. Auguſtinus Monicæ Matris ſuæ præclarum documentum tradit *lib. 9. Confeſſion. cap. 9.* inquiens: „ Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cujus „ utero me creaſti, Deus meus, miſericordia mea, „ munus grande donaveras, quod inter diſſidentes, atque diſcordes quaſque animas, ubi poterat, tam ſe præbebat pacificam, ut cum ab „ utraque multa de invicem audiret amariſſima, „ qualia ſolet eructare turgens, atque indigeſta „ diſcordia, quando præſertim amicæ de abſente „ inimica peracida colloquia cruditas exhalatur „ odiorum; nunquam tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret “.

REFLEXIO.

Invidiæ crimen unum ex illis peccatis eſſe, quę parvi a plurimis æſtimantur, quodque, cum ſi ſpectetur in ſe ipſo vitium ſpirituale ſit, tametſi inter opera carnis ab Apoſtolo commemoretur, plerumque latet homines actus ſuos incurioſius recogitantes, experientia nimium frequens, ac luctuoſa confirmat. Et tamen inter graviora delicta, quæ charitati adverſantur, jure ac merito computandum nemo non fatebitur, qui ipſius malitiam ſerio, atque attentius perpenderit. Quam grave ſane, quam enorme, quam pernicioſum ſit peccatum iſtud, dilucide perſpexerunt, nobiſque declararunt Sancti Eccleſiæ Patres Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius, Auguſtinus, aliique. Sed, niſi me opinio fallit, invidiæ deformitatem, atque malitiam præ cæteris evidentius pateſecit egregius S. Martyr Cyprianus in inſigni ſuo tractatu *de zelo & livore*, ex quo nonnulla huc corrivare lubet ad Lectorum profectum.

Sic itaque ſcribit: „ Zelare, quod bonum „ videas, & invidere melioribus, leve apud „ quoſdam, & modicum crimen videtur; dum„ que exiſtimatur leve eſſe, & modicum, non „ timetur: dum non timetur, contemnitur: „ dum contemnitur, non facile vitatur, & „ fit cæca, & occulta pernicies. Videamus, „ unde zelus (ſive invidia), & quomodo cœ- „ pe-

„ perit : facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, ſi ejuſdem mali & origo, & magnitudo noſcatur. Hinc Diabolus inter initia ſtatim Mundi & periit primus, & perdidit. Ille dudum Angelica majeſtate ſubnixus, ille Deo acceptus, & charus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens inſtinctu zeli, quam ipſe ante dejectus, captivus, antequam captus, perditus, antequam perdens; dum ſtimulante livore, homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipſe quoque id, quod prius fuerat, amiſit. Quale malum eſt, fratres dilectiſſimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri, & ſubverti alta illa, & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe, qui decepit? Exinde invidia graſſatur in terris, dum livore periturus, magiſtro perditionis obſequitur: dum Diabolum, qui zelat, imitatur, ſicut ſcriptum eſt: *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum, qui ſunt ex parte ejus.* Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel juſtum Cain zelat injuſtus, dum bonum malus invidia, & livore perſequitur. Tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuſte oppreſſus eſt, qui juſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non noverat: occiſus eſt impie, qui moriens non repugnabat. Et quod Eſau fratri ſuo Jacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem Patris acceperat, hic in odium perſecutionis facibus livoris exarſit. Et quod Joſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit: poſtquam id, quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtenſum, ſimpliciter ut fratribus frater expoſuit, in invidiam malevolus animus erupit. Saul quoque Rex, ut David odiſſet, ut perſecutionibus ſæpe repetitis innocentem, miſericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud, quam zeli ſtimulus, provocavit? Quid Goliath interfecto, & ope, ac dignatione divina tanto hoſte deleto, populus admirans in laudes David prædicationis ſuffragio proſiliit, Saul ſimultatis, atque inſectationis furias de livore concepit..... Judæi nonne inde perierunt, dum Chriſto malunt invidere, quam credere? Obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad divina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt".

„ Non eſt autem, quod aliquis exiſtimet, malum illud una ſpecie contineri, aut brevibus terminis, & anguſto fine concludi. Late patet zeli multiplex, & fœcundas pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, Magiſterium Chriſti negligitur, Judicii dies non prævidetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferveſcit: nec ſe jam poteſt cohibere, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes, atque ad ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, Epiſcopus invidetur, cum quis aut queritur non ſe potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione perverſus, animoſitate, & livore non hominis, ſed honoris inimicus. Qualis vero animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo! Zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, ideſt odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam, veluti quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus, & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta malevolentiæ ungulis pulſent. Non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe jucundus. Suſpiratur ſemper, & ingemiſcitur, & doletur: dumque ab invitis numquam livor exponitur, diebus, ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur. Mala cætera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus, perpetrato ſtupro; in latrone conquieſcit ſcelus, homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa, & falſario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum; quantoque ille, cui invidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus; verba rabida, effrænata convicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamſi a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. Et idcirco Spiritus Sanctus dicit in Pſalmis: *Nolite zelare bene ambulantem in via ſua.* Et iterum: *Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ad eum dentibus ſuis. Deus autem irridebit eos: quoniam providet, quia veniet dies ejus.* Hos Beatus Apoſtolus Paulus deſignat, & denotat dicens: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, & os eorum maledictione, & amaritudine plenum eſt: veloces ad effundendum ſanguinem pedes eorum: contritio, & calamitas in viis eorum, qui viam pacis non agnoverunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum.* Multo malum levius, & periculum minus eſt, cum membra gladio vulnerantur. Facilis cura eſt, ubi plaga perſpicua eſt, & cito ad ſanitatem medela ſubve-

„ nien-

„ niente perducitur vulnus, quod videtur. Zeli „ vulnera obſtruſa ſunt, & occulta: nec remedium curæ medentis admittunt, quæ ſe intra „ conſcientiæ latebras cæco dolore clauſerant &c.“ Hæc eloquentiſſimus Pater, ex cujus graphica invidiæ deſcriptione perſpicere quiſque poteſt, quam grave, & quam immane malum invidia ſit, quantamque aliorum malorum colluviem ſecum afferat.

Verum enimvero quodnam tam grandi, tantæque malignitatis vitio remedium? „ Quo pacto, *ſubjicit alter Eccleſiæ Pater non minus eloquens S. Joannes Chryſoſtomus homil.* 41. *in Matth.* tantam luem, & nequitiam a nobis propulſare poterimus? Debemus primum, *inquit*, intueri, „ ut quemadmodum fornicatoribus Eccleſiæ aditus intercluditur, ita & invido intercludendus „ eſt. Immo addo: Invidos multo magis, quam „ fornicatores ab cœtu fidelium ablegandos eſſe. „ Si enim hoc tale, tantumque malum ceu indifferens, & levioris momenti eſſe videatur ab „ nonnullis, ceu nihil faciendum ſpernitur, & „ admittitur: profecto ſi ejus malignitatis atrocitatem perſpectam, & cognitam habeamus, illud nullo negotio declinabimus .... Quiſnam „ admiſſæ invidiæ conſcius id criminis lacrymis „ expiavit? Aut Deum iratum ſibi propitiare, „ & amiſſam ejus gratiam ſibi reconciliare ſtuduit? Nemo eam atrocitatem invidiæ ſic informavit animo, ut ad eam expiandam tot lacrymas effundendas, & tot labores adeundos eſſe „ crederet. Dicam amplius: vir omnium mortalium invidentiſſimus tuto, & ſecure ſecum agi „ putat, ſi vel leve jejunium obierit, vel tenuem „ erogaverit eleemoſynam: ita ut nihil mali commiſiſſe videatur, cum tamen furioſiſſima, & omnium vehementiſſima paſſione detineatur, & ardeat ..... Quid Dæmonem ad Dæmones ſtatum adegit; & illi Diabolo, hoc eſt calumniatori nomen dedit? Perpende, te tibi majorem inferre injuriam, quam illi, cui invides; utpote „ qui gladium, quem diſtrinxeras in ipſum, in „ tua ipſius præcordia retorqueas ..... Quid enim Joſeph malum importatum eſt per invidiam „ fratrum, qui eum tantum non interfecere? „ Nonne ad eas anguſtias non ſunt adducti, ut „ inedia propemodum interirent, dum ipſe totam „ Ægyptum regia authoritate moderaretur, & regeret? Nam quanto majore invidia proximum „ proſequeris, tanto majora illi procuras bona. „ Deus enim, qui omnia circumſpicit, ſuſcipit, „ & tuetur innocentem; & permotus injuſtitia, „ qua obteritur, eum multo altius attollit, & „ illuſtrem facit, & invidentem ſua ipſius malitia in ipſummet retorta plectit, & deprimit. Si enim viros de inimicorum miſeriis „ lætatos criminoſam hanc lætitiam impune ferre non patitur .... quanto majoribus ſuppliciis afficit eos, qui inſtigante invidia male volunt viris, a quibus nullam unquam paſſi ſunt „ injuriam“?

Aliud invidiæ ſalutare admodum remedium eſt conſideratio ſocietatis ſpiritualis, qua fideles inter ſe junguntur, ut unius Dei Patris, & unius Matris Eccleſiæ filii ſint, & in eamdem hæreditatem æternam vocati, ut unius corporis membra ſint, cujus caput Chriſtus eſt: qua de cauſa alter alterius bona veluti ſua exiſtimare debet. Hanc urget conſiderationem S. Gregorius Magnus *in Paſtor. p.* 3. *Admon. XI.* his verbis: „ Admonendi ſunt invidi, ut perpendant, quantæ cæcitatis ſunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabeſcunt. Quantæ infelicitatis ſunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt &c. Quid iſtis infelicius, quos „ dum conſpecta felicitas afficit pœna, nequiores reddit: aliorum vero bona, quæ habere „ non poſſunt, ſi diligerent, ſua feciſſent. Sic „ quippe ſunt univerſi conſiſtentes in fide, ſicut „ multa membra, quæ uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diverſa ſunt, „ ſed eo, quo ſibi viciſſim congruunt, unum „ fiunt. Unde fit, ut per oculum pes videat, „ & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium ſerviat, & ad uſum ſuum auribus oris „ lingua concurrat: ſuffragetur venter manibus; „ ventri operentur manus. In ipſa igitur corporis poſitione accipimus, quod in actione ſervemus. Nimis itaque turpe eſt non imitari, „ quod ſumus. Noſtra ſunt nimirum, quæ etſi „ imitari non poſſumus in aliis, amantium fiunt, „ quæque amantur in nobis. Hinc ergo penſent „ invidi, charitas quantæ virtutis eſt, quæ alieni laboris opera noſtra ſine labore facit“.

Verum parum cætera quæcumque remedia ad invidiam a nobis abigendam proderunt, niſi & illud remedium addiderimus, quod omnino neceſſarium cenſeo, illudque conſiſtit in deſpectione rerum humanarum. Cum enim invidia non aliud plerumque objectum habeat, niſi opes, potentiam, gloriam, honores, dignitates, robur corporis, mentis peculiarem vim, eloquentiam, pulchritudinem, aliaque id genus bona; ſi ad haſce res humanas, atque caducas inordinato amore affecti ſimus, fieri vix, ac ne vix quidem poteſt, ut invidiæ flamma non accendamur, dum hiſce bonis caremus, alios vero iiſdem pollere conſpicimus. Hunc ergo inordinatum amorem erga res hujuſmodi deponamus oportet. Hæc equidem virtutis inſtrumenta ſunt iis, qui talibus bene utuntur, ſed felicem per ſe non efficiunt hominem. Ideo qui ipſis abutitur, miſerrimus eſt, adeoque commiſeratione dignus, non invidia. Quod ſi his bene utatur, ea de re gaudendum, non invidendum eſt. Conſideremus attente, animoque temporalium rerum nimia affectione ſoluto, non in rebus fluxis, atque caducis verum bonum noſtrum, ac felicitatem conſtitui, ſed in bonis æternis, & nunquam perituris; adeoque illa parvi pendentes, ac iſta ſola amore noſtro digna æſtimantes, nunquam invidebimus his, qui terrenis rebus potiuntur, ſed tantum juxta Apoſtoli monitum *æmulabimur chariſmata meliora*, ſpiritualia ſcilicet, & cæleſtia.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De poſtremo peccato capitali, nempe Accidia.

Doctrina.

I. *Definitio* acediæ *propoſita*, & *explicata ex Sancto Thoma*.
II. *Peccatum eſſe*, & *quomodo ſit*, *oſtenditur*.
III. *Non eſt generale*, *ſed ſpeciale quoddam peccatum*.
IV. *Peccatum eſt ex genere ſuo mortale*.
V. *Acedia præcepto illi charitatis adverſatur*, *quo in Deo delectari debemus*.
VI. *Appoſita D. Thomæ obſervatio*, *qua pateſcit*, *quandonam acedia peccatum lethale ſit*, & *quando veniale*.
VII. *De acedia*, *prout vitium capitale eſt*. *Acediæ filiæ*.
VIII. *Quid nomine* malitiæ, *quæ prima* acediæ filia *eſt*, *intelligatur*.
IX. *De* rancore *altera acediæ prole*. *Quid hoc nomine veniat*.
X. *De* puſillanimitate. *Quid ſit*, & *quænam ejus pravitas*.
XI. *De* deſperatione *quarta acediæ filia remiſſive*.
XII. *Quid ſit* torpor, & *quam periculoſus*.
XIII. *De* mentis evagatione *poſtrema acediæ filia*. *Quid ea ſit*, & *quid ex ea conſequatur*.

§ I.

Acediæ notio, & *pravitas*.

I. Sicut invidia eſt triſtitia de bono proximi, ita accidia, ſive acedia eſt triſtitia de bono divino; & poſtremo loco numerari ſolet inter capitalia peccata. Hujus vitii legitima definitio ſumitur a S. Thoma 2. 2. *q.* 35. nempe *triſtitia de bono ſpirituali*, *in quantum eſt bonum divinum*. Triſtitia eſt de bono divino, non in ſe ſpectato; ſed quatenus in nobis eſt, vel eſſe poteſt. Unde diſtinguitur *ab odio Dei*, quod averſatur bonum divinum, prout eſt in ipſomet Deo; & *ab invidia*, quæ triſtatur de bono Dei, prout in proximo eſt. Acedia autem triſtatur de bono divino, prout in nobis; ſive de bono divino, ut imperato, & ad ſalutem neceſſario. „ Acedia, *inquit*, „ non eſt receſſus mentalis a quocumque ſpirituali bono, ſed a bono divino, cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate. Unde ſiquis contriſtetur de hoc, quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, „ non eſt peccatum acediæ; ſed quando contriſtatur „ in his, quæ ei imminent facienda propter Deum.

II. Acediam eſſe peccatum, ſapienter oſtendit *art.* 1. his verbis. „ Triſtitia ſemper mala eſt; „ quandoque quidem etiam ſecundum ſeipſam; „ quandoque vero ſecundum effectum. Triſtitia „ enim ſecundum ſe mala eſt, quæ eſt de eo, „ quod eſt apparens malum, & vere bonum, ſicut e contrario mala delectatio eſt, quæ eſt de eo, „ quod eſt apparens bonum, & vere malum. „ Cum ergo ſpirituale bonum ſit vere bonum, „ triſtitia, quæ eſt *de ſpirituali bono*, eſt ſecundum „ ſe mala. Sed etiam triſtitia, quæ eſt *de vere malo*, mala eſt ſecundum effectum, ſi ſic aggravet „ hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat &c. Quia ergo acedia, ſecundum quod hic „ ſumitur, nominat triſtitiam ſpiritualis boni, „ eſt dupliciter mala & *ſecundum ſe*, & *ſecundum effectum*. Et ideo acedia eſt *peccatum*. Malum „ enim in motibus appetitivis dicimus eſſe peccatum, ut ex ſupradictis patet “.

III. Quoniam vero videri cuiquam poſſet, malum quidem acediam eſſe, peccatumque: ſed generale quoddam peccatum, non autem ſpeciale, & ab aliis diſtinctum, idcirco S. Thomas *art.* 2. hanc controverſiam dirimit, ac ſpeciale peccatum eſſe conſtituit, non prout *acedia* triſtitia eſt de ſpirituali bono communiter accepto: ſic enim potius eſt circumſtantia cujuslibet vitii; ſed neque prout refugit ſpirituale bonum, quatenus laborioſum eſt, vel corpori moleſtum, aut delectationem ejuſdem impediens: ſic enim a vitiis carnalibus minime diſtingueretur; ſed quatenus homo triſtatur de bono divino, qua parte ad ipſum pertinet. Acedia namque importat triſtitiam, aut receſſum a bono divino, cui mens ex neceſſitate inhærere tenetur. Profundam S. Præceptoris doctrinam præſtat afferre, qua omnes, quæ contra fieri poſſunt, difficultates eliquantur, ac acediæ vitium pleniore in luce collocatur.

„ In ſpiritualibus bonis (docet ille) eſt quidam ordo. Nam omnia ſpiritualia bona, quæ „ ſunt in actibus ſingularum virtutum, ordinantur ad unum ſpirituale bonum, quod eſt bonum divinum, circa quod eſt ſpecialis virtus, „ quæ eſt charitas. Unde ad quamlibet virtutem „ pertinet gaudere de proprio ſpirituali bono, „ quod conſiſtit in proprio actu. Sed ad charitatem pertinet ſpecialiter illud gaudium ſpirituale, quo quis gaudet de bono divino. Et ſimiliter illa triſtitia, qua quis triſtatur de bono ſpirituali, quod eſt in actibus ſingularum „ virtutum, non pertinet ad aliquod vitium ſpeciale, ſed ad omnia vitia. Sed triſtari de bono divino, de quo charitas gaudet, pertinet „ ad ſpeciale vitium, quæ *acedia* vocatur “.

IV. Ex hoc colligere proclive eſt, acediam ex genere ſuo peccatum eſſe mortale, quemadmodum probat S. Doctor *art.* 3. Adverſatur ſiquidem primo, & maximo divinæ dilectionis mandato, quo Deum diligere præcipimur *ex toto corde*, *ex tota anima*, & *ex tota virtute*. Non enim ita diligit Deum, qui in omnibus ad obtinendam ſalutem neceſſariis vel penitus frigeſcit, vel admodum tepeſcit. Quem teporem ita Deus abominatur, ut acedioſos, tamquam ſe ad vomitum provocantes, deſerturum, & auxiliis gratiæ ſuæ privaturum comminetur juxta illud quod habetur in Apoc. cap. 3. *Scio opera tua: quia neque frigidus es*, *neque calidus*. *Utinam frigidus eſſes*, *aut calidus! Sed quia tepidus es*, & *nec frigidus*, *nec calidus*, *incipiam te evomere ex ore meo*.

V. Sed præſertim acedia adverſatur præcepto illi charitatis, quo in Deo delectari debemus, quemad-

admodum obſervat S. Thomas dicens. „ Illud „ peccatum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, „ quod de ſe ſecundum propriam rationem contra- „ riatur charitati. Hujuſmodi autem eſt acedia. „ Nam proprius effectus charitatis eſt gaudium de „ Deo. Acedia autem eſt triſtitia de bono ſpiritua- „ li, in quantum eſt bonum divinum. Unde ſe- „ cundum ſuum genus acedia eſt peccatum morta- „ le “. Idem jam prædocuerat *in Diſp. q. XI. de peccatis art. 3. ad 6.* nimirum; „ Quod homo de- „ lectetur, non cadit ſub præcepto: ſed quod „ delectetur de Deo, hoc cadit ſub præcepto, ſicut „ & quod homo Deum diligat; quia delectatio „ amorem conſequitur “. Et ad 7. „ Delectatio, „ quæ provenit ex charitate, cui contrariatur „ acedia, eſt de neceſſitate ſpiritualis vitæ, ſicut „ & ipſa charitas: & ideo acedia eſt peccatum „ mortale “.

VI. Valde appoſite tamen obſervandum putat hic *art. 3.* „ in omnibus peccatis, quæ ſunt ſecundum „ ſuum genus mortalia, quod non ſunt mortalia, „ niſi quando ſuam perfectionem conſequuntur. Eſt „ enim conſummatio peccati in conſenſu rationis. „ Loquimur enim nunc de peccato humano, quod „ in actu humano conſiſtit, cujus principium eſt „ ratio. Unde ſi ſit inchoatio peccati in ſola ſen- „ ſualitate, & non pertingat uſque ad conſenſum „ rationis; propter imperfectionem actus eſt pec- „ catum veniale &c. ſi tamen pervenitur uſque ad „ conſenſum rationis, eſt peccatum mortale. Qua- „ re motus acediæ in ſola ſenſualitate quandoque „ eſt propter repugnantiam carnis ad ſpiritum: & „ tunc eſt peccatum veniale; quandoque vero per- „ tingit uſque ad rationem, quæ conſentit in fu- „ gam, & horrorem, & deteſtationem boni divini, „ carne contra ſpiritum omnino prævalente: & tunc „ manifeſtum eſt, quod acedia eſt peccatum mor- „ tale “.

§. II.

De Acedia, prout vitium capitale eſt.

VII. Acediam vitium eſſe capitale, communi ratione ſatis evincitur, quod nempe ex ipſa tamquam ex capite quodam multa peccata oriantur; ſexque præcipua enumerat S. Gregorius Magnus *lib.* 30. *Moral. cap.* 17. videlicet *malitiam*, *rancorem*, *puſillanimitatem*, *deſperationem*, *torporem* circa præcepta, & *mentis evagationem* circa illicita: quæ paucis explicabimus.

De Malitia prima Acediæ filia.

VIII. *Malitiæ* nomine venit hic horror, impugnatio, & contemptus bonorum ſpiritualium, eorumque, qui piis exemplis, adhortationibus, ac doctrinis ſuis alios convertere, & ad pietatem, vitamque Chriſtianam provocare ſtudent. Quod ſane peccatum graviſſimum eſt, & character reproborum hominum, qui propterea in Inferno *turbabuntur*, ut in libro Sapientiæ legimus, *timore horribili*, *pœnitentiam* infructuoſam *agentes*, *& præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam &c.* dumque vitia noſtra corrigere, & ad bonam frugem nos revocare ſatagebant, dicteriis, & ſcommatibus ſubſannabamus cum iis, de quibus *Pſal.* 68. dicitur: *Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta; & in me pſallebant, qui bibebant vinum.* Sic enim Judæi inſultaverunt Chriſto Domino; & adhuc hodie pravi homines frequenter inſultant membris ejus, ut obſervat S. Auguſtinus in eum pſalmum: dumque pios, & chriſtianam vitam agentes ſic inſultant, ſeipſos in malitia ſua confirmant, ſive in horrore, & contemptu talium hominum, & Chriſti doctrinæ.

De Rancore.

IX. Rancor hic non ſumitur pro odio, ſive odii effectu, ſed pro quadam indignatione adverſus præſertim Superiores, Paſtores, Confeſſarios, qui acedioſos ad ſpiritualia bona ſectanda, viamque meliorem capeſſendam monitis, increpationibus, & ſalutari correptione impellere ſatagunt; ſive, ut brevius S. Thomas hic *ad* 2. *rancor eſt impugnatio*, ſive indignatio *circa homines, qui ad bona ſpiritualia inducunt.* Hic quoque lethale peccatum eſt juxta illud Prov. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus.* Et ratio eſt, quia hujuſmodi homines facto comprobant, ſe nolle converti, nec ad profectum vitæ ſpiritualis tendere, ſed in vitiis ſuis, & peccaminoſo ſtatu ſe velle perſeverare.

De Puſillanimitate.

X. Puſillanimitas vitioſa eſt virium ſuarum diffidentia, qua quis officia, & opera difficilia, & ardua ad conſilium ſpectantia, & facultatem ſuam Dei gratia adjutam non excedentia ex animi parvitate refugit. Peccatum eſſe probat S. Thomas 2. 2. *q.* 133. *art.* 1. tum Evangelii textu Matth. 25. & Luc. 19. ubi *Servus, qui acceptam pecuniam Domini ſui fodit in terram, nec operatus eſt ex ea, propter quemdam puſillanimitatis timorem punitur a Domino;* tum hoc rationis momento: „ Omne „ illud, quod contrariatur naturali inclinationi, „ eſt peccatum; quia contrariatur legi naturæ. „ Ineſt autem unicuique rei naturalis inclinatio ad „ exequendum actionem commenſuratam ſuæ po- „ tentiæ, ut patet in omnibus rebus naturalibus „ tam animatis, quam inanimatis. Sicut autem „ per præſumptionem aliquis excedit proportio- „ nem ſuæ potentiæ, dum nititur ad majora, „ quam poſſit; ita puſillanimus etiam deficit a „ proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in „ id tendere, quod eſt ſuæ potentiæ commen- „ ſuratum. Et ideo ſicut præſumptio eſt pec- „ catum, ita & puſillanimitas “. Et hoc peccatum quandoque mortale eſt, ut habet idem Sanctus Doctor *ad* 2. inquiens: „ Poteſt con- „ tingere, quod aliquis ex virtute, quam ha- „ bet, ſit dignus ad aliqua magna facienda, „ quæ ſunt digna magno honore. Et tamen per „ hoc, quod ipſe non attentat ſua virtute uti, „ pec-

„ peccat; quandoque quidem venialiter, quando- „ que autem mortaliter ".

De Deſperatione.

XI. Deſperatio eſt vitium, quo quiſquam de ultimi finis, ſive æternæ ſalutis ſuæ conſecutione diffidens, omnem ſalutis curam abjicit. De hac, cum de vitiis Spei oppoſitis, fuſius agendum erit.

De Torpore.

XII. *Torpor* eſt languor animi, quo quis præceptorum, aut obligationum ſuarum obſervantiam vel penitus prætermittit, vel eas negligenter, aut oſcitanter adimplet. Vitium hoc Sanctus David exprimit, dum *Pſal.* 118. ait: *Dormitavit anima mea præ tædio*. „ Vere enim, *ut Caſſianus* „ *ait lib.* 10. *de Cœnob. Inſtit. cap.* 4. ab omni con- „ templatione virtutum, & intuitu ſpiritualium „ ſenſuum dormitat anima, quæ perturbationis „ hujus telo fuerit ſauciata ". Mortale peccatum eſt, ſi præcepta, quæ graviter obligant, omittat; imo etiam ſi quis in tanta ſalutis ſuæ negligentia vitam agat, ut ea media non adhibeat, quæ ſecundum ſtatum, ad quem a Deo vocatus eſt, neceſſaria ſunt. Modus quippe iſte vivendi adverſatur illi ſollicitudini nobis a Deo præceptæ, qua præ cæteris omnibus Regnum Dei ſtudioſe quærere tenemur.

Sed & periculoſus ſaltem eſt, & diſpoſitio ad ſempiternam animæ ruinam torpor ille, quo præcepta quidem implentur, ſed valde perfunctorie, ut in iis adimplendis ſin graviter, ſaltem continuo leviter deficiamus. Hinc Apoſtolus *ad Rom.* 12. magnopere commendat, ut ſimus *ſollicitudine non pigri*, *ſpiritu ferventes*, *Domino ſervientes*. Nam, ut ſcribit S. Paulinus Epiſt. 36. „ Vicina „ morti labes eſt torpor animorum; & tunc dicet „ inimicus: *Prævalui adverſus eum*, ſi & mentis „ oculos ſomnus oppreſſerit ". Et S. Iſidorus *lib.* 2. *de ſummo bono* cap. 10. „ Multos remiſſa con- „ verſio in priſtinos errores reducit, ac vivendi „ tepore reſolvit. Horum exempla, quiſque con- „ verſus es, evita; ne, dum timorem Dei a tepore „ incipis, rurſus mundanis erroribus immergaris ".

De Mentis evagatione.

XIII. Poſtrema hæc acediæ filia definiri ſolet „ inquieti animi motus, quo propter triſtitiam, „ & tædium a ſpiritualibus, diviniſque bonis ad „ exteriora ſe transfert, ut illicitas ex eis dele- „ ctationes percipiat ". *Acedioſos* hujuſmodi reprehendit Apoſtolus 2. ad *Theſſal.* cap. 3. „ Si quis „ non vult operari, non manducet. Audivimus „ enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil „ operantes, ſed curioſe agentes. Iis autem, qui „ ſunt ejuſmodi, denunciamus .... ut cum ſilentio „ operantes ſuum panem manducent. " Ex hac mentis evagatione conſequitur inſtabilitas corporis, qua acedioſi uno in loco conſiſtere nequeunt, & varias regiones peragrare amant. Conſequitur etiam multiloquium, quod in gravia peccata præcipitare ſolet, detractiones, rixas, diſcordias &c. „ Quia „ enim, *inquit S. Gregorius lib.* 7. *Moral. cap.* 17. „ humana mens murum ſilentii non habet, patet „ inimici jaculis civitas mentis, & cum ſe per „ verba extra ſemetipſam ejicit, apertam ſe ad- „ verſario oſtendit, quam tanto ille ſine labore „ ſuperat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, „ contra ſemetipſam per multiloquium pugnat ".

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

CONSECTARIA.

I. *Acedia nunquam ex vera humilitate provenire poteſt*.
II. *Acedia unum ex illis vitiis eſt, quæ non declinando, ſed ſtrenue reſiſtendo ſuperantur. Egregia animadverſio S. Thomæ*.
III. *Quo ſenſu congrue dicatur, acediam opponi præcepto* ſanctificationis ſabbati, *prout morale eſt*.
IV. *Acedia diverſimode eſt in Religioſis perfectis, & imperfectis*.
V. *Peccati mortalis reus eſt, qui deliberate faſtidit ſpiritualia, & divina bona, quibus inhærere tenetur*.
VI. *Faſtidium de bono ſpirituali propter laborem, aut moleſtiam, proprie accepta acedia non eſt*.
VII. *Lethale peccatum eſt negligere propriam ſalutem, mediaque ad illam conſequendam neceſſaria*.
VIII. *Peccati ejuſdem rei ſunt, quicumque proficere negligunt in Chriſtiana, ſuique ſtatus propria perfectione*.
IX. *Quinam acediæ preſſe dictæ rei ſint, qui triſtantur de bonis vel cæleſtibus, vel ſpiritualibus*.
X. *Peccat mortaliter Religioſus, quem tædet vel de ſtatu, quem amplexus eſt, vel de votis emiſſis*.
XI. *Acediæ ſaltem late ſumptæ rei ſunt, qui diutius converſionem a via mala differunt*.
XII. *Acediæ culpam facile incurrunt Eccleſiaſtici, Religioſi, & Sanctimoniales, divinas laudes languide admodum perſolventes*.
XIII. *Quinam* rancoris *crimine ſe obſtringant*.
XIV. *Quinam in* puſillanimitatis *peccatum etiam lethale incidant*.
XV. *Immoderatus ſomnus lethale quandoque peccatum eſt*.
XVI. *Otium iners, ac deſidioſum vitioſum eſt, ac ſæpe peccati mortalis occaſio*.
XVII. *Quinam rei peccati* evagationis mentis *merito dicendi ſint*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. ACedia, prout eſt quoddam vitium, nunquam provenire poteſt ex humilitate, qua quis *ingemiſcit*, *ſe fructum ſpiritualem non habere*, ut inquit Caſſianus *lib.* 10. cap. 1. Nam, quemadmodum ſapienter animadvertit S. Thomas hic *q.* 35. *art.* 1. *ad* 3. „ Ad humilitatem pertinet, ut ho- „ mo defectus proprios conſiderans, ſeipſum non „ extollat. Sed hoc non pertinet ad humilitatem, „ ſed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ „ quis a Deo poſſidet, contemnat. Et de tali con- „ tem-

„ temptu ſequitur acedia. De his enim triſtamur, „ quæ quaſi mala, vel vilia reputamus. Sic ergo „ neceſſe eſt, ut aliquis aliorum bona extollat, quod „ tamen bona ſibi divinitus proviſa non contem- „ mnat: quia ſic ei triſtia redderentur “. Ponde- „ randa hæc doctrina eſt, ne falſam humilitatem, ut fieri a quibuſdam ſolet, quandoque ſumamus pro acediæ motivo.

Conſectarium Secundum.

II. Juxta laudati Caſſiani monitum eodem lib. cap. ult. *experientia probatum eſt*, *acediæ impugnationem non declinando fugiendam*, *ſed reſiſtendo ſuperandam:* cui veriſſimo monito egregiam hanc animadverſionem appingit S. Thomas eodem art. *ad* 3. „ Impugnatio, inquit, peccati quandoque „ eſt vincenda fugiendo, quandoque reſiſtendo. „ *Fugiendo* quidem, quando continua cogitatio „ auget peccati incentivum, ſicut eſt in luxuria. „ Unde dicitur 1. ad Corinth. 6. *Fugite fornica-* „ *tionem*. *Reſiſtendo* autem, quando cogitatio „ perſeverans tollit incentivum peccati, quod pro- „ venit ex aliqua levi apprehenſione. Et hoc con- „ tingit *in acedia*: quia quanto magis cogitamus „ de bonis ſpiritualibus, tanto magis nobis pla- „ centia redduntur: ex quo ceſſat acedia “.

Conſectarium Tertium.

III. Non immerito aſſeritur, acediam præter oppoſitionem, quam habet cum præcepto divinæ charitatis, opponi etiam *ſanctificationi ſabbati*, quatenus præceptum *morale* eſt. Idque docet etiam Angelicus Doctor *art.* 3. *ad* 1. dicens: „ Acedia con- „ trariatur præcepto de ſanctificatione ſabbati, in „ quo, ſecundum quod eſt præceptum morale, „ præcipitur quies mentis in Deo: cui etiam con- „ trari.. ur triſtitia de bono divino “.

Conſectarium Quartum.

IV. Recte obſervat eodem loco Caſſianus, *Acediam eſſe ſolitariis magis expertam*, *&* *in eremo commorantibus infeſtiorem hoſtem*, *ac frequentiorem*, ſicut etiam aliis Religioſis, immo *&* *viris perfectis*. Sed tamen ait S. Thom. ad 3. „ In viris ſanctis „ inveniuntur *quidem* aliqui imperfecti motus ace- „ diæ, qui tamen non pertingunt uſque ad con- „ ſenſum rationis “, quia his viriliter obſiſtunt: quod non contingit in Religioſis tepidis, & imperfectis, qui ſæpe ſe acedia, ſive triſtitia de bonis ſpiritualibus obrui ſinunt; &, *cum ſpiritu cœperint*, ut Apoſtoli verbis utar, *carne conſummantur.*

Conſectarium Quintum.

V. Qui plena deliberatione faſtidit, & averſatur ſpiritualia, ac divina bona, quibus inhærere tenetur vel ex præcepto naturali, vel ex officii, aut proprii ſtatus conditione, lethalis peccati reus eſt, poſita materiæ gravitate: ſecus veniale. Ita ex doctrina jam producta S. Thomæ: quia motus acediæ, qui pertingit uſque ad rationis conſenſum in fugam, & horrorem divini boni, eſt ex genere ſuo lethale peccatum; quod ſolum *propter imperfectionem actus*, ſi nempe in ſola ſenſualitate conſiſtat, veniale eſt.

Conſectarium Sextum.

VI. Acedia proprie accepta dicenda non eſt, ſiquis faſtidiat ſpirituale bonum, quatenus laborioſum eſt, aut corpori moleſtum; ſed potius carnalium vitiorum comes: adeoque, ſi propter moleſtiam, aut laborem vitandum quis omittat præceptum, ad quod implendum obſtringitur, peccat quidem, ſed non ſpeciali *acediæ* peccato, ſpecialiterque in Confeſſione explicando. Unde ſufficit, quod accuſet ſe de præcepto, vel quod omiſit, vel quod violavit ob laborem, aut moleſtiam corporis, quam in eo ſervando patiebatur. Ita pariter ex illa S. Thomæ doctrina: „ Similiter non „ poteſt dici, quod ſit ſpeciale vitium acedia, in „ quantum refugit ſpirituale bonum, prout eſt „ laborioſum, aut moleſtum corpori, aut delecta- „ tionis ejus impeditivum &c. “

Conſectarium Septimum.

VII. Lethale peccatum eſt, tametſi non ſemper *ſpeciale acediæ peccatum*, negligere propriam ſalutem, mediaque a Chriſto inſtituta tamquam ad illam aſſequendam neceſſaria, ſicut etiam divina mandata, aut officia cujuſque propria. Ejuſmodi quippe negligentia legi naturali, ac divinæ in materia gravi adverſatur. Quam legem ſatis luculenter expreſſit S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. „ Satagi- „ te, ut per bona opera certam veſtram vocatio- „ nem, & electionem faciatis. Hæc enim facien- „ tes non peccabitis aliquando. Sic enim abundan- „ ter miniſtrabitur vobis introitus in æternum re- „ gnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti “.

Conſectarium Octavum.

VIII. Ejuſdem peccati rei ſunt, quicumque proficere contemnunt in Chriſtiana, ſuique ſtatus perfectione, ſive ſæcularis ſit, ſive Eccleſiaſticus, ſive Religioſus. Siquidem ex admonitione Chriſti ſatis expreſſa in Parabola talentorum, tenetur unuſquiſque talentum ſibi a Deo creditum augere, ac venienti Domino cum fœnore repræſentare; & juxta illud Joannis in Apocalypſi *cap.* 21. dare operam quiſque debet, ut *qui juſtus eſt*, *juſtificetur adhuc*, *&* *ſanctus ſanctificetur adhuc*. Quod & de ſemetipſo teſtabatur Apoſtolus Paulus *ad Philip.* 3. dicens: *Ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem*, *quæ quidem retro ſunt*, *obliviſcens*; *ad ea vero*, *quæ ſunt priora*, *extendens meipſum*, *ad deſtinatum perſequor*, *ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*. In quem locum S. Auguſtinus *ſerm.* 169. *de Verb. Apoſt.* ſic ait: „ Videtis, fra- „ tres, quia viatores ſumus. Dicitis: quid eſt am- „ bulare? (*prout præceperat Apoſtolus*) Breviter „ dico: proficere; ne forte non intelligatis, & „ pigrius ambuletis .... Proba teipſum tu ipſe. „ Semper tibi diſpliceat, quod es, ſi vis perve- „ nire ad id, quod nondum es: Nam ubi tibi „ placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris: ſuf- „ ficit;

„ ficit; & periiſti. Semper adde, ſemper ambula, „ ſemper proſice. Noli in via remanere: noli re- „ tro redire: noli deviare.

Sed neque prætereunda eſt pulchra ejuſdem loci commentatio Sancti Bernardi epiſt. 264. ad Quar. „ Nunquam (inquit) juſtus arbitratur ſe compre- „ hendiſſe. Nunquam dicit: ſatis eſt; ſed ſemper „ eſurit, ſititque juſtitiam, ut ſi ſemper viveret, „ ſemper, quantum in ſe eſt, juſtior eſſe conten- „ deret, ſemper de bono in melius proficere totis „ viribus conaretur. Non enim ad annum, ſive „ ad tempus, ſicut mercenarii, ſed in æternum „ divino ſe mancipat famulatui . . . Itaque inde- „ feſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad „ perfectionem, perfectio reputatur. Quod ſi ſtu- „ dere perfectioni, eſſe perfectum eſt; profecto nolle „ proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt, qui dicere „ ſolent: *ſufficit nobis*; *nolumus eſſe meliores*, *quam* „ *patres noſtri?* Non vis proficere? non. Vis ergo „ deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, „ vivere volo, & manere, in quo perveni: nec „ melior fieri patior, nec pejor cupio. Hoc ergo „ vis, quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in „ hoc ſæculo? Et certe de homine ſpecialiter di- „ ctum eſt: *Fugit velut umbra*, *&* *nunquam in eo-* „ *dem ſtatu permanet* . . . Et quid prodeſt Chri- „ ſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideo Pau- „ lus ajebat: *Sic currite*, *ut comprehendatis*. Ibi „ tu, Chriſtiane, fige tui curſus, profectuſ- „ que metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Fa-* „ *ctus eſt*, inquit, *obediens uſque ad mortem*. „ Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mor- „ tem non perveneris, bravium non apprehen- „ dis &c. “

Conſectarium Nonum.

IX. Acediæ proprie dictæ, atque adeo peccati mortalis reus eſt, qui ita alienus eſt ab amore cæleſtis Patris, & Patriæ, ut cum audit, vel cogitat, ſibi a Deo eſſe propoſitum, ut ſit *civis Sanctorum*, *&* *domeſticus Dei*, de hoc triſtatur, quemadmodum Cajetanus tradit in Summa, verbo *Acedia*. Idemque judicium ferendum eſt de eo, quem tædet de quovis ſpirituali bono ad divinam amicitiam, & beatitudinem ipſi neceſſario. Si quis autem in particulari triſtetur de jejunio, de oratione, de feſtorum obſervantia &c., peccat quidem, quia triſtatur de bono virtutis; ſed illud non eſt peccatum *acediæ* ſpeciale: quia hujuſmodi triſtitia pertinet ad vitium illi virtuti oppoſitum, de cujus bono triſtitia eſt.

Conſectarium Decimum.

X. Peccat mortaliter Religioſus, qui triſtitiam concipit, ac nutrit de ſtatu, quem amplexus eſt, aut de tribus Religionis votis, quibus ſe obſtrinxit: quoties hæc triſtitia conjunctam habeat voluntatem non adimplendi ea, ad quæ ſub gravi culpa obligatus eſt. Si vero talem voluntatem nequaquam habeat, paratus ea ſervare, ad quæ tenetur, quavis non obſtante difficultate; non videtur ea triſtitia peccatum eſſe mortale. Grave tamen peccatum veniale eſſe ſolet, ſi illi non reſiſtat, ſed foveat; & ingens periculum ſecum affert labendi in mortale.

Conſectarium Undecimum.

XI. Acediæ ejuſdem, licet late ſumptæ, peccato obſtringuntur, quicumque a via prava ad rectam diu converſionem differunt, multoque amplius ſi illam protrahant ad uſque ſenectutem, aut mortem. Hos graviter monet Spiritus Sanctus Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum*, *&* *ne differas de die in diem*. *Subito enim veniet ira illius*, *&* *in tempore vindictæ diſperdet te*. Et *Proverb.* 1. minas horribiles intentat omnibus, qui ita converſionem ſuam differunt, dicens: *Quia vocavi*, *&* *renuiſtis*; *extendi manum meam*; *&* *non fuit*, *qui aſpiceret*. *Deſpexiſtis omne conſilium meum*, *&* *increpationes meas neglexiſtis*; *ego quoque in interitu veſtro ridebo*, *&* *ſubſannabo*, *cum vobis id*, *quod timebatis*, *advenerit*; *cum irruerit repentina calamitas*, *&* *interitus*, *quaſi tempeſtas*, *ingruerit*; *quando venerit ſuper vos tribulatio*, *&* *anguſtia*. Quapropter Chriſtus Dominus *Joan.* 8. Judæis, in eorumque perſona omnibus converſionem ſuam differentibus ait: *Ego vado*; *&* *quæretis me*, *&* *in peccato veſtro moriemini*. Hinc S. Bernardus *ſerm.* 35. *in Cantic.* ſcribit, tres eſſe cauſas, quæ interim occurrunt, & quærentes fruſtrari ſolent; „ Cum videlicet aut non in tempore quærunt, aut non ſicut „ oportet, aut non ubi oportet. Si enim omne „ tempus aptum eſt ad quærendum, cur dicit Pro- „ pheta: *Quærite Dominum*, *dum inveniri poteſt?* „ Erit abſque dubio, cum inveniri non poterit: „ & ideo addit, ut invocetur, *dum prope eſt*; quia „ futurum eſt jam non *prope* futurum . . . Nunc „ tempus acceptabile, nunc dies ſalutis ſunt; tem- „ pus plane & quærendi, & invocandi, quando „ plerumque, & antequam invocetur, adeſſe ſenti- „ tur &c. “

Conſectarium Duodecimum.

XII. Acedioſi dicendi ſunt, adeoque peccatorum plurimorum, quæ nonnunquam ad lethalem culpam perveniunt, rei evadunt Eccleſiaſtici, Religioſi, ac Sanctimoniales cum triſtitia, & languore divinas laudes perſolventes, & ad officia divina, quæ a ſpiritualis vitæ Magiſtris *Opus Dei* merito appellantur, negligenter ſe conferentes, quæ cum fervore, & alacritate frequentanda ſunt, & perſolvenda; ac propterea divinam in ſe maledictionem arceſſunt juxta illud: *Maledictus*, *qui facit opus Dei fraudulenter*, ſive negligenter. His proinde inculcanda maxime eſt admonitio illa S. Bernardi *ſerm.* 47. in Cant. „ Moneo, dilectiſſimi, pure ſemper, „ ac ſtrenue divinis intereſſe laudibus. Strenue „ quidem; ut, ſicut reverenter, ita & alacriter „ Domino adſiſtatis; non pigri, non ſomnolenti, „ non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præ- „ cidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, „ non fractis, & remiſſis vocibus, muliebre quid- „ dam balba de nare ſonantes, ſed virili, ut di- „ gnum eſt, & ſonitu, & affectu voces Sancti Spi- „ ritus depromentes “.

Con-

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Rancor, qui proles acediæ eſt, ad culpam lethalem pertingit quoties homines præſertim ſubditi Superioribus, qui ipſos corripiunt, indignantur, eoſque propterea odio proſequuntur, quod illos ad meliora compellant. Id ſatis conſtat ex Scripturæ verbis Proverb. cap. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus; & eum ſanitas non ſequetur.* Et *Luc.* 10. ubi Chriſtus ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Quare graviter peccant tum Laici, qui Parochis, tum Clerici, qui Epiſcopis, aut Vicariis eorum vitia corripientibus, tum Religioſi ſuis Superioribus Monaſticam diſciplinam inſtaurare volentibus, ſuccenſent, illoſque propter hoc exoſos habent.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Puſillanimitatis, quæ inter filias acediæ numeratur, peccatum & quidem lethale incurrit, qui rebus arduis, & ad ſalutem neceſſariis peragendis cæteroquin idoneus, ex ſola animi parvitate ab iis ſe ſubducit; aut miniſteria, ac officia ſibi præcepto Superioris impoſita pertinaciter reſpuit. Id colligitur ex doctrina S. Thomæ tradita 2. 2. *q.* 133. *art.* 1. ubi inter alia profert authoritatem Chriſti apud Matthæum, & Lucam de ſervo, qui acceptam pecuniam Domini ſui fodit in terram, *nec eſt operatus ex ea propter quemdam puſillanimitatis timorem*, & ob hoc ejecto *in tenebras exteriores*: tum Sancti Gregorii Magni in *Paſtoral.* dicentis, quod *illi, qui prodeſſe utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, ſi diſtricte judicentur, ex tantis rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt.* Hinc ad objectum ſibi Moyſis, & Jeremiæ exemplum, qui, dum eſſent digni officio, ad quod aſſumebantur a Deo, uterque tamen eorum humiliter recuſabat; reſpondet *ad* 4. quod *Moyſes, & Jeremias digni erant officio, ad quod divinitus eligebantur ex divina gratia: ſed ipſi conſiderantes propriæ infirmitatis inſufficientiam recuſabant; non tamen pertinaciter, ne in ſuperbiam laberentur.*

Horum Sanctorum exemplum imitari debet, qui ad aliquod munus Eccleſiaſticum aſſumitur, cui pares ſunt ejus vires. Poteſt enim illud ex humilitate recuſare; ſed ſi præceptum Superioris accedat, pertinaciter obſiſtere minime deberet, ſed munus injunctum ſuſcipere Divino fretus auxilio, quod tunc ipſi minime defuturum confidere jure poteſt. Unde S. Gregorius in *Paſt.* de Moyſe aſſumpto ad munus regendi univerſum populum Iſrael, ait: *Superbus fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet; & rurſus ſuperbus exiſteret, ſi Authoris imperio obedire recuſaret.*

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Immoderatus ſomnus, qui unus eſt ex acedioſi hominis characteribus, de ſe quidem nonniſi leve peccatum eſt; quoties nempe nimium ſomno indulgetur præter leges neceſſitatis, quæ par in omnibus non invenitur. Ad temperantiam namque pertinet moderari ſomnum, prout cuique expedit ad quietem a labore, qua indigemus. Gravius autem peccatum eſt hæc immoderatio in Eccleſiaſticis, & Religioſis viris, quos impedit, ne orationi, aut ſtudio vacent: in Magiſtratibus, & iis, qui Rempublicam adminiſtrant; aliiſque, quibus incumbit cura negotiorum vel ad ſe, vel ad proximum pertinentium. Quandoque etiam lethale peccatum eſt, cum ex nimio, & immoderato ſomno directe, vel indirecte impeditur aliquis ab executione præcepti; ut ſiquis diebus feſtis ſomno indulgere malit, quam Sacro audiendo intereſſe; vel noctem integram in ludis, ac choreis conſumere; & mane in lecto ſe collocans a ſomno ante meridiem non excitetur. Idemque judicium ſit de aliis præceptis vel naturalibus, vel Eccleſiaſticis, quorum executionem immoderatus ſomnus impediret.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Otium iners, ac deſidioſum, quod ex acedia progigni ſolet, peccatum eſt, & ſæpe peccati lethalis occaſio. Peccatum eſſe liquet ex eo, quod adverſus ordinem naturæ eſt, quod homo tempus conſumat in rebus otioſis, & inutilibus, quod in feriis, & gravibus impendere deberet. Occaſionem vero plurium peccatorum nedum venialium, verum etiam mortalium Sacræ Litteræ, Eccleſiæ Patres, & ſpiritualis vitæ Magiſtri unanimiter eſſe docent; unde & ab eo fugiendo ſummopere nos hortantur. Eccleſiaſt. cap. 53. dicitur: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Et *Exech.* 16. de Sodoma: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, & otium ipſius.* S. Bernardus Tract. *de gradibus Humilitatis cap.* 10. animadvertit, otioſitatem mentis primos parentes in peccatum præcipites egiſſe, verba ad Evam ita convertens: „ Tu quoque, o Eva, in paradiſo po„ ſita es, ut cum viro opereris, & cuſtodias il„ lum; ſi injunctum perfeceris, quandoque tran„ ſitura ad melius, ubi nec opus ſit te in ali„ quo opere occupari, nec de cuſtodia ſollicita„ ri . . . . Niſi mens minus ſe curioſe ſervaret, „ tua curioſitas tempus vacuum haberet. Et ſi „ culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & in„ dicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ. „ Te enim intenta ad aliud, latenter interim in „ cor tuum ſerpens illabitur, blande alloquitur; „ blanditiis rationem, mendaciis timorem compe„ ſcit &c. “

Quare S. Auguſtinus, ſive Author ſermonum ad Fratres in Eremo *ſerm.* 17. ait: *Quid otioſe agere potes, niſi opera carnis? Nunquam quis civis cælorum erit, ſi otioſitatem amaverit.* Hoc documentum ſequutus Sanctus Carolus Borromæus in Inſtruction. Confeſſion. *nimiam otioſitatem* nu-

numerat inter proximas peccati mortalis occaſiones, in quibus poſitus homo Sacramentali abſolutione donari nequaquam debet, donec illas omnino deſeruerit.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Hinc rei peccati *evagationis mentis circa illicita*, quam poſtremam dicimus eſſe acediæ filiam, exiſtimandi ſunt inquieti illi, & curioſi homines, quibus nihil negotii eſt, nihil penſi, niſi ut audiant, vel referant aliquid novi; niſi ut in res, & actiones alienas inquirant, & nullis occupati negotiis, aliis negotia faceſſunt, & familias, aut rempublicam inquieti animi deſultoria levitate perturbant. Hos Apoſtolus Paulus 2. *ad Theſſal. cap.* 3. delineat, & acerrime reprehendit dicens: *Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes. Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.* In hoc peccato maxime verſantur Clerici, & Monachi otioſi, inquieti, gyrovagi, qui huc illuc diſcurrere amant; qui, ut Athenienſes, quos memorat idem Apoſtolus, *ad nihil aliud vacant, niſi dicere, aut audire aliquid novi*; qui Superioribus inobedientes ſunt, æqualibus infeſti, inferioribus intolerabiles, ſibimetipſis graves; quibus nec oratio ſapit, nec ſtudium, ſed iners otium placet. Hujuſce etiam peccati reæ ſunt tum Moniales in Cœnobiis laxioribus degentes, tum maxime mulieres ſæculares; quæ, ut ſcribit Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. *Otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum autem otioſæ ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet.* Has quoque deſcribit Salomon *Proverb.* 7. de muliere meretrice loquens; quæ, ut ait, *garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidiatur.*

Ex hac mentis evagatione plura alia peccata proficiſci ſolent, ſæpe gravia, ac lethalia. Ut enim advertit S. Gregorius Magnus *lib.* 7. *Moral. c.* 17. „ Quibuſdam ruinæ ſuæ gradibus deſidioſa mens in „ fovea lapſus impellitur. Nam dum otioſa verba „ cavere negligimus, ad noxia pervenimus: ut „ prius loqui aliena libeat, & poſtmodum detra„ ctionibus eorum vitam, de quibus loquitur, „ lingua mordeat; quandoque autem uſque ad a„ pertas contumelias erumpat. Hinc irarum ſe„ minantur ſtimuli, oriuntur rixæ, accendun„ tur faces odiorum, pax tota extinguitur cor„ dium &c. Quod autem multiloquio quiſque „ ſerviens, rectitudinem juſtitiæ tenere non poſ„ ſit, teſtatur Propheta, qui ait: *Vir linguoſus* „ *non dirigetur in terra.* Hinc Salomon ait: *In* „ *multiloquio non deerit peccatum* &c. Hinc Jaco„ bus dicit: *Siquis putat ſe religioſum eſſe, non* „ *refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt reli*„ *gio* &c.

REFLEXIO.

Nullus acedioſus, & languidus in via Dei, æternæque ſalutis ſuæ ſummo terrore affici non deberet, totiſque artubus contremiſcere, dum audit formidabilem illam ſententiam ex ore Jeſu Chriſti in Apocalypſi prolatam, quam Evangeliſtæ Joanni ſcribendam præcepit Epiſcopo Eccleſiæ Laodiciæ, omnibuſque in ejus perſona fidelibus: *Hæc dicit teſtis fidelis, & verus. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Satis quippe ex ipſiſmet terribilis ſententiæ verbis manifeſtum eſt, quid Chriſtus ſignificandum voluerit: nimirum, ut præclare adnotat in hunc locum Richardus a S. Victore, Epiſcopus ille tepidus „ exiſtimabat, ſolam ſibi ſufficere fidem, „ non animadvertens neceſſariam eſſe charitatem, „ & charitatis (fervoris) actionem; in ſola con„ fidens fidei cognitione, & Sacramentorum per„ ceptione: meliuſque illi fuiſſet in infidelitate „ permanſiſſe, quam accepta fide tepide vivere, „ nec opera fidei exercere; non quod eſſet hoc „ malum, ſed quia minus eſſet malum, & for„ ſitan ad fidem aliquando converſus citius, ac „ levius ad veram juſtitiam conſurgeret, quam „ nunquam diu in ſola fide per teporem reſolu„ tus, & inutilem ſecuritatem deceptus acci„ peret, inaniter confideret, ac ſuperbiret. Di„ cit ergo: *Utinam frigidus eſſes, aut calidus!* „ quaſi diceret: Utinam in fide talis eſſes, qua„ lis eſſe deberes; quia tunc vere juſtus eſſes: „ vel ſaltem adhuc in infidelitate poſitus eſſes; „ quia & propter ignorantiam minus peccatum „ haberes, & gratia quandoque converſionis ac„ cepta, citius ad veram juſtitiam pertingere „ poſſes. Quod autem malum ipſius teporem ſe„ quatur, adjungit dicens: *Sed quia tepidus es,* „ *& nec frigidus, nec calidus, incipiam te evo*„ *mere ex ore meo.* Notandum, quod non dixit: „ *evomam*; ſed *incipiam evomere*; quia, qui „ per teporem reſolvitur, non ſubito, nec ex „ toto a gratia deſeritur, ut raptim ad malum „ relabatur: ſed gratia deſerente, & ipſo pri„ mum minima, deinde majora contemnente, „ paulatim ſucciditur, & gradatim a ſummis „ ad ima deſcendit, & tandem præcipitanter ad „ ima ruit: & pulchre ad ſimilitudinem ibi di„ xit: *Incipiam te evomere ex ore meo*; quia ele„ cti quique quaſi cibus in ſtomacho per natura„ lem calorem decocti, per dilectionem membra „ Chriſti fiunt per veram juſtificationem; & tepi„ di ſive dilectione crudi evomuntur per reproba„ tionem“.

Quæ autem pœnæ per hunc *vomitum* indigitentur, enucleatius expono, ut majorem funeſti hujuſce tepiditatis timorem, & horrorem incutiam. *Vomitus* metaphora, qua Dominus utitur, proxime quidem referenda non eſt ad damnationem ſempiternam, hæc enim non tepidis duntaxat, ſed peccatoribus omnibus a Deo intentatur; ſed ea repræſentatur deteſtatio ipſius Dei irreconciliabilis. Tunc vero acedioſus, ac tepidus aptiſſime di-

dicitur a Chriſto *evomi*, cum induratur in peccato, & quodammodo projicitur extra curam Providentiæ divinæ. Hujus autem comminationis particula, quæ propter venialem etiam teporem merito timeri debet, importat privationem illorum auxiliorum, quæ non conceduntur juſtis omnibus, ſed iis tantummodo, quos Deus majori favore proſequitur. Quam grave porro periculum inde immineat labendi in peccata lethalia, ac tandem in animi obdurationem, id ſpiritualium virorum conſiderationi relinquendum puto. Addo tamen, comminationem hanc ſic expoſitam teporem reſpicere, ac per eam doceri fideles, eſſe ipſiſſimam viam ad obdurationem in peccato. Qua ſententia nihil aptius ad tepidos deterrendos proponi potuit, utpote qui putent, ſe valde alienos eſſe ab hac obduratione, & valde eam deteſtari.

Hujuſce textus allata expoſitio eo magis tamquam vera exiſtimanda eſt, quod conſona ſit iis, quæ in Evangelio leguntur. Quo enim illa collineant, niſi ut probent, tepidos, & deſidioſos in ſalutis negotio a Deo tandem deſeri, & deſertos ob gratiæ, & miſericordiæ ſubtractionem obdurari in malo, atque adeo ſempiterna maledictione puniri? Enimvero, quod tepidis, & ſocordibus auferantur dona, & auxilia cæleſtia, liquet quam maxime ex Parabola jam commemorata de ſervo inutili, qui talento ſibi a Domino tradito propter ſuam inertiam privatus eſt; datoque alteri ſervo ſtrenuo, ac diligenti. *Omni enim habenti dabitur*, *& abundabit*: *ei autem*, *qui non habet*, *& quod habet* (ſeu quod videtur habere, ut explicat S. Hieronymus), *auferetur ab eo*. Uſque adeo verum eſt, occulto Dei judicio ſemper juſto tepidos cæleſtibus donis deſtitui; quippe quæ ea veluti in terra defoſſa criminoſo ſuæ ſalutis faſtidio, nihil ſibi profutura detineant. *Omni igitur habenti dabitur*, *& abundabit*; homines ſcilicet bene divinis auxiliis, & beneficiis uſos, atque adeo in obſequio, & ſervitio divino ſtrenue laborantes Deus in dies uberiore gratia, & beneficentia ditabit: contra vero ſuis talentis, quotquot habuerunt, aut habere viſi ſunt, privabit eos, qui jam habitis bene uſi non fuerunt.

Deum ita ſe gerere erga ſegnes, & acedioſos illos tum bonis divinis exuendo, tum etiam horrenda maledictione plectendo, ita ut nullum unquam fructum a charitatis radice prodeuntem, ac perſeverantem afferant, ſatis quoque ſuperque probat Parabola de ficulnea ab ipſo Chriſto æterna ſterilitate damnata. Chriſtus videlicet eſuriens ad arborem acceſſit, quæſivit in ea fructum, & non inveniens arbori ſterilitatem æternam imprecatus eſt dicens: *Nunquam ex te fructus naſcatur in æternum*; & confeſtim *arefacta eſt ficulnea*. Hujuſmodi maledictio nemini alieno tempore in inſontem ficulneam impreſſa videatur. Non enim Chriſtus vel ex inediæ impatientia, vel ex impotenti iracundia maledixit; ſed eo facto grande myſterium Chriſtianis hominibus adverſus acediam maxime profuturum declarare voluit. Nam, ut a Sanctis Patribus Hilario, Chryſoſtomo, Hieronymo obſervatum eſt, ficulnea Synagogam adumbravit. Ad Synagogam Chriſtus de cælo delapſus eſt dilecti populi ſalutem eſuriens; illam ipſam Synagogam aſpexit velut arborem patulis ramis diffuſam, quæ luxurianti quidem, lætaque frondium amœnitate vireſceret, & nullo gauderet fructu, quo ſuam eſuriem, inediamque recrearet: ideoque illi pœnam perpetuæ ſterilitatis irrogavit. Judæi nimirum ſibi plaudebant magnificis, & inanibus legis Moſaicæ verbis, paſſim prædicabant Templum, legales cæremonias, traditiones antiquas, quibus præ cæterarum gentium multitudine cælitus donati fuerant, cum interim nuda Religionis ſpecie contenti, nullos bonorum operum fructus ederunt, atque ita ipſi Deo nauſeam ingererent, & in ſe implacabilem ejus iracundiam concitarent. Unde damnatus eſt contumax ille populus maledictione, & ariditate; ſcilicet derelictus a Deo fuit, & reprobatus, ut inſtar arboris arefactæ ſterileſceret, nec ullum ſolidæ juſtitiæ fructum proferret.

Hæc maledictio, qua percuſſus eſt Hebræus populus, ut præclare obſervat Origenes *tract.* 17. *in Matth.* æque cadit in tepidos illos Chriſtianos, qui ſatis habent proferre virtutum folia, ideſt extrinſecus quidem Chriſti fidem profiteri, & etiam aliqua exterioris pietatis, ac religionis opera peragere; cum tamen nullos edant ſolidiorum virtutum, & veræ Chriſtianæque pietatis fructus. Quare cum Deus tam terribili maledictione, & gratiæ ſuæ ſubtractione plectat acedioſos, quid niſi omnimoda bonorum cæleſtium egeſtas illis pertimeſcenda eſt? Hanc iiſdem egeſtatem, atque penuriam ubique comminantur, ac prænunciant Sacræ Litteræ. Unde *Proverb.* 10. dicitur: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa*: *manus autem fortium divitias parat*. Et cap. 20. *Noli diligere ſomnum*, *ne te egeſtas opprimat*; *aperi oculos tuos* &c. Et cap. 21. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia*. *Omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt*. Et cap. 28. *Qui operatur terram ſuam*, *ſatiabitur panibus*: *Qui autem ſectatur otium*, *replebitur egeſtate*. Quid ergo expectare ſibi poſſunt inertes, ac tepidi, præter egeſtatem cæleſtium bonorum, quæ per acediam faſtidiunt, & negligunt; ac poſtmodum æterna ſupplicia, quibus in futura vita ſunt afficiendi? Timere, ac formidare debent exemplum præfati ſervi inutilis, quem Judex inexorabilis duplici pœna mulctavit; egeſtate nimirum, verbis illis ſignificata: *Tollite ab eo talentum* &c. & ſupplicio ſempiterno, ſequentibus expreſſo: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores*; *ibi erit fletus*, *& ſtridor dentium*.

Ex quibus omnibus equis non colligat, quanta ſibi cura cavendum ſit ab hoc tam periculoſo vitio; quantumque ſtudii impendere debeat, ut, ſi forte in illud jam inciderit, illud a ſe ſtatim omnino abigat, ac remedia neceſſaria adhibeat, quibus a miſerrimo ſtatu, in quo jacet, emergat? Porro remedia, quæ adverſum acediam ſuggerunt Sancti Patres, ac vitæ ſpiritualis Magiſtri, ſunt hæc potiſſimum. Primum ex S. Thoma eruitur 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. *ad* 4. nempe frequens cogitatio bonorum ſpiritualium, piorumque librorum aſſidua lectio: *Quia quanto magis cogitamus de bonis ſpiritualibus*, *tanto magis nobis placentia redduntur*;

tur; *ex quo ceſſat acedia*. Præcipue vero efficax eſt meditatio vitæ, & mortis Chriſti, ac lectio actionum Sanctorum, quibus ad eorum imitationem, & ad vitæ fervorem accendimur.

Alterum eſt continua Dei præſentia in operibus noſtris. Si enim attente conſideremus, Deum eſſe inſpectorem, ac Judicem omnium, quæ agimus, fieri non poteſt, ut, ſocordia, & languore penitus abjecto, ea diligenter, ac ferventer non operemur. Ut enim ait S. Bernardus *ſerm.* 2. *in Pſal.* Qui habitat: *Quomodo poterit negligens fieri, qui intuentem ſe Deum nunquam deſinit intueri*.

Tertium remedium eſt jugis memoria Noviſſimorum; mortis ſcilicet, tremendi Judicii Dei, Inferni, & ſempiternæ Beatitudinis. Cogitemus ea Chriſti Domini monita apud S. Joannem: *Veniet hora*, *quando nemo poteſt operari*. *Ambulate*, *dum lucem habetis*, *ut non vos tenebræ comprehendant*. Cogitemus illud Apoſtoli ad Galat. 6. *Quæ ſeminaverit homo*, *hæc & metet*: *quoniam qui ſeminat in carne ſua*, *de carne & metet corruptionem*: *qui autem ſeminat in ſpiritu*, *de ſpiritu metet vitam æternam*. *Bonum autem facientes*, *non deficiamus*: *tempore enim ſuo metemus non deficientes*. *Ergo dum tempus habemus*, *operemur bonum*. Cogitemus, quod exacta hac breviſſima vita, *tempus* bene operandi *non erit amplius*: quod ad inferos damnati fruſtra tempus requirunt, quibus ob abuſum temporis hic conceſſi ſola ſupererit exilii a Dei regno, ac pœnarum æternitas. Cogitemus tandem, ac ſæpe ſæpius meditemur, quod *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, *quæ revelabitur in nobis*; &, *quod in præſenti eſt momentaneum*, *& leve tribulationis noſtræ*, *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, *non contemplantibus nobis*, *quæ videntur*, *ſed quæ non videntur*.

Poſtremum, præter alia, quæ afferri poſſent, remedium eſt oratio, qua Deum continuo deprecemur, ut in nobis *augeat fidei*, *ſpei*, *& charitatis augmentum*; &, *ut mereamur ſanctis operibus*, ac ſtudioſa mandatorum obſervantia *aſſequi*, *quod promittit*, *faciat nos amare*, *quod præcipit*, quemadmodum orat nomine Fidelium Sancta Mater Eccleſia; *faciat*, quod fideliter impleamus illud, quod juſſit apud Marc. cap. 13. *Videte*, *vigilate*, *& orate*; quod & ſæpe inculcat apud alios Evangeliſtas. *Videamus* igitur, & perpetim meditemur tum quod Deus promiſit, tum quod comminatus eſt. *Vigilemus*, ut Diaboli inſidias evitemus; nec mundus, & caro a via veritatis nos abducant, ſed in mandatis Dei ſemper ambulemus. *Oremus*, ut hæc ſtrenue perficiamus. *Ignis ſancte*, dicam, & concludam cum Auguſtino, *qui ſemper ardes*, *& nunquam extingueris*, accende me, ut toto corde, toto ſpiritu viam curram mandatorum tuorum; teque ſemper ardenter diligendo ea demum merear aſſequi bona, *quæ præparaſti diligentibus te*.

APPEN-

APPENDIX

DE QUIBUSDAM PECCATORUM GENERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis in Spiritum Sanctum.

DOCTRINA.

I. *Gravitas peccati in Spiritum Sanctum.*
II. *Notio ejuſdem juxta Eccleſiæ Patres, & D. Thomam, ex quo ejus definitio colligitur.*
III. *Diviſio peccatorum in Spiritum Sanctum a S. Thoma illuſtrata.*
IV. *De primo peccato in Spiritum Sanctum; ſcilicet* præſumptione de divina miſericordia.
V. *De altero peccato in Spiritum Sanctum; nimirum* deſperatione.
VI. *De tertio peccato in Spiritum Sanctum; nempe* impugnatione agnitæ veritatis.
VII. *De* fraternæ gratiæ invidentia, *quarto in Spiritum Sanctum peccato.*
VIII. *De* impœnitentia, *quinto peccato in Spiritum Sanctum. Quid proprie hic eo nomine veniat.*
IX. *De poſtremo peccato in Spiritum Sanctum; videlicet* obſtinatione.

§. I.

Peccati in Spiritum Sanctum *gravitas, ac notio apud Sanctos Patres. Quid ſentiat D. Thomas.*

I. GRaviſſima eſſe peccata, quæ dicuntur *in Spiritum Sanctum*. quis in dubium vertat, cum & eorum naturam conſiderat, & locutiones, quæ de ipſis habentur in Sacris Scripturis; eaſque præſertim, quæ dictæ leguntur a Chriſto Domino tum apud Matth. cap. 12.? nimirum: „ Dico vobis; omne peccatum, „ & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritus „ autem blaſphemia non remittetur. Et quicum- „ que dixerit verbum contra Filium hominis, „ remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiri- „ tum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc „ ſæculo, neque in futuro". Tum apud Marc. cap. 3. „ Amen dico vobis, quoniam omnia di- „ mittentur filiis hominum peccata, & blaſphe- „ miæ, quibus blaſphemaverit. Qui autem blaſ- „ phemaverit in Spiritum Sanctum, non habet „ remiſſionem in æternum: ſed reus erit æterni „ delicti".

II. Non eadem eſt peccati in Spiritum Sanctum apud Eccleſiæ Patres notio, & expoſitio. Quidam enim intellexerunt blaſphemiam proprie dictam, qua quis opera divinæ bonitatis blaſphemat, ſicuti Phariſæi, qui divina opera Chriſti, & miracula, quæ patrabat, Principi Dæmoniorum tribuebant, ac propterea dixerunt, hanc blaſphemiam eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, quia *divinæ bonitatis opera* peculiari quadam ratione Spiritui Sancto attribuuntur. Atque ita intelligunt Athanaſius, Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus, & Ambroſius. Alii peccatum in Spiritum Sanctum exiſtimant, ut S. Auguſtinus, impœnitentiam uſque ad finem vitæ; eo quod iſtud dumtaxat nunquam remittatur, cum cætera quæcumque peccata pœnitentibus condonentur. Alii peccatum in Spiritum Sanctum dixerunt illud, quod ex certa malitia committitur; hoc eſt ex ipſa *electione mali*.

Tres haſce ſententias refert Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 14. *art.* 1. Et quamvis nullam ipſarum improbet, in tertiam tamen concedit, quam ita explicandam, & intelligendam cenſet. „ Quod „ peccetur (inquit) *ex certa malitia*; contingit „ dupliciter. Uno modo ex inclinatione habitus „ vitioſi, qui *malitia* dicitur: & ſic non eſt idem „ peccare ex malitia, quod *peccare in Spiritum* „ *Sanctum*. Alio modo contingit ex eo, quod „ per contemptum abjicitur, & removetur id, „ quod electionem peccati poterat impedire; „ ſicut *ſpes* per *deſperationem*, & *timor* per „ *præſumptionem*, & quædam alia hujuſmodi. „ Hæc autem omnia, quæ peccati electionem „ impediunt, ſunt effectus Spiritus Sancti in „ nobis. Et ideo ſic ex malitia peccare eſt „ peccare in Spiritum Sanctum". Ex quibus hæc peccati in Spiritum Sanctum colligi definitio valet:

Peccatum in Spiritum Sanctum eſt illud, quo abjicitur, aut contemnitur id, quod peccatum impedire, aut removere poteſt.

Conſtat hæc definitio ex allata Sancti Thomæ doctrina. Non itaque peccatum in Spiritum Sanctum eſt peccare ex certa malitia, ſive ex inclinatione pravi habitus, qui *malitia* appellatur, de qua egimus ſuo loco: ſic enim peccatum omne dici poteſt in Spiritum Sanctum; ſed quando ea eſt alicujus malitia, ut ſciens, & volens per contemptum abjiciat ea, quæ poſſent vel impedire, vel removere peccatum. Siquidem peccatum hujuſmodi adverſatur *bonitati*, *quæ ſpeciale attributum eſt* Spiritus Sancti. Sicut enim *Patri* appropriatur *potentia*, & *ſapientia Filio*: unde peccatum in Patrem dicitur eſſe *peccatum ex infirmitate*; peccatum autem in Filium dicitur *peccatum ex ignorantia*: peccatum vero in Spiritum Sanctum dicitur *peccatum ex certa malitia*; quæ ſpecialiter opponitur bonitati in ſenſu explicato.

§. II.

Diviſio exponitur peccatorum in Spiritum Sanctum.

III. Sex eſſe peccata in Spiritum Sanctum, concors eſt Theologorum cum Sancto Thoma ſententia; videlicet *deſperatio*, *præſumptio*, *impœnitentia*, *obſtinatio*, *impugnatio veritatis agnitæ*, & *invidentia fraternæ gratiæ*. Quam diviſionem eleganti ratione Sanctus Doctor illuſtrat hic *art.* 3. „ Secundum quod (ait) peccatum in Spiritum „ Sanctum tertio modo (jam expoſito) accipitur, „ convenienter prædictæ ſpecies ei aſſignantur. „ Quæ diſtinguuntur ſecundum remotionem, vel „ contemptum eorum, per quæ poteſt homo ab „ electione peccati impediri. Quæ quidem ſunt „ vel ex parte *divini judicii*, vel ex parte *donorum ipſius*; vel etiam ex parte *ipſius peccati*. „ Avertitur enim homo ab electione peccati ex „ conſideratione *divini judicii* (quod habet ju„ ſtitiam cum miſericordia) & per *ſpem*, quæ „ conſurgit ex conſideratione miſericordiæ re„ mittentis peccata, & præmiantis bona: & „ hoc tollitur per *deſperationem*. Et iterum per „ *timorem*, qui conſurgit ex conſideratione divinæ „ juſtitiæ punientis peccata: & hic tollitur per „ *præſumptionem*; dum ſcilicet aliquis præſumit, „ ſe gloriam poſſe adipiſci ſine meritis, vel ve„ niam ſine pœnitentia “.

„ Dona autem Dei, quibus retrahimur a pec„ cato, ſunt duo; quorum unum eſt *agnitio ve„ ritatis*, contra quod ponitur *impugnatio verita„ tis agnitæ*: dum ſcilicet aliquis veritatem fidei „ agnitam impugnat, ut licentius peccet. Aliud „ eſt auxilium interioris gratiæ, contra quod po„ nitur *invidentia fraternæ gratiæ*: dum ſcilicet „ aliquis non ſolum invidet perſonæ fratris, „ ſed etiam invidet gratiæ Dei creſcenti in „ Mundo “.

„ Ex parte vero peccati duo ſunt, quæ homi„ nem a peccato retrahere poſſunt. Quorum u„ num eſt inordinatio, & turpitudo actus, cujus „ conſideratio reducere ſolet in homine pœniten„ tiam de peccato commiſſo. Et contra hoc po„ nitur *impœnitentia*; non quidem eo modo, quo „ dicit permanentiam in peccato uſque ad mor„ tem, ſicut ſupra impœnitentia accipiebatur „ (ſic enim non eſſet ſpeciale peccatum, ſed „ quædam peccati circumſtantia): ſed accipi„ tur hic *impœnitentia*, ſecundum quod impor„ tat *propoſitum non pœnitendi*. Aliud autem eſt „ parvitas, & brevitas boni, quod quis in pecca„ to quærit ſecundum illud Rom. 10. *Quem ergo „ fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc „ erubeſcitis?* Cujus conſideratio inducere ſolet „ hominem ad hoc, quod ejus voluntas in pec„ cato non firmetur. Et hoc tollitur per *ob„ ſtinationem*; quando ſcilicet homo firmat ſu„ um propoſitum in hoc, quod peccato inhæ„ reat. Et de his duobus dicitur Jerem. 8. *Nul„ lus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, „ dicens, quid feci?* quantum ad primum. *O„ mnes converſi ſunt ad curſum, quaſi æquus „ impetu vadens ad prælium*, quantum ad ſe„ cundum “. Hæc Sanctus Thomas, cujus doctrinæ brevem aliquam explicationem appingam, in medium productis exemplis, quibus homines hæc peccata in Spiritum Sanctum incurrunt.

IV. Primo itaque quoad *præſumptionem* ſpectat, peccant in Spiritum Sanctum, qui fiducia divinæ miſericordiæ freti audacter peccata committunt, abjecta omni conſideratione divinæ juſtitiæ, ac timoris Dei; illudque ſaltem animo repetere ſolent. *Miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*, ut habetur *Eccleſiaſt.* 5. ſive qui juxta Apoſtoli effatum, *divitias bonitatis Dei*, *&* *patientiæ*, *&* *longanimitatis contemnunt*, *ignorantes*, *quoniam* illos *benignitas Dei ad pœnitentiam adducit*, aut deberet adducere; ſola ſæpe fide in Chriſtum ſibi blandientes, ac æternam felicitatem ſibi promittentes, quamvis in cœno peccatorum immerſi, ab eo nullatenus emergere curent.

V. Sed & non minus peccant in Spiritum Sanctum ex oppoſito *per deſperationem*, qui ſpem omnem impetrandæ peccatorum veniæ, adeoque & conſequendæ ſalutis abjiciunt; dicuntque cum impio Caino: *Major eſt iniquitas mea*, *quam ut veniam merear*; vel Judam proditorem imitantur, qui poſt nefarium facinus deſperatione ſuæ ſalutis abreptus, laqueo ſibi mortem conſcivit. Hi, dum mentis oculos avertunt a Deo, cujus *proprium eſt miſereri ſemper*, *&* *parcere*, & *miſerationum non eſt numerus*, qui nunquam abs ſe peccatorem rejicit, quoties ex corde ingemuerit, & ad ipſum convertatur; ſed veluti amantiſſimus, & benigniſſimus Pater recipit, &, uti filium prodigum, amplectitur; propter cæcitatem cordis ipſorum ſemetipſos deſperantes in omne vitiorum genus tradunt, nihilque amplius cogitant de ſua ſalute.

VI. Tertio peccant in Spiritum Sanctum peccato *impugnationis agnitæ veritatis*, qui præſertim in ſinu Catholicæ Eccleſiæ geniti, ac enutriti, fidei, ac Religionis Chriſtianæ veritatem, non ex ignorantia, ſed ex malitia ſtudioſe oppugnant. Hi ſunt, quos Apoſtolus Petrus *Epiſt.* 2. *cap.* 2. redarguit, *Magiſtri mendaces*, *qui introducunt ſectas perditionis*; *homines corrupti mente*, *reprobi circa fidem*, *attendentes ſpiritibus erroris*, *&* *doctrinis dæmoniorum*, *in hypocriſi loquentes mendacium*, *ſubverſi*, *&* *proprio judicio condemnati*; prout erat Apoſtolorum tempore inter alios Elimas Magus, acerrimis hiſce verbis objurgatus a Sancto Paulo: *O plene omni dolo*, *&* *omni fallacia*, *fili Diaboli*, *inimice omnis juſtitiæ*, *non deſinis ſubvertere vias Domini rectas*; ac prout fuerunt ſequioribus ſæculis Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, Manes &c. ac ſubinde Zuinglius, Lutherus, Calvinus, Socinus uterque &c. Horum numero accenſendi ſunt juxta Canon. *Violatores* Cauſa XXV. *qu.* 1. „ qui contra Sacros Canones, non neceſ„ ſitate compulſi, ſed libenter aliquid, & pro„ terve agunt, aut loqui præſumunt, aut fa„ cere volentibus ſponte conſentiunt. Talis e„ nim præſumptio manifeſta unum genus eſt bla„ ſphemantium Spiritum Sanctum: quia contra

„ eum

„ eum agit, cujus nutu, & gratia ſancti Cano-
„ nes conditi ſunt.

VII. Rei quarto loco ſunt peccati in Spiritum Sanctum, qui *fraternæ gratiæ invident*: dolentque graviter de affluentia, vel augmento virtutum, aut donorum Dei, quibus proximus excellit. Hujuſmodi erant ii, qui in *Actibus Apoſtolorum* referuntur, qui ex Judæis ad Chriſtianam Religionem converſi Apoſtolorum prædicatione, naſcentem Evangelii gratiam Gentibus invidebant: quemadmodum & *Alexander* ille *Ærarius*, qui gravia mala intulit Apoſtolo Paulo, & prædicationi illius magnopere obſtitit. Sanctus Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Dom. in monte* exiſtimat, *fraternæ caritatis invidentiam* peccatum illud eſſe, de quo Sanctus Joannes 1. *Epiſt. cap.* 5. ait: *Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis*. Sic enim ſcribit cap. 22. „Peccatum fratris
„ ad mortem puto eſſe, cum poſt agnitionem Dei
„ per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quiſ-
„ que oppugnat fraternitatem, & adverſus ipſam
„ gratiam, qua reconciliatus eſt Deo, invidentiæ
„ facibus agitatur". Peccatum, inquam, iſtud *ad mortem eſt*, cujus rei ab Eccleſiæ orationibus excluduntur, ſi in hac perverſitate vitam ſuam compleverint, ut idem Sanctus Doctor exponit *lib.* 1. *Retract. cap.* 19. inquiens: „Peccatum non
„ ad mortem eſt, ſi quiſquam non amorem a
„ fratre alienaverit, ſed officia fraternitatis debi-
„ ta per aliquam infirmitatem animi non exhi-
„ buerit. Quapropter & Dominus in Cruce ait:
„ *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*.
„ Nondum enim gratiæ Spiritus Sancti participes
„ facti ſocietatem ſanctæ fraternitatis inierant. Et
„ Sanctus Stephanus orat pro eis, a quibus lapi-
„ dabatur: quia nondum Chriſto crediderant, ne-
„ que adverſus illam communem gratiam dimica-
„ bant. Et Apoſtolus Paulus propterea, credo,
„ non orat pro *Alexandro;* quia jam frater erat,
„ & *ad mortem*, ideſt *invidentia* fraternitatem op-
„ pugnando, peccaverat. Pro his autem, qui
„ non abruperant amorem, ſed timore ſuccubue-
„ rant, orant, ut eis ignoſcatur".

VIII. Quoad quintum peccatum in Spiritum Sanctum attinet, ſcilicet *impœnitentiam*; illud incurrunt, qui animo prorſus obfirmato in peccatis perſeverant, nec ullis vel admonitionibus, vel minis, vel flagellis a pravo inſtituto ſe revocari ſinunt. Sic Rex Pharao, cujus *cor*, ut ſæpe dicit Scriptura, *induratum erat*, ne Dei populum a ſervitute dimitteret, licet toties a Moyſe admonitus, ac tot flagellis Dei attritus. Sic & Judæi, quibus pertinaciam plane invincibilem S. Stephanus Protomartyr objecit; *Dura cervice, incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Sic etiam hujus peccati *impœnitentiæ* rei merito dicendi ſunt, qui in ſuis delictis obdurati, ſin minus ore, animo certe, factiſque dicunt Deo ipſos vocanti: *Recede a nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus*, quemadmodum & illi, qui nedum peccata ſua non deflent, ſed pertinaciter defendunt; non ſolum ea non confitentur, ſed in illis impudenter gloriantur, qui potentes in iniquitate, ac *in profundum peccatorum venientes, contemnunt, & ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens, cor, theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*.

IX. Demum in ſextum, quod a præcedente parum differt, peccatum in Spiritum Sanctum, *obſtinationem* videlicet, cadunt, qui abs ſe omnem abjiciunt conſiderationem ſalutarem, quæ prodeſſe poſſet, ut a peccatis, in quibus miſerrime jacent, reſurgerent, aut ſaltem impedire, ne voluntas ipſorum magis in peccato firmetur: unde peccatorum ſuorum nullum finem, modumque facientes, nolle ſe unquam pœnitentiam agere proponunt. Horum ſicuti vita, ita & mors peſſima eſt; qui extinguentes in ſemetipſis Spiritum Dei, & obdurati fallacia peccati, cujus nunquam turpitudinem, & mala, quæ ſecum affert tum in hac, tum in futura vita, contemplantur, & contemplari renuunt, ſimiles ſunt iis, qui intra ſe dicebant: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*. Horum peccatum proprie *ad mortem eſt*, & de illo præcipue verum eſt, quod *non habet remiſſionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, ut Chriſtus ait: *Quia*, ſubdit S. Auguſtinus *Serm.* 71. *de verb. Dom.* ſola *pœnitentia*, quam iſti a ſe longius removent, *impetrat remiſſionem in hoc ſæculo, quæ valeat in futuro*.

CAPUT SECUNDUM.

De Peccatis omiſſionis.

D O C T R I N A.

I. *Quid ſit peccatum omiſſionis*.

II. *Quandonam peccatum omiſſionis imputetur. Prout externum eſt, illud incurritur, dum tempus eſt ponendi actum*.

III. *Sancti Thomæ doctrina ſacris Canonibus confirmata*.

IV. *Internum omiſſionis peccatum incurritur, ſtatim ac quis de omittendo deliberat, aut voluntarie ponit omiſſionis cauſam*.

V. *Cenſura tamen, ſiquæ adnexa ſit, non incurritur, niſi omiſſione ſecuta*.

VI. *De peccatis omiſſionis, quæ in genere pertinent ad ſtatum cujuſque*.

VII. *Quid ſit hominum* ſtatus, officium, *&* gradus.

VIII. *Neceſſaria eſt ſtatuum, & officiorum varietas in myſtico Eccleſiæ corpore. Pulchra Sancti Thomæ doctrina*.

IX. *Eadem eſt neceſſitas in corpore politico*.

X. *Ex hac ſtatuum, & officiorum diverſitate plures, ac diverſæ obligationes in hominibus conſequuntur. Unde vocatio Dei ad quemcumque ſtatum requiritur*.

XI. *Non eadem tamen oportet vocatio ſit reſpectu ſtatuum omnium, & officiorum*.

XII. *Specialiter vocatio neceſſaria eſt ad ſtatum, & officium Epiſcopi, & Parochi, quam ad ſtatum Religioſum*.

XIII. *Quid agere quiſque debeat, ut divinam ad aliquem ſtatum vocationem agnoſcat*.

XIV. *Specialis adhibenda pro ſuſcipiendis quibuſdam officiis cura*.

§. I.

Quid ſit peccatum omiſſionis. Generales nonnullæ obſervationes de hoc peccato præmittuntur.

I. PAuca quædam ſupra attigimus de peccato *omiſſionis*, quod frequentiſſimum eſt, & Chriſtianorum oculos ſæpius fugit: Alia modo raptim de eodem dicenda puto, ad ejuſdem clariorem notitiam hauriendam opportuna. Peccatum *omiſſionis*, ut ipſum nomen denotat, eſt *prætermiſſio boni debiti*, ſive *boni, quod lege fieri præcipitur*: quemadmodum peccatum *commiſſionis* eſt *actio, quæ lege fieri prohibetur*. Quare peccatum *omiſſionis* eſt contra pręcepta *affirmativa*, quæ quidpiam agere jubent; v. g. *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam &c.* ſicut peccatum *commiſſionis* eſt contra præcepta *negativa*, quæ fieri quidpiam vetant. Hæc præcepta negativa obligant *ſemper*, & *pro ſemper*, ut loquuntur Theologi: præcepta autem affirmativa obligant quidem *ſemper*, ſed *non pro ſemper*. *Et ideo*, inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 71. artic. 5. ad 3. *ſolum pro tempore illo aliquis ceſſando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat*; ſive cum implendi præcepti tempus adeſt, & facultas: & tamen deliberata voluntate non impletur. Nam ſi præcepti adimplendi facultas non adſit; v. g. ſi quis propter ægritudinem gravem Sacro non interſit die feſtivo, aut non jejunet propter eamdem ea die, qua urget jejunii præceptum; omiſſio illa peccaminoſa non eſt.

II. Primum, quod de peccato *omiſſionis* merito quæri poteſt, illud eſt; quando nempe imputetur? Qua de re diſtinguere oportet peccatum ipſum; prout *externum* eſt, & prout *internum*. Si enim omiſſionis peccatum ſpectetur, *prout externum eſt*; illud demum incurritur, dum tempus eſt ponendi actum, qui præcipitur: Si vero *ut internum*, illud committitur, dum aliquis ſive expreſſe, ſive interpretative vult ipſum omittere.

III. Et prima quidem hujus aſſertionis pars diſerte traditur a Sancto Thoma 2. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 3. ubi loquens de peccato omiſſionis in ebrietate culpabili ſequuto (idemque dicas in quacumque alia culpabili cauſa) ſic ait: „ Peccatum omiſſionis opponitur præceptis affirmativis, quæ „ pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmativa non obligant ſemper, ſed ad „ tempus determinatum: & pro illo tempore peccatum omiſſionis incipit eſſe. Poteſt autem „ contingere, quod aliquis tunc ſit impotens ad „ faciendum, quod debet. Quod quidem ſi ſit „ præter ejus culpam, non omittit, quod debet, „ ut dictum eſt. Si vero ſit propter ejus culpam „ præcedentem (puta cum aliquis de fero ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, „ ut debet) dicunt quidam, quod tunc incipit „ peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum, & incompoſſibilem cum „ illo actu, ad quem tenetur.

„ Sed hoc non videtur verum; quia dato, quod „ excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa.

„ Unde dicendum eſt, quod omiſſio incipit ei „ imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi: tamen propter cauſam præcedentem, ex „ qua omiſſio ſequens redditur voluntaria"; quamquam hæc omiſſio ſequuta ſit tempore ebrietatis, & impotentiæ ad non omittendum. Ex quo perſpicuum eſt, quod peccatum omiſſionis externum, & completum non habeatur, niſi eo tempore, quo actus præceptus ponendus eſt.

Hæc ſententia, quæ communior eſt, ac probabilior, confirmari poteſt ex Cap. *Mulieres* de Sent. Excommun. ubi ſtatuitur, quod *ſi quis voluntarie ſe inebriet, prævidens ſe Clericum occiſurum, ſequuta occiſione, excommunicationem contrahat*. Similiter Sanctus Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 7. de nocturna pollutione prævisa, & volita in cauſa poſita ſermonem habens, peccatum eſſe docet, etiamſi ſequatur in ſomno, inquiens: „ Quamvis „ nocturna ipſa pollutio ſecundum ſe conſiderata „ peccatum mortale eſſe non poſſit; nihilominus „ ratione ſuæ cauſæ quandoque habet mortale peccatum adnexum. Et ideo conſideranda eſt cauſa pollutionis nocturnæ". Hinc ad argumentum, quod objici ſolet; nimirum omiſſionem ſequutam eo tempore, quo homo compos ſui non eſt, non eſſe liberam: reſpondendum eſt, equidem non eſſe liberam in ſe ipſa, ſed liberam eſſe in cauſa vel directe, vel indirecte. Sufficit enim, ut aliquid ſit in ſe peccatum, libertas in cauſa. Vide quæ dicta ſunt *de voluntario directo, & indirecto.*

IV. Quoad alteram partem poſitæ aſſertionis attinet; ſcilicet *peccatum omiſſionis internum eo tempore committi, quo quis vel expreſſe, vel interpretative vult omittere*, res eſt penitus explorata: quia eo ipſo, quod homo deliberate vult omittere actum præceptum, jam vult ipſum omiſſionis peccatum. Quis autem in dubium vertat, eum, qui vult peccatum, eo ipſo minime peccare? Quapropter peccatum *internum* omiſſionis, v. g. Sacri die ſabbati incurrit, qui tunc conſtituit omittere Sacrum die Dominico: atque adeo qui die ſabbati venatum ire ſequenti die decernit in locum remotum, prævidens inde ſequuturam Sacri omiſſionem, peccatum committit ob ſolam illam conceptam voluntatem; ita ut, tametſi die ſequenti vel caſu, vel voluntate mutata, Sacrum audiret, non ideo præcedentis pravæ ſuæ voluntatis reus non eſſet: quemadmodum & omnis alia voluntas, ſive actus voluntarius ita inconciliabilis cum actu præcepto, ut hominem efficiat impotentem ad illud implendum, etiamſi ipſum poſtea pœniteret voluntatis omittendi, quod præcipitur. Unde ſi quis deliberaret non recitare per totum annum Horas Canonicas, quibus tenetur, & poſtmodum mutata voluntate, eas recitaret, jam peccavit ex illo priore propoſito, illudque in Confeſſione exprimere deberet. Si tamen quiſpiam impotentem ſe reddidit ad præceptum implendum; puta ſi navigans Breviarium in mare projiciat, ac deinde ſuæ delibera-

rationis pœniteat, ſubſequens omiſſio externa tunc in ſe peccatum non foret, utpote per dolorem illum, ſeu reſipiſcentiam omnino in ſe *involuntaria* jam effecta.

V. Ex quo conſequitur, quod ſi quæ cenſura externæ omiſſioni adnexa foret, qui de cauſa poſita omiſſionis doleret, antequam reapſe omitteret, eam non incurreret in foro interno, ſive conſcientiæ. An vero eam incurreret in foro externo, diſſident inter ſe Theologi. Sunt qui non ſine magna probabilitate affirmant, id exigente Eccleſiæ diſciplina: eo quod omiſſio illa originem traheret ex mala voluntate; ſicut, inquiunt, in caſu, quo quis voluntariam poſuiſſet cauſam pollutionis, vel occiſionis proximi, puta propinando venenum, licet ante pollutionem, vel mortem ſequutam de hoc pœniteret, nec jam pollutionem, aut mortem impedire valeret, cenſuram homicidio adnexam in foro externo incurreret; ſeque veluti excommunicatum habere deberet, ſi cenſura ipſo facto incurreretur, ut ſi homicidium eſſet perſonæ ſacræ, & ſcandalum ſequeretur. Alii tamen in illo caſu non incurrere cenſent. Verum cum cenſura, quæ adnectitur, aut adnecti poteſt externæ omiſſioni, eſſe ſoleat non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, niſi Judex Eccleſiaſticus talem in eam incurſum eſſe declaret; gerere ſe tanquam cenſura irretitum non tenetur, niſi ſcandalum aliquod ſequeretur. Sed de hoc alibi.

§. II.

De quibuſdam obligationibus, quæ ſtatum cujuſque hominis conſequuntur.

VI. Valde formidanda omnibus eſſe peccata omiſſionis, tum ex aliis, tum vel maxime ex finali ſententia, quam prolaturus eſt Chriſtus Dominus in extremo Judicii die erga reprobos damnandos ad ignem æternum, manifeſtum eſt. Quamquam enim & propter alia peccata ſint ad terribilem illam pœnam condemnandi; de ſolo tamen omiſſionis peccato meminit apud Sanctum Evangeliſtam: *Quia non dediſtis mihi manducare, non dediſtis mihi bibere, non ſuſcepiſtis me &c.*, ut omnes præſertim omiſſionum pravitatem agnoſcerent; nec ſibi quiſpiam perſuaderet, propter ſola commiſſionis flagitia incurrere homines ſempiternam damnationem. De his omiſſionibus, qua late patent, hic minime differam, quoniam ex iis, quæ in aliis Tractatibus vel dicta ſunt, vel dicenda erunt, compertæ fient, atque exploratæ: ſed de quibuſdam duntaxat, quæ præſertim ſtatum cujuſcumque hominis conſequuntur, de quibus alibi ſermo non erit.

VII. Inter alia, quæ de ignorantia diſputantes, ex inconcuſſa Sancti Thomæ doctrina ſtatuimus, innoxie ignorari non poſſe, adeo ut hæc ignorantia ſemper *vincibilis* ſit, atque *culpabilis*, ſunt ea, *quæ ad proprii ſtatus obligationem pertinent*. Quid igitur eſt hominis *ſtatus*? S. Doctor de hoc agit 2. 2. q. 183. & art. 1. docet, quod, ſtatus „ proprie loquendo ſignificat quamdam poſitionis „ differentiam, ſecundum quam aliquid diſponi- „ tur, ſecundum modum ſuæ naturæ, quaſi in qua- „ quadam immobilitate ... Unde circa homines ea, „ quæ de facili circa eos variantur, & extrinſeca „ ſunt, non conſtituunt ſtatum .... ſed ſolum id „ videtur ad ſtatum hominis pertinere, quod re- „ ſpicit obligationem perſonæ hominis; prout ſci- „ licet aliquis eſt ſui juris, vel alieni; & hoc „ non ex aliqua cauſa levi, vel de facili mutabi- „ li, ſed ex aliquo permanente „. Ex quibus hæc ſtatus definitio confici poteſt:

Status eſt conditio perſonæ, ſecundum quam cum quadam immobilitate debet actiones ſuas inſtituere ad certam vitæ normam.

Ex hac definitione, quæ ſatis perſpicua eſt, ſequitur *ſtatum* diſtingui tum ab *officio*, tum a *gradu*. Ab officio quidem; quod officium dicitur per comparationem ad actum: unde deſcribi poteſt, quod ſit *conditio*, *ſecundum quam aliquis debet opera quædam exercere in aliorum utilitatem*. A *gradu* vero; quod iſte dicatur ſecundum ordinem ſuperioritatis, & inferioritatis; & definiri poteſt *conditio perſonæ*, *ſecundum quam eſt aliis ſuperior*, *vel inferior*. Status autem importat immobilitatem quamdam, juxta quam aliquis ad certam vitæ normam actiones ſuas debet inſtituere. Hæc tria quandoque invicem ſeparantur; ſæpe etiam invicem conjunguntur in eadem perſona, ut ex. gr. in Epiſcopo, qui & *ſtatum* habet, & ſimul *gradum*, & *officium*. Et aliquando unum pro alio ſumitur.

VIII. *Status* in genere alius eſt *ſæcularis*, alius *ſpiritualis*, ſive Eccleſiaſticus. Et in utroque variæ differentiæ ſunt cuilibet obviæ. De diverſitate ſtatuum, ſive officiorum, quæ ſunt in myſtico Eccleſiæ corpore, ſermonem habet in 2. *art.* laudatæ quæſtionis Sanctus Præceptor; eaque ad tria pertinere decernit. Primo quidem *ad per-* „ *fectionem ipſius Eccleſiæ*. Sicut enim in rerum „ naturalium ordine perfectio, quæ in Deo ſim- „ pliciter, & uniformiter invenitur, in univer- „ ſitate creaturarum inveniri non poteſt, niſi diſ- „ formiter, & multipliciter; ita etiam plenitu- „ do gratiæ, quæ in Chriſto, ſicut in capite a- „ dunatur, ad membra ejus diverſimode redundat „ ad hoc, quod corpus Eccleſiæ ſit perfectum. „ Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit ad Epheſ. 4. „ *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam* „ *autem Prophetas: alios vero Evangeliſtas; alios* „ *autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem* „ *Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem* „ *corporis Chriſti* „.

„ Secundo autem pertinet *ad neceſſitatem actio-* „ *num*, quæ ſunt in Eccleſia neceſſariæ. Oportet „ autem ad diverſas actiones diverſos homines de- „ putari ad hoc, quod expeditius, & ſine confu- „ ſione omnia peragantur. Et hoc eſt, quod A- „ poſtolus dicit ad Rom. 12.: *Sicut in uno corpo-* „ *re multa membra habemus, omnia autem mem-* „ *bra non eundem actum habent, ita multi unum* „ *corpus ſumus in Chriſto* „.

„ Tertio hoc pertinet *ad dignitatem, & pul-* „ *chritudinem Eccleſiæ*, quæ in quodam ordine con- „ ſiſtit. Unde dicitur 3. Reg. 10.; quod *videns* „ *Re-*

„ *Regina Saba ſapientiam Salomonis*, *&* *habita-* „ *cula ſervorum*, *&* *ordines Miniſtrantium*, *non* „ *habebat ultra ſpiritum*. Unde & Apoſtolus di- „ cit 2. ad Timoth. 2., quod *in magna domo* „ *non ſolum ſunt vaſa aurea*, *&* *argentea*, *ſed* „ *&* *lignea*, *&* *fictilia* “.

IX. Quemadmodum vero plures ſunt ſtatus, officia, & gradus in corpore Eccleſiæ, quæ ordinantur tum ad perfectionem ejuſdem corporis, tum ad actionum multiplicium, quæ ſunt in Eccleſia, neceſſitatem, tum ad Eccleſiæ ejuſdem dignitatem, & pulchritudinem; ita quoque, proportione ſervata, plurium ſtatuum, officiorum, graduumque diverſitas eſt in corpore *politico ſæculari*, ex qua ipſum in ordine ſuo perficitur, neceſſitatibus publicis providetur, ejuſque pulchritudo conſurgit, uti ſunt ſtatus Regum, ac Principum, Magiſtratuum, Judicum, Artificum, villicorum, aliorumque ſimilium, ex quibus politicum corpus conflatur, atque ſubſiſtit.

X. Evidens exinde eſt, quod cum plurimi ſint ſtatus, & officia ſive in Eccleſiaſtico, ſive in laicali corpore, plures etiam conſequantur peculiares obligationes, quibus ſatisfacere unuſquiſque tenetur, prout in hoc, vel illo ſtatu invenitur, & ex quarum omiſſione peccatur. Unde & quivis ſub præcepto obſtringitur prius hujuſmodi obligationes probe noſſe, ac eas ſubinde fideliter exequi. Sed illud ante omnia opus eſt, ut nemo ſtatum aliquem, aut officium amplectatur, niſi ſit vocatus a Deo. Sic enim ſperare ab ipſo poterit ea auxilia, quæ ad recte obeunda, quæ propria ſunt ſtatus, & officii ſui, neceſſaria ſunt. Sicut enim Deus in ordine naturali cuilibet cauſæ creatæ vim confert ad effectus producendos, quibus eam deſtinavit, non autem alteri; v. g. igni confert vim calefaciendi, non aquæ; & e contra aquæ tribuit vim humectandi, quam denegat igni: ita quos ad aliquem ſtatum eligit, illis gratiam ſpecialem largitur huic ſtatui accommodatam, ac neceſſariam, quam plerumque juſte negat aliis, qui ſe abſque divina vocatione intrudunt. Unde eſt vulgata illa Sancti Thomæ ſententia: *Unicuique datur gratia ſecundum id*, *ad quod eligitur*.

XI. Porro cum ad quemlibet ſtatum, aut officium ſuſcipiendum neceſſaria ſit vocatio Dei, non omnes hæc neceſſitas æque afficit. Sunt enim permulti, quibus divina vocatio ſatis innoteſcit hoc ipſo, quod in tali, vel tali vitæ ſtatu ex qualitate, aut conditione parentum ſuorum, aliave de cauſa conſtituti ſunt: atque ii divinæ diſpoſitioni acquieſcere debent, vitamque ſuam juxta illum ſtatum, officium, aut gradum ita componere, ut ad obligationes ſuas adimplendas indignos ſe non reddant auxilio Dei.

XII. Non idem dicendum eſt, dum agitur de aliquo ſtatu, qui a nativa conditione ſua quadantenus extraneus eſt, aut illam ſupergreditur, ut de officio Judicis, de ſtatu Eccleſiaſtico, de ſtatu, aut profeſſione Religioſa &c., multoque magis de officio Epiſcopatus, aliiſque animarum curam habentibus. Ad hoſce ſtatus capeſſendos ſpecialem Dei vocationem eſſe neceſſariam, ſpecialeque ſtudium adhibendum, ut eam agnoſcamus, dicendum omnino eſt, ne forte amoris proprii, aut alicujus humanæ cupiditatis præſtigiis decipiamur; eoque magis ſtudium hocce neceſſarium eſt in ſuſcipiendo ſtatu, vel officio, quod ſecum curam affert animarum. Quandoquidem non eadem eſt ratio, ut ſapienter animadvertit S. Thomas hic *quæſt.* 185. *art.* 1. *ad* 2., *de ſtatu Religionis*, *ac de ſtatu Epiſcopali* (idemque dicas de Parochiali) *propter duo*, inquit.

„ Primo quidem, quia ad ſtatum Epiſcopalem „ præexigitur vitæ perfectio, ut patet per hoc, „ quod Dominus a Petro quæſivit, *ſi plus eum* „ *cæteris diligeret*, antequam ei committeret pa- „ ſtorale officium. Sed ad ſtatum Religionis non „ præexigitur perfectio, ſed eſt via in perfectio- „ nem . . . . . Requiritur autem, quod ſit per- „ fectus aliquis ad hoc, quod poſſit alios ad per- „ fectionem adducere: quod non præexigitur ab „ eo, qui debet ad perfectionem adduci. Eſt „ autem præſumptuoſum, quod aliquis perfectum „ ſe reputet: non autem, quod ad perfectionem „ tendat. Secundo quia ille, qui ſtatum Religio- „ nis aſſumit, ſe aliis ſubjicit ad ſpiritualia ca- „ pienda: & hoc cuilibet licet. Unde Auguſti- „ nus *lib.* 19. *de Civit. Dei* dicit: *A ſtudio co-* „ *gnoſcendæ veritatis nemo prohibetur*; *quod ad* „ *laudabile otium pertinet*. Sed ille, qui tran- „ ſit ad ſtatum Epiſcopalem, ſublimatur ad hoc, „ quod aliis provideat. Et hanc ſublimationem „ nullus debet ſibi aſſumere, ſecundum illud ad „ Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, *niſi* „ *qui vocatur a Deo* “.

XIII. Quamvis itaque etiam ad ſtatum Religioſæ Profeſſionis amplectendum divina vocatio requiratur, maxime tamen illa opus eſt in ſuſcipiendo ſtatu Eccleſiaſtico, ac præſertim curam animarum habente, ſive ſit Epiſcopatus, ſive Plebanatus: ob idque peculiare lumen a Patre luminum efflagitare debemus enixis precibus, ne in cognoſcenda divina voluntate aberremus; & cupiditatem ſequamur potius, quam charitatem, carnis potius, quam ſpiritus propenſionem, Diaboli vocem potius, quam Chriſti: *Ipſe enim Satanas*, ut ait Apoſtolus, *transfigurat ſe in Angelum lucis*. *Et ſæpe*, ut ſubdit Sanctus Gregorius in Paſtor. p. 1. cap. 9., *ſibi de ſe mens ipſa mentitur*, *&* *fingit ſibi de bono opere amare*, *quod non amat*, *&* *de mundi gloria non amare*, *quod amat*.

Neceſſe pariter eſt in hac re illud Sapientis *Eccleſ. cap* 32. 24. monitum expendere, & ad executionem deducere: *Fili*, *ſine conſilio nihil facias*: *&* *poſt factum non pœnitebit*: *in via ruinæ non eas*, *&* *non offendes in lapides*: *nec credas te viæ laborioſæ*, *ne ponas animæ tuæ ſcandalum*. In petendo conſilio eos adire oportet, inquit Sanctus Thomas 2. 2. q. 189. art. 10. *de quibus ſperatur*, *quod proſint*. Et Eccleſ. idem *cap*. 37. poſtquam dixit: *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate*, *cum injuſto de juſtitia* *&c*. addit: *Non attendas his in omni conſilio*: *ſed cum viro ſancto aſſiduus eſto*. Conſiliarius poteſt eſſe Confeſſarius pius, ac prudens: aut vir aliquis doctus, & terrenarum affectionum expers. Si parentes profuturi ſint, bonum eſt eos conſulere: ſi potius obfu-

futuri, aut in conſiliando ſecuturi carnem, & ſanguinem, audiendi minime ſunt; quoniam in his, quæ ſunt divini obſequii, Deo magis obtemperandum eſt, quam parentibus.

XIV. Sed illud, quod innuimus, maximopere, ac præ cæteris attendendum, cum divina vocatio inquiritur, quod qui præbet, & qui petit conſilium, eo majorem adhibere debeat diligentiam, quo vitæ ſtatus, qui proponitur, periculoſior eſt: minorem vero, quo eſt ſecurior. Quandoquidem, ut optime ait Sanctus Thomas loco citato artic. 10. *diuturna deliberatio, & multorum conſilia requiruntur in magnis, & dubiis: in his autem, quæ ſunt certa, & determinata, non requiritur conſilium.* Sic magna exigitur circumſpectio, quando ſtatus perpetuam obligationem inducit, cujuſmodi eſt ſtatus Religioſus, ſtatus Subdiaconatus, ſtatus Matrimonii. Obligatio namque perpetua temere ſuſcipienda non eſt. Sic etiam magna circumſpectio requiritur, quando ſtatus animæ periculis obnoxius eſt. Talis eſt ſtatus Clericalis, *ad quem*, juxta Divum Thomam ibi quæſt. 184. art. 8., *requiritur major ſanctitas interior, quam requirat etiam Religionis ſtatus*. Ex quo colligit, *gravius peccare, cæteris paribus, Clericum in ſacris Ordinibus conſtitutum, ſi aliquid contrarium Sanctitati agat, quam aliquem Religioſum, qui non habet Ordinem Sacrum.* Talis quoque eſt, ſi de Secularibus ſermo ſit, ſtatus eorum, qui præſunt in regimine politico. Unde *Sap.* 6. dicitur: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet .... Potentes autem potenter tormenta patientur.* Talis pariter eſt ſtatus, ſive officium Judicis, Advocati, Procuratoris, Tabellionis &c.; quibus officiis nihil eſt Reipublicæ utilius ob ſervandam inter Cives juſtitiam: etenim *remota juſtitia*, ut ait S. Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei, *quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Talis ſimiliter eſt ſtatus militiæ. Nam, ut recte obſervat Auguſtinus idem *ſerm.* 19. de verb. Dom. *militare delictum non eſt: ſed propter prædam*, aut aliud quodvis *pravum motivum*, quod frequentiſſimum eſſe ſolet, *militare peccatum eſt.* Talis demum ſæpe eſt ſtatus illorum, qui artibus aut liberalibus, aut mechanicis occupantur. Quælibet enim ars ex hominum vitio ſuas aleas habet, ſuaque pericula majora, vel minora; quæ prævideri oportet, antequam quis eas artes præcipitanter, ac temere ſuſcipiat. Ex quibus prudens Lector nonnulla Conſectaria deducere poteſt, quæ conſideranti facile occurrunt.

CAPUT TERTIUM.

De generalibus, & ſpecialibus quorumdam ſtatuum, & officiorum obligationibus.

Doctrina, et Consectaria ejusdem.

I. *Generalis omnium hominum obligatio eſt, otium fugere, & ad aliquid agendum ſive mente, ſive corpore animum applicare.*

II. *Pluribus ejuſmodi obligatio confirmatur.*

III. *Primum, quod ex hac obligatione Conſectarium fluit.*

IV. *Alterum Conſectarium. Periculum ſalutis, in quo permulti præſertim Nobiles, ac Divites idcirco verſantur.*

V. *Conſectarium tertium. In majori ſalutis periculo ſunt Eccleſiaſtici deſidioſam vitam agentes.*

VI. *Quartum Conſectarium. Culpabiles coram Deo ſunt, qui, cum facile poſſint, in proximi bonum talenta ſua pro ſtatus ſui conditione non impendunt.*

VII. *De peculiaribus quorumdam obligationibus; ac primum eorum, qui in laboribus corporalibus ex ſtatu, & officio occupantur.*

VIII. *Quinam peccent contra hujuſmodi obligationes.*

IX. *De obligationibus Magiſtrorum, ſive Doctorum.*

X. *Peccant, qui docere audent ſcientias, aut liberales artes, quas non callent.*

XI. *Arctiſſima obligatione tenentur Theologiæ Magiſtri, ut ſanam doctrinam tradant, tum quæ dogmata, tum quæ mores ſpectat.*

XII. *Conſectarium de non docendo Probabiliſmo.*

XIII. *De obligationibus Auditorum, ſive ſtudentium. S. Thomæ de hac re textus a quibuſdam Probabiliſtis corruptus.*

XIV. *Qui artibus liberalibus addiſcendis operam navant, inutilia, & noxia ſtudia devitare debent.*

XV. *Quoties peccent, qui hiſce ſtudiis operam dant. Conſectaria.*

§. I.

De generali obligatione, quæ afficit omnes homines, quocumque in ſtatu inveniantur, fugiendi ſcilicet otium, & aliquid vel mente, vel corpore operandi.

I. OBligatio, quæ cuicumque ſtatui hominum communis eſt, & quam ſi non impleant, gravis peccati rei fiunt, in eo eſt poſita, quod *quilibet otium fugiat*, & in aliqua vel mentis, vel corporis occupatione, aut labore ſeſe exerceat. Hæc obligatio ex ipſo naturæ jure derivatur, & expreſſe a Deo impoſita eſt cuicumque homini poſt lapſum primi noſtri parentis Adam verbis illis: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Unde S. Job dixit cap. 5. *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum*; quaſi diceret: quemadmodum proprium, & naturale avi eſt *volare*; ita proprium, & naturale eſt homini laborare, aut occupari in aliqua exercitatione ſibi conveniente, ſive hæc ad corpus, ſive ad mentem pertineat, prout exigit ſtatus, & conditio, in qua quiſque conſtitutus eſt. Sanctus Auguſtinus priora verba Geneſis expendens *lib. 6. Oper. Imperf.* contra Julianum ita ſcribit: „ Nomine ſudoris „ generalem Sacra Scriptura ſignificavit laborem, „ a quo nullus hominum eſt immunis: cum alii „ laborant operibus duris, alii ſollicitantibus cu- „ ris &c. Nunc ergo laborant pauperes, laborant „ divites, laborant juſti, laborant injuſti, labo- „ rant magni, laborant puſilli a die exitus de

 „ ven-

„ ventre matris eorum, uſque in diem ſepultu-„ ræ in matrem omnium “.

II. Confirmari idem poteſt ex eo, quod in Sacris Libris, ac præcipue Sapientialibus pluries interdicitur, & damnatur otium veluti in ſe malum, & multorum malorum cauſa. Et in Evangelio eadem veritas ſatis explicatur, & inculcatur ea Parabola, cujus mentionem jam fecimus, talentorum, quæ Dominus commiſit ſervis ſuis, ut ea non in terram abſconderent, ſed negotiarentur, & juxta vires uniuſcujuſque lucrum redderent: unde & inutilis ſervus, qui ex commendato talento nullum augmentum operando reportavit, in tenebras exteriores, ſive in æternam damnationem ejectus eſt.

His robur maximum addit exemplum Sanctorum, quotquot extiterunt ſive in veteri, ſive in novo Teſtamento. Omnes quippe & otium fugerunt, & labori vel mentis, vel corporis non languide, ſed impenſe vacarunt. Sic Adam innocens poſitus eſt in Paradiſo, *ut operaretur*, *&* *cuſtodiret illum:* & Adam pœnitens juſſus eſt terram maledictam, ac ſpinas, & tribulos germinantem in pœnam peccati proprio labore ſubigere. Eamdem otii fugam, & ad opus aliquod applicationem animi, ac virium ſuarum, invenire eſt in Patriarchis, Prophetis, Sanctiſque omnibus etiam Regibus, ac Magnatibus, qui tunc temporis floruerunt in populo Dei. Quoad Novum Teſtamentum, Chriſtus Dominus ſecundus Adam Fabri ſe filium fecit, imo juxta S. Marcum & Faber ipſe operabatur manibus ſuis, non aliqua cogente neceſſitate, cum multa hominum millia quinque panibus, & paucis piſciculis ipſe nutrierit; ſed ut nobis exemplum præberet, & otium eſſe fugiendum oſtenderet. Apoſtoli Piſcatores erant, & opera manuum ſuarum vivebant, ac immenſos ſubinde labores ſuſceperunt, ut Chriſti Evangelium in univerſo Mundo diſſeminarent. Paulus, quamquam civis Romanus, & indefeſſo zelo Evangelium prædicaret, labore tamen manuum ſuarum victitabat. Sic enim 2. *ad Theſſal. cap.* 3. ſcribit: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione nocte, ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabimus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Idemque dicas de reliquis omnibus Chriſti imitatoribus, qui totam vitam ſuam in exercitationibus ſive corporalibus, ſive ſpiritualibus egerunt.

Conſectaria Quædam Derivantur.

III. Primum eſt. In magno ſalutis periculo verſantur ii omnes, quorum vitæ tenor ille eſt, aut eſſe ſolet, ut a lecto ad epulas, ab epulis ad ludos, ſive ad ſpectaculo, choreas, converſationem, aliave id genus oblectamenta, rurſus ab illis oblectamentis ad cœnam, & a cœna ad lectum tranſeunt, atque ita vitam omnem inertes, ac deſides tranſigunt. Alibi damnavimus hoc vitæ genus, nimium, heu! inter perſonas præſertim nobiles, ac divites commune. At ſatis nunquam damnare poſſumus: pugnat enim cum monitis, atque præceptis in Evangelio Chriſtianis omnibus traditis, imo cum lege ipſa naturali. Quandoquidem licet, ut modo tamquam certum ſumere volo, nec creditoribus ſuis injuriam faciant, nec domeſticos debito ſalario fraudent, nec alios injuſtis exactionibus vexent, nec turpibus, aut craſſioribus vitiis inquinentur, adeo ut innocentes coram hominibus appareant; ob vitam tamen voluptariam, deſidioſam, & inertem abominabiles ſunt coram Deo. Sunt enim coram ipſo *arbores* illæ *infructuoſæ*, quas Scriptura memorat, *inutiliter terram occupantes*, quas Deus eradicari jubet juxta illud: *Excide illam; ut quid terram occupat?* Et rurſus: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vitam hanc otioſam, ac deliciis circumfluentem damnavit præterea Chriſtus in illius Divitis parabola, *qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*; propter quod *ſepultus eſt in Inferno*, ut habetur apud S. Lucam *cap.* 15.

IV. Alterum Conſectarium eſt: in magno pariter ſalutis periculo verſari homines illos, ſive nobiles ſint, ſive ignobiles, ac plebeii, qui aut nummorum ingenti copia ditati, aut fundis, ſive poſſeſſionibus prædití, reditibus ſuis fruuntur ſine cura, ſine labore, ſine honeſta occupatione; ſed molli otio diffluentes: exiſtimantes nullius ſe criminis reos eſſe, modo nulli injuriam faciant; quaſi vita ipſa otioſa, quam tranſigunt, crimen non eſſet apud Deum; nec tamquam peccati reus habitus fuerit ille, qui dicebat intra ſe: *Anima, habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede* &c.

V. Conſectarium tertium. Sed in majori adhuc præ cæteris ſalutis periculo verſantur viri Eccleſiaſtici, ſive ſæculares ſint, ſive Religioſi, qui ſola Divini Officii recitatione, aut etiam Miſſæ celebratione contenti, reliquum diei tempus inſumunt in otio, in ludis, in colloquiis inanibus, in ambulationibus, & viſitationibus minime neceſſariis, nova aliqua ſemper conquirendo, vel narrando, aut in vanis aliis, atque inutilibus occupationibus. Si enim otium in laica perſona vituperandum merito eſt; quanto magis in Clerico ſive ſæculari, ſive regulari vituperandum erit? Si omnes juxta *Eccleſiaſtici* præceptum *conſervare tempus* debent, & in bonis operibus illud inſumere; quanto magis illi, qui ex ipſo ſtatu ſuo divino ſervitio, ſanctiſque operibus ſpecialiter addicti ſunt?

VI. Sed & quartum Conſectarium huic affine adjiciamur; nimirum eos ſive ſæculares, ſive regulares Eccleſiaſticos viros culpabiles eſſe coram Deo, qui cum doctrina præcellant, & aliis dotibus haud deſtituantur, poſſintque juxta conditionem ſui ſtatus, vireſque corporis, & animi prodeſſe proximis ſuis vel prædicationibus, vel conſiliis, vel adhortationibus, vel ſtudiis proficuis, vel aliis hujuſmodi mediis, ad proximorum utilitatem procurandam opportunis; otio vacare malunt, tempuſque terere in rebus inutilibus,

ſtu-

ſtudiiſque curioſis, quibus ſuam paſcunt vanitatem. Audiant, qui ita ſe gerunt, quid de ipſis ſentiat, & ſcribat S. Gregorius Magnus in Paſtor. p. 3. admon. 35.: „ Qua plectendi ſunt pœna, „ conſiderent, qui, cum fame Verbi Dei animæ „ pereunt, ipſi panem perceptæ gratiæ non miniſtrant. Unde & bene per Salomonem dicitur: „ *Qui abſcondit frumenta, maledicitur in populis.* „ Frumenta quippe abſcondere, eſt prædicationis „ ſancta verba apud ſe retinere. *In populis* autem „ talis quiſque maledicitur, qui in ſolius culpa ſilentii pro multorum, quos corrigere poterat, „ pœna damnatur. Si medicinalis artis minime „ ignari ſecandum vulnus cernerent, & tamen ſecare recuſarent; profecto peccatum fraternæ mortis ex ſolo torpore committerent. Quanta ergo „ culpa involvantur, aſpiciant, qui, dum cognoſcunt vulnera mentium, curare negligunt ea ſectione verborum... Hi itaque, cum apud ſe ſermonem prædicationis occultant, divinas contra „ ſe ſententias terribiliter audiant, quatenus ab „ eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant, quod talentum qui erogare noluit, cum „ ſententia damnationis amiſit. Audiant, quod „ Paulus eo ſe a proximorum ſanguine mundum „ credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: *Conteſtor vos hodierna die: quia* „ *mundus ſum a ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quominus annunciarem omne conſilium Dei* „ *vobis*. Audiant, quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur: *Qui audit, dicat: veni.* „ Ut nimirum, cui ſe vox interna inſinuat, illuc „ etiam clamando alios, quo ipſe rapitur, trahat; „ ne clauſas fores etiam vocatus inveniat, ſi vocanti vacuus appropinquat. Audiant, quod Iſaias, quia a verbi miniſterio tacuit, illuſtratus „ ſuperno lumine, magna voce pœnitentiæ ſeipſum reprehendit dicens: *Væ mihi, quia tacui*“. Cætera, quæ huc pertinere poſſunt, vide ſupra *de Acedia*.

§. II.

De peculiaribus quorumdam ſtatuum obligationibus, & peccatis in earumdem omiſſione.

VII. Quoniam, ut præfati ſumus, de peculiaribus plurium ſtatuum, & officiorum hominum obligationibus, adeoque & peccatis, quæ ex earum omiſſione conſequuntur, aut jam diximus, aut dicturi erimus; idcirco quorumdam ex illis obligationes hic duntaxat attingam, de quibus ſermo alibi futurus non eſt.

De obligationibus eorum, qui in laboribus corporalibus ex ſtatu, & officio occupantur.

Labor corporalis eſt exercitatio, quæ corporeis membris peragitur, ut agrorum cultura, & mechanicæ artis exercitium. Qui autem ita laborant, ea in primis opera exercere tenentur, quæ tum quoad corpus, tum quoad animam vel ſibi, vel proximo prodeſſe poſſunt. Siquidem labor corporalis ideo aſſumitur, aut ut nobis neceſſaria ad victum & veſtitum comparemus, aut ut proximo ea, quibus opus habet, provideamus juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt; ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti;* ſive neceſſitatem patiens ſit ipſemet, qui laborat, aut uxor, aut filii, quos alere debet: ſive proximus opera ſua indigens.

VIII. Peccant igitur *non operando, quod bonum eſt*, qui labore occupantur, qui ſibi, vel aliis eſt noxius; ſive corpus ſpectet, ſive animam. Unde peccant, qui venena conficiunt, quoties venenum ad nihil aliud inſervire queat, niſi ut vitam auferat, aut ſanitatem extenuet, vel diminuat. Peccant etiam, qui artibus vacant, quæ vitia fovent; v. g. qui tabellas, aut imagines ad laſciviam provocantes efformant, vel libros obſcœnos, aut hæreſes continentes imprimunt; qui in cibis condiendis non ea quærunt, quæ neceſſitati corporali ſatisfacere poſſunt, ſed quæ unice ſerviunt voluptati, & gulam fovent, ac concupiſcentiam accendunt; qui in conficiendis veſtibus propriis adinventionibus eas formas excogitant, quæ Chriſtianæ modeſtiæ contrariæ ſunt, aut ſæculi luxum adaugent.

Hic tamen damnare mens mihi non eſt omnia ciborum condimenta, nec veſtium diverſitatem. Nam condimenta ciborum penes Sanctos viros in uſu fuiſſe ratione ætatis, infirmitatis, imo & conditionis, Scriptura ipſa nos docet: aliter quippe decet nutriri ruſticos, aliter nobiles; aliter ſanos, aliter infirmos; aliter ſenes, aliter juvenes &c. Decet etiam aliis veſtibus indui viros nobiles, aliis ruſticos, & plebejos. Sed hæc tum ciborum, tum veſtium diverſitas inter eos limites coercenda eſt, ut ſemper caveatur immoderatio, & intemperantia, quam Chriſti Religio, quin & ipſa naturalis ratio ſine ullo diſcrimine in omnibus reprobat, atque condemnat.

Illud deinde curandum cuilibet eſt, ut honeſtum ſibi finem in laborando præfigat. Labor namque præcipue corporalis de ſe indifferens eſt; adeoque, ſicut honeſtus eſt, ac meritorius, ſi bono fine exerceatur: ita inhoneſtus, ſi malo. Fines autem honeſti, & ſancti, quos ſibi præfigere quiſque poteſt, ac debet, hi ſunt: primo, ut onus humanæ conditioni adjunctum lubens ſuſcipiat: *homo enim naſcitur ad laborem*; ſecundo ut peragat pœnitentiam a Deo cunctis hominibus in Adamo peccante impoſitam, ut præterita peccata diluat, & ut futura præcaveat &c.

Hinc peccant, qui, honeſtis hiſce finibus prætermiſſis, laborem corporalem exercent ob vanitatem. Vanitas enim latens venenum eſt, quod in opera etiam viliora irrepit. Peccant ſecundo, qui laborant ſolo intuitu avaritiæ, ſive ex cupiditate divitiarum. Nam, ut jam diximus ex Apoſtolo Paulo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in deſideria multa, inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Peccant tertio, qui nimio labore ſe torquent, ut filios ſuos ditiores poſt mortem relinquant. Quamvis

vis enim neceſſaria filiis, ac familiæ ſuæ providere debeant; immodicis tamen curis, ac laboribus ſemet divexare, ut filii opulenti ſint, ac divitiis affluant, nedum ſtulta cogitatio eſt, ſed etiam Chriſtiano homine indigna.

§. III.

De obligationibus Magiſtrorum, atque ſtudentium.

IX. Actus doctrinæ, ſive *docere*, quod proprium Magiſtrorum eſt munus, ut ſapienter animadvertit S. Thomas 2. 2. q. 181. *art.* 3. *habet duplex objectum. Fit enim doctrina per locutionem: locutio autem eſt ſignum audibile interioris conceptus. Eſt ergo unum objectum doctrinæ id quod eſt materia, ſive objectum interioris conceptionis &c. Aliud vero objectum doctrinæ eſt ex parte ſermonis audibilis: & ſic objectum eſt ipſe audiens*; ſive diſcipulus, cui Magiſter internos mentis conceptus communicat; in quo ejus officium proprie conſiſtit. Et ideo, quæcumque ſit ars liberalis, aut ſcientia, quam aliis communicandam aſſumit, ut recte munere ſuo perfungatur, tria ipſi neceſſaria ſunt juxta S. Thomæ doctrinam 1. 2. *q.* 101. *art.* 4. Primo videlicet, quod *homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis* rerum, quas docendas ſuſcipit, *ut ex hoc inſtruere alios poſſit*. Secundo, quod *poſſit confirmare, aut probare ea, quæ dicit*: alias *non eſſet efficax ejus doctrina*; ſive effectum non induceret, propter quem traditur. Tertio, quod *ea, quæ concipit, poſſit convenienter auditoribus proferre*.

X. Hinc ſequitur, obligationi ſuæ deeſſe, ac peccare, qui Magiſterii officium ſuſcipiunt, aut quærunt in aliqua arte, vel ſcientia, quam ipſi perfecte non callent; aut, neglectis propriæ artis ſtudiis, aliis intendunt animum, quibus in arte, quam profitentur, peritiores nequaquam fiunt. Tenetur enim quilibet, applicatione aſſidua ad alias ſcientias poſthabita, eam præ cæteris primum addiſcere, quam profitetur, & exercet; & poſtea, ſi velit, aliis etiam ſcientiis vacare poterit. Quare advertere ſerio debent, qui comœdiis, aut Poetis ad animi relaxationem indulgent; ne forte relaxationis obtentu, aut voluptatis illecebra, aut prophanæ eloquentiæ ſplendore decepti, nimiam temporis partem in hiſce ſtudiis impendant, quam in ſtudiis utilioribus, ſuæque profeſſioni congruis impendere deberent.

XI. Præcipua, qua arctiſſime tenentur Magiſtri Theologiam, aut Sacras Litteras docentes, obligatio eſt, ut ſanam doctrinam, tum quæ fidei dogmata, tum quæ mores ſpectat, ſemper doceant; nullaque tradant, quæ ſint Scripturarum, & traditionum Eccleſiæ authoritati contraria, aut a communi Sanctorum Patrum conſenſione abhorreant, prout in Concilio Tridentino definitum eſt. Quapropter qui hanc obligationem non implent, aut in adimplenda deficiunt, graviſſime peccant; nec a peccato abſolvi poſſunt in Sacramentali Confeſſione, niſi prius retractent, quæ tradidere, aut quanta fieri poteſt, diligentia errorem, quem docuerunt, a mentibus auditorum aboleant.

Quid vero dicendum de aliis ſententiis, quæ ad fidem non pertinent, nec ab Eccleſia definitæ ſunt, & inter Theologos cum opinionum diverſitate hinc, atque inde diſputantur? Hac in re illud primum aſſero, teneri Doctorem, aut Magiſtrum, ſive verbo, ſive ſcripto doceat, eam amplecti, ac tradere opinionem, quæ attento ſtudio, ac diligentia, libratis utriuſque partis fundamentis, certa ſibi viſa fuerit. Neque enim aliter ſe gerere poteſt, quin conſcientiæ, dum veritatem certo cognoſcit, contradicat, & ſuos Auditores in re gravi decipiat.

Quod ſi haud omnimode quidem certa videatur, ſed altera altera probabilior, ac tutior, hanc omnino docere tenetur. Atque in hanc aſſertione conveniunt nedum Theologi, qui ſaniores doctrinas conſectantur, ſed etiam fere omnes, qui benigniores, ac nomine Probabiliſtarum audiunt. Unde P. Gagna unus ex his, qui poſtremis hiſce temporibus Probabiliſmum propugnavit, ſcripſit in ſuis Litteris typis editis p. 462., *a ſapientibus Probabiliſtis generatim inculcari, non licere Magiſtro alia tradere, quam quæ putat ipſe probabiliora, ac veriora: oppoſitam vero ſententiam, Doctorem ſcilicet poſſe opiniones, quæ ſibi minus ſolidæ videntur, minuſque probabiles, tradere, jam communiter ſibilis ab ipſis Probabiliſtis explodi*.

XII. Ex quo conſequitur, rejiciendam eſſe, ac *ſibilis explodendam* opinionem, quam tradunt Caſtropalaus, Tamburinus, ac de Rhodes, non peccare Magiſtrum probabilia docentem, *prætermiſſis probabilioribus*. Neque hoc peccatum *leve eſt*, ut putat P. Thomas Sanchez; ſed grave, poſita materiæ gravitate, ut conſentiunt vel ipſi Probabiliſtæ doctiores; & ex ipſa lege a Sancto Ignatio in ſua Regula tradita ſatis aperte colligitur, dum ſuis Religioſis ita præcipit: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent*. Quam legem PP. Lechius, Bovius, aliique ex Societate ſaltem de Magiſtro, ac Doctore intelligendam eſſe concedunt.

Quod ſi hæc explorata omnibus doctrina eſt, aliud Conſectarium ſponte ſua fluit; neminem ſcilicet Magiſtrorum, aut Doctorum nunc ſaltem temporis poſſe ſine gravi peccato aut in Scholis, aut in ſcriptis, aut alio quocumque modo docere *Probabiliſmum*; ſive ſententiam, quæ defendit, poſſe nos in concurſu opinionis probabilis, aut etiam probabilioris, ſequi oppoſitam minus tutam æque, vel minus probabilem. Quandoquidem & ipſi Probabiliſtæ, modo ſaltem coguntur admittere, juxta ipſa principia ab eis conſtituta ſententiam ſuam nedum certam minime eſſe, ſed nec etiam oppoſita *probabiliorem*, ut argumentis evidentibus, planeque decretoriis ſuo loco demonſtravimus, quæ repetere non eſt opus. Vide quæ ſupra in Diſſertatione *de Probabiliſmo* copioſe dicta ſunt.

De Studentibus.

XIII. Quoad Studentes, ſive Diſcipulos attinet, il-

illum in primis Doctoris Angelici textum præ oculis habeant oportet, qui legitur *quodl. 3. art.* 10. hiſce verbis: *Dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, ſi quidem non pertineant ad fidem, aut bonos mores, abſque periculo Auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. In his enim locum habet illud Apoſtoli:* Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. *In his vero* (N. B.), *quæ pertinent ad FIDEM, & BONOS MORES, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat.* Hæc ſunt D. Thomæ formalia verba, quæ leguntur loco laudato, prout quiſque certior fieri poteſt locum conſulendo.

At quomodo locus iſte refertur primum a P. Sanchez in Summa *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. a P. Filliucio *Tom.* 2. *tract.* 21. *n.* 134. a P. Laymano *lib.* 1. *cap.* 5. §. 2. ac demum a P. Dominico Viva *in Trutina* tum in prop. 27. Alexandri VII., tum in prop. 3. Innocentii XI. ubi textum ſignat, quaſi formalia, & genuina verba D. Thomæ referret? Locus adeo interpolatus eſt, corruptus, depravatus, ut ſenſum e regione oppoſitum reddat. *Hinc*, inquit ille, D. Thomas *quodl. 3. art.* 10. *dixit, poſſe quemlibet amplecti opinionem, quam a ſuo Magiſtro audivit in iis, quæ ad mores pertinent;* ita S. Doctori affingens, quod nec ipſe ſomniavit, imo contrarium diſerte docuit, ut doctrinam falſam, & erroneam P. Viva defendat, quam reipſa damnavit Eccleſia, & fundamentum eſt *extrinſeci Probabiliſmi*.

Doctrinam hanc Auditor, ſive Diſcipulus omnino devitare, ac reprobare debet. Equidem juxta S. Thomam, quando *opiniones diverſæ* ſunt inter Doctores, *ſi non pertinent ad fidem, aut bonos mores*, uti plurimæ ſunt in Sacra Scriptura, & in Theologia, abſque ſalutis periculo ſequi poteſt, quam ipſe maluerit: quoniam in his locum habet Apoſtoli dictum: *Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet.* At dum agitur de his, *quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, nullus excuſatur* a peccato, *ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri.* Et quare non excuſatur? Quia licet in rebus aliis ignorantia *culpabilis* minime ſit; *in his* tamen, *quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, ignorantia non excuſat a culpa.* Quapropter cautiſſime, magnaque cum circumſpectione ſe gerere debent Auditores in deligendis Magiſtris, a quibus Theologiam ſive Dogmaticam, ſive Moralem addiſcant; &, ſi contingat ab eis ſententias audire, quæ in Dogmatum Eccleſiæ, morumve doctrinam impingant, aut dubium aliquod ſuboriatur, ne opiniones, quæ traduntur, laxæ ſint, atque periculoſæ, doctiores adeant, & ſecuriores Magiſtros.

XIV. Ulterius, qui ad artes liberales, aut ſcientias addiſcendas ſe applicant, iis ſtudiis operam navare debent, quæ aut inutilia, aut noxia non ſunt, ſed aut ſcitu neceſſaria, aut ſaltem utilia ad erudiendam mentem, & promovendam earum veritatum cognitionem, quas addiſcere ſibi proponunt. Studium enim pabulum mentis eſt: unde, ſicuti corpus eſcis corporalibus alitur; ita mens noſtra ſtudio, & contemplatione nutritur; adeoque, ſicut peccaret ille, qui venenoſos, aut noxios ſumeret cibos, & neceſſaria ſibi alimenta ſubtraheret; ita peccat, qui ſtudendo vel noxiis, vel inutilibus rebus adjungit animum, vel quæ ſcitu neceſſaria ſunt, addiſcere prætermittit.

XV. Quare peccant in primis, qui falſis doctrinis ſtudent, quæ fidem, aut bonos mores corrumpere poſſunt. Ut enim ait Vir Cl. Sylvius, *jure naturali vetitum eſt legere libros hæreticorum* (habita etiam legendi facultate) aliorumque, *quando periculum eſt ſubverſionis. Qui enim amat periculum, in illo peribit: & ea lectio* (ut recte obſervat) *magis eſt periculoſa, quam vel diſputatio, vel colloquium verbale; partim quia ſcripta ſunt magis meditata, magis ornata, & compoſita; partim quia, cum in promptu ſint, ſæpius, & attentius leguntur; partim quia ſic vera falſis, & bonis mala immiſcent, ut facile incautos decipiant*, præſertim juvenes, aut ſemidoctos, qui antidotum veneno adhibere ſeipſis neſciunt.

Peccant ulterius, qui immodico ſciendi deſiderio illecti, tempus pietati, & exercitiis ſpiritualibus debitum prophano ſtudio impendunt: qui curioſis inſiſtunt cogitationibus, quæ ad laudabilem virtutis notitiam non referuntur; ſed potius ab utilibus conſiderationibus animum avertunt, cujuſmodi ſunt vanæ illæ ſpeculationes, de quibus loquitur Apoſtolus Paulus, dum ait 2. ad Timoh. 2. *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens, quia generant lites.* Et ad Tit. 3. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: ſunt enim inutiles, & vanæ.*

Peccant demum, qui ſcientiis ſæcularibus addiſcendis immoderato ſtudio inardeſcunt, eaſque *ſalutis ſcientiæ* præponunt; quæque ſtatus, ac officii ſui magis propria ſunt, vel ſcire omittunt, vel ſuperficie tenus attingunt. Hinc S. Auguſtinus coarguit *lib.* 1. *de morib. Eccleſ. cap.* 21. illos, qui *magnum aliquod ſe agere putant, ſi univerſam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſime, intentiſſimeque perquirunt: unde etiam tanta ſuperbia gignitur, ut in ipſo Cælo, de quo diſputant, ſibimet habitare videantur.* Additque ſubinde: *Reprimat igitur ſe anima ab hujuſmodi vanæ cognitionis cupiditate, ſi ſe caſtam ſervare diſpoſuit*, ſive immunem coram Deo a peccato.

Poſtremo ii, qui ex Studentibus Scholas frequentant, uti ſunt præſertim adoleſcentes, non intermiſſo labore, ac diligentia, litteris, quibus applicantur, incumbere debent, tum ut otium fugiant, tum ut inſurgentes paſſiones facilius vincant, quæ maxime in Academiis, & Seminariis graſſari ſolent; tum ut idonei præcipue reddantur ad ea percipienda, quibus a Præceptoribus ſuis inſtruuntur. Magiſtris honorem, ac reverentiam exhibeant; ac animum beneficii memorem ſervent. Sicut enim, ut ait Philoſophus, a parentibus *eſſe*; ita ab inſtitutoribus ſuis *bene eſſe* recipiunt. Propterea, qui ſtudium notabiliter negligunt, curaſque tum parentum ſuorum, qui eos non exiguis expenſis in Scholis

lis

lis alunt; tum ſuorum præceptorum, qui eis excolendis, & imbuendis non ſine magno tædio, multaque patientia dant operam, in re gravi defraudant; lethaliter peccare dicendi ſunt, præter alia crimina, quæ negligentiam in ſtudiis conſequi ſolent juxta illud: *Qui evitat diſcere, incidit in malum.*

CAPUT QUARTUM.

De obligationibus Medicorum, aliorumque, qui ſanandorum corporum curam gerunt.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Præcipuæ dotes, quibus Medicus pollere debet.*
II. *Inſignis locus V. C. Ludovici Vives de obligationibus, & peccatis Medicorum.*
III. *In Medico requiruntur ingenium, inſtitutio longa, probitas morum, ſedulitas, uſus.*
IV. *Quam periculoſe officium exerceat Medicus, ſi ſcientia ſufficienti deſtitutus ſit.*
V. *Peccant inexperti, qui medendi miniſterium aſſumunt.*
VI. *Peccant etiam, ſi ex livore, aut pertinacia in alienam ſententiam concedere abnuunt.*
VII. *Rei quoque peccati ſunt, qui lucri aviditate morbos ſanare protrahunt.*
VIII. *Medicorum negligentia in inviſendis ægris, in perpendendis morborum qualitate, ac remediorum viribus, in peccato eſt, & quidem ſæpe mortali.*
IX. *Hippocratis jusjurandum, quod Medici omnes Chriſtiani obſervare debent.*
X. *Alia quædam a Medicis, & Chirurgis ſedulo animadvertenda.*
XI. *Pauperibus ægrotis vita periclitantibus gratis ſuccurrere tenentur.*
XII. *Regulæ pro Medicorum inſtructione a Summo Pontifice Benedicto XIV. collectæ.*
XIII. *Aliæ ex eodem pro inſtructione Eccleſiaſticorum, qui artem Medicam, aut Chirurgicam exercent.*
XIV. *Quædam de obligationibus Pharmacopolæ.*

§. I.

Dotes, quibus Medicus præditus ſit oportet.

I. QUemadmodum ad mentem excolendam neceſſarii, atque utiles ſunt Magiſtri, ſi dotibus gaudeant, quæ ad officium ſuum rite obeundum exiguntur; ita ad curanda corpora neceſſarii quoque ſunt, atque utiles Medici, ſi dotibus præditi ſint ad hunc finem conſequendum requiſitis. Hæ porro dotes præcipuæ, ac generales ſunt, *ſcientia morborum*, *peritia in applicandis remediis*, *ac diligentia in inviſendis ægrotis*. Scientia quidem, ac peritia inſtructus Medicus ſit, oportet; cum ſine his nec morbum a morbo, nec remedium ſalutare, aut idoneum ab inutili, & noxio ſecernere valeat. Diligentiam pariter habere debet in ægrotis inviſendis juxta morborum qualitatem, & infirmi neceſſitatem. Ex hac enim diligentia valetudo, aut mors ægroti ſæpe dependet. Quare ſi in aliquo horum deficiat, obligationi ſuæ haud ſatisfacit; & peccat contra legem naturalem, qua adſtringitur, ut officio ſuo recte fungatur, nec ſe periculo exponat inferendi proximo graviſſimum detrimentum.

II. Verum hac in re nonnulla decerpere præſtat ex Clariſſimo Viro Ludovico Vives, qui cum in peculiari opere ſuo de pluribus aliis hominum artibus agat, tum vero de Medicorum officio, ex quo, quænam ſint obligationes ipſorum, quam luculenter eniteſcit; & Medicis ſerio meditandas propono. „ Loquamur, inquit ille, jam *de* „ *Medicina*, cui arti in omnium corpora vitæ, „ ac necis poteſtas, & jus ſummum eſt permiſ- „ ſum, nec ulli unquam vel Imperatori, vel Re- „ gi tantum in homines licuit. Quocirca & Me- „ dicum ipſum navare diligentem operam, om- „ nes Divi, atque homines poſtulant, clamant, „ requirunt, ut prudentiſſime, atque amantiſſi- „ me, quæ ſuæ ſint & fidei, & poteſtati commiſ- „ ſa, tractet. Quanta, & quam præſentanea pe- „ ſtis eſt, ſi huic potentiæ adjungatur inſcitia; „ quod fere fit arrogantia, & ex hac rabies oria- „ tur, & pertinacia non cedendi “?

„ III. Itaque propter tam paratum diſcrimen maximis artis hujus authoribus placuit, non videri dignum eum Medicum profeſſione, ac nomine, cui hæc non adeſſent omnia: natura, „ ingenium, inſtitutio longa, probitas morum, „ ſedulitas, uſus. Ingenio eſt opus diligenti, „ attento, conjectore optimo, prudenti, mode- „ rato, non ambitioſo, non oſtentatore, non per- „ tinaci, quodque in ſententiam nolit tranſire „ melius dicentis “.

„ IV. Erit hujuſmodi Medicus, ſi habuerit per- „ ſuaſum, nihil ſibi debere eſſe prius, aut cha- „ rius vita, & ſalute hominis, ut nec exiſtima- „ tionem ſui, aut quæſtum anteponat ei, qui ad „ illius manum, atque operam tamquam ad aſy- „ lum quoddam ex graviſſimo periculo confugit: „ id vero eſt boni viri, & Chriſtiani. Nam ſi „ quem per ignorantiam inflexibilem occiderit, „ quomodo deinceps id damni ſarciet? Quantam, „ & quam exactam eſt Deo redditurus rationem? „ Siquid ab uno Theologo erratum ſit, ab alio „ corrigitur: ſi a Juriſconſulto erratur, ſuccur- „ ritur æquitate Judicis, reſtitutione in integrum; „ denique fit pecuniæ jactura. Quod vero a Me- „ dico erratur, quis corriget? Homini extincto „ quis afferet remedium? Unde maxime mira- „ mur inveniri tam multos, qui adeo periculo- „ ſum munus ſuſcipere, ac profiteri non dubi- „ tant: ſed nimirum plerique eorum prius in pro- „ feſſionem inciderunt, quam intelligerent, quan- „ tum id eſſet, quod ſuſciperent; nec propterea „ excuſantur: quia, ut docet D. Thomas 1. 2. q. „ 76. *Omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ* „ *ſpectant ad eorum ſtatum, & officium* “.

V. Pergit deinde illuſtris Author, & contra præcipitem Juniorum Medicorum praxim ita inſurgit: „ Juvenes, inquit, atque adoleſcentes Medici

„ dici ſolis Scholæ ſpinis, & captiunculis inſtructi, „ nulla peritia herbarum, animantium, elementorum, denique naturæ hujus nullis experimentis, & cognitione rerum adjuti, nulla fulti prudentia, judicio, & conſilio perquam imbecillo, „ admittuntur ad Doctoratus honorem; & continuo emittuntur ex Academiis in proxima oppida, & vicos ad ponenda rudimenta artis, tamquam manus immitium carnificum: nec univerſales noverunt Canones, nec deductionem artis „ viderunt ad uſum; nec ipſi ad opus moverunt „ manum: Juvenes calidi, & confidentes omnia „ temeritati caſuum commendant. Admoneri ſe „ non ferunt tyrones a veteranis, quibus ſe adæquatos vident honore Doctoratus. Quod ſi ſeniores Medici admonitionibus moleſti eſſe pergant, adoleſcentuli Medici eos aggrediuntur „ rixis, & tendiculis ſcholaſticis: hinc clamore, „ & pervicacia aſſeverationis, conviciis, maledicentia cogunt ſibi cedere ſenes moderatos, & „ pugnis hujuſmodi deſuetos, quos victos effronti „ confidentia, importunitate, & odio inſectantur „ tyrones. Hinc nata eſt ſuberba Juniorum Medicorum oſtentatio, quæ veterem, & vulgatam medendi viam faſtidivit; novam, inſolitamque „ quæſivit, quæ admirationem excitaret, non ſanitatem procuraret: nec propterea excuſantur, quia „ juxta D. Thomam ibidem: *Quicumque negligit* „ *facere id, quod tenetur facere, peccat peccato omiſſionis* “.

VI. De Medicorum livore etiam verba facit Author idem, inquiens: „ Cum aliqui de quopiam „ morbo in commune conſulunt, qua malignitate, „ quo livore id faciunt: quanto faſtidio, & vultuoſitate accipiunt alienam ſententiam: qua authoritate, atque aſſeveratione proferunt ſuam: qua „ pertinacia tuetur, quiſque, quod ſemel confirmavit, aut etiam eſt elapſum, ne ceſſiſſe videatur? Idque eo faciunt obſtinatius, quo ſunt „ imperitiores; videlicet non tam ſpectantium de „ ſe judicium veriti, ſi quid concedant, quam „ ſuæ ipſorum conſcientiæ, cui ſatisfacere ſe non „ putant, niſi omnino victoriam aliis fecerint „ dubiam, aut victores ſe, aut certe non aperte victos: nam cedere appellant vinci. Hinc „ ſequuntur detractiones, calumniæ &c. quæ ſingula ſunt peccata mortalia: quia juxta D. Thomam: *Detractio per ſe eſt peccatum mortale* “.

VII. Sed & de quæſtuoſa Medicorum avaritia dicendum aliquid putat idem Auctor. Ait ergo: „ Quæſtuoſiſſima facta eſt ars medicinæ. Quid enim non largiatur homo liberatori ſuo? An „ vero ſit ullus tam inſanus, quin vitæ periculo „ pecuniæ parcat? Quid ergo de illis dicam, qui „ aviditate lucri morbos differunt, quo nihil cogitari poteſt inhumanius? Non privatim videntur iſti admonendi; ſed publica ſeveritate puniendi, haud aliter, quam convicti facinorum „ capitalium. Cur in eum animadvertitur, qui hominem liberum cecidit; iſtis vero impune eſt, „ morbos cum certo valetudinis exitio proferre? „ De quo ita Jus Canonicum Can. *Abſit* diſt. 30. „ *Si medicus*, inquit: *Medicus ſi indulget periculis, hoc non eſt curare; ſed, ſi verum dicere volunt, occidere*. Et quando ſolum quæſtum ſectantur, peccant ex prava illa intentione. *Si autem* „ *per improbitatem*, inquit D. Thomas, *aliquid* „ *immoderate extorqueant*, *peccant contra juſtitiam*; „ ac proinde tenentur ad reſtitutionem illius, „ quod injuſte extorſerunt. 2. 2. *q*. 71. *art*. 4. *in* „ *corp*. “

VIII. Demum de Medicorum negligentia ita loquitur: „ Qui ſe ad artem Medicinæ in uſum „ generis humani convertunt, ubi primum ſe publicis utilitatibus dedicarunt, non debent amplius ad alias artes vel diſciplinas divertere. „ Eſt enim in hac una ſatis ſuperque, quod „ agunt, vel vita univerſa, quantumlibet diuturna, ac longa; ſciatque medicus, quidquid temporis huic ſtudio ſubtraxerit, tantum ſubripere, ac furari ſanitati ſuorum ægrotantium. „ Nihil ergo charius, aut potius habebit, quam „ humanum corpus. Quocirca experimenta prima, quæ ſunt pleniſſima periculi, non ſumet „ in humano corpore, ſed in re vili, nempe in „ mutis animantibus. Nullam omittat ſtudendi occaſionem, qua fiat in arte peritior, „ ut monet Hippocrates: ars longa, vita brevis “.

„ IX. Sed juvat hic ſcribere jusjurandum Hippocratis, ut ſciant medici Chriſtiani, qua religione medicinam Paganus exercuerit. Sic enim „ habet p. 2. „ Cæterum quod ad ægros attinet „ ſanandos, diætam ipſis conſtituam pro facultate, „ & judicio meo commodam; omneque detrimentum, & injuriam ab eis prohibebo. Neque „ vero ullius preces apud me adeo validæ fuerunt, ut cuipiam venenum ſim propinaturus; „ neque etiam ad hanc rem conſilium dabo. Similiter etiam neque mulieri potum pro faciendo „ abortu dabo. Porro ſancte, & caſte vitam, & „ artem meam conſervabo. In quaſcumque autem „ domos ingrediar, ob utilitatem ægrotantium intrabo; ab omnique injuria voluntaria inferenda, & corruptione, quum alia, *tum præſertim* „ operum venereorum abſtinebo, ſive muliebria, „ ſive virilia, liberorum, aut ſervorum corpora „ mihi contigerit curanda: quæcumque vero inter „ curandum videro, aut audiero, imo etiam ad „ medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognovero, ea ſi quidem efferre non „ oportuerit, tacebo, & tamquam arcana apud „ me continebo. Hoc igitur jusjurandum mihi „ integre ſervanti, & non confundenti contingat & „ vita, & arte feliciter frui, & apud homines in „ perpetuam gloriam meam celebrari; tranſgredienti autem, & pejeranti his contraria eveniat “. Hæc ille præclare admodum; quæ utinam & a Medicis Chriſtianis omnibus fideliter ſervarentur.

§. II.

Alia quædam a Medicis obſervanda.

X. His omnibus addo, Medicum, ſicut etiam proportione ſervata, Chirurgum remedium ægrotanti applicare non poſſe, quod dubium eſt, profuturum ne ſit, an nociturum. Hoc enim in

in caſu periculo ſe exponit necandi, vel lædendi infirmum, qui forte ex ipſa naturæ vi ſanaretur. Quod ſi unicum remedium ſuppetat, Medicus ex variis circa remedium illud opinionibus tenetur ſequi probabiliorem, atque tutiorem, conſentientibus ipſis Probabiliſmi defenſoribus, qui in hiſce rebus temporalibus tutiora ſectantur. Sic etiam, quoties certum habet, pharmacum aliquod infirmo profuturum eſſe; illud adhibere tenetur, eo prætermiſſo, de quo dubitatur, aut ſolum probabiliter profuturum putat. Si certa pharmaca non occurrant, debet uti probabilioribus: tum quia alioqui proximi ſalutem in diſcrimen adduceret; tum quia officio ſuo tenetur perfungi eo meliori modo, quo poteſt, cum minimo proximi periculo, & damno. Quod ſi nulla ſpes affulgeat de proximi ſalute, nec adſit remedium, niſi dubium; de quo ſcilicet dubium eſt, num ſit, profuturum, vel damnum potius allaturum; illud adhibere licite poteſt, ac tenetur: quoniam ſic negotium infirmi utiliter geritur; ac, ſi mors fortaſſe ſequatur, morbi magnitudini imputabitur.

XI. Obligantur etiam Medici, quemadmodum quoque Chirurgi, ac Pharmacopolæ, ſuccurrere pauperibus ægrotis, qui ab omnibus deſerti ſunt, aut probabiliter deſerendi; eorumque curationem gratis ſuſcipere. Ita namque ab ipſis exigit præceptum divinum de proximi dilectionem, quod *Proverb.*24. ſic explicatum eſt, ut ad hanc obligationem confirmandam nihil ſit hoc oraculo accommodatius: *Erue*, inquit, *eos*, *qui ducuntur ad mortem*; *& qui trahuntur ad interitum*, *liberare ne ceſſes*. *Si dixeris: vires non ſuppetunt*; *qui inſpector eſt cordis*, *ipſe intelligit*; *& ſervatorem animæ tuæ nihil fallit*, *redditque homini juxta opera ſua*. Quæ verba nedum intelligenda ſunt de iis, qui falſis teſtimoniis, aut iniqua Judicis ſententia opprimuntur, & ad mortem rapiuntur; verum etiam de omnibus, quorum ſalus, & vita periclitatur ob alimentorum, veſtimentorum, remediorum, aut aliarum ejuſmodi rerum defectum. Hanc obligatiotionem adſtruit etiam Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 1., ubi poſtquam advocati obligationem in cauſis pauperum agendis, ac defendendis expoſuit, ſubdit e veſtigio: *Et idem dicendum eſt de Medico*, *quantum ad curationem pauperum*.

§. III.

Regulæ pro Medicis ex operibus Benedicti XIV. collectæ.

XII. Piaculare plane fuerit, hic ſilentio præterire regulas ad Medicorum inſtructionem in obligationibus ſuis, collectas in Epitome *Doctrinæ Moralis &c.* ex Operibus Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV., in qua inter alias V. *Medicus* hæc habentur: „ Medici tenentur ſub gravi monere „ infirmum, cum vocantur ad eum curandum, „ ut vocet Confeſſarium, ut provideat de ſalute „ animæ ſuæ, ita præcipiente Concilio Lateranenſi „ in Cap. *Cum infirmitas de Pœnit. & Remiſ.* S. „ Pius V. in ſua Conſtit. 3. in Bullario Romano „ jubet, ut Medicus ante omnia id moneat; neque „ tertio die ulterius illum viſitet, ſi vocare Con„ feſſarium recuſaverit. Tranſgreſſores Medicos „ incurrere pœnam infamiæ, & privationem o„ mnium privilegiorum ejus profeſſionis. Mandat „ inſuper, ut nemo deinceps lauream Medicinæ „ obtineat, ni prius juret coram publico Notario, „ & Teſtibus ejus *Bullæ* obſervantiam. Neque „ ab his ſervandis excuſantur Medici ex conſuetu„ dine jam per longum tempus introducta, cum „ ob ſingulorum juramentum conſuetudo iſta indu„ ci non potuerit: ſufficit tamen, ſi Medicus id „ moneat per alium virum gravem. *Inſtit. Eccleſ.* „ 22. §. 16.

„ Non tamen tenetur ſub gravi monere ægrotum „ in quocumque morbo: ſed quando ita aliquo „ morbo corripitur, ut, attentis omnibus, judi„ care poſſit, periculum eſſe, ut evadat mortalis. „ *Ibid.* §. 18. Conſultius eſt tamen, ut moneatur „ ægrotus, etiamſi non timeatur periculum illud. „ *Ibid.* §. 20.

„ Si tamen ægrotus renuat Confeſſionem, & mor„ bus ſit adeo periculoſus, ut deſertus a Medico „ timendum ſit, ne moriatur, docent tunc Theo„ logi, deſerendum a Medico non eſſe, ne ægrotus „ amittat ſpem ſanitatis recuperandæ, adeoque re„ ſipiſcendi. *Ibid.* §. 17.

„ Laici artem Medicam, vel Chirurgicam exer„ centes ex præſcripto ſuæ artis, etiamſi aliquis æ„ grotus obierit, non tamen incurrunt irregulari„ tatem: *ad cautelam* tamen petunt, & obtinent „ diſpenſationem, ſi promoveri ad Ordines Sacros „ poſtulant. Attamen hujuſmodi *Brevia* non con„ ceduntur, niſi prius audito Epiſcopo, cui injun„ gitur, ut diſtincte referat caſus omnes animad„ verſione dignos, eorumque peculiares circumſtan„ tias; ſimulque exponat, cujus rei gratia Orator „ ad Ordines Sacros promoveri poſcat. *De Synod.* „ *Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 10. §. 4. *Nov. Edit.*

„ XIII. Sacros vero Ordines jam obtinentes, vel „ etiam Minores cum Eccleſiaſtico beneficio, ex „ præſcripto Sacrorum Canonum neceſſario debent „ petere indultum, ſi medendi artem velint exer„ cere. Hoc vero indultum non obtinetur, ni„ ſi expoſita cauſa; nempe quod locus: in quo „ Orator degit, & profiteri cupit, vel ſit pene de„ ſtitutus, vel non ſatis illi proviſum ſit ex Me„ dico Laico; vel denique ejus familia tantæ ſit „ egeſtatis, ut providendum illi ſit ex honeſto „ lucro ab arte Medici percipiendo. *Ibid.* §. 6.

„ Regulares ex Inſtituti ſui ratione Hoſpitalium „ curam, & adminiſtrationem obtinentes, medicam „ artem exercere non poſſunt extra illa Hoſpitalia. „ *Ibid.* §. 7.

„ In prædictis Indultis Apoſtolicis Monachis, „ vel Clericis conceſſis ſemper apponitur hæc limi„ tatio: *Abſque inciſione*, *& aduſtione*. *Ibid.* §. 8.

„ Clericis Sæcularibus Sacris Ordinibus inſigni„ tis, ſi conceſſum fuerit indultum, ut provideant „ familiæ indigenti; illud durat, quoadusque Ora„ tor certos Eccleſiaſticos reditus, vel reſidentiale „ beneficium obtinuerit. Inſuper affertur limita„ tio, nequid expoſcat ab ægrotis; neque enim „ Eccleſiaſtico Sæculari Medico prohibetur, ut „ ſponte oblata recipiat, præterquam a veris egenis,

„ nis, a quibus nihil penitus poteſt accipere. *Ibid.* „ Regularibus vero indultariis ſemper datur cum „ modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant. *Ibid.*

„ Chirurgiam vero exercere Eccleſiaſticis Sæcularibus, vel Regularibus longe difficilius conceditur; & tunc ſolum, cum omnis omnino Chirurgus Laicus deeſt, quin & tunc *ſine aduſtione*, „ *&* *ſectione*. *Ib.* §. 11. " Hactenus ex doctiſſimo Summo Pontifice delibata.

XIV. Obiter etiam dicam de obligatione *Pharmacopolæ*. Peccat is primo, ſi abſque ſimplicium, aut herbarum, ſive medicamentorum notitia ſuam artem exerceat. Secundo, qui ex arbitrio remedia conficit, aut abſque neceſſaria diligentia; vel etiam remedia a Medico, cui inhærere omnino debet, præſcripta non miniſtrat, niſi forte nimium manifeſtus ſit Medici error in præſcribendo; quo in caſu peritiores conſulat oportet. Tertio, qui remedia nullius virtutis præbet, aut quæ virtutem ex vetuſtate jam amiſerunt. Quarto demum qui remedia parat, quæ bonis moribus contraria ſunt; de quibus *Cap.* 5. *de Homic. Volunt. &c.* habetur: *Si aliquis cauſa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, aut dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur.*

CAPUT QUINTUM.

De Judicum obligationibus, & eorum peccatis in ipſarum omiſſione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Quatuor dotes requiruntur in Judice: quarum prima*, authoritas *ſcilicet* judicandi, *declaratur ex S. Thoma*.

II. *Quatuor modi, quibus aliquis judicio alterius ſubjectus ſit.*

III. *Multipliciter ex hoc capite peccare Judex poteſt.*

IV. *Requiritur ſecundo in Judice* ſufficiens ſcientia *eorum, quæ ſuum ſpectant officium.*

V. *Quorum ſcientiam callere Judex debeat.*

VI. *Dum certo veritatem cognoſcere nequit, in cauſis* civilibus *probabiliorem partem ſequi tenetur: in* criminalibus *favere potius reo, quam actori.*

VII. *Quænam a Judice in examine cauſæ obſervanda ſint.*

VIII. *De tertia Judicis dote, & obligatione*; reddendi *nimirum* unicuique, quod ſuum eſt, conſtanti voluntate.

IX. *Colligitur, quando Judex deſit ex hoc capite obligationi ſuæ.*

X. *Quandonam Judex poſſit, aut non poſſit relaxare pœnam delicto debitam. Sancti Thomæ doctrina.*

XI. *Juxta poſitam doctrinam quædam argumenta diluit idem S. Doctor.*

XII. *De quarta dote in Judice requiſita, quod videlicet* venalitatem fugiat *in ſuo officio, & obligatione inde conſecuta.*

XIII. *S. Thomæ doctrina propoſita. Quid ex ea ſequatur.*

XIV. *Colligitur, quando peccent Judices ex hoc capite.*

XV. *Laxæ plures adverſus obligationes Judicis conſtitutas Caſuiſtarum opiniones referuntur, ac reprobantur; ac primum Buſembaum.*

XVI. *Alia ejuſdem opinio in propoſitione damnata contenta.*

XVII. *Laxa opinio P. Valentiæ, poſſe Judicem in cauſis æqualis probabilitatis in favorem amici ſui judicium ferre, aſſerentis.*

XVIII. *Laxior de re eadem, ac expreſſe damnata opinio PP. Dicaſtilli, Salas, Fagundez &c.*

XIX. *Quid de eadem quæſtione ſentiat P. Thomas Sanchez Probabiliſtarum Princeps.*

XX. *Corruptior alia P. Tamburini ſententia, putantis licitum eſſe Judici* vendere ſententiam probabilem *proptr extrinſecam Doctorum, quos refert, authoritatem.*

XXI. *Hanc opinionem communem eſſe S. J. Doctoribus cenſet Eſcobarius.*

XXII. *Teſtimonium* Apologiſtæ Caſuiſtarum, *laxam eamdem opinionem communem pariter eſſe aſſerentis.*

XXIII. *Juxta eumdem aliam quoque monſtroſam opinionem Caſuiſtæ docent; non teneri ſcilicet Judicem ad ea reſtituenda, quæ pro danda* injuſta *ſententia recepit. Verba P. Leſſii, qui alios laudat.*

XXIV. *Quædam de obligatione Judicis in cauſis criminalibus. S. Thomæ doctrina expoſita.*

XXV. *Conſectaria, quæ ex doctrina conſtituta deducuntur.*

§. I.

Quatuor aſſeruntur, & explicantur dotes, quæ in Judice neceſſariæ ſunt, ex quibus ejus obligationes profluunt.

I. DE *judicio publico*, prout actus juſtitiæ eſt, ſupra differentes nonnulla diximus, quæ huc revocantur. Nunc autem de peculiaribus Judicum obligationibus plura addenda ſunt, doctrinam D. Thomæ ſequentes 2. 2. *q.* 67., ex qua quatuor præcipuæ colliguntur Judicis obligationes; nimirum 1. quod *authoritate judicandi* gaudeat; 2. quod *ſcientia diſcernendi*, quæ recta ſunt, polleat; 3. quod *conſtantem* habeat jus ſuum unicuique reddendi *voluntatem*; ac 4. tandem quod in judicio exercendo quamcumque *venalitatem fugiat*.

Quoad *authoritatem judicandi* pertinet, eam neceſſariam eſſe in Judice probat S. Doctor art. 1., ubi quærit: *Utrum quis poſſit judicare eum, qui non eſt ſibi ſubditus?* eamque quæſtionem ita reſolvit. „ Sententia judicis, ait, eſt quaſi quædam particularis lex in aliquo facto particulari. Et ideo, ſicut lex generalis debet habere „ vim coactivam; ita etiam & ſententia Judicis debet habere vim coactivam, per quam „ conſtringatur utraque pars ad ſervandam ſententiam Judicis: alioquin judicium non eſſet efficax. Poteſtatem autem coactivam non „ ha-

„ habet licite in rebus humanis, niſi ille, qui „ fungitur publica poteſtate: & qui ea fungun- „ tur, ſuperiores reputantur reſpectu eorum, in „ quos ſicut in ſubditos poteſtatem accipiunt, ſi- „ ve habeant ordinariam, ſive per commiſſionem. „ Et ideo manifeſtum eſt, quod nullus poteſt ju- „ dicare aliquem, niſi ſit aliquo modo ſubditus „ ejus vel per commiſſionem, vel per poteſtatem „ ordinariam “.

II. Quamquam vero duos modos Sanctus Thomas tantum commemoret, quibus aliquis ſit alteri ſubditus; nempe ratione *poteſtatis ordinariæ*, qua quis ſuo Principi ſubjectus eſt, & ratione *commiſſionis*, ſive *delegationis*, quæ a legitimo Principe fieri poteſt, ac ſolet: duos tamen alios minus præcipuos ſub iis comprehendiſſe Authores obſervant ex his, quæ habet *in reſponſ.* ad argumenta; nempe ſubjectionem *ratione delicti*, vel *contractus*, & quæ inducitur *ex partium conſenſu*: quando ſcilicet illi, qui litigant, aut controverſiam habent, compromittunt in certum, aut certos quoſdam arbitros ſe parituros eorum determinationi, adjuncta pœna illi, qui tergiverſari voluerit.

Et primum quidem modum ſatis inſinuat Sanctus Thomas *in reſp. ad 3.*, ubi loquens *de delicto* in aliqua Diœceſi commiſſo ait: „ Epiſcopus „ (idem dicas de alio quocumque ſæculari judi- „ ce) in cujus Diœceſi aliquis delinquit, effici- „ tur ſuperior ejus ratione delicti, etiamſi ſit e- „ xemptus; niſi forte delinquat in re aliqua e- „ xempta, puta in adminiſtratione bonorum ali- „ cujus Monaſterii exempti. Sed ſi aliquis exem- „ ptus committat furtum, vel homicidium, vel „ aliquid hujuſmodi, poteſt per ordinarium (ſive „ Principem) juſte condemnari.

Alium vero ſubjectionis modum deſignat *in reſponſ. ad* 2. dicens: „ In rebus humanis aliqui „ propria ſponte poſſunt ſe ſubjicere aliorum ju- „ dicio, quamvis non ſint eis ſuperiores: ſicut „ patet in his, qui compromittunt in aliquos „ arbitros. Et inde eſt, quod neceſſe eſt, arbi- „ trium pœna vallari; quia arbitri, qui non ſunt „ ſuperiores, non habent de ſe plenam poteſta- „ tem coercendi “.

III. Ex his colligitur 1. peccare, quicumque in judicando alterius juriſdictionem uſurpat. *Judex* enim, ut ait S. Gregorius in Deuteron. cap. 23., *falcem judicii mittere non poteſt in eam ſegetem, qui alteri videtur eſſe commiſſa*.

Peccat 2. judex civilis, qui in rebus ſpiritualibus judicium exercet; & ſimiliter judex eccleſiaſticus, qui in rebus temporalibus ad ſæculares Judices pertinentibus judicium uſurpat.

Peccat 3. quicumque ficto diplomate conſtitutus eſt Judex: quia falſus titulus pro nullo habetur. Item qui ſe Judicem fingit, dum revera Judex non eſt. Pariter qui ſub ementito Doctoratus gradu fallit Principem, & Judex conſtitutus eſt: quia tunc judicium uſurpat, cum vere Judex non ſit. Judicia tamen, quæ ab illo exercetur, qui titulum coloratum habet, niſi aliud impedimentum adſit juris naturalis, aut divini, non improbantur a Principe, ſed rata habentur, ut ſtatuitur *l. Barbatius ff. de Officio Prætoris*. Hinc ſententia lata a Judice occulte excommunicato valida eſt. Quod ſi Judex ille publice declaretur uſurpator, judicia omnia ab eo lata irrita, & nulla ſunt, niſi ab habente poteſtatem rata habeantur. Vide quæ de *Legibus*, ac *de Judicio*, prout *Juſtitiæ* eſt *actus*, dicta ſunt.

IV. Altera, quæ in Judice dos requiritur, eſt *ſcientia ſufficiens* eorum, quæ officium ſuum ſpectant. Nam juxta vulgatam Sancti Thomæ regulam *ſinguli tenentur ſcire ea, quæ ad eorum ſtatum, & officium ſpectant*. Hinc lib. 2. Paralipom. 6. 19. de Rege Joſaphat dicitur: *Conſtituit Judices terræ in cunctis Civitatibus Judæ munitis per ſingula loca, & præcipiens Judicibus: videte*, inquiens, *quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non enim eſt apud Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*. Quibus verbis innuitur, Judices imitatores Dei eſſe debere, qui tametſi noverit omnia, nihil tamen judicat, niſi re cognita, atque perpenſa. Unde judicium laturus in infames quinque Civitates Sodomæ &c., dixit: *Deſcendam, & videbo &c.*; ut per hoc Judices doceret, nihil ſine ſcientia, & abſque maturo examine judicandum eſſe.

V. Quare Judex in primis debet habere ſcientiam legum, juxta quas judicium in ejus tribunali exercendum eſt; v. g. ſcientiam legum Romanarum, ubi viget jus Romanum, vel Regnorum, ſive Principatuum, velut etiam conſuetudinum probatarum.

Debet inſuper callere, quomodo applicandæ ſint leges ad peculiares caſus, qui occurrere ſolent; prudenter ponderare rationes pro utraque parte militantes; eaſque non ſomniculoſe, ſed ſerio, ac diligenter expendere, exemplo Job de ſe aſſerentis cap. 29.: *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*.

Ulterius in examine, & judicio rationem debet determinare quæſtiones quidem *juris* per *jus ſcriptum*, vel *non ſcriptum*, juxta præſentem vigorem utriuſque: quæſtiones autem *facti* per inſtrumenta, & teſtes, quoniam leges ſcriptæ, vel non ſcriptæ univerſalia juris præcepta continent: inſtrumenta vero, & teſtes facta determinant. *De legibus* Sanctus Auguſtinus cap. 31. *de vera Religione* ait: *Cum leges fuerint inſtitutæ, & formatæ, non licebit Judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas*. De teſtibus, & inſtrumentis Sanctus Ambroſius *in pſal.* 118. *ſerm.* 1. ſcribit: *Bonus Judex &c., ſicut audit, ita judicat*.

VI. Probationes dum aliquam ambiguitatem præſeferunt, in cauſis *civilibus* Judex debet in partem veriorem, aut probabiliorem accipere; & in cauſis *criminalibus* in interpretatione *favere reo potius, quam actori* juxta regulam juris. Sic in illa diſcuſſione, & examine ſequi non debet ſcientiam ſuam privatam, ſed dirigi per ſcientiam publicam, quam depromit vel ex legibus, vel ex inſtrumentis, vel ex textibus. Judex namque eſt perſona publica, non declarans, quid ipſe ſentiat; ſed pronuncians, quod leges im-

imperent, quid inſtrumenta ferant, quid teſtes enuncient.

VII. Porro Judex in examine tum legum, tum inſtrumentorum, tum in teſtium diſcuſſione hæc ſedulo obſervare debet: 1. judicare non debet, niſi audita utraque parte, ut ait Sanctus Gregorius *lib. 7. Epiſt.* 45., & æquitas ipſa naturalis jubet. 2. Ad judicandum tribus mediis uti debet; *accuſatione* ſcilicet, *denunciatione*, *& inquiſitione*, niſi crimen notorium ſit: tunc enim ſufficit evidentia facti. 3. Proceſſus acta exequatur, oportet per publicam perſonam, aut ſaltem duos viros idoneos, ut in Concilio Lateranenſi IV. *cap.* 8. conſtitutum eſt. Actorem admittere non debet ad judicandum, niſi libellum de cauſa dederit, aut quidpiam ſimile juxta loci conſuetudinem. 5. Demum ſententiam contra abſentem pronunciare non poteſt, niſi citatus comparere recuſet.

VIII. Quoad tertiam Judicis dotem, & obligationem attinet, quod habeat ſcilicet *conſtantem voluntatem reddendi unicuique, quod ſuum eſt*, ſive *quod ipſi debet*; vel quod perinde eſt, *quod juſtum judicium judicet*: hæc obligatio intima officio Judicis præ cæteris eſt, ex ipſa lege naturæ derivata, & in lege divina diſerte præcepta; ut inter alia teſtimonia, quæ afferri poſſent, conſtat ex cap. 1. Deuteronom. *Quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: nulla erit diſtantia perſonarum. Ita parvum audietis, ut magnum. Nec accipietis cujuſquam perſonam: quia judicium Dei eſt.*

IX. Unde peccat Judex, qui corruptus vel odio, vel amore, vel timore, vel precibus juſtitiam violat, ſive non judicat juxta legum præſcripta; ſive injuſtitia reſpiciat ſubſtantiam rei, ſive etiam procedendi modum. Sic peccat 1. qui damnat innocentem, vel falſa pietate commotus abſolvit reum ſecundum illud Proverb. cap. 17. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque coram Deo.*

2. Peccat qui judicando inter pauperem, & divitem, res divitis adjudicat pauperi ex quadam irrationabili miſericordia. Siquidem in judicio neceſſe eſt tam diviti, quam pauperi jus ſuum æque tribuere. Hinc Exod. cap. 23. præcipitur: *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.*

3. Peccat, qui ex timore vel reis divitibus indulget, vel pauperem contra divitis oppreſſionem non tuetur. Unde *Eccli.* 7. expreſſe Judicibus denunciatur, ut ab officio Judicis ſuſcipiendo abſtineant, ſi tanta animi fortitudine præditi non ſint, ut in judicando nec divites, nec potentes extimeſcant: *Noli velle fieri Judex, niſi valeas virtute perrumpere iniquitatem.* Hujus delicti rei ſunt Judices illi, qui, ut potentum vindictæ, aut voluntati obſequantur, inique damnant innocentem, uti fecit Pilatus, qui territus nomine, & indignatione Cæſaris, quam objiciebant Judæi, in eorum nefarium facinus tranſivit, & Chriſtum innocentem morti adjudicavit. Rei pariter ejuſdem delicti ſunt, qui Magnatum, vel divitum cupiditati ſervientes, pauperum cauſas aut audire abnuunt, aut fundamenta rationum, ac titulorum, quæ proferunt, non attendunt, vel etiam contemnunt: de quo delicto ſui temporis Judices arguebat Iſaias *cap.* 1. dicens: *Pupillo non judicant; & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.*

Peccant itidem, & obligationem ſuam violant Judices, qui ſecundum formas a jure præſcriptas, juſtitiam non reddunt; ſive id præſtent, ut malefactoribus faveant, ſive ut tutelam innocentibus haud præbeant. Utrumque enim execratus Dominus *Exod.* 22. & 23. ſic loquitur: *Maleficus non patieris vivere; & inſontem, & juſtum non occides: quia averſor impium.*

Peccati quoque reus eſt Judex, quoties in modo inſtituendi proceſſus formas juris non obſervat ad veritatem inveſtigandam idoneas; ex. c. dum judicat ſine neceſſariis delationibus, aut ſuperfluas admittit: dum juſtas exceptiones abjicit, aut ineptas recipit: dum interrogat circa ea, circa quæ interrogare minime debet, aut interrogationes neceſſarias negligit: dum differt amplius, quam par eſt, pronunciare ſententiam, aut, ea jam pronunciata, partibus litigantibus communicare renuit. In his quippe caſibus formam a jure præſcriptam non obſervat.

X. Verum in his, quæ diximus, animadvertenda eſt doctrina S. Thomæ, quam habet hic *art.* 4. ubi inquirit: *An Judex licite poſſit pœnam relaxare?* Ad quam quæſtionem ita ſolide reſpondet: „ Duo ſunt, quantum ad propoſitum pertinet, „ circa Judicem conſideranda: quorum unum eſt, „ quod ipſe habet judicare inter accuſatorem, & „ reum: aliud autem eſt, quod ipſe non fert ſententiam quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica „ poteſtate “.

„ Duplici ergo ratione impeditur Judex, ne „ reum a pœna abſolvere poſſit. Primo quidem „ ex parte accuſatoris, ad cujus jus quandoque „ pertinet, ut reus puniatur; puta propter aliquam injuriam in ipſum commiſſam, cujus relaxatio non eſt in arbitrio alicujus Judicis: quia „ quilibet Judex tenetur jus ſuum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cujus poteſtate fungitur, ad cujus bonum „ pertinet, quod malefactores puniantur “.

„ Sed tamen quantum ad hoc differt inter inferiores Judices, & ſupremum Judicem, ſcilicet Principem, cui eſt plenaria poteſtas publica commiſſa. Judex enim inferior non habet „ poteſtatem abſolvendi reum a pœna contra leges a ſuperiore ſibi impoſitas ... Sed Princeps, „ qui habet plenariam poteſtatem in Republica, „ ſi ille, qui paſſus eſt injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite abſolvere, ſi hoc „ publicæ authoritati viderit non eſſe nocivum “. Hæc ille præclariſſime.

XI. Juxta hanc doctrinam ſolvit deinde S. Doctor quædam, quæ ſibi objecerat, argumenta; eamque magis illuſtrat. Et ad primum quidem obſervat, quod „ miſericordia Judicis habet locum in „ his, quæ arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, ut ſit diminutivus pœnarum. „ In his autem, quæ ſunt determinata ſecundum „ legem divinam, vel humanam, non eſt ſuum „ miſericordiam facere.

Secundum vero argumentum ex exemplo Dei pœ-

pœnam peccatorum condonantis deſumptum ſic diluit: *Deus habet ſupremam poteſtatem judicandi; & ad ipſum pertinet quidquid contra aliquem peccatur. Et ideo liberum ei eſt pœnam remittere: præcipue cum peccato ex hoc pœna maxime debeatur, quod eſt contra ipſum. Non tamen remittit pœnam, niſi ſecundum quod decet ſuam bonitatem, quæ eſt legum omnium radix.*

Tertio autem ex eo ducto, quod abſolvere reum a pœna prodeſt ei, & nulli nocet, reponit; quod *Judex, ſi inordinate pœnam remitteret, nocumentum inferret Communitati, cui expedit, ut maleficia puniantur ad hoc, quod peccata vitentur. Unde Deuteron.* 15. *poſt pœnam ſeductoris ſubditur.* Ut omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quidpiam hujus rei ſimile. *Noceret etiam perſonæ, cui eſt illata injuria, quæ recompenſationem accipit per quamdam reſtitutionem honoris in pœna injuriantis.* Quamquam igitur Judex in pœnis delictorum conſtituendis laudabiliter propendeat in miſericordiam potius, quam in ſeveritatem; cavere tamen debet ſub gravi culpa, ne immoderata ſit ipſa clementia. Nam ſi Judex inferior ſit, nefas ipſi eſt nedum relaxare, ſed etiam diminuere pœnam a lege conſtitutam: ſi autem ſupremus fuerit, præ oculis ſemper habeat oportet, ne nimia ſua benignitate delicta foveat in Communitatis præjudicium, aut juri alterius nocumentum inferat.

XII. Demum quod quartam, ac poſtremam Judicis dotem ſpectat, ut *venalitatem* omnem devitet; hæc obligatio jure ſaltem divino poſitivo nititur. Deus enim *Deuter. cap.* 16. diſerte præcipit: *Non accipies* (in judicando) *perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*; quæ ratio affertur etiam Eccli. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos judicum.* Unde hæc obligatio in ipſo quoque naturali jure fundamentum habet. Eadem lex a jure poſitivo humano ob eamdem rationem communiter præſcripta eſt. Quare Clerus Gallicanus anno 1700. inter alias hanc proſcripſit Caſuiſtarum propoſitionem: *Poſſunt Judices accipere munera a litigantibus; nec tenentur reſtituere, quæ acceperint ad pronunciandum ſententiam.* Alia pro eadem obligatione adſtruenda momenta prætermitto: ſolumque adjicio authoritatem S. Thomæ quæ habetur 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *ad* 3.

XIII. Sibi objecerat S. Thomas ad probandum, Advocato non licere pro ſuo patrocinio pecuniam accipere, hoc argumentum: „ Sicut ad judicium „ concurrit perſona advocati, ita etiam perſona „ Judicis, & perſona teſtis. Sed ſecundum Au„ guſtinum ad Maced. *non debet Judex vendere ju„ ſtum judicium, nec teſtis verum teſtimonium.* Er„ go nec Advocatus vendere juſtum patroci„ nium ". Quid huic argumento reſpondet Sanctus Thomas? Ecce.

Ad tertium dicendum, quod Judex, & teſtis communes ſunt utrique parti: quia Judex tenetur juſtam ſententiam dare, & teſtis verum teſtimonium dicere. Juſtitia autem & veritas non declinant in unam partem magis, quam in aliam. Et ideo Judicibus de publico ſunt ſtipendia laboris ſtatuta: & teſtes accipiunt non quaſi pretium teſtimonii, ſed quaſi ſtipendium laboris, expenſas vel ab utraque parte, vel ab ea, a qua inducuntur: quia nemo militat ſtipendiis ſuis unquam, ut dicitur 1. *ad Corinth.* 9. *Sed Advocatus alteram partem tantum defendit: & ideo licite poteſt pretium accipere a parte, quam adjuvat.*

Ex hoc reſponſo habes primo, ſententiam eſſe tum S. Auguſtini, tum S. Thomæ, Judicem munera recipere non poſſe pro ſuo officio exercendo; quorum authoritas centum mille Caſuiſtis prævalere debet.

Habes ſecundo, fundamentum utriuſque S. Doctoris eſſe: quia *Judex tenetur juſtam ſententiam dare; &*, ut ait Auguſtinus, *non debet vendere juſtum judicium*, præſertim cum Judicibus jam ſint de publico ſtipendia laboris conſtituta.

Habes tertio, juxta eoſdem Sanctos Doctores nec teſtes poſſe quidpiam accipere pro vero teſtimonio reddendo. Quod ſi aliquid quandoque accipiant, hoc *non eſt pretium teſtimonii, ſed quaſi ſtipendium laboris;* quia *nemo militat ſtipendiis ſuis.*

XIV. Peccat igitur Judex, quoties vel munera, aut aliud quidpiam pretio æſtimabile recipit, vel ut ſententiam ferat, vel ut alicui pretium faveat, vel ut crimina impunita relinquat.

Peccant etiam graviter Judices, ſive ſuperiorum Curiarum ſint, ſive inferiorum, qui a Magnatibus penſiones, reditusve recipiunt; tum quia ab edictis Principum hoc prohibetur: tum quia eæ penſiones hoc fine a Magnatibus, ac divitibus conferri ſolent, ut, dum caſus occurrerit, ſuis partibus faveant. Et aliunde pro labore ſuo ſatis a Republica proviſum ſit.

Rei quoque gravis peccati ſunt Judices, qui pro commiſſo aliquo delicto compoſitionem ex arbitrio faciunt, ſive a puniendo delicto deſiſtunt, modo vel ipſis, vel parti civili pecunia aliqua impendatur: tum quia pecuniam accipiunt pro non reddenda juſtitia, quam juxta leges reddere tenentur: tum quia in cauſa ſunt, quod crimina debitis pœnis non puniantur.

Lethalis item peccati rei ſunt Judices, qui fallaciis quibuſdam, quas prava conſuetudo, aut lucri cupiditas invexit, utuntur, ut protrahant lites de die in diem, quibus litigantes expenſis pluribus exponunt, quæ in ipſorum utilitatem referuntur; ita ut quamvis munera non recipiant, ſaltem utilitatem inde reportent, quæ muneribus æquipollet. Hinc enim qui juſtas cauſas tuentur, litigare vix audent; & qui contra cauſam iniquam proſequuntur, lites intentant: quæ manifeſta judiciorum perverſio eſt; atque hoc abuſu fit, ut forum juſtitiæ evadat iniquitatis aſylum.

§. II.

Laxæ plurium Caſuiſtarum opiniones circa Judicum obligationes promuntur, ac reprobantur.

XV. Sanis, quas poſuimus ex S. Thoma, melioribuſque Theologis, doctrinis ex adverſo opponuntur plurimorum Caſuiſtarum opiniones, quas in medium promere juvat, non ut eas multis refute-

futemus, ſed ut potius abominemur, licet illi Probabiliſmi præſidio munitas tamquam *probabiles*, adeoque *licitas* defendere pertentent.

Prodeat primum Buſembaum, cujus ſententiam præſertim affero, ut quiſque videat laudari Sanctum Thomam etiam citato loco pro ſententia, quam ipſe non docuit. Sic igitur ſcribit ille lib. 4. cap. 3. dub. 2. art. 1. *Judex carens neceſſaria ſcientia non debet abſolvi, niſi facta renunciatione officii, vel niſi firmum habeat propoſitum renunciandi. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 66. artic. 2.* In primis D. Thomas nec loco a Buſembaum citato, nec *quæſt. 67.*, ubi de Judice agit, quidquam habet quoad rem præſentem. Deinde nec exacta Buſembaum reſolutio eſt. Nam Judex *carens ſcientia neceſſaria*, aut etiam *ſufficienti*, ut abſolutione dignus ſit, primo quidem reparare tenetur damna, quæ ex inſcitia ſua in proximum derivata ſunt: quoniam inſcitia eorum, quæ ad proprium officium pertinent, culpæ ſuæ vertitur. Tertio, ipſo Lacroixio ejus Commentatore fatente, Judex non habens ſcientiam ſufficientem *peccat* officium *petendo*, *admittendo*, *retinendo*, *& quoties cum tali ignorantia operatur: quia tenentur omnes ſcire caſus ordinarios in officio ſuo occurrentes*: adeoque ſatis non eſt *firmum propoſitum* renunciandi impoſterum officio, ſed neceſſe eſt, ut illud e veſtigio relinquat; nec abſolvi debet, niſi illud reapſe deſeruerit (quod tutius eſt), vel ſaltem habeat firmum propoſitum illud deſerendi ſtatim ab ipſa Confeſſione. Neque enim unico die, vel momento ſcientiam ſufficientem ſibi comparare valet.

2. Improbandum quoque eſt, quod ſubinde docet idem Buſembaum, nimirum: *Si Judex ex magna imperitia male judicet, tenetur ad intereſſe partis læſæ, & ad expenſas litis.* Quamquam enim non requiratur in Judice *ſcientia eminens*, qua de extraordinariis quibuſque, & implicatis caſibus judicare valeat; *ſufficienti* tamen peritia præditus ſit oportet, qua ſcilicet obvias, & ordinarias lites juxta leges dirimere, ac de extraordinariis, & arduis dubitare poſſit, ut peritiores conſulat. Quare nedum *magna*, ut Buſembaum aſſerit, *imperitia*, ſed ſufficientis peritiæ defectus, qui ipſi culpæ vertitur, obnoxium Judicem reddit ad damnorum reparationem, quæ inde ſubſequuta ſunt. Sed ad graviora progrediamur.

XVI. 3. Antequam alias laxas opiniones referamus, recolenda eſt, & ante oculos habenda propoſitio ab Eccleſia damnata in Decreto Innocentii XI. n. 2., nempe: *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem.* Qua poſita quid Buſembaum docere pergat *art.* 4. audiamus: „ Si ſententia aliqua communiter ſit „ accepta in tribunali ſuperiore, Judex inferior „ videtur ſecundum eam poſſe judicare, licet „ minus probabilem: quia videt (*N. B.*) probabiliorem cum honoris ſui præjudicio revocandam in ſuperiore tribunali ". Pro qua laudat etiam Sylv., Vaſq., & C. de Lugo. Hanc porro opinionem in propoſitione damnata contineri dicendum omnino eſt. Si namque damnatum fuit, Judicem judicare poſſe *juxta opinionem minus probabilem*; damnatum pariter eſt, quod affirmat Buſembaum, ſcilicet *Judicem inferiorem* poſſe judicare juxta opinionem, quam ipſe cenſet eſſe *minus probabilem*: quia veri nominis Judex eſt; præſertim cum ratio a Buſembaum adducta, ut mitius loquar, nimium humana ſit: neque enim in hoc rationem habere debet *præjudicii honoris ſui, ſi in tribunali ſuperiore revocetur*; ſed ſequi propriæ conſcientiæ dictamen, quoties illud cum fundamento rationabili deponere nequeat.

XVII. 4. P. Valentia unus ex quatuor inſignioribus S. J. Theologis *in* 2. 2. D. Thomæ *Diſp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. ita ſcribit: *Si Judex reputaret utramque ſententiam eſſe probabilem, licite poteſt propter amicum ſecundum illam judicare, quæ amico magis favet.* Ipſe P. Tamburinus ex laxioribus, ſi quiſquam alius, Theologis exiſtimat in hoc caſu juxta legem naturalem rem, de qua litigatur, æque dividendam inter duos litigantes, quam ſententiam tenet ut *certam*, & *efficaci ratione* fultam, quamquam poſtea vi Probabiliſtici ſyſtematis oppoſitam credat eſſe *probabilem*, atque adeo licitam *propter authoritatem bonorum Doctorum*, ut deinde dicemus.

XVIII. 5. P. Dicaſtillus primæ claſſis inter Probabiliſtas Theologus *Lib.* 2. *Tract.* 1. *Diſp.* 10. *dub.* 9. ultra progreditur; aitque: *Licet Judici ſequi opinionem minus probabilem, dummodo vere probabilis ſit, relicta probabiliore, & ſecundum illam adjudicare amico, vel conſanguineo.* Laudatque pro hac opinione *P. Salas*, *& pleroſque*, quos indicat. Et reapſe P. Salas cum P. Fagundez *Tract.* 8. *Diſput.* 7. *ſect.* 12. eamdem ſententiam tradit, expreſſe dicens: *Judex tam ſupremus, quam inferior, cæteris paribus ex parte facti poteſt judicare ſecundum opinionem probabilem ex parte juris, relicta probabiliore: ac proinde ferre ſententiam pro ea parte, cui minus probabiliter favent jura, leges, & rationes.* Horum doctrinam eamdem prorſus eſſe, ac ab Eccleſia proſcriptam, & anathemate confixam, quis non intelligit?

In eadem pariter ſententia eſt celebris P. Eſcobarius, qui *in Exam.* 3. *cap.* 6. ſuæ Summæ, poſtquam docuit in concurſu duarum opinionum neminem ſequi teneri opinionem probabiliorem, atque tutiorem, hocce conſectarium colligit; ſcilicet: *Infero, poſſe judicem ſecundum opinionem probabilem judicare.* Id luculentius exprimit in magno ſuæ Theologiæ corpore T. 1. *lib.* 2. *ſect.* 2. uno ex amœnis ſuis problematibus, nempe: *Judex reputans unam ſententiam eſſe probabiliorem, debet, & non debet juxta illam judicare.* Quod perinde eſt, ac aſſerere, cum in hac quæſtione diverſæ ſint inter Authores opiniones, liberum cuicumque Judici eſſe, ſequi quam maluerit, licet minus probabilem, quin culpam incurrat coram Deo.

XIX. 6. Quid vero de quæſtione hac opinatur Theologorum Probabiliſtarum Princeps P. Thomas Sanchez? Is primum, ſi generatim loquamur, cum Eſcobario conſentit: probabiliorem tamen exiſtimat ſententiam oppoſitam. Hoc tamen *probabilius* ſtatim coarctat laxis duabus limitationibus, Scriptorum illuſtrium authoritate munitis:

aitque: „ Quod bene temperat Vaſquez eo cap. „ 2. n. 6. niſi Judex inferior eſſet, & opinio, „ quam minus probabilem judicat, eſſet magis „ praxi recepta; & crederet fore, ut minus prudens a Judice ſuperiori, ad quem appellatur, „ notaretur, ejuſque ſententia revocaretur, ſi lata eſſet juxta ſententiam, quam probabiliorem „ exiſtimat. Tunc enim poteſt ſententiam minus „ probabilem ſequi: quod cum tanta ſui honoris „ jactura, & tam modico fructu munus ſuum obire minime teneatur “. *L.* 1. *c.* 9. *n.* 47. Quæ ratio, ac ſententia eadem prorſus eſt, ac illa, quam ex Buſembaum produximus.

Altera P. Sanchez laxa limitatio, quam amplectuntur etiam Filliucius, ac Valentia adverſus Bannez, eſt hujuſmodi: „ Quando utraque opinio „ eſt æque probabilis, quamvis Bannez non ſine „ optimo fundamento cenſeat, non dari Judici electionem, ſed teneri vel litigantes componere, „ vel dividere rem inter ipſos ..... At verius eſt „ integrum eſſe judici, quam maluerit, opinionem eligere, & ſecundum eam judicare: immo „ ceſſante ſcandalo, nunc ſecundum hanc, nunc „ ſecundum aliam “. Quis ab hac laxiſſima limitatione non minus, quam a tota doctrina non abhorreat? Aut quis non execretur Probabiliſmum, cui illa innititur, & a quo etiam ſequens non minus corrupta ſententia derivatur?

XX. 7. Hæc in eo conſiſtit, quod Judex ſententiam ſuam, qua pronunciat in favorem alicujus probabilem cauſam tuentis adverſus alium, cujus cauſa probabilis ſit, aut etiam probabilior, *vendere licite valeat*. Quæſtionem hanc ita ſerio proponit P. Thomas Tamburinus *Lib.* 8. *in Decal. Tract.* 3. *c.* 7. §. 3. *n.* 13. præfigitque quæſtioni hunc titulum: *Venditio ſententiæ probabilis;* & quærit, *licitene*, & *juſte Judex accipiet pecuniam*, *ut potius illam eligat*, *quæ mihi favet*, *quam illam*, *quæ meo adverſario?* Equidem prius quæſito negative reſpondet. Sed deinde ſe referens ad ea, quæ dixerat *Lib.* 1. *cap.* 3. eam *probabilem*, & *licitam* judicat, inquiens: *Propter extrinſecam bonorum Doctorum auctoritatem aſſerentium*, *in hoc caſu poſſe Judicem pro ſuo amico*, *ſi maluerit*, *ſententiam pronunciare*, *potes id ut probabile*, *ſi velis*, *amplecti*. Quam ſententiam legendam remittit apud Leſſium, Valentiam, Salonium &c.

8. Cæteris omiſſis, qui vendendam proponunt pretioſam hanc mercem *ſententiæ probabilis*, eam accipe ex P. Leſſio L. 2. c. 14. d. 9. *cujus doctrina*, ſi Cardenam audimus, *nulla ſecurior*, & *verior inter Theologos*, *qui a tercentum annis ſcripſerunt*. *Nam ita ſolide*, & *rationabiliter diſcurrit*, *ut in omnibus videatur fere moralem evidentiam facere*. Videamus itaque, quænam ſit in hac materia ejus doctrinæ *ſoliditas*, *veritas*, *ac fere moralis evidentia*. Laudato loco confirmat ille prædictam falſam, laxam, & abſurdam ſententiam pluribus rationibus, quorum una hæc eſt: „ Quia non tenetur ad alteram (*ex litigantium* „ *opinionibus*) determinate; ſed liberum ei eſt ſequi, quam maluerit. Ergo, ſi aliquid accipiat, ut hanc ſequatur potius, quam illam, „ non facit illi injuriam. Quia cum res non eſt „ debita, non eſt contra juſtitiam (ſi ſolum jus „ naturæ ſpectemus) exigere pro ea pretium “. Num *ſolida*, num *vera*, num *moraliter evidens* eſt iſtæc doctrina, ac principium, ex quo illam deducit? Si Judex poſita æqualitate rationum ſequi poteſt potius unam partem, quam aliam, ut putat ille; nonne jure naturali obſtringitur, ne indebite præjudicium inferat uni parti, quæ propter æqualia fundamenta gaudet æquali jure, quo altera potitur? Componat ergo inter ſe litigantes, aut rem æque pro juris æqualitate dividat, ut docent Bannez, & alii. Hæc plane ſententia *ſolida* eſt, *vera*, & *evidentior*, *ſpectato* etiam *ſolo jure naturæ*; cui itidem repugnat, quod pretium recipiat pro ſententia pronuncianda.

XXI. 9. Hæc tamen opinio laxa, & abſurda, juxta Eſcobarium *Tract.* 3. *Exam.* 2. *c.* 3. adeo communis eſt, ut eam aſſerat eſſe *praxim ex Societatis Jeſu Doctoribus;* eamque ita ille proponit, ac defendit. „ Suppono cauſam eſſe æqualem; poteſtne aliquid Judex accipere? Docet Fagundez „ &c. aliquid accipi poſſe non ſolum ab Electoribus ad Majoratum, Cathedram, Capellam, „ ſed etiam a Judice, quando (ut ſupponis) ſententiam profert in cauſa æquali, ſecluſa lege „ poſitiva in contrarium. Quia pro ſuo arbitratu poteſt cuilibet parti dare victoriam. Quare „ datur locus gratificationi, quæ eſt pretio æſtimabilis, utpote quæ plerumque cum jactura amicitiæ, & gratiæ alterius conjuncta eſt “.

XXII. 10. Abſonæ hujuſmodi, & depravatæ Moralis fructus, opiniones, quæ nedum in divino tribunali, ſed nec in ullo humano probantur, non ab uno, ut liquet, vel altero Caſuiſta docentur, ſed ab omni ferme Probabiliſtarum caterva; adeo ut *Caſuiſtarum* Apologiſta P. Pirotus ingenue fateatur, talem eſſe ipſorum doctrinam „ Caſuiſtæ (verba ejus gallica latine reddo), inquit, „ *pag.* 97. *Edit. Pariſ.* defendunt, Judices accipere poſſe munera, niſi id forte lex aliqua „ particularis vetet, quoties a litigantibus partibus iiſdem tribuuntur aut avaritiæ titulo, „ aut recognitionis prolatæ ſententiæ; aut, ut „ eos inducant ad cauſæ ſuæ curam peculiarem, „ aut ad celeriorem cauſæ expeditionem; aut demum ut eos adverſariæ parti præponant, & in „ eorumdem favorem ſententiam pronuncient “. Si hoc prodere juſtitiam non eſt; quidnam, amabo, erit?

11. Equidem Caſuiſtæ hoc frequentius decernunt: *Si nulla lex humana vetet*. At numquid, hac lege extante, tenebuntur Judices a recipiendis muneribus abſtinere? Minime gentium juxta P. Tamburinum *lib.* 9. *in Decal. cap.* 2. §. 1. *n.* 4. hac decretoria aſſertione Probabiliſmo innixa: *Dico ſecundo*, *Judices ſæculares non peccare*, *ſaltem mortaliter*, *ex ſolo capite*, *quod adverſus has leges ſæculares operantur*. *Ratio eſt: quia probabiliter cenſent Navar. Covarruv. Val. aliique apud Caſtropalaum &c. leges ſæculares*, *ſaltem de facto*, *ad mortale nequaquam obſtringere*, *niſi id expreſſe declarent*; quod nunquam faciunt. Quæ enim lex civilis eſt, quæ, dum aliquid præcipit, aut vetat, *declaret expreſſe*, ſe obligare velle *ſub peccato mortali?*

XXIII.

XXIII. Ultra provehuntur Caſuiſtæ, nec ſolum permittunt Judici munera recipere pro ferenda ſententia in favorem partis, æquale jus in rem aliquam habentis, ac contraria; ſed etiam pro danda *injuſta* ſententia, adeo ut ad reſtitutionem minime teneatur, ita teſtante Caſuiſtarum nomine ipſorum Apologiſta p. 123. *Verum eſt*, inquit, *Judicem non teneri ad reſtituendum ea, quæ recepit pro injuſta ſententia pronuncianda in alicujus favorem. P. Leſſius bonis rationibus utitur, ut hoc tueatur adverſus Cajetanum oppoſitum defendentem, quas refellere oportet, antequam ad reſtitutionem Judice obligetur.* Ego quidem nec referam, nec refellam Leſſii rationes, quas ad hanc monſtroſam opinionem adſtruendam adhibet, quæ ſolo aſpectu ſuo horrorem ingerit. Sed textum ipſius unice proferam, qui legitur *lib.* 2. *de Juſt. dub.* 8. *c.* 24. his verbis expreſſum. „ Notandum tamen eſt, Covar. & Cajet. excipere id, quod acceptum eſt a Judice, ut iniquam ſententiam ferat: hoc enim putant jure naturæ eſſe reſtituendum; quia injuſta ſententia eſt perverſio judicii, non eſt res vendibilis. Sed hæc ratio non eſt firma: nulla enim eſt cauſa, cur magis debeat jure naturæ reſtitui, quod acceptum eſt pro iniqua ſententia, quam pro iniqua occiſione " (quaſi jus idem naturæ non obligaret ad illud quoque reſtituendum, quod *pro iniqua occiſione* acceptum eſt). Additque Leſſius: „ Dico ſecundo: verius etiam videtur neque jure poſitivo id neceſſario reſtituendum &c. Idem docent Molina, Reginald. " Quare Judex ex omni parte ſecurus omnino eſt, ſi ea non reſtituat, quæ pro *iniqua* ſententia ferenda recepit.

Talem eſſe Probabiliſtarum de re hac opinionem, nedum P. Pirot Caſuiſtarum Apologiſta, verum etiam P. Honoratus Fabri *Apologiſta Societatis*, haud ægre conſentit; eamque ulterius confirmat authoritate Azorii, Turriani, Tamburini, Dicaſtilli, Laymani, ac Buſembaum, quibus addere fas eſt ex his, qui paucis abhinc annis ſcripſere, nempe anno 1750. P. Franciſcum Xaverium Fagelli, qui *p.* 3. *cap.* 22. *Quæſtionum practicarum de munere Confeſſarii* docet, *nullam contrahere reſtituendi obligationem*, qui munera, aut aliud accepit *pro ferenda illicita ſententia*.

§. III.

Peculiariæ quædam de Judicis obligatione in cauſis criminalibus.

XXIV. Expoſitis, quæ dotes Judicis ſpectant, prolatiſque circa illas plurium Caſuiſtarum falſis, laxiſque opinationibus, reliquum eſt, ut quæ de Judice dicenda ſuperſunt, *in cauſis criminalibus* perſequamur. Hoc argumentum verſat Doctor Angelicus *art.* 2. & 3. hujus *quæſt.* 67. 2. 2. Et primum quidem decernit, Judici non licere de aliquo delicto judicare, niſi ſecundum veritatem, quam novit in judicio juxta leges peracto. Hoc autem probat in primis authoritate Sancti Ambroſii dicentis in Pſal. 118. *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges, & jura pronunciat.* Deinde id *in corpore* luculentius exponit, & ait: „ Judicare pertinet ad Judicem, ſecundum quod fungitur publica poteſtate. Et ideo informari debet in judicando non ſecundum id, quod ipſe novit tamquam perſona privata, ſed ſecundum quod ſibi innoteſcit *tanquam perſona publica*. Hoc autem innoteſcit ſibi & in communi, & in particulari. In communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia hujuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in judicando magis, quam id, quod ipſe novit tamquam privata perſona; ex quo tamen de hoc adjuvari poteſt, ut diſtrictius diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum defectum inveſtigare. Quod ſi eas non poſſit de jure repellere, debet, ſicut dictum eſt, eas in judicando ſequi ".

Ex his manifeſtum eſt, Judicem de aliquo crimine ſententiam pronunciare debere, non ſecundum quod ipſe noverit, ut privata quædam perſona eſt, ſive ſecundum privatam, quam habet ipſe notitiam; ſed ſecundum quod ipſe novit, ut eſt perſona publica, hoc eſt *in communi* quidem juxta leges publicas *ſive divinas, ſive humanas: in particulari* autem *facto* juxta ea, quæ ſibi innoteſcunt *per inſtrumenta, per teſtes*, & alia hujuſmodi legitima documenta. Ex cognitionibus vero, quas habet ut perſona privata, adjuvari ſolum poſſe, ut probationes, quæ contra afferuntur, diſtrictius diſcutiat ex omni parte, ut defectum earum internoſcere tandem valeat, ac liberare innocentem. Juxta quam reſolutionem argumentis, quæ ſibi objecerat, reſpondet; ac inter alia argumento, quod efficax videtur, deducto ex eo, quod Judex quidpiam agere nequeat contra propriam conſcientiam ipſi dictantem, innocentem eſſe, qui reus probatur, atque convincitur. Reſpondet enim: „ Quod homo in his, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet informare conſcientiam ſuam ex propria ſcientia: ſed in his, quæ pertinent ad publicam poteſtatem, debet informare conſcientiam ſuam ſecundum ea, quæ in publico judicio ſciri poſſunt &c. " Atque huic ſententiæ ſemper conſtanter inhæſit S. Doctor tum hic, tum *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. tum *quodl.* 5. *art.* 15.

XXV. Ex hujus articuli S. Thomæ doctrina aliqua colligenda ſunt. Ac primo quidem: quoties agitur de aliquo crimine, ut Judex juxta juris formam judicium exerceat, præcedere debet vel accuſatio, vel denunciatio, vel inquiſitio, vel publica infamia, quibus ſufficiens probatio, ſaltem ſemiplena, habeatur ad procedendum contra reum. Neque enim contra crimen occultum ulla Judex authoritate gaudet, cum ſit publica perſona, cujus non eſt occulta ſcrutari, ſed publica duntaxat punire. Unde Judex nequit quidquam agere contra reum ex vi notitiæ, ut inquiunt, *extrajudicialis*; cujuſmodi eſſet confeſſio facta Judici extra judicium aut ſponte, aut inadvertenter ex linguæ lapſu, aut ex apertione litterarum, quas reus vel amico, vel procuratori, vel advocato ſuo ſcriberet.

Colligitur ſecundo: ſi de crimine agatur non commiſſo, ſed committendo, Judex etiam ſine prævia accuſatione, aut inquiſitione, aut denunciatione crimen illud impedire poteſt, ac tenetur. Ex ſuo quippe officio poteſtate fungitur impediendi quodcumque crimen, quod in præjudicium Reipublicæ vergeret, præſertim ſi ſit Judex ſupremus. Sic Prælati poſſunt inquirere, imo tenentur de perſona etiam non diffamata, ut præcaveant, ex. gr. ne ad aliquod Eccleſiæ officium eligantur indigni, ut habetur C. *Cum in multis*. Sic pariter inquirere poſſunt circa impedimenta Matrimonii, cum timetur, ne matrimonium vel invalide, vel illegitime contrahatur.

Ex eo, quod Judex utpote perſona publica *ſecundum ſcientiam publicam* judicare debeat, ſive *juxta allegata*, & *probata*; colligitur tertio, peccare judicem, qui vel accuſatores legitime procedentes repellit, vel illegitime procedentes admittit. Siquidem cum in omnibus, tum præcipue in judicio, in quo agitur vel de fama, vel de vita proximi, ita ſe gerere damnabile eſt. Unde nec divitis accuſatio legitima contra pauperem miſericordiæ prætextu repellenda eſt; nec pauperis contra divitem accuſatio item legitima rejicienda ob illius honorem, vel dignitatem, qua excideret. Hæc enim acceptio perſonarum foret: quoniam, ut jam alibi diximus, ex S. Thoma tum in Summa, tum lect. 2. ſuper cap. 2. Epiſt. ad Galat. *Nihil eſt aliud proprie accipere perſonam, quam conſiderare conditionem perſonæ nihil facientem ad negotium*.

Colligitur quarto, peccare etiam Judicem, qui vel teſtes ſubleſtæ fidei audit, vel ingenuos, aut veraces rejicit, ut alteri partium faveat. Judex namque veluti mediator eſt inter eos, qui judicantur. Sicut ergo medium ſe habet æqualiter ad utrumque extremum; ita affectus Judicis in neutram partem propendere debet; &, cum Dei miniſter ſit, oportet, ut veluti Deus in judicando quacumque ſit paſſione ſolutus. Debet igitur teſtium dicta diligenti, ac circumſpecto examine ponderare: debet teſtium dolum, aut fallaciam perquirere, ut præſtitit Daniel confundens falſos teſtes, Suſannam accuſantes propriis ipſorum depoſitionibus.

Colligitur quinto, peccatum pariter incurrere Judicem, qui adverſus reum vel damnandum, vel abſolvendum aut ſufficientes probationes non admittit, aut exigit plures, quam oporteat, probationes. Sic enim ab eo requirit officium Judicis, quod exercet. Quapropter ſi juxta allegata, & probata innocens appareat, qui reapſe reus eſt criminis, de quo accuſatur, confeſtim eſt abſolvendus; præſertim ſi nullum impendeat Reipublicæ detrimentum. Si e contra, qui revera eſt innocens, ſecundum allegata, & probata reus appareat, licet privata ſcientia Judex ejus innocentiam noverit, tunc equidem totis viribus eniti debet, ut liberetur vel clam aperiendo carcerem, vel protrahendo judicium, vel timorem incutiendo accuſatori, falſiſque teſtibus, vel demum decedendo ab officio Judicis, & injuſte accuſatum ad alium Judicem remittendo.

Quod ſi nihil horum præſtare poſſit, aut his mediis adhibitis innocentem ab infamia, vel ſupplicio liberare, in ipſum ſententiam *juxta allegata*, & *probata* pronunciare poterit ſine peccato, ut docet D. Thomas. Non me quidem latet, plures eſſe Theologos, qui ſententiam hanc Sancti Doctoris nedum improbant, ſed etiam carpunt. At ſi ſedulo attenderent ejus verba, quibus notat, Judicem, qui aliquem novit ex privata ſcientia innocentem, *ex ea poſſe adjuvari, ut diſtrictius diſcutiat inductas probationes*, aliaque adducta media adhibeat ad eum liberandum; arbitror ſane, quod adverſus illam nequaquam inſurgerent. Perſuaſum quippe haberent, iis omnibus præmiſſis, caſum evadere metaphyſicum; & vix, ac ne vix quidem in praxi poſſe contingere, ut Judex ad innocentem damnandum cogatur. Et alias ratio, quam affert ad hunc metaphyſicum caſum adſtruendum, adeo efficax mihi videtur, omnibuſque videri debet, ut exiſtimem Reipublicæ intereſſe plurimum de hac controverſia ita ſentire.

CAPUT SEXTUM.

De Accuſatoris obligationibus.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Obligatur homo alium accuſare, quoties agitur de crimine vergente in Reipublicæ, aut Communitatis detrimentum. S. Thomæ doctrina.*
II. *Quid ex hac doctrina colligatur.*
III. *Quædam ex reſponſionibus adhibitis a Sancto Thoma ad argumenta merito obſervata, quibus aliquæ difficultates expediuntur.*
IV. *Scripto fieri accuſatio debet, non divino quidem jure, ſed humano; idque ſaltem Notarii manu.*
V. *Tribus modis peccatur in accuſando, ſicut etiam in denunciando.* Calumnia *ſcilicet*, prævaricatione, & tergiverſatione. *Hoc exponitur ex D. Thomæ doctrina.*
VI. *Ex reſponſis ad argumenta hæc doctrina amplius illuſtratur.*
VII. *Ordinate, & abſque ullo vitio* tergiverſatio *in accuſatione fieri poteſt ex duplici capite.*
VIII. *Accuſator injuſtus in probatione deficiens ad pœnam talionis tenetur ex jure humano antiquo.*
IX. *Quod tamen in deſuetudinem abiiſſe videtur.*

Conſequens illud eſt, ut aliqua etiam ſtatuamus circa obligationes Accuſatoris, ac Rei, quemadmodum & Advocati: de quibus agit Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 68. & ſequentibus. Ac primo quidem *de Accuſatore*.

I. Quæſtionem de argumento *Accuſatoris* in quatuor articulos tribuit Angelicus Doctor, in quorum primo inquirit; *Num homo ad accuſandum teneatur?* Et, adducta ſententia Levitici cap. 5. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam;* ſic inde eleganter perſequitur: „ Hæc eſt differentia inter *denunciationem*, & *accuſationem*; „ quia

„ quia in denunciatione attenditur emendatio fratris: in accuſatione autem attenditur punitio „ criminis. Pœnæ autem præſentis vitæ, non „ per ſe expetuntur, quia non eſt hic ultimum „ retributionis tempus; ſed in quantum ſunt medicinales, conferentes vel ad emendationem perſonæ peccantis, vel ad bonum Reipublicæ, cujus quies procuratur per punitionem peccantium; quorum primum intenditur in *denunciatione*: ſecundum autem proprie pertinet ad *accuſationem* “.

„ Et ideo ſi crimen fuerit tale, quod vergat in „ detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare: quod pertinet ad officium *accuſatoris*; puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem. „ Si autem non fuerit tale peccatum, quod in „ multitudinem redundet: vel etiam, ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandam accuſationem; quia ad „ hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere “.

II. Ex his colliges primo, in eo differre *denunciationem* ab *accuſatione*, quod illa ordinetur ad emendationem fratris, ſive proximi ſui, quæ in ea dumtaxat attenditur: in iſta vero, ſcilicet in *accuſatione*, attendatur criminis punitio relate ad bonum Reipublicæ, cujus tranquillitati conſulitur, cum delinquentes pœna, quam merentur, puniuntur.

Colligas ſecundo, teneri hominem ad alium accuſandum Judici, quoties crimen ab illo commiſſum hujuſmodi ſit, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, aut Communitatis. Siquidem unuſquiſque tenetur malum corporale, aut ſpirituale, quantum poteſt, avertere a corpore, cujus eſt membrum. Quod ſi crimen in præjudicium Communitatis non vergat, abſtinere debet tum ab accuſatione, tum etiam a denunciatione, ſolaque uti fraterna correctione, ut alibi dicemus.

Colligas tertio, duobus ex capitibus excuſari quempiam ab obligatione *accuſandi*; ſi nempe vel delictum ab alio commiſſum in *multitudinem*, aut Communitatem non redundet: vel etiam dum ſufficientem probationem adhibere nequit; ſive ſi delictum, quod patratum eſt, ſatis coram Judice probare non poſſit: nemo quippe tenetur ad illud, *quod non poteſt debito modo perficere*. Hoc tamen in caſu ad avertendum commune malum, quod fortaſſis impendeat, ſi *juridica denunciatio* ſufficiat, eam negligere minime poſſumus.

III. Quæ tradit S. præceptor in reſponſ. ad primum, & ſecundum objectum, quod ſibi propoſuerat, doctrinam continent non omnino prætereundam. Sibi objecerat primo loco, *neminem excuſari ab impletione divini præcepti; quia ex ſuo peccato commodum reportaret*. Porro aliqui ſunt, qui propter peccatum inhabiles ad accuſandum redduntur, ſicut excommunicati, infames, & illi, qui ſunt de majoribus criminibus accuſati, antequam innoxii demonſtrentur. Igitur &c.

Ad hoc autem argumentum ita reſpondet, „ Quod „ nihil prohibet, per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea, quæ homines facere tenentur; „ ſicut ad merendum vitam æternam, & ad aſſumendum Eccleſiaſtica Sacramenta. Nec tamen „ ex hoc homo reportat commodum: quin immo deficere ab eis, quæ tenetur facere, eſt „ graviſſima pœna; quia virtuoſi actus ſunt „ quædam hominis perfectiones “. His addendum puto, quoſdam alios eſſe, qui ab accuſando excluduntur aut propter ſtatum perſonæ, ut filiusfamilias, aut ſervus: aut propter ſexum, vel ætatem, ut mulier, aut pupillus: aut propter aliud, quemadmodum habetur l. 48. ff. tit. *de Accuſat.* Omnes tamen idonei ſunt ad denunciandum, ac etiam ad accuſandum, ſi ſuam, ſuorumque injuriam perſequantur: imo, a quocumque querela porrigatur, Judices ex conſuetudine illam admittere ſolent.

Objectio altera in eo ſita erat, quod *omne debitum ex charitate dependet, quæ eſt finis præcepti*: adeoque *illud, quod eſt charitatis, homo debet omnibus majoribus, & minoribus, ſubditis, & Prælatis. Cum ergo ſubditi non debeant Prælatos accuſare, nec minores ſuos majores, ut per plura capita probatur 2. quæſt. 7. videtur, quod nullus ex debito teneatur accuſare.*

Appoſita eſt, quam præbet S. Doctor huic objecto, reſponſio; nimirum inquit: „ Quod ſubditi Prælatos ſuos accuſare prohibentur, qui non „ affectione charitatis, ſed ſua pravitate, vitam „ eorum diffamare, & reprehendere quærunt. „ Vel etiam ſi ſubditi accuſare volentes fuerint „ criminoſi, ut habetur 2. q. 7. (cap. *Clericus*, „ & ſeq.). Alioquin ſi fuerint alias idonei ad „ accuſandum, licet ſubditis ex charitate ſuos „ Prælatos accuſare “.

IV. Conſtituit ſubinde Doctor Angelicus *art.* 2. laud. quæſt. illud, quod formam ſpectat accuſandi; eamque ſcripto fieri oportere docet, non quia id divino jure præſcribatur, ſed quia jure humano ita ſtatutum eſt: idque *rationabiliter* factum eſſe probat; „ Quia, quando in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator „ conſtituitur pars: ita quod Judex inter accuſatorem, & eum, qui accuſatur, medius conſtituitur ad examen juſtitiæ, in quo oportet, „ quantum poſſibile eſt, ſecundum certitudinem „ procedere. Quia vero ea, quæ verbo tenus „ dicuntur, facile labuntur a memoria, non poſſet Judici eſſe certum, quid, & qualiter dictum ſit, cum debet proferre ſententiam, niſi „ eſſet in ſcriptis redactum. Et ideo rationabiliter inſtitutum eſt, ut accuſatio, & ea, quæ „ in judicio aguntur, redigantur in ſcriptis “. Et in hoc præter alia denunciatio ab accuſatione diſtinguitur, quod non oporteat, illam in ſcriptis eſſe redactam. *Nam denunciator non obligat ſe ad probandum: unde nec punitur, ſi probare nequiverit. Et propter hoc in denunciatione non eſt neceſſaria ſcriptura; ſed ſufficit, ſi aliquis verbo denunciet Eccleſiæ, quæ ex officio ſuo procedet ad fratris emendationem.* Illud ſolum adnoto opus non eſſe, ut accuſatio ſcripto commendetur ab ipſo accuſatore. Satis namque eſt, atque ita fert frequentior uſus, ut in ſcriptis

a Notario excipiatur, quidquid præſens accuſator attulerit.

V. Peccari ſæpe in *accuſando*, ſicut & in *denunciando*, contingit modis pluribus, quibus injuſta accuſatio redditur; *calumnia* ſcilicet, *prævaricatione*, & *tergiverſatione*. Hoc declarat Sanctus Thomas *art.* 3. ejuſd. quæſt. inquiens: „ Sicut „ dictum eſt, accuſatio ordinatur ad bonum com- „ mune, quod intenditur per cognitionem crimi- „ nis. Nullus autem debet nocere alicui injuſte, „ ut bonum commune promoveat. Et ideo in „ accuſatione *duplici ratione* contingit eſſe *pecca-* „ *tum*. *Uno modo* ex eo, quod aliquis injuſte a- „ git contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei „ imponendo: quod eſt *calumniari*.

„ *Alio modo* ex parte Reipublicæ, cujus bonum „ principaliter intenditur in accuſatione, dum a- „ liquis impedit malitioſe punitionem peccati: „ quod iterum dupliciter contingit. *Uno modo* „ fraudem in accuſatione adhibendo; & hoc per- „ tinet ad *prævaricationem*: nam *prævaricator* di- „ citur, quaſi *varicator*, qui adverſam partem ad- „ juvat, prodita cauſa ſua. Alio modo totaliter „ ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt *tergiverſari*. „ Hoc enim, quod deſiſtit ab hoc, quod cœpe- „ rat, quaſi *tergum vertere* videtur ".

VI. Nonnulla tradit idem S. Doctor in reſponſis ad oppoſita ſibi argumenta, quibus præſens doctrina amplius illuſtratur, ac primo quidem nemini fas eſſe ad accuſationem procedere, *niſi de re omnino ſibi certa, in qua ignorantia facti locum non habeat. Nec tamen* ſubdit *ad* 1. quicumque *falſum crimen alicui* in accuſando *imponit*, *calumniatur*; *ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit*. *Contingit enim quandoque ex animi levitate ad accuſationem procedere: quia ſcilicet aliquis nimis facilior credit, quod audivit. Et hoc temeritatis eſt. Aliquando autem ex juſto errore movetur aliquis ad accuſandum. Quæ omnia ſecundum prudentiam Judicis debent diſcerni, ut non pronunciet eum calumniatum fuiſſe, qui ex levitate animi, vel ex juſto errore in falſam accuſationem prorupit*.

Atque ita quoque, ut docet *ad* 2. *prævaricator* dicendus non eſt quicumque vera crimina abſcondit; ſed ſolum, dum fraudulenter abſcondit ea, de quibus accuſationem proponit, *colludens cum reo, proprias probationes diſſimulando, & falſas excuſationes admittendo*.

VII. Demum quod attinet ad *tergiverſationem*, illud advertere oportet cum D. Thoma *ad* 3. *tergiverſari* tunc eſſe vitioſum, quoties ab accuſatione omnino deſiſtitur, animum accuſandi deponendo non qualitercumque, ſed inordinate. Nam quandoque contingit; ut aliquis ordinate, & abſque ullo vitio ab accuſando deſiſtat: puta in primis, ſi in ipſo accuſationis proceſſu cognoverit falſum eſſe crimen, de quo accuſavit; *Et ſic pari conſenſu ſe abſolvunt accuſator, & reus*. Ulterius *ſi Princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accuſationem intenditur, accuſationem aboleverit*.

VIII. Poſtremo *art.* 4. oſtendit Præceptor Angelicus, accuſatorem in probatione delicti, de quo aliquem accuſat, deficientem ad pœnam *talionis* teneri; idque probat tum authoritate Adriani Papæ I. dicentis: *Qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulit, ipſe patiatur*; tum hac ratione: „ Quia accuſator in cauſa accuſationis „ conſtituitur pars intendens ad pœnam accuſati. „ Ad judicem autem pertinet, ut inter eos ju- „ ſtitiæ æqualitatem conſtituat. Juſtitiæ autem „ æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod „ quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecun- „ dum illud Exod. 21. *Oculum pro oculo, den-* „ *tem pro dente*. Et ideo juſtum eſt, ut il- „ le, qui per accuſationem aliquem in periculum „ gravis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœ- „ nam patiatur ". Hoc tamen *in reſp.* ad argu- „ menta intelligendum docet de accuſatore calumniam intentante ex voluntate nocendi; non ex levitate animi, aut ex aliquo juſto errore.

IX. Cæterum non deſunt Authores, qui valde probabiliter cenſent, teneri quidem Judicem debita pœna punire falſum, & iniquum accuſatorem; ſed nunc temporis in deſuetudinem jam abiiſſe, ut pœna *talionis* puniatur, aut puniri debeat: quod mirum eſſe non debet; cum hæc *talionis* pœna lege humana, quæ abrogari poteſt, fuerit conſtituta. Quæ enim de *talione* leguntur in Veteri Teſtamento, ad legem Judicialem, quę per Chriſtum abrogata fuit, pertinebant.

CAPUT SEPTIMUM.

De Reo, ejuſque obligationibus.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Tenetur ſub mortali peccato reus a legitimo Judice interrogatus, ingenue fateri crimen a ſe commiſſum.*

II. *Quid in doctrina tradita S. Thomas intenderit, & ex ea conſequatur.*

III. *Ex reſponſis S. Thomæ ad argumenta ſibi objecta magis doctrina ipſius illuſtratur.*

IV. *Amplior ejuſdem doctrinæ confirmatio.*

V. *Conſectarium ex hac doctrina deductum.*

VI. *Si Judex non ſecundum ordinem juris interroget, poteſt reus aliquo licito modo judicium ejus ſubterfugere: nunquam tamen ipſi falſitatem dicere licet.*

VII. *Doctrina iſthæc magis exponitur.*

VIII. *Quibus modis Judex non ſecundum ordinem juris interrogat.*

IX. *An, & quando reo liceat appellatio ad alium Judicem.*

X. *Adnotatio circa appellationes.*

XI. *Juſte ad mortem, aliudve ſupplicium damnato haud licet ſeſe defendere contra Judicem, ac juſtitiæ miniſtros.*

XII. *Caſuiſtarum objectiones a S. Thoma enervatæ.*

XIII. *Conſectaria ex doctrina ejuſdem S. Thomæ derivata.*

XIV. *An liceat reo carcerem ad evadendum effringere?*

XV. *Laxæ, & abſurdæ de rei obligationibus Caſuiſtarum contra ſentientium opiniones referuntur; ac primum P. Thoma Sanchez.*

XVI. *Buſembaum admittit* communiorem, *&* verio-

riorem *eſſe ſententiam S. Thomæ. Et tamen modernos ſequutus oppoſitam* probabilem *judicat*, *&* in praxi tutam.

XVII. *Thomæ Tamburini*, *qui ſupra viginti Caſuiſtas allegat*, *textus plures afferuntur cum quibuſdam in eoſdem animadverſionibus*.

XVIII. *Laxitates aliæ Tamburini*, *aliorumque Juniorum de rei obligationibus*.

XIX. *Carolus Antonius Caſnedi eamdem de reo a Judice interrogato laxam opinationem tradit*.

XX. *Laxa alia Caſuiſtarum opinamenta quoad illa*, *quæ reis licita faciunt*, *ut ſe vel a morte*, *vel ab aliquo gravi damno liberent*.

§. I.

Quæ ſpectant Rei obligationes, *declarantur*.

I. JAm vero *de Reo*, ejuſque obligationibus nonnulla dicamus. Quo in argumento plures, eaſque abſurdiſſimas in Moralem Chriſtianam opiniones invexerunt moderni Caſuiſtæ, quas in anteceſſum diſpellere oportet ex præmiſſa fulgentiſſima S. Thomæ doctrina, quam tradit 2. 2. tota *quæſt.* 69. in quatuor articulos tributa; in quorum primo inquirit: *Utrum abſque peccato mortali poſſit accuſatus veritatem negare*, *per quam condemnaretur*. Ubi vides, quæſtionem non inſtitui de *veniali* peccato, aut de peccato in genere ſumpto; ſed determinate de peccato *mortali*. Quo pacto igitur eam reſolvit? Primum in medium promit, quod legitur in libro *Joſue c.* 7. ubi Præſes populi Dei hortatus eſt Achan, ut ingenue fateretur crimen a ſe commiſſum dicens: *Fili mi*, *da gloriam Domino Deo Iſrael*, *&* *confitere*, *atque indica mihi*, *quid feceris*, *ne abſcondas*. Ex quo colligit, quod cum illud, *quod eſt contrarium divinæ gloriæ*, *ſit peccatum mortale*, reus, qui interrogatur a Judice de commiſſo crimine, teneatur ſub peccato mortali fateri veritatem.

Deinde vero *in corp.* explicat ſimul, ac probat aſſertionem ſuam his verbis: „ Quicumque facit „ contra debitum juſtitiæ, *mortaliter* peccat, ſicut „ ſupra dictum eſt. Pertinet autem *ad debitum juſtitiæ*, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, „ ad quæ jus Prælationis ſe extendit. Judex autem, ut ſupra dictum eſt, ſuperior eſt reſpectu ejus, qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere, quam „ ab eo ſecundum formam juris exigit. Et ideo „ ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat ".

Addit autem: „ Si vero Judex hoc exquirat, „ quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non „ tenetur ei accuſatus reſpondere: ſed poteſt vel „ per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere; mendacium tamen dicere non licet ".

II. Ex hac doctrina compertiſſimum eſt, primo peccare mortaliter juxta S. Præceptorem reum, ſive accuſatum, non confitentem delictum a ſe commiſſum, aut mendaciter illud negantem, dum interrogatur a Judice competente: quoniam Judex, cum ſit ſuperior, jus habet exquirendi ab ipſo veritatem. Secundo autem duntaxat reum ad reſpondendum non teneri, quoties delictum ab eo Judex exquirit, quod exquirere non poteſt *ſecundum ordinem juris* (de quo poſtea); ſed tunc poſſe vel per appellationem, vel alio modo ſubterfugere ejus judicium. *Mendacium tamen dicere non licet*.

III. S. Thomas veritatem eamdem declarat ad argumenta reſpondens. Sibi objecerat ſecundo loco, mendacium, quod reus proferret, negando coram Judice delictum a ſe commiſſum, non eſſe niſi *officioſum*; quod veniale peccatum eſt: adeoque mortaliter non peccare, qui illud profert, ut mortem ſibi ex ſententia Judicis imminentem evitet. Quid vero reſpondet? *Mentiri*, inquit, *ad liberandum aliquem a morte cum injuria alterius*, *non eſt mendacium ſimpliciter officioſum*, *ſed habet aliquid de pernicioſo admixtum*. *Cum autem aliquis mentitur in judicio ad excuſationem ſui*, *injuriam facit ei*, *cui obedire tenetur*: *dum ſibi denegat*, *quod ei debet*, *ſcilicet confeſſionem veritatis*.

Idem confirmat in *reſp. ad* 3. objectionem, deſumptam ex eo, quod ille, qui veritatem in judicio non fatetur, non videatur quidquam agere contra charitatem Dei, ac proximi, ex qua *peccati mortalis* ratio repetitur. Ait enim: *Qui mentitur in judicio ſe excuſando*, *facit* *&* *contra dilectionem Dei*, *cujus eſt judicium*; *&* *contra dilectionem proximi tum ex parte Judicis*, *cui debitum negat*, *tum ex parte accuſatoris*, *qui punitur*, *ſi in probatione deficiat*. *Unde* *&* *in Pſal.* 140. *dicitur*: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Profecto *verba malitiæ* dicenda ſunt omnes illæ amphibologiæ, æquivocationes, reſtrictiones, quas tot nuperi Theologi excogitarunt, ut reis licitum facerent hiſce artificiis eludere interrogationes ſibi a legitimo Judice factas de quovis delicto.

IV. Hæc eſt de reo a legitimo Judice interrogato pura, & illibata S. Thomæ doctrina, quam hauſit ex Sanctis Eccleſiæ Patribus; eamque tradit pluribus aliis in locis ſuorum Operum, ac tradiderunt cum ipſo veteres omnes Theologi, traduntque meliores quique inter modernos. Quin imo jam definita dicenda videtur a Summo Pontifice Benedicto XIV. ex his, quæ habet in Bulla, quæ incipit; *Paterna charitas*, & reperitur in Bullario To. 3. n. 24. *teneri* ſcilicet *graviter reum in judicio criminali veritatem manifeſtare*.

V. Ex quibus inferas, negandam eſſe a Confeſſario Sacramentalem abſolutionem reo, qui a Judice legitime interrogatus crimen a ſe commiſſum confiteri detrectat. Quandoquidem non confitendo mortaliter peccat, & in ſtatu lethalis peccati eſt, quamdiu ſerio non proponit confiteri. Neque audiendus eſt, ſi contra propoſitam D. Thomæ ſententiam afferat Juniorum quorumdam authoritatem: nullius quippe momenti hæc reputanda eſt in conſpectu totius Antiquitatis, qua nititur oppoſita S. Thomæ ſententia.

VI. Pergit S. Doctor; & *art.* 2. ejuſdem quæſtionis declarat id, quod jam dixerat; non teneri reum, ſive accuſatum reſpondere judici delictum exqui-

quirenti *non ſecundum ordinem juris*: ſed poſſe tunc *judicium ejus ſubterfugere modo aliquo licito*, & ſine mendacio. Titulus articuli eſt: *Utrum accuſato liceat calumnioſe ſe defendere?* Atque ita loquitur: „ Dicendum, quod aliud eſt *veritatem tacere*; aliud „ eſt *falſitatem proponere*. Quorum primum in ali„ quo caſu licet. Non enim aliquis tenetur o„ mnem veritatem confiteri, ſed illam ſolum, „ quam ab eo poteſt, & debet requirere Judex *ſe„ cundum ordinem juris*: puta, cum *præceſſit infa„ mia* ſuper aliquo crimine; vel *expreſſa indicia* „ apparuerunt; vel etiam cum præceſſit *proba„ tio ſemiplena*. Falſitatem tamen proponere *in* „ *nullo caſu* licet alicui. Ad id tamen, quod li„ citum eſt, poteſt aliquis procedere vel per vias „ licitas, & fini intento accommodas; quod perti„ net ad prudentiam: vel per aliquas vias illici„ tas, & propoſito fini incongruas; quod pertinet „ ad aſtutiam, quæ exercetur per fraudem, & do„ lum. Quorum primum eſt *laudabile*: ſecundum „ vero *vitioſum*. Sic ergo reo, qui accuſatur, li„ cet ſe defendere, veritatem occultando, quam „ confiteri non tenetur, per aliquos convenientes „ modos: puta, quod non reſpondeat, ad quæ „ reſpondere non tenetur. Hoc autem non eſt ca„ lumnioſe ſe defendere, ſed magis prudenter eva„ dere “.

„ Non autem licet ei vel falſitatem dicere, „ vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur: „ neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhi„ bere; quia *fraus*, & *dolus* vim mendacii ha„ bent. Et hoc eſt calumnioſe ſe defendere “.

VII. Ex hac doctrina plura habentur, quæ veritatem quæſtionis præſentis in propatulo collocant. Habetur primo, *aliud eſſe veritatem tacere*; *aliud falſitatem dicere*, ſive proponere. Tacere namque veritatem omiſſio eſt, quæ ſolum eſt peccaminoſa, quando urget debitum loquendi; & licita eſt, quoties debitum hocce non urget. Falſitatem vero dicere ſeu mentiri commiſſio eſt, quæ nunquam licet: quia mendacium eſt intrinſece malum.

Habetur ſecundo, Judicem alioquin competentem poſſe reum interrogare de aliquo crimine *juridice*, ſive *ſecundum ordinem juris*; & etiam *non juridice*, ſive *juris ordine prætermiſſo*. Cum igitur Judex in interrogando reum, ordinem juris ſervat, ſub mortali tenetur iſte candide fateri veritatem commiſſi delicti, quodcumque periculum etiam vitæ ipſi ex ſua Confeſſione impendeat. Quod ſi interroget *prætermiſſo juris ordine*, haud tenetur quidem illam prodere, ſed occultare poteſt per aliquos licitos, & convenientes modos juxta ſanæ prudentiæ regulas; nunquam tamen eam negare debet, aut proferre mendacium, ſive etiam ad ipſam occultandam *fraudem aliquam*, *aut dolum adhibere*: ſiquidem *fraus*, *&* *dolus vim mendacii habent*.

VIII. Habetur tertio, alterum ex his tribus requiri, ut Judex reum interroget *ſecundum ordinem juris*, ut propterea ad veritatem ingenue confitendam teneatur; & ſi quæ alia ſunt, ad hæc revocantur, nimirum vel *infamia præcedens*: vel *aliqua expreſſa criminis indicia*: vel *ſemiplena probatio* jam habita criminis ejuſdem.

Infamia cenſetur, quando de crimine eſt multorum opinio, qui communi judicio honeſti, aut boni viri reputantur, aut ſaltem malevoli, aut maledici non audiunt, ut Cap. *Qualiter*, *&* *quando* 2. tit. de Accuſat. quodque hoc Judici conſtet. Neque ſufficit inter paucos ſparſum eſſe rumorem: quia, ut dicitur Cap. *Inquiſitionis* eod. tit. *propter dicta paucorum nemo debet reputari infamis*, *ſi apud bonos*, *&* *graves læſa non exiſtit ejus opinio*. Quot tamen hominum rumor, aut opinio requiratur ad cauſandam infamiam, definiri non poteſt, niſi prudentum arbitrio pro locorum, rerumque circumſtantiis. Illud notandum, qui de uno crimine infamatus eſt, non idcirco interrogari poſſe de alio diverſo, de quo nulla infamia laborat, ut animadvertunt graves Authores; conſentitque S. Thomas, qui *quæſt.* 70. *art.* 1. de Teſte loquens ait: quod *ſi teſtis exigatur teſtimonium in illis*, *de quibus infamia non præceſſit*, *non tenetur ad teſtificandum*. Et Innocentius III. dicto Cap. *Inquiſitionis* reſolvens, *inquiſitionem ſolum fieri debere ſuper illis*, *de quibus clamores aliqui præceſſerunt*.

Indicia ſunt circumſtantiæ, & ſigna, ex quibus prudenter judicari poteſt de aliorum actionibus. Hæc ſi perfecta fuerint, authoritate ſcilicet duorum, vel trium teſtium comprobata, vel ſi plura ſint, aut unum adeo perſpicuum, ut merito ſufficiens exiſtimetur; ex. gr. ſi quis juxta recenter interfectum deprehendatur cum gladio evaginato, & recenti ſanguine cruento; ſatis ſunt, ut reus a Judice interrogari juridice valeat.

Demum *ſemiplena probatio* eſt teſtimonium unius teſtis omni exceptione majoris: ut ſi vir probus, ac honeſtus, nullum defectum habens, ob quem ipſe, vel ejus teſtimonium jure repelli queat, cum juramento affirmet ſe vidiſſe, aut audiviſſe aliquid, quod merito puniendum ſit. Unum igitur ex his tribus, ad quæ reducuntur & *notorietas facti*, & *probatio plena* delicti, ſufficit, ut Judex interroget *ſecundum ordinem juris*; reuſque tacere non debeat, ſed crimen ſuum veraciter confiteri teneatur.

IX. Diximus ex S. Thoma, reum Judici non interroganti juridice, ſive ſecundum juris ordinem non teneri ad confitendam veritatem delicti commiſſi, ſed modis omnibus licitis, & convenientibus, ſive abſque fraude, dolo, ac mendacio ejus judicium ſubterfugere poſſe. Inter hoſce modos memorat ille *appellationem* ad alium Judicem. Quoniam vero de hac ipſa appellatione quæſtio fieri poteſt, an ſemper licita ſit, ideo eam diſcutit S. Doctor *art.* 3. ſequente, ubi quærit: *Utrum reo liceat judicium per appellationem declinare?* Ac reſponſio, qua eam reſolvit, æque conformis eſt immaculatæ, ac ſolidæ doctrinæ ſuæ.

Sic itaque reſpondet: „ Duplici de cauſa contin„ git aliquem appellare. Uno quidem modo con„ fidentia juſtæ cauſæ: quia videlicet injuſte a Ju„ dice gravatur. Et ſic licitum eſt appellare: hoc „ enim eſt prudenter evadere. Unde 2. *q.* 6. di„ citur: *Omnis oppreſſus libere Sacerdotum*, *ſi vo„ luerit*, *appellet judicium*, *&* *a nullo prohibea„ tur*.

„ Alio modo aliquis appellat cauſa afferendæ „ mo-

„ moræ, ne contra eum juxta ſententia profera-
„ tur. Et hoc eſt *calumnioſe* ſe defendere, quod
„ eſt illicitum: facit enim injuriam & Judici,
„ cujus officium impedit, & adverſario ſuo, cu-
„ jus juſtitiam, quantum poteſt, perturbat. Et
„ ideo, ſicut dicitur 2. *q.* 6. *omni modo punien-*
„ *dus eſt, cujus appellatio injuſta pronunciatur*.

Licite igitur, & illicite fieri appellatio poteſt ab inferiori Judice ad ſuperiorem. Ea licita eſt, quando Judex inferior vel non procedit *ſecundum ordinem juris*; vel quando movetur in judicando ab aliquo odio, aliave prava affectione, vel præſertim accuſatus *in juſtitia cauſæ ſuæ confidit*. Illicite autem, quando ſola appellationis cauſa eſt, ut effugiat aliquo modo ſententiam, quam ſe juſte promereri cognoſcit: unde ad appellationem confugit, ut, ſi quo modo poſſit, evadere queat. Et hoc eſt *ſe calumnioſe defendere*: injuriam quippe irrogat tum Judici, cujus officium impedit; tum parti læſæ, quam a ſui juris uſu inique turbat.

X. Quoad hanc appellationem illud notat Sanctus Thomas jure communi non permitti, *ut tertio aliquis appellet ſuper eadem cauſa: quia non eſt probabile, toties judices a recto judicio declinare*. Verum cum hæc conditio, quemadmodum & aliæ, quæ in appellationibus obſervari ſolent, ſint humani juris; idcirco pro regionum, temporumque varietate mutationi ſubjectæ ſunt. Unde conſuetudo jam obtinuit in pluribus Regnis, ut etiam tertiæ appellationi deferatur.

XI. At vero reo ad pœnam debitam propter aliquod crimen damnato quid agendum ſupereſt? Num licet illi ſeſe defendere, aut alio pacto mortem declinare? Quæſtionem hanc dirimit ibidem Sanctus Doctor *art.* 4. quam ita propoſuerat: *Utrum liceat condemnato ad mortem ſe defendere, ſi poſſit*: Cui reſpondet cum diſtinctione. Nam aliquis damnari poteſt ad mortem *dupliciter*. Uno modo *juſte*: *& ſic non licet condemnato ſe defendere. Licitum enim eſt Judici eum reſiſtentem impugnare*: *unde relinquitur, quod ex parte ejus ſit bellum injuſtum*: adeoque *indubitanter peccat*. Id firmat ipſe authoritate Apoſtoli in medium prius adducta: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationtm acquirit*. Damnatus autem *ſe defendendo Poteſtati reſiſtit quantum ad hoc, in quo eſt divinitus inſtituta ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Ergo peccat ſe defendendo*.

Quod ſi Reus ad mortem *injuſte* damnetur; reſpondet: „ Tale judicium ſimile eſt violentiæ la-
„ tronum, ſecundum illud Ezech. 22.: *Princi-*
„ *pes ejus in medio illius*: *quaſi lupi rapientes præ-*
„ *dam ad effundendum ſanguinem*. Et ideo, ſic-
„ ut licet reſiſtere latronibus; ita licet reſiſtere
„ in tali caſu malis Principibus (ſive Judici-
„ bus): niſi forte propter ſcandalum vitan-
„ dum; cum ex hoc aliqua gravis turbatio ti-
„ meretur".

XII. Ut luculentius conſtet, quid juxta S. Thomam liceat, aut non liceat Reo juſte ad mortem, aut ad aliam gravem pœnam damnato, exſcribenda etiam doctrina eſt, quam habet *in reſp.* ad objecta. Primum illud erat, quo utuntur, aut potius abutuntur moderni Caſuiſtæ, eo principio nixum, *Licitum ſemper eſſe illud, ad quod natura inclinat, quaſi de jure naturali exiſtens. Naturæ autem inclinatio eſt ad reſiſtendum corrumpentibus &c.*

Argumentum huic principio ſuperſtructum ſic egregie diluit S. Doctor. *Dicendum, quod ideo homini data eſt ratio, ut ea, ad quæ natura inclinat, non paſſim, ſed ſecundum rationis ordinem exequatur. Et ideo non quælibet defenſio ſui eſt licita, ſed ſolum quæ fit cum debito moderamine*. Porro *debitum moderamen* non eſt, cum Reus, a Judice juſte ad mortem propter commiſſum delictum damnatus, ei injuſte reſiſtit.

Argumentum alterum in eo poſitum erat, quod licitum eſſe videatur, quod aliquis ſe a morte per fugam liberet; adeoque licitum quoque eſſe Judici ad mortem damnanti reſiſtere.

Huic vero ſatisfacit ſequenti animadverſione.
„ Dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod
„ ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mor-
„ tem patiatur. Et ideo *non tenetur fugere* id,
„ unde mors ſequatur; quod eſt manere in loco,
„ unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non
„ reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum
„ eſt eum pati. Sicut etiam ſi aliquis ſit con-
„ demnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi
„ cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat: quia non
„ ſumere eſſet ſe ipſum occidere.

Tertium ex ea ſententia depromptum erat *Proverb.* 24., ubi dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes*. Plus autem tenetur aliquis ſibi, quam alteri: adeoque licitum videtur quod aliquis condemnatus ſeipſum defendat, ne in mortem tradatur.

Hoc autem ita ſolvit dicendo, *Quod per illud dictum Sapientis non inducitur aliquis ad liberandum alium a morte contra ordinem juſtitiæ: unde nec ſeipſum contra juſtitiam reſiſtendo aliquis debet liberare a morte*.

XIII. Ex doctrina S. Thomæ expoſita nonnulla facile colligi poſſunt conſectaria: quorum primum eſt. Reus juſte a Judice ad quamcumque pœnam damnatus nihil poteſt interius velle, aut moliri, quod poſitivam defenſionem, aut reſiſtentiam importet; puta, optare non poteſt mortem Judicis, aut Miniſtrorum Judicis, quamvis ea morte ſupplicio ſibi deſtinato liberandos foret. Quod ſi tale deſiderium ipſi non licet; multo minus licebit ipſi moliri quidpiam, quod defenſionem poſitivam præferat. Unde reus carceri juſte mancipatus non poteſt, ut ſe e carcere expediat, vim inferre cuſtodibus, gladio eos aggredi, vulnerare, occidere, potione ſoporifera, aut copioſo vino eos ſomno obruere &c.

Conſectarium ſecundum. Si damnatus ad aliquam pœnam reapſe delictum non commiſerit, ſecundum tamen *ablegata, & probata* ſententia juſta ſit, quamvis in conſcientia non obliget; licite tamen non poteſt Judici, ejuſve Miniſtris poſitive reſiſtere, aut ullum ex modo memoratis mediis adhibere ad ſe defendendum. Quoniam, tametſi coram Deo ſit innocens, non eſt tamen innocens coram hominibus; Judexque jus habet exe-

exequendi ſententiam ſecundum formam juris pronunciatam. Ipſe tamen quibuſcumque aliis licitis mediis uti poteſt ad ſuam innocentiam oſtendendam juxta ea, quæ ſupra de Judice agentes diximus.

Conſectarium tertium. Quicumque Reus, ac juſte damnatus ſive ad mortem, ſive ad mutilationem, ſive ad aliud ſupplicium, non tenetur ſibi ipſi pœnam, ad quam damnatus eſt, infligere; ſed illam ab aliis illatam ſuſtinere debet. Hoc eruitur ex reſponſione D. Thomæ ad ſecundum argumentum: Siquidem hoc lex minime jubet, cum Miniſtros, aut Carnifices habeat ad finem hunc deſtinatos; & ipſa quoque ratio averſatur, quod quis ſibi manus violentas inferat: *Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt eum pati.*

Conſectarium quartum. Quilibet reus, quantumvis juſte damnatus, poteſt, non reſiſtendo contra juſtitiam, aut juſtitiæ miniſtros, ſe a morte, vel mutilatione, vel triremibus, ſi congrue poteſt, liberare: quoniam jus ad vitam ſuam, membrorum conſervationem &c., a nulla poteſtate humana ipſi aufertur. Unde damnatus, ut fame pereat, cibum occulte ſibi miniſtratum ſumere valet; &, ſi pateat aditus, ſe fuga a carcere proripere: minime tamen *tenetur*, etiamſi abſque ullo incommodo, aut alicujus injuria fugere valeat; idque præſtiterunt SS. Martyres detenti in carceribus, unde aufugere quandoque poterant.

XIV. An vero reus ad mortem damnatus, & in carcere detentus licite queat vincula rumpere, & carcerem ipſum effringere, plurimi quidem Theologi hoc concedunt. At oppoſita ſententia mihi D. Thomæ doctrinæ magis conſentanea videtur; adeoque in praxi ſequendam arbitror, præſertim cum leges latæ fuerint *contra carcerum effractores*, quæ plane abolitæ nunquam fuerunt; & carcerum effractio, quantum quidem ſapio, ſine *poſitiva reſidentia ad juſtitiam*, quæ nunquam licet, intelligi nequeat. Quod enim ajunt qui contra ſentiunt, ad prædictas leges, *Legislatores in illis conſtituendis ſequutos eſſe aliam ſententiam, quæ etiam eſt probabilis*, nimis frigidum eſt. Cur enim dicendum non erit, ſequutos potius eſſe jus, aut lumen naturale, cui lex ipſa conſonat? Sed quocunque ducti motivo fuerint ad eas ſanciendas, gravemque pœnam carcerum effractoribus intimandam, ipſæ ſubſiſtunt; neque enim adhuc abrogatæ fuerunt, adeoque eam vim, ac authoritatem obtinent, qua cæteræ leges humanæ gaudent. Quod ſi ipſi reo minime licet carcerem effringere, ſuffodere parietes ad evadendum; multo minus licebit aliis ad idem auxilium præbere, aut ſuppeditare inſtrumenta, quibus ad miniſterium illud adjuvetur.

§. II.

Laxæ, & abſurdæ multorum Caſuiſtarum opiniones quoad Rei obligationes.

XVI. Puram, ac veridicam expoſuimus circa Reorum obligationes S. Thomæ doctrinam, quam ſequi omnes debent, ne a via veritatis aberrent. Proderit nunc ſub oculos ponere turpiſſimas, & a vero longius abhorrentes opinationes, in quas prolapſi ſunt multi ex Caſuiſtarum turba, qui S. Doctorem deſerentes, quod ſibi arriſit, potius ſequi maluerunt. Non omnium quidem horum placita proferam, ne nimium oratio excurrat; ſed quorumdam duntaxat, quorum exiſtimatio magis viget penes cæteros, eorumque ſententias plurimi in praxi etiam amplectuntur. Qui plurium aliorum notitiam deſiderat, conſulat Litteras meas *ad Status Miniſtrum* Tom. 2. epiſt. 8., ubi etiam inveniet de re hac eximii, omniumque præconiis digniſſimi Epiſcopi primum Leirienſis, nunc vero Archiepiſcopi Eboracenſis, totius Luſitaniæ luminis ſplendidiſſimi prolixum teſtimonium quoad incrementum, quod paucis annis acquiſivit laxa, & abſurda in re præcipua præſentis argumenti Caſuiſtarum opinio.

Prodit primum in ſcenam Caſuiſtarum Probabiliſtarum Princeps P. Thomas Sanchez; qui *lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. *num.* 11. de Reo negante delictum a ſe commiſſum, & de eodem convicto ita ſcribit: „ Quia *frequentiſſima* Theologorum ſententia habet, reum non teneri veritatem fateri, niſi ipſi aperiatur ſtatus cauſæ, „ & quæ in proceſſu contra ipſum probata ſunt, „ ut ſic certo illi conſtet juridicam eſſe interrogationem &c. Hoc autem Judices reum interrogantes nunquam ſolent facere freti alia Juriſperitorum quorumdam ſententia dicentium, „ id non exigi. Ergo ſaltem ſequendo communem Theologorum ſententiam, poſſet hic reus „ a confeſſione excuſari, etſi prædictæ rationes „ non urgerent “.

XVI. Hermannus Buſembaum lib. 4. cap. 3. dub. 8. n. 4.: „ *Etſi communior, & verior ſententia ſit S. Thomæ* 2. 2. quæſt. 69., ſi reus legitime interrogetur a Judice, *teneri in conſcientia aperte veritatem dicere; probabile* tamen eſt „ etiam, quod ex Sylv. docent Sa, & Leſſius, „ *non teneri* ſaltem ſub mortali in cauſis capitalibus, & gravioribus, ſi ſit ſpes evadendi, „ & nullum grave damnum Reipublicæ timeatur. „ Tannerus q. 4. d. 5., Card. de Lugo d. 40. n. „ 15. *ubi dicit, eſſe ſententiam valde probabilem,* „ *& in praxi tutam.* Ratio eſt, quia lex humana communiter non obligat cum tanto periculo “. Candide ergo fatetur Buſembaum ſententiam oppoſitam nedum a S. Thoma doceri, ſed etiam eſſe communiorem, ac veriorem: *communior & verior*. Cur igitur eam non amplectitur, nec ſe ad illam amplectendam teneri exiſtimat? Non alia afferri cauſa poteſt, niſi quia Probabiliſmus veritatem minime curat. Quis ergo ſequatur authores veritatem nequaquam curantes?

XVII. Sed ultra audacter progreſſus eſt P. Thomas Tamburinus, fretus authoritate plurium Theologorum præſertim Societatis; ſatiſque erit hujus ſcriptoris referre textus: eo quippe audito, jam cæteros ferme audimus. Itaque *lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. §. 2., poſtquam laxa multa tradi-

didit de æquivocationibus, quibus uti Reus poteſt, dum legitime non interrogatur, hæc habet n. 3. „ Jam ſi legitimus eſt Judex, legitimeque per ſemiplenam probationem interroget, unde reus „ ex nullo capite ex his excuſari videatur a fatenda veritate; celebri quæſtione quæritur, *An* „ *ob periculum vitæ, quod ſincere reſpondendo ſubit*, „ *poſſit excuſari, atque adeo ipſi negare veritatem* „ *cum æquivocatione liceat* "? Et prolatis momentis, quibus negativa ſententia nititur, & authoribus, qui eam defendunt, quos inter eſt S. Thomas, *n.* 5., ait: „ Sed jam alii Recentiores, ut „ *de Lugo &c. Joan. Sanchez &c.* cum Doctoribus „ viginti duobus, poſt accuratam diſcuſſionem, „ advertentes *onus eſſe ſupra naturæ vires difficile*, „ reum obligare ad inferendum teſtimonium capitale contra ſe ipſum; docent probabiliſſimum „ eſſe, *& tutum*, Reum minime obligari ad fatendum crimen ſuum, unde tantum malum ſibi parare videat ".

Hic animadvertas, Tamburinum, alioſque authores, qui ejus tradidere ſententiam, concedere omnino debere, S. Thomam, & reliquos antiquos ſententiam docuiſſe, quæ *onus* hominibus imponit *ſupra naturæ vires difficile*; quod perinde eſt, ac *impoſſibile*. Quis autem ferat calumniam hanc tantis viris impactam? Nonne, cum & S. Thomas, & alii cæteri pro fundamento doctrinæ ſuæ legem naturalem afferunt, in Deum ipſum, qui hanc legem tulit, hæc recidit impoſſibilitatis calumnia? At ſi negas *abſolutam impoſſibilitatem*, ſolamque difficultatem intelligis; numquid non hanc vincere tenentur homines, & mortem etiam perferre potius, quam hujuſmodi legem violare? Sed pergamus, & ſequentia Tamburini verba referamus. *Potiſſima ratio illa mihi videtur: quia nemo obligandus eſt concurrere ad ſeipſum occidendum.* Hæc *ratio potiſſima* futiliſſima, & nulla eſt. Neque enim Reus ad manus ſibi violentas inferendas adſtringitur; ſed ipſe unice præceptum ſibi impoſitum adimplet fatendi veritatem, & non proferendi falſitatem. Judex vero juſte propter delictum mortis in ipſum ſententiam pronunciat, & juſtitiæ miniſtri eam exequuntur.

Hinc ſolvitur, ſubjicit Tamburinus, *ratio adverſariorum n. 3. allata. In re enim tam ardua Judex ſuperior non eſt. Quod ſi is ſoleat cogere, ideo eſt, quia ſequitur contrariam opinionem, quæ ſaltem ab authoritate Doctorum probabilis eſt. Ita Joannes Sanchez &c.* Si Judices in exquirenda a reis veritate commiſſorum criminum etiam graviſſimorum, juxta Tamburinum, *ſuperiores in re tam ardua non ſunt*; jam inique eos interrogant, inique eos torturæ ſubjiciunt, inique eos morte mulctant. Neque enim qui *ſuperior non eſt*, hæc agere jure poteſt. Nonne ſeditioſa plane hæc doctrina eſt? nonne ab Eccleſia, & Magiſtratibus igne comburendi merito ſunt libri, qui talia docent? *Si cogere ſoleant*, inquit, *ſequuntur opinionem contrariam, quæ ſaltem propter extrinſecam authoritatem probabilis eſt.* Sententia igitur S. Thomæ, totiuſque antiquitatis duntaxat *probabilis* eſt, non ob rationes, quibus illa fulciatur; quia docet, fieri debere, quod eſt *ſupra naturæ vires*: ſed *ob extrinſecam authoritatem Doctorum*, qui abſque firma ulla ratione eam tradunt. Vah doctrinam prorſus anathematum fulgure abolendam! Illa namque S. Thomæ, aliorumque ſententia nedum ratione firmiſſima, ſed infallibili etiam Scripturæ authoritate munitur.

XVIII. Verum cætera, quæ Tamburinus ibidem cum aliis modernis Caſuiſtis habet, perſequamur; non ut ea quidem refellamus: neque enim opus eſt; ſed ut ſolum innoteſcat, in quas prorſus abſonas laxitates præcipites eos egerit nimia Moralem Chriſtianam relaxandi libido. *N.* 7. hæc ſcribit: „ Doctrinam hactenus a nobis allatam limitant citati Doctores, aſſerendo, *a Reo negari* „ poſſe *ſub æquivocatione crimen*, *modo aliqua tandem eluceat ſpes effugiendi mortem.* Secus enim „ (ajunt) negatio eſſet inutilis; ſi ipſe nihilominus convictus eſſet, & certe damnandus. „ *Ego vero cenſeo*, etiam nulla elucente tali ſpe, „ a mortali eſſe etiam hujuſmodi reum excuſandum. Excipio cum Sanchez *in Decal. lib.* „ 3. *cap.* 9. caſum *hæreſis*: convictus enim de „ illa, fateri debet &c. ". Si ergo agatur de quocumque alio atrociſſimo delicto, etiam læſæ Majeſtatis, etiam necis ſupremi Principis, etiam conjurationis attentatæ in Rempublicam &c., nunquam teneretur Reus fateri delictum, ſed illud *ſub æquivocatione negare poſſet*.

Sed qua ratione hoc Tamburinus affirmat? Audi: „ *Ratio*, inquit, quæ me movet, eſt; quia „ ex una parte de jure naturæ eſt, hominem non „ poſſe conſtringi ad concurrendum ad mortem „ ſuam: & ex alia parte in hoc caſu ad ſummum „ offenditur (ſi tamen offenditur) poteſtas Superioris in re levi. Si autem Reus jam convictus eſt, certoque plectendus; nihil addet confeſſio Rei, quantum ad punitionem criminis, „ de qua ſermo eſt, cum Judex ſit ad damnandum „ ſatis inſtructus ".

Satis non habet Tamburinus id conſtituere, quoties agitur de condemnatione ad mortem. Doctrinam eamdem extendit *n.* 9. & 10. ad quamcumque pœnam etiam levem. „ Denique, ait, „ quod dictum eſt de periculo vitæ, extenditur *ad quodcumque malum grave*, puta exilium, bonorum amiſſionem, triremes, gravem infamiam &c. Ita de Lugo &c. Ad hæc „ enim tam gravia mala, perinde ac ad mortem avertendam, jus naturæ nos armat, imo „ nos urget ". Et hæc mala pati juxta ea, quæ ſupra dixit, *erit onus ſupra naturæ vires difficile, & moraliter impoſſibile*; adeo ut *ad ferendum illud a nemine obligari poſſit*. Nonne hoc aperte ſequitur ex ratione ab illo præmiſſa?

Non igitur alio in caſu tenebitur Reus Judici interroganti fateri criminis veritatem, niſi quando de periculo agitur alicujus damni *levis*; puta de jactura octo, aut decem aſſium, de pœna carceris per unum, vel alterum diem, de modica abſtinentia &c.? Falleris, ſubdit Tamburinus: grave, vel leve malum ſit, quod imminet ex confeſſione ingenua veritatis, ad illam

non

non obligaris; ſed licite potes ſub æquivocatione Judici reſpondere, adeo ut culpam tuam non agnoſcat. En verba illius n. 10.: „ Quid de malo levi „ &c.? Reſpondeo. A mortali fortaſſis excuſandus „ eſſes, quamvis contrarius ſit de Lugo &c. *Ratio* „ eſſe poteſt, vel quia de jure naturæ videtur eſſe, „ ut ne leve quidem vulnus mihi ipſi infligam: „ vel quia, ſi agitur de pœna levi infligenda, vi„ detur & leve, & non rigoroſum ſuperioris præ„ ceptum: vel quia ex negatione talis veritatis „ non oritur grave malum Reipublicæ &c. "

XIX. Hæ ſunt non opiniones, ſed opinionum monſtra, atque portenta, quæ in lucem novus opinandi modus præterito ſæculo eduxit, & quæ pariter ab iiſmet, qui poſt damnatas plures a Summis Pontificibus propoſitiones ſcripſere, ſuſtinentur. Ex quibus unius tantum, ne ſim immenſus, teſtimonium exſcribam, *Caroli* nempe *Antonii Caſnedi*, qui *Tom.* 5. *Diſput.* 9. ſuæ *Criſis Theologicæ* hæc docet: „ Dico, quod Reus de commiſſo a ſe „ crimine interrogatus a Judice juridice criminali„ ter, ſeu ut puniatur, ſi occultando reſtrictione „ ſenſibili, ut locutione pure materiali, aut æqui„ voca ſuum crimen, ſpem habet evadendi pœnam „ capitalem, ut ſunt magna infamia, triremis, „ carcer duriſſimus, bonorum omnium confiſcatio, „ & ſimiles pœnæ æquivalentes morti; non tenea„ tur ſub culpa reatum ſuum candide fateri, quin „ licite poſſit ſuum crimen etiam jurejurando oc„ cultare, ſive reſtrictione ſenſibili, ſive locutione „ pure materiali ". Ubi vides Authorem hunc, ſin in omnibus Tamburini placitis, in præcipuo tamen quæſtionis capite & cum Tamburino, & cum reliquis modernis Caſuiſtis penitus conſentire. Atque ſimilia habet etiam P. Dominicus Viva, aliique.

XX. Unum reſtat, quod addamus circa ea, quæ iidem Caſuiſtæ permittunt Reo, ut ſe a morte, aut ab alia pœna liberet, ad quam vel damnandus, vel damnatus eſt. Dubium movet Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *n.* 7. *An peccet*, *ſi quis inducat ad jurandum falſum*, *quod jurans putat eſſe verum*; *ipſe vero inducens ſciat eſſe falſum*. Reſpondetque juxta Bonacinam, Azorium, aliosque, hunc certo peccaturum, & quidem *mortaliter*: *facit enim*, *ut Deus revera in teſtem falſi adducatur*; adducitque quædam ad hoc confirmandum exempla. Quid vero? Ibidem ſubinde *n.* 7. revocat opinionem ſuam, & in ſententiam Hurtadi contrarium aſſerentis concedit. „ Verum, *inquit*, „ ut ingenue fatear, poſt aliquot a conſilio dato „ menſes ſubit mentem meam diſparitas inter ca„ ſum noſtrum, & exempla n. 5. allata, quæ . . . „ ſubtilis alicui videbitur, ſed certe vera diſtin„ ctio; ut, ſi penetretur, cenſenda ſit impoſte„ rum PROBABILIS (*adeoque licita*) Hurtadi „ hoc modo explicata ſententia ". Hurtadi auctoritati addit etiam Cottonium, Dianam, & Tancredum, ut de ipſius Probabilitate minime dubitetur. Adeoque criminoſus quicumque, etiam læſæ Majeſtatis Reus primo gradu, æquivocis juramentis (hæc enim a Caſuiſtis licita fiunt) ſuadere poterit alicui, aut pluribus, qui ad reddendum teſtimonium in Judicio advocandi ſint, ſe innocentem eſſe, qui poſtea etiam jurejurando ejus innocentiam confirment; adeoque criminis reus a Judicio liber, & abſolutus evadat. Proh Deum immortalem! Hæccine Moralis Chriſtiana?

Quod ſi Reus jam captus a Miniſtris detineatur in carcere, ut deinceps ſupplicio, quod promeruit, plectatur; quid agere poterit, ut illud effugiat? *Lib.* 9. *in Decal. c.* 2. §. 2. *n.* 9. hanc etiam quæſtionem reſolvit Tamburinus cum P. Leſſio, & aliis inquiens: „ Probabile eſt, poſſe vincula ef„ fringere, & rumpere carcerem, ſaltem cum ani„ mo reſtituendi fractionis damnum; quod tamen „ damnum reſtitui non eſſe in uſu putat Leſſius. „ Ratio eſt, quia qui poteſt velle finem, poteſt „ ponere media: neque id eſt inferre vim publi„ cæ Poteſtati: per hanc enim prohibetur, ne „ fiat vis contra Judices, & Miniſtros, non vero „ contra vincula, & carcerem (*Nam leges con*„ *tra carcerum effractores non curant*). Idem pu„ to ſiquis ſit in eodem carcere, & propter pa„ ritatem rationis in triremibus, *ob pœnam de*„ *licti*; *in carcere*, *inquam*, atroci, vel per„ petuo, vel pro longo tempore. Nam pro bre„ vi, & ordinario habet jus Judex. Lege Dia„ nam &c., Leſſium, Malderum, Ledeſmam, & „ alios ".

Hæc ſolum docuiſſe ſatis non habet Tamburinus cum aliis; ſed ultra progreditur, & inquirit etiam, *num poſſit quis licite adjuvare dictum Reum ad fugiendum*, *& ad carcerem effringendum?* Atque id quidem negat *de Cuſtodibus*, *& Juſtitiæ officialibus*. De aliis vero ita decernit: „ Certum eſt, „ alios poſſe conſulere Reo, ut fugiat: quia, ſi „ ipſe licite poteſt fugere, poterit & conſultor „ conſulere. Certum eſt etiam, vel ſane probabile „ ex de Lugo &c., licite dari ipſi inſtrumenta, „ v. g. ſecurim, ut ipſe Reus effodiat parietem, „ vel effringat carcerem, fugiatque: quia, ut mo„ do dixi, qui licite ponit finem, licite ponit & „ media ".

Hæc itaque, Tamburino teſte, vel certa juxta Caſuiſtas, vel adeo probabilia ſunt, ut licite omnino ad praxim deduci queant. Quid igitur in controverſiam verti poteſt? *Solum*, ait ille n. 12., *dubitatur*, *an alii poſſint adjuvare Reum ad dictam carceris fractionem?* Et relata ſententia negativa *de Lugo*, ſubjicit: *Huic nequeo ſubſcribere*; *primo quia univerſaliter qui poteſt ponere finem*, *poteſt*, *ut dictum eſt*, *adhibere media*. *At medium eſt*, *Reum in effringendo carcerem habere medium vel tuum ſervum adjuvantem &c.* Ac prolatis ſimilibus aliis ratiunculis concludit, alios etiam *poſſe adjuvare Reum ad effringendum carcerem*.

P. Hermannus Buſembaum cum *Filliucio*, *Tannero*, & aliis multis medium aliud Reo ſuggerit *lib.* 4. *cap.* 3. *art.* 2., fortaſſe opportunius ad elabendum e carcere. *Licet etiam*, docet, *ſaltem in foro conſcientiæ cuſtodes decipere* (N. B.; quaſi deceptio lege naturæ minime prohiberetur), *tradendo v. g. cibum*, *& potum*, *ut ſopiantur*; *vel procurando*, *ut abſint*. *Item vincula &c.* Hæc & alia permittunt Reis Caſuiſtæ, quibus Miniſtrorum Juſtitiæ vigilantiam eludant in ſummum Reipublicæ damnum: quia deſerta illibata S. Tho-

mæ

mæ doctrina, abierunt poſt cogitationes ſuas malas, ſemetipſos, ſuoſque Auditores miſerrime fallentes.

CAPUT OCTAVUM.

De Teſtium, & Advocatorum Obligationibus.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Tenetur homo aliquando ad teſtimonium ferendum. Elegans doctrina S. Thomæ, qua obligationem hanc declarat.*
II. *Quo pacto Judex ſe gerere debeat in inquirendo Reo alicujus delicti publici.*
III. *De inquiſitione generali, & ſpeciali Rei a Judice præmittenda.*
IV. *Ad habendam ſufficientem notitiam Rei, ac delicti ſufficit duorum, vel trium teſtimonium.*
V. *Objectio quædam diluitur.*
VI. *Quid requiratur, ut duo, aut tres ad teſtificandum ſufficiant adverſus aliquem.*
VII. *Quandoque ſufficit vel unicus teſtis.*
VIII. *Quænam perſonæ jure vel naturali, vel poſitivo humano ad teſtimonium ferendum non admittantur.*
IX. *Quædam Conſectaria derivantur.*
X. *Quinam Advocati, & Procuratoris nomine veniant; & quæ in ipſis dotes neceſſariæ ſint.*
XI. *De peritia Legum in Advocato, & Procuratore requiſita.*
XII. *De fidelitate, quam ſervare Clientibus debent.*
XIII. *De juſtitia cauſæ, quem cognoſcere tenentur, antequam eam tuendam ſuſcipiant.*
XIV. *Illuſtratur hæc obligatio ex S. Thomæ doctrina.*
XV. *Quid agendum ſit Advocato, cum dubia eſt juſtitia cauſæ, aut ſolum probabilis.*
XVI. *De poſtrema Advocati dote; ſcilicet moderatione in exigendo pretio pro ſuo labore, ſive patrocinio.*
XVII. *Advocatus tenetur pauperi gratis patrocinium impendere. Quando ad hoc charitatis officium teneatur.*
XVIII. *Colligitur, quoties in officio ſuo Advocati delinquant.*
XIX. *Ex Benedicto XIV. indicatur, quænam perſonæ officium Advocati exercere poſſint.*
XX. *De Obligationibus Notarii, ejuſque peculiaribus peccatis.*

§. I.

De Teſtium Obligationibus.

I. AD complementum obligationum ad Judicialem materiam pertinentium, pauca quædam etiam delibemus oportet de Teſtis, & Advocati obligationibus ex Angelici Præceptoris doctrina, quam habet *qq.* 70. *ac* 71., in quarum prima *de Teſtibus* agit, qui ſæpe adhibentur a Judice, ac neceſſarii nonnunquam ſunt ad juſtam ſententiam pronunciandam. Primum, quod ille quærit, hoc eſt: *Utrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum?* quam quæſtionem eleganter, ac ſolide expedit ſequenti doctrina: „ In teſtimonio ferendo diſtinguendum „ eſt; quia *aliquando requiritur teſtimonium alicujus, aliquando non requiritur.* Si requiritur teſtimonium alicujus ſubditi authoritate ſuperioris, cui in his, quæ ad juſtitiam pertinent, obedire tenetur; non eſt dubium, quin teneatur „ teſtimonium ferre in his, in quibus *ſecundum ordinem juris teſtimonium ab eo exigitur:* puta „ in manifeſtis, & in his, de quibus infamia „ præceſſit. Si autem exigitur ab eo teſtimonium in aliis, puta in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum".

„ Si vero requiratur ejus teſtimonium non authoritate ſuperioris, cui obedire tenetur, tunc „ diſtinguendum eſt: quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injuſta „ morte, ſeu pœna quacumque, vel a falſa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi ejus teſtimonium „ non requiratur, tenetur facere, quod in ſe eſt, „ ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc poſſet prodeſſe. Dicitur enim in Pſal. 81. *Eripite inopem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Proverb. 24.: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Et Roman. 1. dicitur: *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*".

„ Super his vero, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi cum a ſuperiore compellitur *ſecundum ordinem juris*: quia, ſi circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum „ naſcitur; vel, ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum: quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit. Alia autem eſt ratio „ de reo, cui periculum imminet, eo nolente".

In hac aurea S. Thomæ doctrina totum id continetur, quod ſpectare poteſt teſtis obligationem. Ex ea autem intelligitur, quod tertia ejus aſſertio exceptionem patiatur eo in caſu, quo grave detrimentum toti multitudini, vel alicui tertiæ perſonæ crearetur, niſi quis id, quod novit, teſtificetur, etiam non requiſitus, aut non requiſitus juridice. Quæ exceptio conſtat etiam ex reſponſione *ad* 2., ubi docet, quædam eſſe delicta, quæ ſtatim ac ad notitiam venerint, quiſquis ea manifeſtare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando; adeout contra hujuſmodi debitum nullus obligari queat per ſecreti commiſſum; uti ſunt, inquit, *quæ pertinent ad corruptionem multitudinis ſive ſpiritualem, ſive corporalem, vel in grave damnum vergunt alicujus perſonæ.*

II. Quoniam vero dum publica crimina contra Reipublicæ, aut alicujus perſonæ bonum committuntur, Judex inquirere ſolet de eorumdem authoribus, ut qui ea noverunt, deferant, ac teſtificentur; quædam de hac *inquiſitione* adnotanda ſunt. Itaque quoties crimen manifeſtum eſt, ſed author occultus, poteſt Judex inquirere ex communiore ſententia de ejus authore *generali inquiſitione* ex parte perſonæ, etſi *non ſpeciali;*

ciali; nimirum ſi commiſſum fuerit homicidium, & a quo commiſſum ſit, ignoretur; Judex poteſt generaliter inquirere, quis illud fecerit, quamvis non poſſit peculiariter quærere, an vel Petrus, vel Joannes, ſi ipſi nulla criminis infamia laborent.

Hæc doctrina nititur communi Judicum omnium praxi, quæ derogavit legi poſitivæ, ſi qua contra foret. *Sic*, inquit Innocentius IV. ad cap. *Bonæ* 1. tit. de Elect., *ſervat totus Mundus, quod, contingente maleficio notorio, ſtatim inquirit Judex generaliter, non contra certam perſonam: & facta inquiſitione, vocat nominatos in inquiſitione de maleficio. Et quod longam interpretationem recipit, ex iteratione factorum mutari non debet*. Et infra: *Cum maleficium ſic notorie factum eſt; ſed quis illud fecerit, ſit incertum: Judex, nullo vocato, procedit ad inquiſitionem illius maleficii, ſcilicet per quem ſit factum*.

Deinde, niſi hujuſmodi inquiſitiones a Judice fierent, duo mala, & illa quidem graviſſima, ſequerentur. Alterum, quod populus graviter offenderetur, dum cernit Judicem in authorem manifeſti facineris nequaquam inquirere. Alterum, quod maleficia invaleſcerent ſub impunitatis fiducia, atque ita pax Reipublicæ, atque tranquillitas perturbaretur. Illud tamen advertat Judex oportet, ne occulta crimina imprudenter ab imperitis quibuſdam revelentur, recte ſe facturum, ſi juxta & perſonarum, & rerum circumſtantias proteſtetur ab initio, ſe non de occultis delictis, ſed de notoriis inquirere, vel de iis, de quibus rumores, aut indicia ſunt.

III. Cæterum ſi Judici generaliter inquirenti detegatur criminoſus occultus, poteſt, ac debet ad ſpecialem tunc inquiſitionem progredi, ac demum juxta ea, quæ diximus, criminoſum punire. Siquidem ex quo in publicam Judicis notitiam deductus eſt, modo ſine injuria, quam Judex intulerit, noxium Reipublicæ foret connivere, ac præberetur occaſio delinquendi iis, ad quos detectio, aut impunitas perveniret. Dixi: *modo ſine injuria &c.* Quia cum Judex per injuriam extorſit criminis, aut criminoſi cognitionem, abſque peccato injuſtitiæ talem reum ex hac cognitione punire, vel ad puniendum procedere nequit: quamvis id ipſi liceat, quoties detectio habita fuit per alios indebite, imo & injuſte, ſi illius injuſtæ manifeſtationis cauſa non fuerit ipſe Judex.

Ad hauriendam notitiam criminis, & criminoſi adhibetur quandoque *Monitorium*. Hoc autem ad revelationem non obſtringit nec authorem criminis, nec cooperatores; qui tamen per cenſuras compelli queunt ad ſatisfaciendum parti læſæ. Qui autem intra tempus præſcriptum in Monitorio non revelavit, cum debuiſſet, ac potuiſſet, peccavit mortaliter, & cenſuram latam contraxit; teneturque, quamprimum commode poſſit, revelare, ſi revelatio adhuc profutura ſit. Quoniam obligatio non ceſſat, ceſſante termino, quando terminus non ad finiendam obligationem apponitur, ſed ad eam duntaxat ſollicitandam.

IV. Quærit *art.* 2. S. Thomas, *an ſufficiat duorum, aut trium teſtimonium?* Reſponſio, quam tradit, communis, ac certa eſt; duorum nempe teſtimonium, vel trium ad majorem certitudinem in judiciis ordinarie ſufficere. Principium, quo id probat, non eſt omittendum: „ Secundum Philoſophum (inquit) certitudo non eſt ſimiliter „ quærenda in omni materia. In actibus enim „ humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, „ & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quod ſunt circa contingentia, & variabilia. Et ideo ſufficit *probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat*, etſi in paucioribus a veritate deficiat “.

„ Eſt autem probabile (ſive *moraliter certum*) „ quod magis veritatem attingat dictum multorum, quam dictum unius. Et ideo, cum reus „ ſit unus, qui negat, ſed multi teſtes aſſerant „ idem cum actore; rationabiliter inſtitutum eſt „ de jure divino, & humano, quod dicto trium „ ſtetur “.

V. Nec quidpiam refert contingere interdum, ut duo, vel tres falſum teſtimonium proferant, quemadmodum contigit in judicio Naboth, ut habetur 3. *Reg. cap.* 21. Hoc enim & raro contingit, & per accidens ſe habet. In legibus autem ſtatuendis conſideratur id, quod per ſe, & ut in pluribus eſt: alioqui nec ſufficeret teſtimonium multorum, cum etiam illud poſſit aliquando eſſe falſum. En reſponſio, quam argumento adhibet S. Thomas ad primum: *Quantacumque multitudo teſtium determinaretur, poſſet quandoque teſtimonium eſſe iniquum &c. Nec tamen quia non poteſt in talibus infallibilis certitudo haberi, debet negligi certitudo, quæ probabiliter haberi poteſt per duos, vel per tres teſtes*.

VI. Cæterum, ut hæc duorum, triumve teſtimonia ad fidem faciendam ſufficiant, illud neceſſe eſt, ut ipſi ſint omni exceptione majores, & depoſitio eorum factum idem reſpiciat, ita videlicet, ut non ſint teſtes ſingulares, ſed rei ejuſdem conteſtes; adeoque convenire debent tam in circumſtantiis potioribus, quam in præcipuo puncto rei, de qua agitur. Neque tamen diſcordes inter ſeſe exiſtimandi ſunt, ſi in tempore deſignando varietas aliqua extiterit; ut, ſi alter deſignet certum tempus, & certum, & individuum locum, & alter ſe ejuſdem haud meminiſſe affirmet. En quæ S. Thomas de his ſapienter diſſerit *in reſp. ad* 2. inquiens: „ Dicendum, „ quod diſcordia teſtium in aliquibus principalibus circumſtantiis, quæ variant ſubſtantiam „ facti, puta in tempore, vel in loco, vel in „ perſonis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam teſtimonii. Quod ſi diſcordent „ in talibus, videntur ſingulares eſſe in ſuis teſtimoniis, & de diverſis factis loqui .... Non tamen præjudicatur teſtimonio, ſi unus dicat, ſe „ non recordari, & alius aſſerat determinatum tempus, vel locum. Et ſi in talibus omnino diſcordaverint teſtes, actores, & rei, ſi ſint æquales „ numero, & pares dignitate, ſtatur pro reo: quia „ facilior debet eſſe Judex ad abſolvendum, quam „ ad condemnandum; niſi forte in cauſis favorabilibus, ſicut eſt cauſa libertatis, & hujuſmodi. „ Si vero teſtes ejuſdem partis diſſenſerint, debet „ Judex ex motu ſui animi percipere, cui parti „ ſit

„ ſit ſtandum, vel ex numero teſtium, vel ex dignitate eorum, vel ex favorabilitate cauſæ, vel „ ex conditione negotii, & dictorum. Multo autem magis teſtimonium unius repellitur, ſi ſibi „ ipſi diffideat interrogatus de viſu, & ſcientia: „ non autem ſi diffideat interrogatus de opinione, & fama; quia poteſt ſecundum diverſa viſa, & audita diverſimode motus eſſe ad reſpondendum. Si vero ſit diſcordia teſtimonii in aliquibus circumſtantiis non pertinentibus ad ſubſtantiam facti, puta ſi tempus fuerit nubiloſum, vel ſerenum; vel ſi domus fuerit picta, aut non, aut aliquid hujuſmodi: talis diſcordia non præjudicat teſtimonio; quia homines non conſueverunt circa talia multum ſollicitari; unde facile e memoria elabuntur. Quin imo aliqua diſcordia in talibus facit teſtimonium credibilius &c. quia ſi in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem ſermonem proferre; quod tamen prudentiæ Judicis relinquitur diſcernendum". Hactenus ille. Ex quibus perſpicere Judex poteſt, quomodo ſe gerere debeat in teſtibus examinandis; & quodnam valeat de eorum efficacia ferre judicium.

VII. Hæc autem doctrina de judiciis rerum graviorum regulariter intelligenda eſt. Quandoque enim unus teſtis ſufficit; ut ad Matrimonium impediendum, prout habetur C. 27. *de Sponſal.* Pariter cum de levioribus pœnis infligendis agitur: Sic ad teſtimonium publici cuſtodis plecti ſolent, qui ligna in communi ſylva furantur; & in Religionibus ex unius teſtimonio leves pœnæ imponuntur: hoc enim fieri expedit ad bonum commune. Quandoque autem duo teſtes non ſufficiunt, ut in Teſtamentis, in quibus, aliiſque ſervandæ ſunt leges, & probatæ conſuetudines Regionum.

VIII. Sunt perſonæ nonnullæ, quæ jure vel naturali, vel humano ad teſtificandum non admittuntur. De his agit S. Thomas hic *artic.* 3. ubi quærit: *Utrum alicujus teſtimonium ſit abſque ejus culpa repellendum?* Cui quæſtioni reſpondens, hanc tradit generalem regulam: „ Teſtimonium, ſicut „ dictum eſt, non habet infallibilem certitudinem, „ ſed probabilem (ſive prudenti approbatione dignam). Et ideo quidquid eſt, quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit teſtimonium *inefficax*. Redditur autem probabile, „ quod aliquis in teſtificando non ſit firmus *quandoque* quidem *propter culpam;* ſicut infideles, „ & infames: item illi, qui publico crimine rei „ ſunt, qui neque accuſare poſſunt: *Quandoque* „ quidem *abſque culpa*. Et hoc eſt vel *ex defectu rationis*: ſicut patet in pueris, amentibus, „ & mulieribus. Vel *ex affectu*; ſicut patet de „ inimicis, & perſonis conjunctis, & domeſticis. „ Vel etiam *ex exteriore conditione*: ſicut ſunt „ pauperes, ſervi, & illi, quibus imperari poteſt, de quibus probabile eſt, quod de facili „ poſſint induci ad teſtimonium ferendum contra „ veritatem".

Porro ad decem perſonarum genera revocari ſolent ii, qui a teſtificando repelluntur. 1. Eſt delirus, aut ſemifatuus. 2. Perſona vilis, & inops, de qua ſuſpicio eſt facile poſſe corrumpi: ſecus autem, ſi honeſta ſit. 3. Servus, ſive mancipium. 4. Mulier, quæ tametſi in jure civili admittatur, in jure tamen canonico, quibuſdam exceptis caſibus, non admittitur. 5. *Minor viginti annis* in criminalibus: in civilibus autem *impubes*. 6. Infames. 7. Perjuri, & infideles. 8. Inimicus. 9. Conſanguinei, & domeſtici actoris, quibuſdam tamen demptis caſibus. 10. Tandem ſocii criminis. Ex quibus tamen ii, qui ſolo jure humano ſunt ad teſtificandum inhabiles, admitti poſſunt, ac ſolent in criminibus exceptis, ut hæreſi, crimine læſæ Majeſtatis, falſæ monetæ, maleficio, furto famoſo &c. quemadmodum etiam quoties delictum commiſſum eſt eo tempore, & eo in loco, ubi ſufficientes alii teſtes haberi nequeunt, ut in campo, ſylva, cubiculo, nocturno tempore &c.

IX. Ex iis, quæ dicta ſunt, colligas primo, regulariter omnes tam Clericos, quam laicos, tam ſæculares, quam Regulares compelli poſſe ad ferendum teſtimonium nedum in civilibus, ſed etiam in criminalibus cauſis; niſi vel aliquo juſto titulo excuſentur, vel prohibeantur. Nam ſi compelli minime poſſent, vel *innocentes* injuſte accuſati defectu teſtium, qui eorum innocentiam manifeſtarent, damnarentur; vel *Rei* juſte accuſati teſtium pariter defectu commiſſum ab illis delictum non atteſtantium, injuſte abſolverentur; quod ſane in grave Reipublicæ detrimentum cederet.

Colligas ſecundo, ad teſtimonium ferendum omnes illos cogi non poſſe, qui lege vel naturali, vel poſitiva ſive divina, ſive eccleſiaſtica, ſive etiam civili a ferendo teſtimonio eximuntur: Tunc enim *juris ordo* minime ſervaretur. Hinc procul dubio teſtimonium ferre nequit Confeſſarius de his, quæ in Confeſſione audivit. Hinc etiam ex D. Thoma, quæ ſub naturali ſecreto commiſſa ſunt, revelari non debent: quia *ſervare fidem eſt de jure naturali; nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure naturali*, niſi ſecretum vergat in periculum boni communis, vel in damnum *Innocentis* juxta ea, quæ alibi dicta ſunt.

Colligas tertio: nedum tenemur teſtimonium reddere veritati, cum interrogamur *juridice;* ſed tunc etiam, cum ex ſilentio noſtro vel *honor Dei*, vel *utilitas proximi* contrarie ſubtraheretur, ut docet Sanctus Thomas loquens *de profeſſione fidei*: ſcilicet quoties ex defectu teſtimonii noſtri aut Deus poſitive inhonoraretur, aut proximus innocens injuſte opprimeretur. Siquidem in his circumſtantiis ſilentium noſtrum præberet cauſam culpabilem vel blaſphemiæ in Deum, vel injuſtæ calumniæ in proximum, ob quam veluti reus apud homines haberetur: quod pluribus exemplis oſtendi poſſet. Quæ de falſo teſte docet Sanctus Thomas *art.* 4. hujus quæſtionis alibi opportunius proponemus.

§. II.

De Advocati, & Procuratoris obligationibus.

X. *Advocati, & Procuratoris* nomine veniunt ii, qui cauſas litigantium defendendas ſuſcipiunt. Advocatus appellari etiam ſolet *cauſæ Patronus*, & actio ipſius *patrocinium*, vel *advocatio*, aut

aut *poſtulatio*; quod per eam deſiderium Clientis, cujus agitur cauſa, exponatur apud illum, qui juriſdictioni præeſt. Qui ab *Advocati* officio, ut aliquando fit, excluditur; haud propterea, ut Sylveſter tradit V. *Advocatus*, cenſetur prohibitus domi conſulere etiam per jurium allegationes in ſcriptis exhibitas.

Quatuor in Advocato, ſicut & in Procuratore; requiruntur ad rite officium ſuum obeundum; primo nempe *notitia legum*: 2. *fidelitas* erga Clientem: 3. *equitas* cauſæ, quam defendendam ſuſcipit; ac demum 4. *pretium moderatum* pro ſuo labore, vel patrocinio præſtito.

XI. Quod attinet ad priorem dotem, Advocatus, & Procurator habere debent *ſcientiam convenientem* eorum, quæ miniſterium ſuum ſpectant; Advocatus ſcilicet *peritiam legum*, ex quibus cauſæ reſolutio pendet: Procurator autem *notitiam formalitatum juris*. *Neceſſaria eſt*, inquit S. Thomas hic art. 2. *Advocato interior peritia, qua poſſit convenienter juſtitiam aſſumptæ cauſæ oſtendere*. Additque: *Et iterum loquela cum auditu, ut poſſit pronunciare, & audire, quod ei dicitur*. Ratio in eo fundatur, quod habet 1. 2. *q.* 76. *art.* 1. nimirum: *Quicumque negligit habere, & facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis*. Et vi talis omiſſionis culpabilis ad reſtitutionem tenetur damnorum, ſi quæ ex inſcitia, & imperitia ſua Clienti damna obvenerint. Nec ſatis eſt ad peccatum hocce vitandum, quod ſufficienti ſcientia non careat, ſi illam non exerceat, vel per negligentiam, vel propter ſive cauſarum, ſive negotiorum multitudinem Clientum ſuorum cauſas non expendat, aut, ut congruum eſt, non examinet.

XII. Quoad *fidelitatem*, hanc ſervare omnino debent Clientibus ſuis Advocatus, & Procurator, adeout cauſam illorum non prodant, ut aliam partem juvent, aut ſecreta cauſæ ſuæ alteri parti revelent, aut quidpiam aliud agant, quod cauſæ, quam defendendam ſuſcipiunt, detrimentum afferat. Sic etiam ad ipſos pertinet indicare Clienti cauſæ æquitatem, aut injuſtitiam, probabilitatem obtinendæ victoriæ, & periculum amittendæ, ne forte ſuperfluos ſumptus faciat in ea proſequenda. Quare lethaliter peccant Advocati, & Procuratores, qui duobus inter ſe litigantibus ſimul conſilium offerunt: ea quippe agendi ratio aperte pugnat cum fidelitate, quam utrique litigantium debent.

XIII. Circa *juſtitiam* cauſæ, pro qua advocat, quam cognoſcere debet tum Advocatus, tum Procurator, antequam ad eam tuendam operam præſtet; audiamus S. Thomæ doctrinam, quam tradit *art.* 3. ubi quærit, *utrum Advocatus peccet, ſi injuſtam cauſam defendat?* Ac ita reſpondet: „ Illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo: quia conſiliarius, & coadjuvans quodammodo eſt faciens. Et Apoſt. dicit Rom. 1. quod *digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Unde & ſupra dictum eſt, quod omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod Advocatus auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur “.

XIV. „ Unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt “.

Quæ docet quoque S. Doctor in reſponſione ad ſibi objecta argumenta, digna ſunt, quæ diligenter conſiderentur. Primum depromptum erat ex paritate Medici, qui laudatur, *ſi infirmitatem deſperatam ſanet*; adeoque laudandus etiam videtur Advocatus, ſi peritia ſua injuſtam cauſam defendat, & vincat. Verum ad hoc ita reſpondet, obviam diſparitatem aſſignans; quod videlicet *Medicus accipiens in cura infirmitatem deſperatam, nulli facit injuriam: Advocatus autem ſuſcipiens cauſam injuſtam, injuſte lædit eum, contra quem injuſte patrocinium præſtat. Et ideo non eſt ſimilis ratio. Quamvis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis; tamen peccat quantum ad injuſtitiam voluntatis; quia abutitur arte ad malum*.

Occaſione alterius argumenti monitum tradit ab Advocatis omnibus ſedulo advertendum; nimirum: *Si advocatus in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam; non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet. Poteſt tamen, & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno*. Adnotandum tamen, cum ait S. Doctor, Advocatum, *qui deprehendit injuſtitiam cauſæ*, non debere eam alteri parti prodere, ſed teneri ad ſervandum ſecretum; hoc ita intelligendum eſſe, *niſi ex illo ſecreto immineret alteri grave damnum* ſive in corpore, ſive in honore, ſive in aliis bonis. Si enim grave damnum immineret, teneretur admonere vel Judicem, vel partem, ut ejuſmodi damnum, quoquo modo fieri poſſet, impediretur.

Tertia objectio deſumpta erat ex paritate militiæ, cui plura permittuntur, quæ etiam Advocatis permittenda videntur in ſuſcepta cauſa tractanda. Cui reſpondet hoc pacto, aſſignans quid utrique liceat, nec ne. „ Militi, *inquit*, vel Duci exercitus licet in bello juſto ex inſidiis agere ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falſitatem fraudulenter faciendo: quia & hoſti fidem ſervare oportet, ſicut Tullius dicit in 1. Offic. ... Unde & Advocato, defendenti cauſam juſtam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri poteſt proceſſus ejus: non autem licet ei aliqua falſitate uti “.

XV. Verum præcipua, quæ in re hac quæſtio ſuboritur, in eo poſita eſt; num ſcilicet Advocato liceat cauſæ alicujus patrocinari, cum juſtitia cauſæ non liquida, & certa, ſed incerta eſt, ſolumque probabilis. Et in primis quidem ſaltem ſanioris Ethicæ defenſores illud pro explorato habent, diſcrimen aliquod intercedere inter Judicem, & Advocatum. Neque enim par eſt

utri-

utriuſque ratio. Judex enim cum inter utramque partem jus dicere teneatur, cæteris paribus, *reo magis favere debet*, *quam actori* juxta Reg. Juris 11. in 6. *Cum jura partium ſunt obſcura*, *reo favendum eſt potius*, *quam actori*. Advocati vero munus in eo conſiſtit, ut explicet, ac defendat cauſam ſui Clientis, ejuſque merita, ac rationes proponat, quibus innititur.

Conveniunt etiam, quoties agitur de capite, vel alia gravi pœna, ſeu damno alicujus, ob quod in extremam, aut gravem neceſſitatem adduceretur, haud licere Advocato probabilem cauſam actoris contra probabiliorem rei defendendam ſuſcipere. Siquidem actor contra charitatem agit, dum reum probabiliori ſententiæ nixum in talem neceſſitatem, aut anguſtiam adigere tentat: cum ex charitate potius ad ei ſubveniendum obligetur; quemadmodum unuſquiſque proximum ſuum in urgenti neceſſitate conſtitutum adjuvare tenetur.

De cauſis ergo civilibus tantum excitari controverſia poteſt. Et in his communior, & mihi, aliiſque probabilior ſententia eſt, advocatum poſſe aſſumere defendendam cauſam dubiam, pro qua ſcilicet rationes, ſive momenta æque gravia militent pro utraque parte, Cliente tamen admonito de victoriæ incertitudine, ſive de periculo amittendæ litis. Quoniam pars utraque jus habet ſive per ſe, ſive per alium ſuas proferendi rationes coram Judice, ut ipſe poſtea determinet, quid ſibi reapſe debitum ſit, aut non, an litigantes componere invicem debeat, aut rem dividere: & Advocatus ſui Clientis vices gerit, & ejuſdem jura ſolum proponit; non autem judicat: adeoque niſi utatur captioſis verbis, aut ratiunculis nullius ponderis, ut certa appareat, vel probabilior cauſa, quam dubiam ipſe cognoſcit; non video, cur in ea defendenda peccet.

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi partis contrariæ Cliens præter jus æquale gauderet rei poſſeſſione. Nam poſſeſſio jus majus ipſi præberet juxta illud, quod hic tantummodo locum habet: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Deinde neque cauſam ſuſcipere licite poteſt, quam certo judicat eſſe minus probabilem. Tunc enim cauſam defenderet, quam magis exiſtimat injuſtam eſſe, quam juſtam; & quantum eſt de ſe, judicem induceret ad adjudicandam cauſam habenti jus minus probabile, adeoque ad injuſte judicandum; ac niteretur impedire, ne ſententia feratur in ejus favorem, cujus jus potius eſſe cenſet, ac melius. De cauſa loquor civili. Nam par ratio non eſt in criminalibus, ubi potius de provocanda miſericordia agitur, quam de adminiſtranda juſtitia.

XVI. De poſtrema qualitate Advocati, *moderatione* ſcilicet in exigendo pretio pro ſuo labore, aut patrocinio, ſpecialiter differit Sanctus Thomas hic *art.* 4. ubi primum affert authoritatem Sancti Auguſtini dicentis ad Maced. quod *Advocatus licite vendit juſtum patrocinium*, *& Juriſperitus verum conſilium*. Id autem ſequenti ratione confirmat inquiens: „ Quæ quis non tenetur alteri exhibere, juſte poteſt pro eorum exhibitione recompenſationem accipere. Manifeſtum eſt autem, quod Advocatus non ſemper tenetur patrocinium præſtare, aut conſilium dare cauſis aliorum. Et ideo, ſi vendat ſuum patrocinium, ſive conſilium, non agit contra juſtitiam. Et eadem ratio eſt de Medico opem ferente ad ſanandum, & de omnibus aliis hujuſmodi perſonis: dum tamen moderate accipiant, conſiderata conditione perſonarum, & negotiorum, & laboris, & conſuetudinis patriæ “.

„ Si autem per improbitatem aliquid immoderate extorqueatur, peccant contra juſtitiam. Unde Auguſtinus dicit ad Maced. quod *ab his extorta per immoderatam improbitatem*, *repeti ſolent*, *data per tolerabilem conſuetudinem*, *non ſolent* “.

Hæc Sancti Thomæ doctrina perſpicua eſt, & probatione non indiget. Illud unum obſervo, minime licere Advocato pactum inire cum Cliente de quota litis ſibi loco ſalarii ſolvenda. Hoc enim jure vetitum eſt, ne detur occaſio per fraudes, ac modos iniquos vincendi litem: imo nec paciſci licet, ut ſi in cauſa victor exiſtat, tantum ſtipendii recipiat. Quamquam abſque peccato convenire poſſit, ut ſive vincat, ſive non, certam pro labore recipiat, eamque juſtam, pretii quantitatem.

XVII. Cæterum, etſi Advocatus pro labore ſuo pretium juſtum recipere, quin & exigere queat, tamen pauperum cauſis *gratis* aliquando patrocinari tenetur. Hanc charitatis regulam tradit ex Sancto Auguſtino D. Thomas hic artic. 1. *Cum enim præſtare patrocinium cauſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat*; idem de eo ferendum judicium eſt, ac de cæteris miſericordiæ operibus, quæ cadunt ſub præcepto. Quando autem hoc præceptum urgeat, adeo ut lethaliter peccet Advocatus, ſi patrocinium ſuum pauperum cauſis gratis impendere renuat, declarat *in corp. artic.* dicens: *Conſiderandum*, *utrum aliquis tantam neceſſitatem patiatur*, *quod non in promptu appareat*, *quomodo ei poſſit aliter ſubveniri*. *Et in tali caſu tenetur ei opus miſericordiæ impendere* (ſive patrocinium cauſæ ſuæ ſuſcipere). *Si autem in promptu appareat*, *quomodo aliter ei ſubveniri poſſit vel per ſe ipſum*, *vel per aliam perſonam magis conjunctam*, *vel majorem facultatem habentem* (& ab hac pauper non deferatur, aut deferendum non eſſe cum fundamento credatur); *non tenetur ex neceſſitate indigenti ſubvenire*, *ita quod non faciendo peccet*: *quamvis*, *ſi ſubvenerit abſque tali neceſſitate*, *laudabiliter faciat*. *Unde Advocatus non tenetur ſemper cauſæ pauperum patrocinium præſtare*, *ſed ſolum concurrentibus conditionibus prædictis* (iis ſcilicet, quæ concurrere debent in aliis neceſſitatibus): *alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere*, *& ſolis cauſis pauperum juvandis intendere*.

Duplex autem neceſſitas pauperis eſſe poteſt, in qua, aliis deficientibus, Advocatus cauſam ejus defendendam ſuſcipere debeat. Alia *extrema* eſt, quoties ſic indigeat patrocinio, ad quod procurandum impar omnino ſit, & niſi adjuvetur, cauſa ſit caſurus, & vel injuſta morte plectendus,

vel ſuis, quæcumque ea ſint, rebus omnibus ſpoliandus, & ad extremam inopiam redigendus. *Gravis* alia eſt, quoties niſi gratis juvetur, litem amittet, ratione cujus aut gravem patietur bonorum jacturam, aut ad triremes, vel diuturnum carcerem damnabitur, aut periculoſum morbum incurret.

In *extrema* igitur neceſſitate gratis patrocinari debet Advocatus, tametſi ſuperflua non habeat, & fortaſſe paſſurus ſit jacturam eorum bonorum, quæ ad ſtatum ſuum ſimpliciter neceſſaria ſunt. In *gravi* autem cum aliquo eorum detrimento, quæ etſi ad ſtatum ſuum non ſint ſimpliciter neceſſaria, ſunt tamen quaſi neceſſaria ad ejus decentiam.

Interdum etiam Advocatus tenetur cauſam pauperis agere in *communi* neceſſitate exiſtentis; ſi nempe id præſtare valeat abſque ſui ſtatus imminutione, & tales occurrant ex parte pauperis circumſtantiæ, ut ad ei ferendum auxilium charitas ſuadeat, atque præſcribat juxta ea, quæ in loco dicenda erunt de hujuſmodi neceſſitate.

Nec minus tenebitur Advocatus ad præſtandum gratis hoc charitatis officium, quoties ad advocandum pro pauperis cauſa ab ipſo Principe, vel Judice, aut Magiſtratu deligitur. Judex ſiquidem ipſe providere tenetur de Advocato, tum quoties aliquis ob paupertatem ſibi illum comparare nequit, tum etiam quoties ob potentiam adverſarii nemo alteri patrocinari audet. Hinc Concilium Toloſanum anno 1590. celebratum ſanxit, ut *qui per egeſtatem litigantes ſibi advocatum comparare non poſſunt*, *illis Curia de Advocato*, *ſi res poſtulat*, *provideat:* quod & antea ſtatutum fuerat, & æquitas ipſa depoſcit.

XVIII. Ex his omnibus colligamus omnia, aut ſaltem præcipua capita, in quibus graviter delinquunt, aut delinquere ſolent Advocati in officio ſuo obeundo, quandoque contra charitatem, quandoque etiam contra juſtitiam. 1. Si Advocatus, aut Procurator officium ſuſcipiat, dum peritia, & idoneitate ſufficienti caret ad illud recte exercendum. 2. Si cauſam aſſumat; quam injuſtam eſſe novit. 3. Si quamlibet cauſam ſine diſcrimine, & conſideratione ſuſcipiat, nihil expendens merita cauſarum. 4. Si in progreſſu litis cauſæ iniquitatem deprehendens, Clientem non moneat, ut ab ea proſequenda deſiſtat; nec ipſe illam dimittat. 5. Si ob ejus imperitiam, negligentiam, aut malitiam Cliens cauſa cadat, aut indebitas expenſas facere debeat, vel damnum aliud patiatur. 6. Si in cauſa dubia periculum amittendæ litis Clienti non manifeſtet. 7. Si expeditionem cauſæ protrahat cum Clientis damno. 8. Si cauſæ ſecreta adverſanti parti revelet. 9. Si in cauſa defendenda proferat ſcripturas falſas, teſtes mendaces, leges obliteratas, aut abrogatas; aut veras quidem, ſed cavillis, & artificiis in falſos ſenſus detortas. 10. Si falſa crimina adverſæ parti imponat; aut vera, ſed occulta ad cauſam non pertinentia detegat; vel conviciis utatur. 11. Si plures cauſas ſimul agendas accipiat, quibus apte expediendis impar ſit. 12. Si pretium juſto majus exigat. 13. Si injuſtis dilationibus adverſam partem vexet; vel impediat, ne jus ſuum legitime proſequatur. 14. Tandem, ſi ſcripta, quæ exarare opus eſt, nimium extendat; vaniſque, ac inutilibus verbis, aut rationibus impleat ob majus lucrum acquirendum.

XIX. Non abs re futurum arbitror, in calce hujuſce paragraphi quædam decerpere, aut potius indicare ex operibus Benedicti XIV. perſonas ſpectantia, quæ Advocati munus gerere poſſunt, aut ab eo prohibentur. Primum itaque *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *c.* 12. *N. edit.* habet: *Reſcripta*, *& Brevia pro exercendo Advocati munere Monachis*, *etiam Canonicis Regularibus nunquam conceduntur; quod conforme eſt Canoni*. Ex parte tua. *De poſtulando*.

Lib. eodem c. 19. ſubjicit: *Sæcularibus vero Clericis etiam Beneficiariis*, *tum & Sacris Ordinibus initiatis conceditur*, *ut advocaturam exerceant in Tribunalibus Eccleſiaſticis*; *in Laicalibus*, *& coram Judice ſæculari*, *cum agitatur cauſa propria ipſorum*, *vel Eccleſiæ ſuæ*, *vel miſerabilium perſonarum*. *Quamquam* in Brevibus *libere conceditur Sæculari Sacerdoti pauperi*, *ut libere cauſas civiles*, *& criminales agat*; *dummodo tamen* in criminalibus *tantummodo Reis patrocinetur: quin & tamdiu munus illud exercere permittitur*, *donec certos Eccleſiaſticos reditus ad congruam ſuſtentationem ſufficientes*, *vel beneficium reſidentiale obtineat*.

§. III.

De Notarii obligationibus.

XX. Pauca etiam curſim adnotemus circa Notarii obligationes. Notarius, qui etiam *Tabellio* vocatur, ille eſt, qui contrahentium voluntates tamquam teſtis publicus conſcribit, & publica itidem inſtrumenta tamquam depoſitarius cuſtodit. Quare duo præcipue in *Notario* requiruntur; *ſcientia*, qua calleat, & obſervet ſolemnes contractuum formulas; & *fidelitas*, qua nihil contra æquitatem, & veritatem in Scripturis ſuis irrepere patiatur.

Peccat igitur Notarius contra debitum officii ſui, ſi inſtrumenta haud recte conficiat: ſi juramentum, vel ſecretum violet; ſi in teſtimoniis teſtium vel dictis, aut factis partium adjiciat aliquid, vel detrahat; ſi omnia, prout reapſe ſe habent, ſincere non ſcribat vel circa diem, vel circa res, quæ ſunt materia contractus; puta ſi inſtrumentum, quod ſit tali die, tali menſe, vel anno referat factum eſſe die, menſe, & anno prioribus, aut poſterioribus: vel ſcribat contrahentes præſentes eſſe, cum præſentes non ſint; ſi atteſtetur numeratam eſſe pecuniam, cum revera numerata non eſt. Hæc enim mendacia ſunt, imo perjuria, cum Notarii jurent, ſe nihil falſi in ſuis publicis inſtrumentis relaturos.

Peccant pariter contra fidelitatem, & veritatem, ſi in teſtium depoſitione quidpiam haud levis momenti ex arbitrio varient; ſicut etiam ſi in voluntate contrahentium exprimenda addant aliquid, vel detrahant, quod ei non reſpondeat; ſi amiſſo inſtrumento publico, puta Teſtamento,

vel

contractu, aliud ſimile confingant, atque ſubſtituant. Quoniam in ſingulis hiſce caſibus contra veritatem agunt, quam ſe fideliter obſervaturos juramento firmarunt. Nec excuſandi veniunt ex eo, quod ſi, inſtrumento aliquo amiſſo, aliud ſimile non confingant, in magnum diſcrimen conjiciuntur: neque enim ad impediendum damnum licet aliquo illicito medio uti; quemadmodum furari nequaquam licet ob eleemoſynam tribuendam.

Peccat etiam Notarius contra veritatem, ſi ſcribat teſtamentum hominis rationis uſu deſtituti, vel ſui minime compotis: ſi teſtes falſos ad teſtimonium ferendum admittat: ſi ex animo verba æquivoca adhibeat, quæ varium ſenſum pati poſſint, ut partes contrahentes decipiat, aut ut commodum, ſive favorem amico præſtet.

Demum, aliis fortaſſe caſibus omiſſis, contra juſtitiam, & æquitatem Notarius peccat, ſi vel ipſe juſtitiam violat, aut partibus injuſte contrahentibus ſuffragium præbeat: ſi aliquid exigat ultra pretium a legibus, vel a legitima conſuetudine ſtatutum: ſi publica inſtrumenta iis oſtendere renuat, quibus neceſſaria ſunt; puta hæredibus teſtamenta, legatariis legata, vel ſi pro exigendis hujuſmodi inſtrumentis pretium excedens extorqueat &c.

Ac de horum quidem ſtatuum, aut officiorum obligationibus ſatis. Nam de aliorum, quę ſuperſunt, obligationibus ſuis in locis opportunior ſermo erit.

REFLEXIO.

Plurium ſtatuum, & officiorum hominum obligationes expoſuimus. Aliorum etiam plurium ſuis locis opportune exponendæ erunt, ex quarum omiſſione innumera peccata profluunt, quæ ſub examen, & diſcuſſionem venient ſupremi Judicis Dei; & pœnis graviſſimis punienda ſunt, tametſi frequentius, vel nullatenus in hac vita cognoſcantur, vel pro nihilo reputentur. Qua de cauſa fidenter affirmare mihi fas eſt, majorem Chriſtianorum multitudinem ad ſempiterna ſupplicia damnari propter omiſſionis, quam propter commiſſionis peccata. Hæc ſiquidem facile incurrunt in oculos eorum, qui non penitus ſalutis ſuæ curam abjecerunt; adeoque & ſæpe eorumdem pœnitet, & Sacramentali Confeſſione abſtergere, & expiare non prætermittunt. Ecquis enim haud prorſus projectæ conſcientiæ eſt, qui dum vel homicidium commiſit, vel in turpia crimina lapſus eſt, vel furtum, aliudve ſimile flagitium perpetravit, peccati ſui dolore perculſus, illud ſacro Miniſtro detegere non feſtinet, & veniam a Deo non imploret? Horum ſane pauciſſimos inter Chriſti fideles invenias. At non ita plane ſe res habet, cum de omiſſionum peccatis agitur. Hæc, quamquam ſæpe gravia admodum ſint, fugiunt plerumque minus attentæ mentis conſpectum, adeout ne illa quidem tamquam prava, ac ſevera punitione plectenda cognoſcat: unde nec de ipſis neceſſarium dolorem concipit, nec illa Pœnitentiæ Sacramento delere ſatagit. Nonne hoc funeſta nimium experientia compertum omnibus rem ſerio conſiderantibus, exploratumque eſt? Quot nobiles, ac divites hujus ſæculi tum viri, tum mulieres vitam deſidem, & otioſam agunt, aut in perpetuis deliciis, & oblectamentis traducunt, quin aliquo animi ſenſu, aut ſtimulo conſcientiæ tangantur? Quot Prælati, quot Altaris Miniſtri, quot Religioſi, quot Confeſſarii, quot Judices, Advocati, Medici, Artifices, aliique plurimi in adimplendis proprii ſtatus, & officii obligationibus graviſſime aliquando deficiunt, quin tamen ſe propterea ulli peccato obnoxios exiſtiment? Quot etiam deprehendere eſt, qui vel ipſas proprii officii obligationes prorſus ignorant, negligentia procul dubio culpabili, quæ ipſos coram Deo non excuſat? Quilibet enim ex certiſſima Scripturæ, ac Sancti Thomæ doctrina *tenetur ſcire, quæ ad proprium officium, ac ſtatum pertinent*. Hi profecto omnes ob hujuſmodi omiſſiones innumeras lethales noxas incurrunt, æternamque damnationem ſibi promerentur; quin tamen periculum ſuum advertant, aut e miſerrimo ſtatu ſuo emergere curent. Atque hinc merito Sancti Patres obſervant, Chriſtum Dominum de extremo ſuo Judicio loquentem omiſſionis duntaxat peccata commemoraſſe, propter quæ ad ignem æternum reprobi damnandi ſunt, dum dixit: *Non dediſtis mihi manducare; non dediſtis mihi bibere; non collegiſtis me &c.*, non quod etiam propter peccata commiſſionis haud damnandi forent: ſed ut omnes intelligerent, ſibique perſuaderent, quam gravia ſint omiſſionis peccata, ac ſempiterno digna ſupplicio, adeoque ad ea diligentiſſime cognoſcenda, ac præcavenda permoverentur. Ut igitur tam metuendum infortunium devitemus, omni cura, ac ſolicitudine enitamur, ut ſtatus noſtri, ac officii obligationes cognitas habeamus, atque comprehenſas; eaſque diligenter, & fideliter impleamus.

CAPUT NONUM.

De occaſione Peccati.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Animadverſio S. Caroli Borromæi circa proximas peccandi occaſiones.*

II. *Diviſio traditur* occaſionis *peccati.*

III. *Propoſitiones ab Eccleſia in hac materia anathemate confixæ.*

IV. *Notiones* occaſionis proximæ *a modernis Caſuiſtis traditæ.*

V. *Confutatur ea, quæ inter ipſos frequentior eſt.*

VI. *Vera, ac legitima* proximæ occaſionis *notio propoſita.*

VII. *Quid ex hac definitione ſequatur.*

VIII. *Alia Conſectaria ex eadem notione derivata.*

IX. *Quid agendum, dum remedia adhibita, ut occaſio proxima remota fiat, haud ſufficiunt.*

X. *Falſa opinio plurium Probabiliſtarum putantium, ad deſerendam occaſionem non teneri, dum quis tantum probabiliter novit ſe in illa lapſurum.*

XI. *Exploditur ſententia Laymani, aliorumque, negantium obligationem deſerendi proximam occaſio-*

caſionem , dum id ſine gravi incommodo fieri nequit.

XII. *Quemadmodum & Card. de Lugo plures alios laudantis.*

XIII. *P. Lacroixius licet affirmantem opinionem* veram *judicet ; nihilominus vi ſyſtematis probabiliſtici negantem ut licitam permittit.*

XIV. *Recenſitæ opiniones vel tamquam damnatæ ab Eccleſia, vel ut in damnatis contentæ rejiciendæ ſunt. Et efficaci argumento Caſuiſtarum ſententia refellitur.*

XV. *Corollaria plura peculiari obſervatione digniſſima ex doctrina conſtituta deducuntur.*

XVI. *Occaſione argumenti ab Adverſariis ex Sancti Thomæ doctrina propoſiti, de ſumma in legendo Sancto Doctore oſcitantia convincuntur ; veraque ſententia ejuſdem authoritate luculentiſſime confirmatur.*

§. I.

Quædam ad celebrem controverſiam præmiſſa.

I. NEdum peccata, ſed occaſiones etiam peccatorum vitandæ ſunt. Quare pro coronide præſentis Tractatus *de Peccatis* agendum arbitror de peccatorum occaſionibus, quarum quidem accurata notitia omnibus permaxime neceſſaria eſt, at præcipue Confeſſariis, ut officium ſuum ea cura, ac fidelitate exerceant, qua opus eſt, ut pœnitentes ſuos in viam ſalutis dirigant, & a peccatis, quibus ad perditionem perducuntur, avertant. Teſtatur namque illuſtre Eccleſiæ lumen S. Carolus Borromæus *Inſtruct. Paſtor. p. 2. cap.* 17. Confeſſariorum hac in re incuriam *maximam præbere cauſam, cur in omnibus fere opificiis, & publicis exercitationibus peccata graviſſima inveniantur, & abuſus intolerabiles; adeo ut, ſi Confeſſarius majorem in examinando poſuerit induſtriam, inventurus ſit magno numero; qui omnem fere vitam in peccatis mortalibus traduxerint ; & multos, qui nunquam Sacramento Pœnitentiæ, prout oportet, peccata ſua expiarint.* Ita Sanctus ille Archiepiſcopus animarum zelo vere ſuccenſus; a cujus Inſtructionibus, & Monitis utinam nunquam receſſiſſent plerique Juniores Caſuiſtæ, & Confeſſarii, qui eos ſequuntur! Neque enim in tot avia, ac devia a Sanctorum Patrum, & D. Thomæ doctrina proruiſſent; neque ita invaleſcerent in populo Chriſtiano morum corruptelæ, & innumerabilia plane flagitia, quæ Sanctus idem enumerat, atque deplorat.

II. Quamquam porro alia ſit *occaſionis*, alia *periculi* natura, ut manifeſtum eſt; hic tamen alterum pro altero frequentius ſumitur, ac nos quoque ſumemus. Ea quippe, quæ præſens argumentum ſpectant, utrumque neceſſario complectuntur. Primumque varia occaſionum genera dividimus, ut eam, in qua potiſſima difficultas & controverſia eſt, *definire*, ejuſque legitimam notionem exhibere poſſimus.

Prima itaque & univerſalis occaſionis peccati diviſio eſt in *remotam*, & *proximam*. Nam *occaſio peccati* generatim accepta illud omne dicitur, quod ad peccandum allicit, aut inducit: allicere autem, aut inducere quidpiam poteſt ad peccandum vel remote, vel proxime. *Remote* quidem ad peccandum alliciunt, aut inducunt res omnes hujus Mundi, quæ peccati objecta ſunt, aut eſſe valent : uti maxime ſunt divitiæ, voluptates, honores, ac cætera, ſi quæ ſunt, bona hujus Mundi. Atque has occaſiones fugere, aut vitare minime tenemur : ſed neque, ſaltem omnes, poſſumus ; *alioquin de hoc Mundo*, juxta Apoſtoli verba 1. ad Corinth. 5. *exeundum eſſet : quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum ; & in muſcipulam pedibus inſipientium*, ut dicitur Sapient. 14. *Proxime* vero ad peccandum allicere, aut inducere dicuntur ea, quæ vel ex natura ſua, vel ex conditione ſubjecti nexum, ſive connexionem habent cum ipſo peccato, prout poſtmodum explicabitur.

Atque hinc alia ſuboritur *proximæ occaſionis* diviſio ; nimirum in eam, quæ *per ſe* ad peccandum pertrahit, ſive de ſe, ac natura ſua apta eſt inducere homines ad peccatum; & aliam, quæ dicitur *per accidens*, quæ nempe hujuſmodi vim non habet ex ſemetipſa, ſed duntaxat ratione ſpecialis fragilitatis, ac diſpoſitionis aliquorum hominum, ſæpe in illa occaſione peccantium.

Utraque occaſio proxima *tum per ſe*, tum *per accidens* ſubdividitur in *voluntariam*, & *involuntariam*, ſive neceſſariam. Prior ea vocatur, quæ deſeri poteſt ſine graviſſima difficultate, aut incommodo. Altera, ſive *involuntaria*, aut neceſſaria dicitur illa, quæ vel *phyſice*, vel *moraliter* deſeri nequit. Unde & alia diviſio occaſionis poteſt fieri ; ſcilicet in involuntariam, ſeu neceſſariam *phyſice*, quæ nullatenus a voluntate pendet, ut deſeratur; puta ſi quis in carcere vinctus ſit cum fœmina, ſive homine flagitioſo; & in involuntariam *moraliter*, quæ deſeri quidem abſolute poteſt, ſed non abſque peccato, vel graviſſimo damno temporali; ut ex. gr. militia reſpectu militis in ea frequenter peccantis, cui facultas abeundi non datur a Ductore exercitus, cui ſe obſtrinxit, & ex juſtitia tenetur; vel aliquod officium, quod dimittere quidem poteſt ſine peccato, ſed non ſine damno graviſſimo, ſive jactura ſui ſtatus, vel famæ, vel bonorum.

III. Præmiſſa *diviſione* occaſionis proximæ, præmittamus etiam nonnullas propoſitiones Caſuiſtarum ab Eccleſia in hac materia damnatas. Quarum prima habetur in Decreto Alexandri VII. *num.* 41. his verbis concepta : *Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii, vulgo* Regalo : *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

Ven. Innocentius XI. quatuor alias propoſitiones anathemate confixit in ſuo Decreto ; ac primum n. 60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, non eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.*

Num. 61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in pro-*

xima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

Num. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Num. 63. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.*

Hæ ſunt propoſitiones plurium Caſuiſtarum, quas cum Summis Pontificibus Eccleſia damnavit, proſcripſit, prohibuit. Plures aliæ ſuperſunt in eodem argumento, quæ ab ipſa pariter damnarentur, ſi deferrentur ad ejus Tribunal, earumque inſtitueretur examen, cum in iiſdem contineantur, vel ſint principia, ex quibus eruuntur, vel conſecutiones ex iis legitime deductæ, prout ex ſequentibus liquidum erit.

§. II.

Notiones occaſionis proximæ juxta recentes Caſuiſtas. Quæ communior eſt, confutatur.

IV. Mirum profecto eſt, quam longe ab Eccleſiæ, Sanctorumque Patrum doctrina, atque adeo a veritate deflexerint moderni Caſuiſtæ in definienda, ac determinanda occaſione *proxima*, ratione cujus qui in ea verſatur, ſit peccato obnoxius, & Sacramentorum participationis incapax, ſi eam non deſerat. Juxta Caramuelem illa ſola dicitur *proxima*, in qua *certo moraliter aliquis labitur in mortale peccatum.* Juxta Oviedum, Palaum, Stephanum a S. Paulo, Antonium a Spiritu Sancto: *In qua plerumque, ſeu ordinarie.* Juxta Navarrum, Leſſium, Averſam, Gobatum: *In qua ſemper, aut fere ſemper.* Juxta Thomam Sanchez, Franciſcum a Jeſu Maria, Tamburinum, Moyam, alioſque, inter quos recenſentur etiam Suarez, & de Lugo: *Quæ talis ex genere ſuo eſt, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad mortale inducat, vel conſtet in hoc homine talem effectum habere.*

Juxta hanc ideam, aut notionem, quam ſibi informant de periculo, ſive occaſione *proxima*, conſequenter aſſerunt, aut aſſerere omnino debent, occaſionem *remotam* eam eſſe, in qua vel *non certo quis moraliter peccat*, vel *non ſemper*, vel *fere ſemper*, vel *non plerumque*, ſive *ordinarie*, vel demum, *in qua non frequenter peccat*. Unde Baunius *in Summa* judicat non eſſe *proximam*, ſed *remotam* occaſionem, *in qua quis bis, aut iterum ſingulis menſibus peccat cum famula ſua*; adeoque Dominum, & famulam neceſſario ſejungendos non eſſe, ſi lapſus ipſorum nimium frequentes, ac ferme quotidiani non ſunt.

Conformia ad hanc doctrinam ſunt ea, quæ tradunt circa idoneitatem ad Sacramentalem abſolutionem recipiendam. Sic Dicaſtillus *Tract.* 8. *de Pœnit. diſp.* 10. docet, cogendum non eſſe pœnitentem ad occaſionem illam removendam (*in qua non frequenter peccatur*); *quando juſtæ, & rationabiles cauſæ non tollendi ſubſiſtunt* (tametſi ſæpe pœnitens relabatur), ſcilicet grave damnum in fama, vel pecunia &c. Hanc quippe cauſam *juſtam* cenſent eſſe cum Sanchez, Salas, Palao, Lugo &c.

Ultra progreſſus eſt Caramuel in ſua *Theologia Regulari*. Expoſita namque *de occaſione proxima* notione, quod nempe, ut talis exiſtimetur, *debeat eſſe evidens phyſice, vel moraliter peccandi periculum*; deducit, quod, *ſi iveris ad talem domum decies, & quinquies peccaveris; & quinquies non peccaveris; eſt probabile, ſi revertaris, te peccaturum eſſe; & æque probabile, te non peccaturum eſſe: ergo non eſt periculum proximum. Si octies iveris, & ſepties peccaveris, & ſemel non peccaveris; eſt probabilius te peccaturum eſſe: eſt tamen probabile, te non peccaturum eſſe. Ratio eſt, quia octava pars eſt gravis &c.* Atque ita pergit gradus hujuſmodi probabilitatis *in peccando, vel non peccando* determinare: Ac demum concludit, hac ſua doctrina *lucem* affundi *obſcuriſſimis difficultatibus*; qua cognoſcat homo, quando in proxima peccandi occaſione verſetur, aut non verſetur; adeoque dirigi Confeſſarius valeat in impartienda abſolutione, vel neganda, ſi illam dimittere renuat. Quis non miretur Chriſtianos Theologos eſſe, qui hujuſmodi reſolutiones ſtatuant, luciđiſſimis Scripturarum, ac Traditionis, imo rectæ rationis veritatibus adeo repugnantes?

V. Has omnes abſurdas, & laxas Caſuiſtarum circa notionem *proximæ occaſionis*, ſive *proximi* peccandi *periculi* opiniones ad examen non vocabo. Ex ſeipſis namque abſurditatem ſuam ita produnt, ut confutatione non egeant, poſt damnatas præſertim ab Eccleſia propoſitiones: ſolumque quædam dicam circa notionem ejuſdem, quæ inter recentes Caſuiſtas communior eſt, traditurque a Patritio Sporer, a Dominico Viva, aliiſque pluribus vel iiſdem, vel ſimilibus verbis; nimirum *Occaſionem proximam eam eſſe, in qua homo aut ſemper, aut fere ſemper peccat.* Hæc definitio nullatenus probanda eſt; ſed potius rejicienda: quoniam ex ea manifeſto conſequitur, occaſionem peccandi deſinere eſſe *proximam*, quoties in ea conſtitutus homo frequentius non peccat, quam peccet, tametſi frequenter peccet, Nam ex. gr. ſi quis quotidie cum muliere converſetur, neque tamen nonniſi bis, vel ter in hebdomada cum ipſa peccet; juxta illam definitionem dicendum foret, illum in occaſione proxima nequaquam verſari, eoquod minus frequenter peccet, quam peccet: adeoque abſolvi a Confeſſario poſſet, quin cogeretur ad eam occaſionem amovendam, utpote quæ *remota* tantum eſſet. Atque hanc conſecutionem abſurdam, quam nemo ut veram, & Chriſtianam probaverit, reipſa admittit citatus P. Viva cum aliis, dum *q.* 111. *artic.* 4. *num.* 5. hæc ſcribit; „ Unde inferunt Perez, Leander, Lugo, aliique, poſſe abſolvi adoleſcentes, qui verſantur cum fœminis laborando, vel converſando cum iis, qui in eadem domo non habitant: quia licet aliquando in tali occaſione mortaliter peccent *conſenſu, tactibus, & etiam copula*; ea tamen *occaſio* cenſetur *de ſe remota*. Quandoquidem non ſolent homines ex tali occa-

„ ſione *SEMPER*, aut *fere SEMPER* peccare mortaliter “. Conſecutio itaque laxa a nobis ex hac definitione deducta, ipſo Viva atteſtante, legitima eſt; adeoque definitio ipſa penitus reprobanda.

§. III.

Vera ac germana proximæ occaſionis definitio. Quid ex ea ſequatur.

VI. Hac igitur, aliiſque rejectis, quas memoravimus, occaſionis *proximæ*, ac *remotæ* notionibus; quænam erit germana, ac vera *occaſionis proximæ* definitio, prout a *remota* ſecernitur? Eam ego ita propono ex D. Thomæ, prout infra conſtabit, doctrina depromptam.

Occaſio proxima eſt illa, quæ affert probabile peccandi periculum: adeoque *remota* ſolum dicenda eſt, quæ tale periculum non affert.

Cum dico, occaſionem *proximam* eſſe, quæ affert *probabile* peccandi periculum; *probabile periculum* idem intelligo, ac *prudenter timendum*, ſive quod juxta *ſanæ prudentiæ regulas* merito timeri debet, ac viri prudentes timere ſolent in aliis ſimilibus caſibus, ne hoc, vel illud ſibi contingat. Atque hæc definitio locum habet tum in iis occaſionibus, quæ dicuntur *per ſe*: ſive quę ſic aptæ ſunt inducere homines ad peccandum, ut ſpectata communi hominum fragilitate, & corruptione, multi ſaltem in iis poſiti peccaturi ſint: tum in occaſionibus proximis *per accidens*, ſive ex parte ſubjecti peculiaris; quæ quidem vim non habent de ſe inducendi communiter homines ad peccandum, ſed aliquos duntaxat ratione ſpecialis eorum fragilitatis, & diſpoſitionis, ita ut prudenter timeri poſſit, ac debeat, ne in ea conſtituti labantur. Sive igitur occaſio peccandi ſit *per ſe*, ſive *per accidens*, quoties *probabile*, ſive *prudens* afferat peccandi periculum, ſemper eſt occaſio *proxima*: quoties vero hoc periculum non afferat, *remota* dicenda, & exiſtimanda erit.

VII. Ex quo ſequitur, quicumque ſe huic *proximæ* occaſioni committit, ſemper peccare, etiamſi contingat, quod in peccaminoſum actum non labatur: quoniam idem eſt peccare, ac ſe exponere *probabili* periculo peccandi; & in hoc conſectario conſentiunt vel ipſi graviores Probabiliſtæ, ut Suarez, & de Lugo: quia, cum *Periculum probabile peccandi* ſit *periculum prudenter timendum*, adeoque prudenter vitandum; idem eſt voluntarie ſe exponere *probabili* peccandi periculo, ac legem nihil pendere, & contemnere; quod ſine peccato intelligi nequit. Id confirmari poteſt ea celebri Sancti Auguſtini authoritate *lib.* 1. *de Bapt.* ajentis: *Efficere id, quod incertum eſt, an ſit peccatum, certum peccatum eſt.* Idemque ex verbis colligitur, quæ Sanctus Thomas de habentibus plures præbendas ſtatuit Quodlib. 8. art. 13.: *Si manente*, inquit, *tali dubitatione* (an ſcilicet Beneficiarius retinere queat abſque peccato plures præbendas) *plures præbendas habet; periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat.* Si ergo *procul dubio peccat*, qui dubitans, an liceat ipſi *plures præbendas* habere, eas nihilominus habet, vel retinet; eo quod periculo ſe committit: potiori ſane jure peccabit, qui occaſionem proximam non evitans, ſe committit *probabili*, ſive prudenti peccandi periculo.

Conſequitur etiam, Confeſſarium non poſſe abſolvere pœnitentem, quoties in ea occaſione conſtitutus eſt, in qua *probabiliter* eſt peccaturus; ſive in qua probabiliter, ſive prudenter timere valet peccaturum eſſe; neque tamen vult eam removere, vel fugere, dum poteſt, ſive illa *per ſe*, ſive *per accidens* ad peccandum inducat. Quoniam pœnitens in ea occaſione poſitus ſemper eſt in ſtatu peccati mortalis; adeoque non eſt diſpoſitus ad fructum Sacramentalis abſolutionis percipiendum. Et regulam hanc firmiter ſequi debet, utpote faciliorem, ſimulque tutiorem ad diſcernendam occaſionem *proximam* a *remota*, miſſis aliis notionibus, vaniſque ſpeculationibus recentium Caſuiſtarum, quibus rem hanc implicant potius, atque confundunt; eaque permittunt, quæ permittenda nullo modo ſunt, ut ſubinde manifeſtum erit.

VIII. Sequitur itidem ex conſtituta notione *proximæ occaſionis*, neceſſe non eſt, ut quis teneatur peccandi occaſionem devitare, ut in ea frequenter peccaverit. Satis namque eſt, ut *probabiliter*, ſeu *veriſimiliter* in ea peccaturus ſit. Semper etenim peccat, qui ſe *probabili periculo* peccandi exponit. Hoc provide, ac ſapienter animadvertit laudatus Sanctus Carolus *in Inſtruct. Confeſſ.*, ubi deſignans occaſiones, quas vitari oportet, docet *eſſe ea facta, quæ etiamſi per ſe licent, tamen probabiliter timetur, ne is, qui confitetur, in eadem ipſa, quæ olim admiſit, peccata relapſurus ſit, ſi in iis remaneat.* Profecto juxta doctrinam, quam ex Sancto Thoma tradidimus agentes *de Voluntario directo, & indirecto*, ut peccaminoſus effectus cenſeatur *indirecte*, ſive *interpretative* volitus in cauſa; non eſt neceſſe, ut ex ea reapſe ſequatur: ſed ſatis eſt, quod cognoſcatur, aut cognoſci poſſit, & debeat veriſimiliter ſecuturus. Sic enim aperte colligitur ex cap. *de Injuriis*, ubi Gregorius IX. docet imputari damnum ei, qui aliquid egit, ex quo probabiliter illud ſequi cognoſci potuit, ac debuit, dum ait: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Igitur neque is excuſatur a peccato, qui ſe exponit occaſioni, aut periculo, in quo prævidere potuit, ac debuit veriſimiliter lapſurum eſſe, licet non labatur.

Demum ut etiam quidpiam colligamus ex data notione quoad occaſiones proximas involuntarias, ſive neceſſarias, quas homo vel nullo modo, vel ſaltem ſine peccato dimittere nequit; ſatagere omnino debet, omnemque curam impendere, ut *ex proxima* occaſio *remota* fiat; ſcilicet ut tollatur periculum proximum in ea peccandi, adeoque & Confeſſarius abſolutionem differre tenetur, donec tale periculum ſublatum ſit; aut

ſibi

ſibi perſuadeat jam eſſe ſublatum, ſpectatis circumſtantiis, ac Pœnitentis cura ad eam removendam, animique ſui diſpoſitione. Quamdiu enim hujuſmodi probabile periculum, ſive occaſio proxima ſubſiſtit, tandiu eſt in ſtatu peccati mortalis, atque adeo incapax recipiendi Sacramentalis abſolutionis beneficium. Remedia autem, quæ adhibere debet, ut *ex proxima* fiat occaſio *remota*, ſive ut prudens ceſſet peccandi periculum, præter frequentem orationem, qua neceſſarium a Deo auxilium imploret, ſumenda ſunt ex circumſtantiis, & ex qualitate occaſionis. E. C. ſi ſervus, aut filius familias, qui facultatem a Domino, vel patre e domo abeundi impetrare non poteſt, ſæpe cum famula peccaret; debet, quantum fieri poteſt, nunquam ſolus cum illa verſari, aut colloqui, nunquam in eam oculos defigere, nulla ei amicitiæ ſigna exhibere: quin potius deſpectum, aut averſionem erga ipſam oſtendere, piis mentem ſuam cogitationibus munire, & id genus alia peragere, quæ ſi ex affectu ſincero, & efficaci non offendendi Deum, aut peccatum non committendi peregerit, Deus aderit propitius gratia ſua; & proximum deſinet peccandi periculum.

Eadem remedia adhibenda ſunt, ut occaſio ex proxima pariter remota fiat, quoties deſeri non poteſt ſine graviſſimo damno temporali ſive famæ, ſive divitiarum &c. eique, qui in tali occaſione verſatur, ſaltem ordinarie loquendo, abſolutionem differre debet Confeſſarius; donec, iis remediis accurate, ac diligenter adhibitis, amotum fuerit periculum proximum peccandi. „Si *vero*, „*ſubdit Magnus S. Carolus loc. laud.*, *abſolutionem* differre non poſſit, quin pœnitentem exponat gravi infamiæ periculo; tum ſi contritum certis quibuſdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus ſit, quæ ad illius emendationem neceſſaria judicaverit prudens Sacerdos, tunc aptiora præſcribet, & utiliora &c. Imponet & preces, & corporis macerationem aliquam, & in primis frequentem Confeſſionis uſum, ſimiliaque exercitia, quæ ſi in ſe recipiat, tunc debebit Confeſſarius abſolvere".

IX. Quid vero, ſi media quidem adhibeat, ut occaſio ex proxima remota fiat; & nihilominus peccare pergat, ut antea? Nihil aliud tunc ſupereſt, niſi, ut, quocumque temporali damno poſthabito, eam deſerat, & ad eam deſerendam, ut idem Sanctus Carolus monet, Confeſſarius abſolutionem negando compellat. Tunc enim urget præceptum illud Chriſti Domini: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te*. Nimirum res ipſæ dilectiſſimæ nobis dimittendæ ſunt, dum agitur de vitando peccato; aut quod perinde eſt, proxima occaſione peccati. Quod & aliis verbis præceptum ſæpe inculcat Divinus Magiſter, ut præter alia, dum *Luc.* 14. turbas alloquens ait: *Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ſcilicet præcipit, prout Sanctus Gregorius Magnus interpretatur, ut *vel uxorem ipſam, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti ſunt, quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus*; ſive res ipſas nobis clariores, vel utiliores contemnamus potius, quam quidpiam committamus contra Deum, ejuſve legem, aut committendi proximo periculo nos exponamus. Unde colligit Concilium Lateranenſe II. *Can.* 22., *Falſam eſſe pœnitentiam, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet*.

§. IV.

Plurium Caſuiſtarum ex doctrina conſtituta rejiciuntur opinationes.

X. Ex doctrina, quam dedimus paragrapho precedente, & quam, niſi me omnia fallant, certam puto, atque unice Evangelii, Sanctorumque Patrum principiis conſentaneam, rejiciendæ ſunt tamquam abſonæ, falſæ, & cum veritate Chriſtiana pugnantes plurium Caſuiſtarum opiniones. Hæ omnes ad duplex genus revocari poſſunt. Vel enim, falſa occaſionis peccandi notione concepta, confundunt *proximas* occaſiones cum *remotis*; eaſque *remotas* exiſtimant, quæ vere *proximæ* dicendæ ſunt, prout facile eſt colligere ex ſententiis relatis §. 2., adeoque ea permittunt, quæ permitti nullatenus debent: vel ab obligatione abſolvunt dimittendi proximas, dum eæ ſine gravi difficultate, aut incommodo, vel ſine jactura famæ, aut honoris, aut pecuniæ dimitti non poſſunt.

Quoad primum caput attinet, en exemplum e Probabiliſmi doctrina derivatum. Quæri ab ipſis ſolet, num deſerenda occaſio ſit ab eo, qui *probabiliter* putat ſe lapſurum in peccatum, ſi illam non deſerat? Quid vero reſpondent PP. Sporer, Gobat, Caramuel, & alii? Reſponſio negativa eſt. „Quando enim, inquit ex aliis P. Sporer *part.* 3. *cap.* 11. *ſect.* 4., ſolum eſt *probabile*, te ſuccubiturum in tali occaſione tentationi, certe etiam *probabile* eſt, te non ſuccubiturum: occurrunt enim graves rationes, ob quas vir prudens judicat, te non lapſurum. Certe hujus judicium ſequendo ſine nota temeritatis, ob rationabilem cauſam, poteris te committere huic occaſioni; certo non commiſſurus, ſi ſcires, vel *certo* crederes te lapſurum. Quare Confeſſarius *non judicabit eſſe in occaſione proxima peccandi*, v. g. ſe inebriandi, fornicandi &c., qui in tali loco decies tentatus, ſuccubuit ſolum ter, vel quater: ſecus ſi octies, vel ſepties; & bis, vel ter tantum peccatum vitavit, & ſuperior evadit. Quapropter huic, & non illi nolenti hanc occaſionem relinquere, neganda erit abſolutio". Nonne ex hac doctrina ſine mirifica occaſio ſolum *remota* credenda foret, cum quis *octies* in menſe, vel hebdomada, inviſens pellicem, tribus, vel quatuor tantum vicibus cum illa pec-

peccaret: adeoque abſolvi poſſet, quin & deberet juxta probabiliſticum ſyſtema a Confeſſario abſque obligatione dimittendi occaſionem? Sed quis vere Chriſtianus id æquis auribus audiat?

XI. Quoad alterum caput ſpectat, en doctrina a P. Paulo Laymano tradita *lib. 5. tract. 6. c. 4.* quæ frequentior eſt inter Probabiliſtas; nimirum neminem adſtringi ad vitandum *propinquum periculum*, ſeu *occaſionem mortaliter peccandi*, quoties *ſine gravi incommodo corporis*, *famæ*, *vel fortunarum tolli non poſſit*. Tunc enim, inquit, *conſilium quidem eſt*, *minorem illam jacturam majori bono ſecuritatis animæ poſthabere*, *ſed non præceptum*. Audi ratiocinationem ipſius, quam ſubinde profert. *Vel præceptum declinandi occaſiones peccati affirmativum eſt: & tunc manifeſto licet non obligare in tali neceſſitate. Vel ſi contendas negativum eſſe præceptum non adeundi periculum*, *aut in eo non perſiſtendi; tunc reſpondeo intelligendum eſſe præceptum*, *nequis ultro*, *ac voluntarie in peccandi periculum ſe conjiciat*, *aut in eo perſiſtat*.

Nemo unus, quantum quidem arbitror, erit, qui præjudiciis non occupatus haud videat doctrinam hanc Laymani eamdem eſſe, ac propoſitionem XXVI., quam ſupra deſcripſimus, ab Innocentio XI. damnatam, aut ſaltem in ea contineri, nempe: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda*, *quando cauſa aliqua utilis*, *aut honeſta non fugiendi occurrit*. At nihilominus qui poſteriorem Laymani Editionem curavit, eam ab damnatione conatur eximere; quia, inquit, Laymanus *requirit non quamcumque*, *ſed gravem cauſam*, *ſicut ſignificat per particulas illas* ſine gravi incommodo. *Attendendum igitur*, ſubjicit, *eſt*, *quod cauſa ſit valde gravis*, *ne ſententia ſubeat ſuſpicionem propoſitionis damnatæ*. Atque ita damnationem eludere ſe poſſe putat: cum ſatis exploratum ſit, vel ipſos laxiores in hac re Theologos docuiſſe, non eſſe abſolvendum peccatorem, qui ob quamcumque cauſam recedere recuſat a peccandi occaſione; ſed cauſam *gravem*, & etiam *valde gravem requiſiverint*, ut liber eſſet ab hac obligatione.

XII. Omitto plures alios Caſuiſtas, qui tradiderunt propoſitiones in Decretis Alexandri VII., & Innocentii XI. ſupra relatas; illos nimirum, qui negarunt obligationem ejiciendi concubinam utilem, ad oblectamentum Concubinarii; aut qui aſſeruerunt, *Licitum eſſe quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali*, *vel temporali noſtro*, *vel proximi*. Hæ ſiquidem opiniones jam proſcriptæ vel ipſo aſpectu ſuo horrorem ingerunt; ſolumque deſcribo doctrinam Card. de Lugo, & quorumdam Recentiorum, quæ mihi omnino rejicienda videtur tamquam laxa, & antievangelica. Quærit igitur de Lugo diſp. 14. ſect. 10. num. 156. *An qui ſæpius abſolutus propter grave detrimentum*, *quod ſequeretur ex remotione occaſionis proximæ*, *eodem tamen modo ſemper relabitur*, *nec in eo ulla correctio reperitur*, *cogendus ſit ſubire illud detrimentum*, *& relinquere occaſionem illam proximam?*

Huic quæſtioni ita propoſitæ reſpondet: „ Affir„ mare videntur Suarez, Graffius, Reginaldus &c. „ Oppoſitam ſententiam (ſcilicet non eſſe cogen„ dum pœnitentem ſubire detrimentum, & relin„ quere occaſionem &c.) tuentur Vivaldus, Jo„ annes Sancius, & alii Theologi. Quæ ſenten„ tia in rigore *verior* eſt per ſe loquendo . . . . „ Quia ſcilicet adhuc poſt experientiam illam *nul„ lius profectus* (ut habet num. 158.) poteſt ſta„ re dolor verus, & propoſitum requiſitum *abſ„ que voluntate* auferendi occaſionem cum tanto „ detrimento. Ergo poteſt abſolvi pœnitens. „ Antec. probatur: quia ſicut prima vice potuit „ abſolvi, *Eo quod cum tanto detrimento non te„ nebatur auferre occaſionem illam*; ſic propter i„ dem detrimentum, quod perſeverat, excuſatur „ tempore ſequenti ab auferenda occaſione &c. Sic„ ut ergo poteſt ſtare dolor, & propoſitum re„ quiſitum *cum certitudine* illa morali de lapſu „ futuro, non ita frequenti; cur non poterit „ ſtare cum certitudine morali de lapſu futuro „ ſequenti "? Ita de Lugo. At quis intelligat, ſincerum dolorem peccati, ac firmum propoſitum illud deſerendi ſociari poſſe cum illa occaſione proxima, in qua voluntarie perſeverat *ob detrimentum* illud, quod eam deſerendo pateretur? Nonne ipſa *occaſio* proxima, in qua volens perſiſtit, peccatum eſt? Neque enim *proxima* eſſe deſinit ob aliud damnum, quod eam tollendo ſubiret.

XIII. P. Lacroixius *lib. 5. num. 261.* &c. eamdem quæſtionem movet, & utramque recenſet opinionem. Et pro priore affirmante, abſolvendum eſſe in eo caſu peccatorem, refert *Lugo*, *Joan. Sanchez*, *Caſtropalaum*, *Tamburinum*, *Gobat*, *Burgaberum*, *Stox*, *& alios*. De negante vero, hujuſmodi ſcilicet pœnitentem non eſſe abſolvendum, ſcribit num. 262.: *Hæc ſecunda ſententia admodum rigida eſt: attamen videtur vera &c. Qui primam* benigniorem ſententiam *volet defendere* (nam optionem Probabiliſmus concedit omnibus ſequendi quæcumque magis libuerit) *legat vindicias Gobat*. Non eſt opus ad has vindicias confugere. Satis quippe eſt ipſum legere Gobatum, ut quiſque noverit, vindicem ſuum non poſſe niſi Æthiopem lavare. Jam & hic, & alibi vidimus, quam laxe Gobat ſcripſerit de hac materia, adeout ejus ſententiæ defendi nullo modo queant; & jam a pluribus Eccleſiæ Prælatis proſcriptæ fuerunt, cum inter alia permittat, *Juvenes plebejos*, *& puellas indutas*, *& exutas ſimul cubare in eodem lecto*, tametſi *oſcula*, *& turpes attrectationes exerceant*. Ac diſerte *num. 529.* hæc tradat: *Per accidens fas eſt permanere in occaſione proxima*, *ſeu etiam adire occaſionem proximam*, *quando grave*, *aut graviſſimum malum corporis*, *honoris*, *fortunarum alias foret certo perferendum*. Et T. 3. tract. 5. cap. 45. *Gravi ex cauſa poteſt quis ſe committere moraliter certo periculo peccandi*. Quis talia a ſumma laxitate vindicet?

XIV. Hujuſmodi, & ſimiles aliæ Caſuiſtarum opiniones prorſus rejiciendæ ſunt, utpote vel damnatæ, vel in damnatis contentæ, & tamquam Evangelicæ regulæ repugnantes, quæ præſcribit plus a nobis diligendum eſſe Deum, quam pecuniam, quam honorem, quam aliud quodcumque

temporale bonum; potiuſque ſubeundam horum bonorum jacturam, quam ipſum offendere, aut probabili illum offendendi periculo nos committere. Sane quis ſibi unquam perſuadeat, in hac hominem eſſe penitus neceſſaria animi diſpoſitione, ſine qua nec gratia, nec charitas divina in corde manet; quod ſcilicet affectu, & etiam, dum oportet effectu, Deum præferat rebus omnibus temporalibus hujus Mundi; ſi, ne in illis detrimentum patiatur, ne jacturam ſubeat vel pecuniæ, vel famæ, vel alterius alicujus boni, aut oblectationis, perſiſtit *in periculo probabili* divinam legem violandi; adeoque in peccato, & offenſa Dei, quæ ab eo ſejungi nullatenus poteſt, cum idem ſit peccare, ac *probabili periculo peccandi ſe ſe exponere*, aut obnoxium eſſe? Nonne, ſi quiſpiam ita mulierem adamaret, ut, ne ipſam amitteret, periculo ſe exponeret amittendi honorem, fortunas, ipſamque vitam; vere diceretur præferre mulierem omnibus ejuſmodi bonis? Cur igitur idem dicendum non erit de illo, qui ſe exponit periculo peccandi, ne amittat vel mulierem, quam deperit, vel divitias, vel honorem &c., quod nimirum hujuſmodi res creatas præferat Creatori Deo?

§. V.

Nonnulla ex conſtituta doctrina Corollaria derivantur.

XV. Plura ex dictis facile colligere cuilibet pronum eſt, quæ tamen ad clariorem doctrinæ intelligentiam, & confirmationem in re magni momenti proferemus, in qua tum pœnitentes, tum etiam Confeſſarii ſæpiſſime hallucinantur cum ingenti animarum ſuarum detrimento, atque periculo. Præter itaque propoſitiones jam ab Eccleſia damnatas, quas ſupra deſcripſimus, colligat primo, jure ac merito plures Galliarum Epiſcopos proſcripſiſſe ſequentem P. Piroti *ex Apologia Caſuiſtarum* propoſitionem, qua aſſeruit, *dimittendam non eſſe profeſſionem, in qua periculum eſt ſæpius peccandi, animamque ſuam perdendi, ſi facile dimitti non poſſit: nec ſine abſolutione dimittendos v. g. ſororem ſæpe peccantem cum fratre, filiam cum patre &c. in iſta occaſione manentes, ſi peccatum ipſi diſpliceat, & occaſionem deſerere non poſſint*. Hanc inter alios Vicarii Generales Pariſienſis Eccleſiæ notarunt propoſitionem *tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & inducentem periculum evidens peccandi*. Archiepiſcopus autem Senonenſis Ludovicus Henricus de Gondrin veluti *falſam, pernicioſam, expreſſis Summorum Pontificum definitionibus adverſam*. Eamdem quoque propoſitionem cenſura notavit Academia Pariſienſis; ſicut & hanc Lovanienſis: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin immo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*; cenſuitque *falſam, temerariam, pernicioſam, & ab auditu fidelium procul arcendam*.

Colligas ſecundo: Ad occaſionem peccati mortalis vitandam neceſſe non eſt, quod in ea peccetur frequenter; ſed ſufficit, quod ita veriſimiliter inductura ſit in peccatum, ut qui in ea manet, aut illam adit, prudenter cenſeri queat hoc ipſo in ea velle peccatum. Ratio eſt: quoniam eo ipſo, quod effectus pravus cenſetur voluntarius in cauſa, cauſa iſta debet omitti, ne ſequatur ejuſmodi effectus, ut ex iis, quæ *de voluntario indirecto* dicta ſunt, ſatis conſtat. Porro ut malus effectus cenſeatur voluntarius in cauſa, ſive indirecte, opus non eſt, ut ex ea ſequatur frequenter; ſed ſufficit, quod cognoſcatur, aut cognoſci debeat veriſimiliter ſecuturus, ut adnotavimus ex cap. *de injuriis*, ubi Gregorius IX. docet, *probabile periculum ſufficere ad imputationem homicidii*.

Colligas tertio: Tametſi a Confeſſario cavendum ſit, ne peccandi occaſiones, quæ revera nonniſi *remotæ* ſunt, proximis accenſeat, atque ita laqueum pœnitentibus injiciat, dum ad eas ſub peccato fugiendas obſtringit, ipſiſque obligationem imponit, quæ impoſita a Deo non eſt: accuratius tamen cavere debet, ne occaſiones revera *proximas*, quæ ſcilicet probabile periculum peccandi afferunt, *remotas* exiſtimet. Id ſiquidem in longe graviorem tenderet, ac certiorem animarum ruinam, ſi, Confeſſario permittente, eaſdem propterea occaſiones frequentarent, ut nemo non videt. Hinc Confeſſarius diligens ſit oportet in examinandis, & diſtinguendis occaſionibus *proximis* a *remotis*; nec eas ullo modo permittere debet, niſi perſuaſum habeat, omnibus mature perſpectis, non eſſe niſi *remotas*.

Colligas quarto: Occaſio aliqua *proxima* cenſeri merito poteſt, quoties in ea quiſpiam poſitus aut ſemper, aut fere ſemper peccat, etiamſi ob aliquem defectum, aut impedimentum peccatum raro contingat. Sic ex. gr. ſiquis ſemel tantum in menſe, vel etiam in anno adeundo mulierem aut in itinere, aut viſitandi gratia, ſemper, aut fere ſemper cum ea peccaret, *proxima* illi occaſio dicenda foret, præſertim ſi plurium menſium, aut annorum experientia id compertum eſſet. Sic etiam ſi Chirurgus in conſenſum peccati laberetur, quoties ſecretiores curat partes mulierum, licet hæc cura raro contingeret, ab hac tamquam ab occaſione proxima abſtinere deberet. Atque ita de aliis. Neque enim ex mera actuum frequentia *proxima* occaſio exiſtimanda eſt, ſed ex periculo probabili lapſus in peccatum, qui frequens ſemper non eſt.

Colligas quinto cum Eminentiſſimo Cardinali Denhoffio Epiſcopo Cæſenatenſi, qui in celebri Inſtructione ſua Paſtorali nedum plurimorum Epiſcoporum judicio probata, ſed authoritate Sedis ipſius Apoſtolicæ confirmata, adſtruit, ad evitandam occaſionem aliquando ſufficere, quod præſens ſit, & fortes adeo tentationes pariat, ut periculum probabile ſit, quod in peccatum inducat, quamquam nondum induxerit. Quandoquidem tenetur unuſquiſque vitare probabile periculum peccati mortalis, ſicut unuſquiſque vitare tenetur periculum probabile homicidii corporalis. Id explicari valet exemplo, quod excuſare Gobat molitur, de quibuſdam puellis cum procis ſuis eodem in lecto cubantibus, quibus

haud

haud negandam eſſe abſolutionem contendit, licet propoſitum non habeant haud amplius admittendi procos, eo quod aſſerant, nihil ſe mali cum iis commiſiſſe. Demus enim hoc, quod nihil mali commiſerint (tametſi ex verbis ipſius Gobat falſum eſſe colligitur): numquid tamen probabili committendi periculo expoſitæ non erant? Quis id inficiari audeat? Igitur hoc ipſo peccant, quod in tale periculum ſe ſe conjiciant; & abſolutione dignæ non ſunt, dum illud removere recuſant. Atque hinc locum habet reſponſio, quam dedit in caſu ſimillimo Sanctus Cyprianus cum aliis Epiſcopis ad quæſtionem ſibi a Pomponio Epiſcopo propoſitam *de iis Virginibus*, *quæ detectæ fuerant in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis*, ſed affirmabant, *ſe integras eſſe*. Quid reponit Sanctus Doctor? Occaſionem hujuſmodi omnino eſſe *proximam;* adeoque non permittendam, *ne Diabolo inſidianti, & ſævire cupienti ad nocendum detur occaſio*, *quando & Apoſtolus dicit:* Nolite locum dare Diabolo. *Liberanda eſt ergo vigilanter de periculoſis locis navis*, *ne inter ſcopulos, & ſaxa frangatur. Eruenda eſt velociter de incendio ſarcina, priuſquam flammis ſupervenientibus concremetur. Nemo diu tutus eſt periculo PROXIMUS*. Periculum ergo *proximum* cenſuit Sanctus Pater occaſionem hanc, adeoque peccatum, & prorſus vitandum, ſicut cætera peccata. *Nam graves*, pergit, *multorum* ejuſdem conditionis *ruinas hinc fieri videmus, ut per hujuſmodi illicitas*, & *periculoſas conjunctiones corrumpi plurimas Virgines*, *cum ſummo animi noſtri dolore conſpeximus*. Unde concludit: *Idcirco conſulte*, *& cum vigore feciſti*, *Frater chariſſime*, *abſtinendo* (ſcilicet removendo, & excommunicando) *eum*, *qui cum Virgine ſæpe manſit*; *ſed & cæteros*, *qui cum Virginibus dormire conſueverunt*, *etiamſi aſſeverarent integras ſe eſſe*. *Quod ſi pœnitentiam egerint*, *& a ſe invicem receſſerint &c. accepta communione*, *ad Eccleſiam admittantur*; '*hac tamen interminatione*, *ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodum reverſæ fuerint &c.*, *graviore cenſura affligantur*, *nec in Eccleſiam poſtmodum facile recipiantur*.' Hæc eſt de his, aliiſque ſimilibus occaſionibus tum Cypriani, tum reliquorum Patrum doctrina, quam ſequi oportet potius, quam Caſuiſtarum quorumdam, qui laxis ſuis opinationibus Moralem Chriſtianam corruperunt.'

Colligas ſexto: Si quis in occaſione proxima conſtitutus ſit, a qua *phyſice* ſeparari non poſſit, ut ſi detineatur cum fœmina, vel viro effrænatæ libidinis, aut impietatis in eodem carcere, tunc oratione, jejunio, aliiſque mediis eniti debet, quantum poteſt, ut ab ea, ſaltem corde, ſi corpore nequit, ſeparetur; nec eſt abſolvendus, niſi id diligenter perfecerit, ut tandem, quæ *proxima* occaſio fuerat, evadat *remota*: nemo quippe abſolvi poteſt, dum in proxima occaſione permanet. Idemque ſentias de iis omnibus, qui per pravum E. C. ſe polluendi habitum facti ſunt ſibimetipſis occaſio peccandi, a qua plane phyſice ſejungi non poſſunt. Opus igitur eſt, ut a ſe ipſis modis omnibus ſeſe ſejungant corde toto, plenaque voluntate; adeout per ſeriam emendationem jam ſibimetipſis non ſint amplius proxima occaſio peccandi: nec abſolutione donandi ſunt, niſi de hoc ſtatu pœnitentis prudenti Confeſſario conſtiterit. Quapropter digna omni abominatione reputanda eſt ea Baunii, aliorumque propoſitio: „ Abſolutio toties quoties impertienda eſt adoleſcenti in pollutiones crebras ſemper reincidenti, tametſi ſæpe admonitus emendandæ vitæ promiſſa non ſervaverit, nec pro tollenda conſuetudine laboraverit; dummodo cum dolore, & propoſito neceſſario confiteatur, de quo Sacerdoti ejus ore, voceque conſtet ".

XVI. Atque hæc ſatis ſint in hac celebri controverſia. De ea namque ſermo recurret, dum de Sacramento Pœnitentiæ. Unum illud duntaxat præterire nolo, Caſuiſtas videlicet memoratos, cum ſe in ſuis reſolutionibus ſtatuendis Patrum præſidio deſtitutos cernerent, conatos eſſe, ut ſæpe alias, pertrahere in propriam ſententiam Sanctum Thomam, aut, ut verius dicam, ejus authoritatem laudare, quin eam expenderint aut etiam legerint. Ajunt ſcilicet, Sanctum Thomam ſibi favere 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. ubi permittit acceſſum ad infideles etiam cum propriæ perverſionis periculo. Quo textu illius articuli ducti id aſſerere auſint, profecto me latet: neque enim totum articulum legenti quidpiam occurrit, quod ipſis faveat. At, quicumque ſit ille, S. Doctori turpiter imponunt, ſuamque oſcitantiam produnt in eo legendo. Nam Sanctus Thomas ibidem aperte contrarium docet, eorumque ſententiam falſitatis convincit etiam in aliis omnibus peccandi occaſionibus. En genuina Sancti Thomæ verba: „ Quantum ad ſecundum modum (ſcilicet ad cautelam eorum, quibus interdicitur communio cum infidelibus) videtur eſſe diſtinguendum ſecundum diverſas conditiones perſonarum, & negotiorum, & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quod a communione eorum cum infidelibus converſio infidelium *magis ſperari poſſit*, *quam fidelium a fide averſio*, non ſunt infidelibus prohibendi communicare, qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet Paganis, vel Judæis, & maxime ſi neceſſitas urgeat. Si autem ſint ſimplices, & *infirmi in fide*, *de quorum ſubverſione probabiliter* (N. B.) *timeri poſſit*, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent ". Nonne hæc Sancti Thomæ doctrina totum id diſerte, & luculentiſſime confirmat, quod hoc capite docuimus? Si nullum, docet, aut ſolum *remotum* ſit periculum averſionis a fide ex communione cum infidelibus ob firmitatem in ipſamet fide, permittit communicare cum ipſis. At vero ſi vel ex ſimplicitate, vel ex infirmitate de aliquorum *ſubverſione probabiliter timeri poſſit*, quæ eſt occaſio *proxima* a nobis deſcripta; *prohibendi ſunt*, inquit, *ab infidelium communione*. Igitur juxta Sanctum Thomam quotieſcumque *de alicujus ſubverſione*, vel lapſu in alia quævis peccata (eadem quippe de omnibus ratio militat) *probabiliter*, ſive prudenter *timeri poteſt;* arcendi omnino erunt ab ea occaſione, & abſolutionem Sacramentalem dene-

denegando; ſi renuant illam vitare, compellendi. Quare S. Thomæ doctrina nedum minime favet recentium Caſuiſtarum ſententiæ, ſed eam labefactat penitus, atque convellit. Et hanc doctrinam Sanctus Doctor amplius confirmat *in reſp. ad 3. argum.* ubi loquens de Domino ſervum infidelem habente, ex quo imminet ipſi occaſio ruinæ, expreſſe ait: *Si Domino periculum immineat ex communione ſervi infidelis, deberet eum a ſe abjicere ſecundum illud mandatum Domini Matth.* 18. Si pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. Si Dominus abjicere a ſe debet ſervum, ex quo ſibi periculum *probabile* ruinæ imminet, nulla habita ratione damni temporalis, quod ex ejus jactura patitur, quanto potiore titulo tenebitur quis abjicere mulierem, ſocium, amicum &c. cum quibus communicationem habere nequit ſine periculo probabili ruinæ ſpiritualis, quocumque temporali detrimento poſthabito? En igitur ex caſtiſſima S. Thomæ Doctrina omnes Caſuiſtarum de re hac opiniones disjectæ, refutatæ, convulſæ.

REFLEXIO.

Materiem omnem huic *Reflexioni* ſuppeditet pius, ac doctus P. Paulus Segnerius ævi ſui Concionator celeberrimus, haud equidem in *Inſtructione Confeſſarii*, quæ pluribus laxitatibus ſcatet ex impuris lacunis recentium Caſuiſtarum derivatis; ſed ex *Chriſtiano inſtructo in lege ſua*, ubi ſana, & defæcata doctrina traditur ex limpidiſſimo fonte hauſta S. Thomæ Aquinatis. Hæc itaque habet *part.* 3. *ſerm.* 15. italico ſermone in latinum converſa, atque in pauciora contracta.

„ Mira plane ſtultitia hominum eſt, qui cum „ ne tentati quidem, & illecti, ſuamet concupi- „ ſcentia ſe non ſemel peccatis inquinaverint, ſi- „ bi nihilominus pollicentur firmos conſiſtere in „ mediis tentationibus, & peccandi occaſionibus: „ *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum* „ *converſi ſunt in die belli*: milites ſcilicet, qui „ ante certamen fortitudinem, & victorias oſten- „ tant, primique terga vertunt in prælio. „ His fallaciter imponit, illuditque tum ſua „ ipſorum cupiditas, quæ ægre nimium a re- „ bus, quas amant, avellitur, tum hoſtis hu- „ mani generis Dæmon, qui cum probe norit „ ea ſe fraude ampliorem, atque certiorem ſtra- „ gem animarum edere, in eam incautos homi- „ nes impellens, hoc probabilium occaſionum „ rete ea, qua poteſt, induſtria tegit, pericu- „ lum elevans, ut prædas augeat: *Immittit ſecu-* „ *ritatem, ut immittat perditionem.* Unde homi- „ nes diabolica illa fraude decepti, dum de pe- „ riculo monentur, perinde ac ſi cedri forent o- „ mnis corruptionis expertes, ingerenti timorem „ reſpondere ſolent: *Nullum eſt periculum: ad illam* „ *domum redibo; ſed non redibo ad peccatum*, „ *quin imo firmus conſiſtam, ne labar.* Itane nul- „ lum periculum? At cui innititur ſtulta hæc „ veſtra non labendi fiducia? Divinæ certe gratiæ „ præſidio, aut liberi arbitrii veſtri viribus. Sed „ quam infirmum ſit, ac ſtramineum utrumque „ ſpei veſtræ fulcrum, attendite.

„ Nutat plane in primis ſpei veſtræ ſubſidium „ gratiæ divinæ. Etenim quo ducti fundamento „ illud ſperatis? Deus namque, inquit Sanctus „ Cyprianus gratiam ſuam elargitur non ad libi- „ tum noſtrum, ſed juxta diſpoſitionem ſuæ pro- „ videntiæ: *Ordine ſuo, non arbitrio noſtro virtus* „ *Spiritus Sancti miniſtratur*. Miniſtraret equi- „ dem Deus opem gratiæ ſuæ, ſi regulis attende- „ retis, quibus vos ad occaſionum fugam invi- „ tat, impellitque: quia vero his non curatis „ attendere, indignos vos redditis ſpeciali gra- „ tia, cujus auxilio media inter pericula non „ ruatis. Hoc utique Apoſtolus Petrus expertus „ eſt, qui a Chriſto monitus, ut ſibi attenderet „ vigilando, & orando, & periculoſas tentatio- „ nes declinando, alioquin Magiſtrum ſuum ne- „ gaturus, neglecto hoc ſalutari monito, quo to- „ tis artubus contremiſcere debuerat, periculo ſe „ credidit, in quo efficaci auxilio Dei deſtitu- „ tus, trina negatione Magiſtrum perjurus exe- „ cratus eſt. Enimvero quis *miſerebitur omni-* „ *bus, qui appropiant beſtiis*; videlicet tentatio- „ nibus, & peccandi periculis? Certe fortis illo- „ rum Deus non miſeretur, qui in animabus in „ viam ſalutis dirigendis legem hanc tulit, ut „ fugiant a facie arcus, ut devitent amittendæ „ gratiæ pericula, ſi in ipſis perire nolint: *Re-* „ *cedite*, clamat per Iſaiam: *Pollutum nolite tan-* „ *gere: exite de medio ejus.* Ecce quo verborum „ pondere legem omnibus denunciat: *Recedite*, „ *recedite*, ſi periculo propinqui eſtis: *Exite* „ inde, ſi in periculo forte verſamini: dumque „ exitis, cavete ne extenſo quidem digito præ- „ bentem peccati occaſionem contingatis: *Pollu-* „ *tum nolite tangere.* Nemo ſit qui in medio ejus „ ſubſiſtere auſit: *Exite de medio ejus.*

„ Majore adhuc verborum emphaſi legem eam- „ dem expreſſit Chriſtus Dominus in Novo Te- „ ſtamento, dum præcepit, oculum, manum, pe- „ dem ſcandali, ſive ſpiritualis ruinæ occaſionem „ præbentem eruere, abſcindere, projicere. Quæ „ verba ſedulo notanda ſunt. Non enim ſatis ha- „ buit dicere, ut oculum nos ſcandalizantem „ *eruamus* tantum, ſed etiam ut projiciamus a „ nobis; ac ſimiliter de manu, ac de pede, non „ ut ſolummodo *abſcindamus*, verum etiam ut a „ nobis projiciamus: *Erue, abſcinde, projice*. „ Ut ſcilicet intelligamus, ſi qua perſona fuerit, „ quantumlibet dilecta, quantumlibet neceſſaria, „ ut oculus, manus, pes, quæ nobis ſcandalum „ ſit, ſive occaſio peccandi; ſat non eſt eam a „ nobis abſcidiſſe, & corporaliter ſeparaſſe, ſed „ oportet etiam, ut illam *projiciamus* a corde, „ non amplius eam amando, nec officioſas ipſi „ litteras ſcribendo, vel ſaltem ipſi mittendo, „ vel opem, & alimoniam miniſtrando: ſed tam „ procul a nobis ipſa habenda eſt, ut nihil am- „ plius de illa inquiramus, &, ſi fieri qui- „ dem poteſt, neque cogitemus. Hæc ſunt, „ quæ Divina a nobis exigit Providentia, ut „ gratiæ ſuæ præſidio nos muniat. Quod ſi ea „ præterimus, perperam in Deo fiduciam noſtram „ evadendi e peccato in mediis tentationibus „ collocamus.

„ At forſan, pergit ille, in arbitrii veſtri viri

„ bus

„ bus ſpem non peccandi in occaſione reponitis. „ Si quiſquam ita loquatur, loquitur ſane ut de- „ lirus, & amens, quin etiam ut infidelis, qui „ non credit veritati increatæ diſertiſſime dicen- „ ti: *Sine me nihil poteſtis facere*. Quid enim a- „ liud a nobiſmetipſis habemus, niſi nihilum, & „ peccatum; abyſſum nempe nihili abyſſo alte- „ rius nihili ſuperadditum? *Non habet de ſuo*, ita „ ſacroſancta Eccleſiæ Concilia determinarunt, *ho-* „ *mo, niſi mendacium, & peccatum*. Si ſolius „ arbitrii noſtri viribus quidpiam bonum natura „ ſuperius perficere non poſſumus, aut malum vi- „ tare, niſi propitia nobis adſit virtus Spiritus „ Sancti, quæ nos moveat gratia ſua, atque cor- „ roboret: *Sine gratia nullum prorſus ſive cogi-* „ *tando, ſive volendo, ſive agendo faciunt homi-* „ *nes bonum*, inquit S. Auguſtinus; nonne nedum „ ſtulta, ſed etiam impia præſumptio eorum o- „ mnium eſt, qui propriis viribus confiſi, pec- „ candi periculis, & occaſionibus ſeſe audacter „ exponunt, quin lapſum pertimeſcant? Immo „ corruent infelices homines, & tenebuntur la- „ queis, quos effugere ſe poſſe ſibi blandiuntur: „ *Immiſit in rete pedes ſuos; tenebitur planta il-* „ *lius laqueo*". Hæc & alia plura Vir eloquen- „ tiſſimus, quæ cauſa brevitatis ſilentio prætereo.

FINIS TOMI SECUNDI.

31733

239.02
P 278

PATUZZI, JOANNES VINCENTIUS
AUTHOR

Ethica Christiana Vol. 2
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

31733